XII/15

ADMODUM REVERENDI PATRIS

ANTONII VIEIRÆ,

E SOCIETATE JESU

REGII IN LUSITANIA ~~PRÆDICATORI~~ Concionatoris

SERMONES

SELECTISSIMI,

E-58

FOECUNDITATE

MATERIARUM,

SUBLIMITATE, SUBTILITATE

ET

ACUMINE CONCEPTUUM

ADMIRABILES:

IDIOMATE LUSITANICO CONSCRIPTI

ET TYPIS EVULGATI,

NUNC IN CARTHUSIA COLONIENSI

LATINITATE DONATI.

CUM TRIPLICI INDICE,

THEMATUM, LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ,

ET RERUM MEMORABILIUM.

Comparat. Pretio Conventus Crasnohod pro Bibliotheca

PARS PRIMA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ.

Sumptibus JOANNIS JOSEPHI HUISCH, Bibliopol. M. DCC. LII.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

Bibliotheca Universitatis Carolinae Pragensis
Sign. 63

ANTONII VIERA
E SOCIETATE JESU

SERMONES
SELECTISSIMI
FOECUNDITATE
MATERIARUM
SUBLIMITATE
ET
ACUMINE CONCEPTUUM

ADMIRABILES

IDIOMATE LUSITANICO CONSCRIPTI

NUNC IN CARTHUSIA COLONIENSI

LATINITATE DONATI

CUM TRIPLICI INDICE

THEMATUM, LOCORUM SACRAE SCRIPTURAE

ET RERUM MEMORABILIUM

PARS PRIMA

COLONIAE AGRIPPINAE
Sumptibus JOANNIS JOSEPH BOETHII, Bibliopol. M. DCCXIII.

PRÆFATIO AUTHORIS

Ad Lectorem.

EX antecedenti pagina (si illam legisti) Primum legisti motivum sive obligationem, quare ex sepulchro hasce meas lineas suscitare incipiam, quæ sine voce illas vivificante, quamvis resuscitatæ, nihilominus remanent cadavera.

Huic obligationi, quàm vocavi Primam, veluti Vasalli accessit altera non inferior, tanquam Religiosi: quæ fuit supremi Superiorum meorum Reverendissimi Patris *Joannis Pauli Olivæ* Societatis nostræ Præpositi Generalis obedientia. Si magni hujus Capitis cognoscis eminentiam per scriptorum ipsius lectionem (sicut non potes non cognoscere per famam, eò quod Vaticani sit pulpiti Oraculum sub quatuor successivè Pontificibus) hæc sola Approbatio tibi sufficiat, ut me legere incipias meliore de me concepta opinione, quàm me lecto formaturus es. Sic amor filiorum blanditur Patribus: & ità maximi honorant minimos.

Præter has duas rationes, alii addidere alias, sed, quoad me, minoris momenti: nec erat earum minima, corruptio quâ sub meo nomine typis mandati & in diversas linguas multi translati Sermones, vel totaliter supposititii, cùm non sint mei: vel, cùm mei sint in substantia, sunt de memoria; & hinc informes: vel denique ex mendosis corruptisque exemplaribus impressi, in quos omnes, vel quasi omnes, plures respere errores; quàm ego in propriis recognovi authenticis.

Hæc notitia (ut ingenuè fatear) totalis fuit causa, quare nunquam persuaderi potuerim, cum simili scripturæ genere, quo mundus plenus est, in lucem prodire. Neque ad hoc animabar (quamvis multi id allegarent) rumore particulari, quem sine exemplo secutus sum: solummodò etenim ab imitatione dignis facta sunt exemplaria. Cùm eò pervenerit ut ultimam formam digestus accipiat liber, cui Titulus *Prædicator & Auditor Christianus*: in illo videbis regulas (utrum ab arte vel ingenio nescio) quæ per hanc novam methodum me deduxerunt. Intereà si causas scire desideras, quare à trita magis & ordinaria methodo recessi, illas in

Sermone, *Semen eſt Verbum Dei*, invenies, qui idcirco primo loco velut reliquorum prologus ponitur. Si affectata delectaris pompa phaleriſque verborum, & ſtylo quem vocant politum, non me legas: iſto maximè florente ſtylo, primus mei viror natus eſt, cui condonabis ubi offenderis. Sed tantum mihi ſemper profuit claritas, ut ſolùm intellectus inceperim audiri; & ſimiliter cœpere audire, qui cognito ſuo errore, tandem ſemetipſos intellexerunt.

Primæ Partis nomen, ſub quo hic Tomus prodit, promittit alios: quorum numerum ſi ex me ſcire deſideras, certum ſolummodò reddere poteſt author vitæ: quæ ſi ad proportionem inventæ in chartis meis materiæ duraret, ad duodecim ejuſdem, & adhuc majoris prolixitatis formanda corpora ſufficiet. Cuilibet eorum duos treſve, ex jam impreſſis & originali ſuæ integritati reſtitutis, Sermones inferam: & qui inter reliquos non recudentur, ſuppono quod non ſint mei.

Illi quos de præſenti manibus verſas, & reliqui ſequentes, erunt omnes diverſi & non continuati: cùm interim tu fortè me proditurum exſpectes cum iis quos vocant Quadrageſimales, Sanctorales, & Mariales more uſitato: ſed non eſt mea intentio Sermones aſtringere tempori; ſed illos edere prout habui. Sicut etenim fortuitò & caſu, & ſine ordine fuerunt dicti, ſic tibi offero. Notum tibi volo, quod poſtquam triginta & ſeptem annorum curriculo circumeundo mundum à Provincia mea Braſiliæ abfui Europæ Provincias pervagatus, nunquam Prædicatoris, nedum Ordinarii exercitium profiteri potuerim; eò quod nec haberem tempus, neque locum determinatum, aliis nunc pro Dei, nunc patriæ mancipatus ſervitiis, frequentibuſque meis infirmitatibus impeditus, quarum occaſione quoſdam omiſi jam perfectos Sermones recitare; qui ſimiliter nunc typis mandabuntur.

Poſt generalem hanc occupationum varietatem, adhuc aliam & majorem in iis deprehendentes, propter occaſiones diverſas, in quibus extraordinarii noſtræ ætatis, mearumque per diverſas terras mariaque peregrinationum ſucceſſus me ad publicè dicendum obligârunt: Quo paſſu alii erunt Panegyrici, alii gratulatorii, alii apologetici, alii politici, alii militares, alii navales, alii funebres, alii planè aſcetici, ſed ones quantum materia permittebat (& ultra quàm in talibus caſibus uſitatum eſt) morales.

Prima mea intentio erat, materias iſtas diviſas redigere in tomos particulares, qualibet in materia habentis ſufficientem pro juſto volumine: ſed quia multò plus temporis diſtributioni illi foret neceſſarium, & ad extendendum elimandumque ruditer projectos: ne tuum retardaretur deſiderium (pro quo tantò majores tibi ago gratias, quantò minus mihi illud debes)

præ-

præcedent & ſubſequentur magis elaborati. Credo hanc ipſam meam non minus tibi gratam fore varietatem ad minuendum faſtidium quod identitas generare ſolet.

Denique nolo tibi pro certo plura opera appromittere : inter pulverem enim etiam meæ memoriæ & oblivionis inveniuntur (ſicut in officina Vulcani) multa lacera & perforata, quæ virium defectu non redintegrari, nedum perfici & elimari poſſunt, quod expoliendi defecerit orexis : ſolummodò graviter ſentirem, ſi facultas me deficeret extremam imponendi manum quatuor Libris, *De regno Chriſti in terris conſummato*, vel alio nomine, *Clavis Prophetarum*, in quibus nova ad faciliorem Prophetarum intelligentiam panditur via ; quibus potiorem ſtudiorum meorum induſtriam conſecravi. Sed quia iſti vulgati ſunt magis univerſales, omnibus ſerviendi deſiderium pro nunc illis tribuit prærogativam.

Si quam ex his Sermonibus ſpititualem hauſeris utilitatem (quod ſolum exſpecto) deprecare Deum pro mea vita ; & ſi me mortuum intellexeris ultimum hujus libri legito Sermonem : ut hujus veritatem cognoſcas & acceptum à me conſilium amplectaris. Deus te cuſtodiat.

Amen.

Sermone, *Semen eſt Verbum Dei*, invenies, qui idcirco primo loco velut reliquorum prologus ponitur. Si affectata delectaris pompa phaleriſque verborum, & ſtylo quem vocant politum, non me legas: iſto maximè florente ſtylo, primus mei viror natus eſt, cui condonabis ubi offenderis. Sed tantum mihi ſemper proſuit claritas, ut ſolùm intellectus inceperim audiri; & ſimiliter cœpere audire, qui cognito ſuo errore, tandem ſemetipſos intellexerunt.

Primæ Partis nomen, ſub quo hic Tomus prodit, promittit alios: quorum numerum ſi ex me ſcire deſideras, certum ſolummodò reddere poteſt author vitæ: quæ ſi ad proportionem inventæ in chartis meis materiæ duraret, ad duodecim ejuſdem, & adhuc majoris prolixitatis formanda corpora ſufficiet. Cuilibet eorum duos treſve, ex jam impreſſis & originali ſuæ integritati reſtitutis, Sermones inſeram: & qui inter reliquos non recudentur, ſuppono quod non ſint mei.

Illi quos de præſenti manibus verſas, & reliqui ſequentes, erunt omnes diverſi & non continuati: cùm interim tu fortè me proditurum exſpectes cum iis quos vocant Quadrageſimales, Sanctorales, & Mariales more uſitato: ſed non eſt mea intentio Sermones aſtringere tempori; ſed illos edere prout habui. Sicut etenim fortuitò & caſu, & ſine ordine fuerunt dicti, ſic tibi offero. Notum tibi volo, quod poſtquam triginta & ſeptem annorum curriculo circumeundo mundum à Provincia mea Braſiliæ abfui Europæ Provincias pervagatus, nunquam Prædicatoris, nedum Ordinarii exercitium profiteri potuerim; eò quod nec haberem tempus, neque locum determinatum, aliis nunc pro Dei, nunc patriæ mancipatus ſervitiis, frequentibuſque meis infirmitatibus impeditus, quarum occaſione quoſdam omiſi jam perfectos Sermones recitare; qui ſimiliter nunc typis mandabuntur.

Poſt generalem hanc occupationum varietatem, adhuc aliam & majorem in iis deprehendentes, propter occaſiones diverſas, in quibus extraordinarii noſtræ ætatis, mearumque per diverſas terras mariaque peregrinationum ſucceſſus me ad publicè dicendum obligârunt: Quo paſſu alii erunt Panegyrici, alii gratulatorii, alii apologetici, alii politici, alii militares, alii navales, alii funebres, alii planè aſcetici, ſed ones quantum materia permittebat (& ultra quàm in talibus caſibus uſitatum eſt) morales.

Prima mea intentio erat, materias iſtas diviſas redigere in tomos particulares, qualibet in materia habentis ſufficientem pro juſto volumine: ſed quia multò plus temporis diſtributioni illi foret neceſſarium, & ad extendendum elimandumque ruditer projectos: ne tuum retardaretur deſiderium (pro quo tantò majores tibi ago gratias, quantò minus mihi illud debes)

præ-

præcedent & ſubſequentur magis elaborati. Credo hanc ipſam meam non minus tibi gratam fore varietatem ad minuendum faſtidium quod identitas generare ſolet.

Denique nolo tibi pro certo plura opera appromittere : inter pulverem enim etiam meæ memoriæ & oblivionis inveniuntur (ſicut in officina Vulcani) multa lacera & perforata, quæ virium defectu non redintegrari, nedum perfici & elimari poſſunt, quod expoliendi defecerit orexis : ſolummodò graviter ſentirem, ſi facultas me deficeret extremam imponendi manum quatuor Libris, *De regno Chriſti in terris conſummato*, vel alio nomine, *Clavis Prophetarum*, in quibus nova ad faciliorem Prophetarum intelligentiam panditur via ; quibus potiorem ſtudiorum meorum induſtriam conſecravi. Sed quia iſti vulgati ſunt magis univerſales, omnibus ſerviendi deſiderium pro nunc illis tribuit prærogativam.

Si quam ex his Sermonibus ſpititualem hauſeris utilitatem (quod ſolum exſpecto) deprecare Deum pro mea vita ; & ſi me mortuum intellexeris ultimum hujus libri legito Sermonem : ut hujus veritatem cognoſcas & acceptum à me conſilium amplectaris. Deus te cuſtodiat.

Amen.



PRÆFATIO TRANSLATORUM
Ad benevolum Lectorem.



Ige parumper gradum in limine, Amice Lector, & ausculta breviter quisquis præsentem Librum lecturus accesseris, & tu vel maximè Ecclesiastes, seu Verbi divini Præco animarumque Zelotes, cui cum primis hoc opus dirigitur. Ea nunc prô dolor, invaluisse videtur, & sensuum & morum deordinatio dicam, an depravatio? ut non sapiat amplius, nec placeat, nisi quod peregrinum & novum est: & hoc solùm esse sufficiat, ut in usum mox moresque transeat, quamvis catera nocivum sit, censuráque dignissimum. Porrò cum cathedræ sit officium (omni saltem possibili, licet infructuoso modo) congruum pessimo huic tam latè grassanti malo adhibere remedium, Prædicatori necessarium vidimus, illius, hoc passu imitari exemplum, cujusce exercet officium, qui est Christus Jesus Redemptor noster. Qui ut demandato sibi à Patre ritè & fructuosè perfungeretur officio, propter quod in mundum venerat, opus alienum & peregrinum assumere compulsus est, juxta illud Prophetæ Vaticinium: Ut faciat opus
Isa. 28. v. 21. suum, alienum opus ejus: ut operetur opus suum, peregrinum est opus ejus. *Nota verba* alienum & peregrinum. *Alienum à natura sua: peregrinum, quasi nunquam & nusquam in vicino circumquaque visum. Ex quo peregrinorum novorumque vis & efficacia innotescit, quam prò dolor, in damnabilibus, plus satis usus & experientia confirmat. Quare tibi animæ tuæ, alienæve Zelotes, alienum, peregrinum, novumque antidotum exhibemus. Alienum: quia nusquam & nunquam (quatenus nobis constat) in latino idiomate visum aut præscriptum. Peregrinum: quia ex remotissimis iisque diversis orbis regionibus acquisitum. Novum denique tam supposito, quàm ingredientibus: & est, quod oculis coram arbitraris. Sermones videlicet Admodum Reverendi* P. Antonii Vieiræ *Societat. Jesu, Regii in Lusitania Prædicatoris celeberrimi, ab ipso in Lusitanico idiomate dicti, typisque evulgati, nunc latinitate donati. Authoris encomia & excellentiam si nosse cupis, ex adjunctis similiterque translatis Censuris & Approbationibus ea delibare licebit, plenius ex ipsiusmet operis evolutione hausturus. Opus profectò novum & peregrinum, & in Latio solo alienum. Peregrinum novumque materia novum & peregrinum conceptibus, novum & peregrinum ingenii subtilitatibus & acuminibus, proinde undiquaque novum. Quod antequam volvere incipias, Amice Lector, & rogandum te, & monendum putavimus.*

Primò

Primò. Ne temeritatis præsumptionisque nos arguat, quasi nos falcem messi immittendo alienæ, opus etiam alienum voluerimus facere nostrum, eò quod de Ordine Cartusiano non sit, cujus subtiles adeò & sublimes lucubrationes vertere sumus aggressi, cum absque omni controversia magis ad hoc idonei existant, qui saltem toto gradu Authori propinquiores sunt. Hæc consideratio, multò tamen magis propriæ incapacitatis conscientia, à tali nos molimine in principio meritò absterruit, Charitas interim, quæ omnia bona communia esse cupit, ad aggrediendum urgebat, quo omnes Christi fideles, & eodem sub capite membra & fratres, ad congratulandum nobis de tam pretioso invento thesauro invitaremus. Litigante igitur aliquamdiu desuper hinc Charitate, illinc metu, litem tandem evicit Charitas, suadens calamum admovere operi nihil veritos, si Cartusianæ tantùm simplicitatis modestiæque memores, ex Lusitanico illo Sole, vel luminosum, quamvis informe conficeremus corpus, & ex elaboratissima illa effigie, vel crudam productam in tantùm disponeremus massam, ut debitâ & condignâ tandem latinitatis formâ introducibilis appareret. Quod assecutos nos speramus, nihil dubitantes, quin occasione sic acceptâ mox sint adfuturi, qui exercitatioris ingenii, nec non requisitæ ad hoc artis peritiores, talem ex Luminoso hoc informi formabunt Luciferum, ut qui hucusque uni tantum luxerat terræ angulo, accepto sic debito splendore, toti deinceps elucescat universo: eamque incompositæ massæ latinitatis impriment, formam dicam, aut animam? ut gloriosè ad vivum suum exprimat Architypum. Quod vovemus.

Secundò. Rogamus, ut lecturus, non velut aranea accedas collecturus venenum unde uni alterive nocumentum gratis intentes, sed germanæ instar apis copiosè hausturus, unde prodesse possis plurimis, memor istius apibus inscripti: Meliora lego, *seu,* quod utile carpo. *Itemque.* Legunt non lædunt, *seu,* Delibant non carpunt. *Casu quo verò ipsa styli ruditas mox in fronte nauseam tibi ingerere stomachumque movere videatur, attende, quæsumus, materiæ qualitatem, Authorisque intentionem & scopum ad mentem voca, quod videlicet non demulcendis auribus, sed dirigendis in viam salutis animabus ipsius lucubratio & labor, & nostra consequenter quantulacunque opella desudarit. Inscriptum huic puta quod ficui:* Dulcorem, & non speciem: *seu* Medullam & non corticem. *Ut sic apibus intra hortum super obvios, quamvis exiguos & humiles flosculos volitare solitis inscriptum,* & humiliora dignantur. *Verificaturus, tanquam prudens discretusque studiosus, præsentem librum, quamvis stylo, non tamen materia humilem non dedigneris, Angelici Doctoris imitatus exemplum, ingenuè fassi*

se

se ex quolibet etiam minima molis libello doctrina suæ incrementum hausisse. Quod
S. Aug. lib. 1. de Ord. c. 11. *idem magnus Angelici Doctoris Magister S. Augustinus sensit, quando dixit:* Non valde curo superborum imperitorumque judicia, qui similiter in legendos libros atque in salutandos homines irruunt non enim cogitant, quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sunt. *Enim verò si ipsum vivum S. Spiritus organum, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, oracula divina sese depromere asserit, quis Cellicolis ipsam simplicitatem & abjectionem Professis vitio vertet, si quid inter cellæ parietes conquisitum communi publicoque congruum bono, conformi obligationi suæ calamo evulgare satagant?*

Tertiò, monitum te cupimus, nos in hoc laborâsse vel maximè, ut clarè tibi mentem scopumque Authoris, nec non Conceptûs acumina exhiberemus, in quo operis essentia & animæ consistit: quod si non attingimus ad apicem, minùs saltem nos aberrasse speramus. Si quid fortè aberratum in hac parte, condonandum nobis, quod nec nati, nec educati simus Lusitam, & ne Dictionarii quidem istius linguæ copiam habere potuerimus, unde divinatione quandoque opus fuit, proinde magis peritorum judicio illa submittimus.

Quartò, Quoad errata quomodocunque illapsa, ea quæ notabiliora, sensumque vitiare, aut obscurare fuere visa, in adjuncto Syllabo annotavimus, obvia, uti etiam, quoad interpunctionem (in qua sæpissimè erratum) ob frequentiam prudentis Lectoris judicio remittentes.

Denique petimus, ut piam nostram intuendo intentionem, præsentem qualemcunque æqui bonique consulas opellam, quam solitudini Professionique nostræ conformiter, communi bono, omniumque promovendæ saluti libenter impendimus: oresque pariter pro nobis, ut laboris hujus operisque finem & metam, divinam scilicet gratiam in præsenti, cœlestemque gloriam in futuro tandem consequamur. Vale.



APPRO-

APPROBATIO

Adm. Rdi Patris Fr. Joannis de Matre Dei, Provinciali Provinciæ Portugalliæ, Seraphici Ordinis S. Franciſci, Principis Regentis Prædicatoris, Ordinum Militarium Exanimatoris, &c.

SERENISSIME PRINCEPS DOMINE CLEMENTISSIME.



I quo caſu unquam obedientia ſuo caruit merito, in hoc profecto caruit, quo ex Celſitudinis tuæ imperio, Reverendi Patris *Antonii Vieiræ* Societatis Jeſu digniſſimi Prædicatoris talis Principis, quia omnium Prædicatorum Princeps, *Primam ſermonum partem*, à mendis, quibus à legentium ſeu terentium manibus fuerat adulterata, expurgatam & ad legitimum ſummi ejuſdem ingenii partum redactam conſpexi. Optima ejuſdem cenſura, eſt nomen Authoris ipſi pro cenſura præfigere, cum ſine competentia (quamvis cum omnium invidia) pro Oraculo pulpiti inter Nationes mundi ſit celebratus, quo ſcriptorum ſuorum doctrinâ & famâ, velut pennæ ſuæ remigio ſubvolavit. Magno æſtuabam deſiderio ut ſua opera auſpicaretur, ad quæ meritò bene fundata ſpes noſtra anhelat, talentique ejus excellentia promittit: ut pro mòliminis beneficio immortalitati conſecraretur gloria in futuris, quam præſentium meretur admiratio; & innoteſceret mundo non deeſſe Luſitaniæ, cui eruditionem latinam & græcam eloquentiam invideret: ſæpiuſque repetebam apud me illa verba Job. c. 31. v. 35. *Deſiderium meum audiat omnipotens, & librum ſcribat ipſe qui judicat, ut in humero meo portem illum, & circumdem illum quaſi coronam mihi*; Deus inſpirando, & Celſitudo tua imperando illud meum deſiderium complevere. Quis Judex poſſet ſcribere Librum Sermonum, niſi Reverendus Pater *Antonius Vieira*? Judex per antomaſiam ex officio, in arte & regulis prædicationis, cujuſce, nos Prædicatores omnes oporteret eſſe contentos, eſſe Diſcipulos, ut poſſemus nos vocare Magiſtros. Dubitari tantummodo poterat, cum Judex ſit Libri ſcriptor, quomodo Job eſſet coronatus illo: & quomodo Liber, quem oporteret eſſe gloriam Authoris, eſſet gloria Lectoris? ſed qui librum aperuerit, inveniet ſolutionem dubii. In quolibet enim Sermonum, quos continet videbit, quod, cum ſolummodo gloria eſſe poſſint Scribentis, ſimul ſint corona Legentis. Non ſunt ſolummodo gloria Compoſitoris

sitoris, sed etiam felicitas habentium. Quo ad me, ut minimum, meus cum Job judicat affectus, *Coronam mihi*. De quolibet itaque horum Sermonum affirmo, quod Plin. lib. 2. suarum Epistolarum. Epist. 3. *Præmiatur, narrat apertè, pugnat acriter colligit fortitèr, ornat excelsè.* Exorditur vivaci energia, quæ attrahit: prosequitur claritate singulari, quæ delectat: probat vivacitate gravi, quæ rapit: facunda varietate colligit, quæ docet: sententiosa ornat excellentia, quæ suspendit: quodque magis difficile, *Postremò docet, delectat, afficit*: Divertit, quasi non adverteretur: docet, quasi non recrearet: delectat, quasi non reprehenderet: fructificat, quasi non delectaret. Non solùm nihil continent quod regium offendat servitium; sed multa cur debitam Celsitudinis tuæ obedientiam continuet, qua Authorem ad edendum hunc Librum obligavit; ut cum reliquis luculentis studiorum suorum & ingenii laboribus in lucem prodeat pro gloria Dei, nec non horum Regnorum honore. Hoc sentio, hoc dico; & quod dicere nescio, hoc magis sentio. Ulyssippone in S. Francisco 29. Augusti. Anno 1678.

Fr. Joannes de Matre Dei.

CENSURA

CENSURA ET APPROBATIO THEOLOGORUM

quibus Libri hujus ex Lusitanico Sermone in Latinum translati revisio commissa fuit.

AUreus ille omnis Religiositatis Magister Thomas Kempensis, in laudem illorum, qui scriptione librorum Dei optimi maximique gloriam, animarumque salutem promovere adlaborant, sic loquitur: si mercedem suam non perdet, qui calicem aquæ frigidæ sitienti porrigit, quantam mercedem recipiet, qui animæ perpetuò victuræ, salutaris sapientiæ aquam scribendo ministrat; quot enim literas debitè formas, tot Deo hostias laudis offers. Benedicta ergo manus scribentis, & digiti in tali opere occupati. Hæc si vera, (quis prudens ea vera esse dubitat) multiplices certè laudis hostias Deo immolavit, Admodum R. P. *Antonius Vieira* Societatis Jesu, Regius in Lusitania Prædicator in Conceptibus prædicabilibus tam subtilis & solidus, in dicendo tam facundus ut ab Admodum R. P. Joanne à Matre Dei, Ordinis Seraphici in Portugallia Provinciale dignissimo, meritò appellatus sit Oraculum pulpiti, & omnium Concionatorum Princeps. Hic etenim in regulis Prædicationis exercitatissimus Vir, quos ad populum habuit, exquisitissimos Sermones, eosdem in Lusitanico Idiomate prælo mandavit, ut non solùm vivi voce, vivus, sed & scriptio mortuus, Christianum posset populum ædificare, ut proinde non dubitemus, quin manibus digitisque ejus salubertimo isti operi applicatis, benedixerit Omnipotens, æternámque ei mercedem jam largitus sit pro eo, quod animabus æternum victuris salutaris sapientiæ aquam scribendo ministrarit. Et certè minorem à Deo benedictionem atque mercedem non habebunt Venerabiles Patres Carthusiani, quorum unus professus in Carthusia Colonienſi S. Barbaræ, alter verò in Carthusia Dulmanienſi in Westphalia, qui sæpiùs memorati P. *Antonii Vieiræ* Sermones præclaros, ex Idiomate Lusitanico in Latinum, non sine ingenti labore transtulere. Et hunc quidem primum eorundem Sermonum Tomum diligentia qua potuimus revidimus, in quo nihil invenimus, quod fidem aut bonos mores offendat, quod unum & solum à nobis investigandum erat. Dignum ergò eundem censemus, qui pro bono communi Ecclesiæ, & fidelium solatio per typos publicetur. Sic censebamus. Anno 1690. 11. Augusti.

Fr. *Adrianus Schonen S. Ord. Prad. SS. Theolog. Magister,*
Fr. Petrus Diezinger S. Ord. Prad. SS. Theolog. Doctor.

VIsis Theologorum Approbationibus, & testimoniis imprimatur hic Tomus Primus Concionum *R. P. Antonii Vieira* Soc. Jesu, Regii in Lusitania Concionatoris. Datum Coloniæ 11. Augusti 1690.

Fr. Leonardus Messen S. Ord. Prad. SS. Theol. Doctor
& inquisitor Apostolicus.

Reverendissimi Patris D. INNOCENTII LE MAISSON Prioris Carthusiæ, nec non Sacri Ordinis Cartusiensis Generalis.

Venerabiles in Christo Patres.

STatim atque Primam Epistolam vestram recepi, responsum dedi simul & consensum ad postulata vestra executioni mandanda, scilicet quoad impressionem Sermonum Admodum Reverendi P. *Antonii Vieiræ* Societatis JEsu, à vobis latinitate donatorum ex Idiomate Lusitanico, servatis tamen de jure & statutis servandis; per me ergò non stabit quin labor vester utilis sit, & publicè appareat, ad Dei honorem & proximi ædificationem quod valde aveo, & omnia faustissima vobis apprecor. Bene valete. Cartusiæ hac 29. Martii 1690.

Vester in Christo Confrater.

F. INNOCENTIUS.
Prior Cartusiæ.

Licentia Venerandorum PP. Visitatorum.

Sacri Ordinis Cartusiensis in Provincia Rheni.

NOs infrascripti concedimus licentiam, Sermones Admodum Reverendi P. *Antonii Vieiræ* Societatis JESU ex Idiomate Lusitanico à duobus PP. Cartusiæ Colonien sis in Latinum translatos, & à RR. PP. Prædicatoribus revisos & approbatos ad boni publici emolumentum Typis mandari. Mertzlich supra Treverim 27. Octobris 1690.

Fr. MARTINUS SCHUE
Prior Cartusiæ Trevirensis.
ac Provinciæ Rheni Visitator.

F. JODOCUS SCHWAB.
Prior Cartusiæ Moguntinæ,
ac Provinciæ Rheni Convisitator.

PRIVI-

INDEX
SERMONUM ET THEMATUM

Qui in hac prima Parte continentur.

I. Sermo in Dominicam Sexageſimæ. pag.

Semen eſt Verbum Dei. Luc. 8. 1.

II. Sermo Primus in Feriam quartam Cinerum.

Memento homo quia pulvis es: & in pulverem reverteris. 21.

III. Sermo primus de Sanctiſſimo Sacramento.

Caro mea verè eſt cibus: & ſanguis meus verè eſt potus. Joan. 6. 34.

IV. Sermo de Nativitate B. Virginis Mariæ.

De qua natus eſt Jeſus. Matth. 1. 155.

V. Sermo in Feriam quartam poſt ſecundam Dom. Quadrag.

Neſcitis, quid petatis. Matth. 20. 70.

VI. Sermo de S. Ignatio Fundatore Societatis JEſu.

Et vos ſimiles hominibus exſpectantibus Dominum ſuum. Luc. 12. 86.

VII. Sermo in tertiam Dominicam Quadrageſimæ.

Cum ejeciſſet dæmonium, locutus eſt mutus: & admiratæ ſunt turbæ. Luc. 11. 105.

VIII. Sermo ſecundus de Sanctiſſimo Sacramento in Bachanal.

Tentat vos Dominus Deus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non? Deuter. 13. 129.

IX. Sermo in Feriam quartam poſt Dom. quartam Quadrag.

Vidit Hominem cæcum. Joan. 9. 141.

SERMO

X. Sermo de B. Virgine Maria de Rupe Franciæ.

Liber Generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham. Matth. 1. 161.

XI. Sermo in Sabbathum post Dominicam tertiam Quadragesi.

Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Joan. 8. 177.

XII. Sermo de Lachrymis Sancti PETRI.

Cantavit Gallus, & conversus Dominus respexit Petrum: & egressus foras flevit amarè. Luc. 22. 169.

XIII. Sermo de Mandato.

Sciens JESUS quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. 209.

XIV. Sermo de Bulla Cruciata.

Unus militum lanceâ Latus ejus aperuit: & continuo exivit Sanguis & aqua. Joan. 19. 223.

XV. Sermo Secundus in Feriam quartam Cinerum.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. 241.

SERMO
PRO
Dominica Sexagesimæ.

Habitus ab Authore Vlyssippone in Capella Regia Anno 1655. quando venit è Missione Maragnanà in America, ubi invenit difficultates in eo contentas, quibus superatis, statim cum novis mandatis Regiis ad eandem Missionem reversus est.

Semen est verbum Dei. Luc. 8.

§. I.

EXIT Omnipotens, ut illustre ac frequens hoc auditorium, sermone minùs quàm in Prædicatore deceptũ egrediatur! audiamus Evangelium, & quidem totum: totũ enim agit de casu, qui me hucusque è tam longinquò adduxit.

Exiit qui seminat, seminare. Christus dicit, quod Prædicator exierit ad seminandum Verbum Dei. Planè patet, quod Textus iste sit ex Libris Dei, non solùm mentionem facit de seminando: sed etiam de exeundo; *Exiit*, nam in Die messis metietur & semen, & numerabuntur nobis passus. Mundus, Vobis, qui laboratis cum illo, nec satisfacit pro eo quod dispenditis: nec passus remunerat. Non sic Deus. Laborare cum ipso, usque ad exire, est seminare: de passibus etenim etiam colligitur fructus. Inter Evangelii Seminatores, alii ad seminandum exeunt: alii seminant sine exire; Exeuntes ad seminandum, sunt qui abeunt prædicatum Evangelium in Chinam, Indiam, & Japoniam: Seminantes sine exire, sunt quibus satis videtur prædicare in Patria. Quisque suam habebit rationem: sed omnia suum computum; sementem habentibus in domo, solvendum erit semen: quibus è longinquo quærendum est semen, & semen metietur, & passus numerabuntur. Ah dies judicii! ah Prædicatores! Vos hîc, vos invenietis cum pluribus Palatiis: illi ibi, cum pluribus passibus, *Exiit seminare.*

Sed ex hoc Discursu video quod notetis (& me quidem notatis) Christum dicere, quod seminator Evangelicus *Exiit*: sed non dicit, *Rediit*; Prædicatores etenim Evangelici, homines profitentes se prædicare & propagare fidem, bonum est quod exeant, sed non quod redeant. Animalia Ezechielis trahentes currum triumpha- *S. Gregor. ibid.*

phalem gloriæ Dei, & figurantes Prædicatores Evangelii Dei, qualesnam habe-
Ezech. 1. v. 12. bant proprietates ? *Nec revertebantur cum ambularent.* Rotæ quibus regebantur, erat impetus spiritus, sicut ipse inquit textus, & isto impetu spiritus impellebantur ad progrediendum, sed non ad regrediendum : præstaret enim non exire, quàm reverti. Sic arguitis valdè rationabiliter, & ego quoque idem sentio & dico ; sed interrogo. Si Seminator iste Evangelicus quando exivit, inveniret campum occupatum : si armarent sese contra ipsum spinæ, si insurgerent petræ, si præcluderentur aditus, quid agendum ? omnia ista contraria quæ dico, & omnes istas contradictiones expertus est noster Seminator Evangelii. Incepit ille seminare (ait Christus) sed infeliciter : *aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ suffocaverunt triticum : aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem : aliud cecidit secus viam, & conculcatum est, & volucres cœli comederunt illud.* Ecce nunc, quomodo omnes creaturæ mundi sese arment contra hunc seminantem. Omnes creaturæ quotquot inveniuntur in mundo, rediguntur ad quatuor genera ; ad creaturas rationales, ut sunt Homines : ad sensitivas, ut sunt animalia : ad vegetativas, ut sunt plantæ : & insensitivas, ut sunt petræ : nec dantur plures. Defuitne aliqua ex istis, quæ contra seminatorem se non armaret ? Nulla. Natura insensitiva illum insecuta est in petris : Vegetativa, in spinis : Sensitiva, in avibus : Rationalis in hominibus. Et notate infelicitatem tritici, quòd ubi solùm poterat sperare rationem : ibi majus invênit obstaculum & gravamen ; Petræ illud arefecerunt, spinæ suffocârunt, aves comederunt, & Homines quid ? conculcârunt : *Conculcatum est ab hominibus* inquit Glossa. Quando Christus præcepit Apostolis per mundum prædicare, allocutus est illos hoc modo : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Domine, quomodo sic ? animalia, nonne sunt creaturæ ? arbores nonne sunt creaturæ ? petræ nonne sunt creaturæ ? ergo Apostoli prædicabunt petris, prædicabunt truncis, prædicabunt animalibus ? Ita, inquit S. Gregorius post S. Augustinum : nam sicuti Apostoli prædicare debebant omnibus nationibus mundi, multis earum barbaris & incultis, habebant invenire homines degeneratos in omnes species creaturarum ; habebant invenire homines homines habebant invenire homines bruta, habebant invenire homines truncos, habebant invenire homines petras. Et cùm Prædicatores Evangelici exeunt prædicatum omni creaturæ, omnes creaturæ sese contra illos armant ? magna infelicitas.

Marc. 16. v. 15.

S. Greg. S. Augustin.

Sed infelicitas nostri Seminatoris Evangelici non fuit adeò magna : major fuit illa, quæ deprehensa fuit in seminatione, ubi ego fui, & unde ego venio ; quicquid hîc passum est triticum : ibi passi sunt Seminatores. Si benè adverteritis, triticum fuit arefactum, suffocatum, comestum, conculcatum. Triticum arefactum : *natum aruit, quia non habebat humorem.* Triticum suffocatum : *Exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Comestum : *Volucres cœli comederunt illud.* Triticum conculcatum : *Conculcatum est.* Omnia ista passi sunt Seminatores Evangelici missionis Maragnanæ spatio duodecim annorum in istis partibus Americæ ; fuêre Mis-

sio-

sionarii suffocati: nam aliqui eorum sunt suffocati in oris magni fluminis Amazonum; fuerunt Missionarii comesti: nam aliquos comederunt Barbari in Insula Arachotorum: fuerunt Missionarii aresacti, nam tales reversi sunt ab itinere Tocantino fame & infirmitate aridi, quorum unus diebus viginti & duobus inter urticas velut perditus ambulans, sitim solo sedavit rore quem è foliis lambebat; Ecce num illi benè quadret, *natum aruit, quia non habebat humorem.* Et præter aridos, suffocatos, comestos, adhuc videntur conculcati & ab hominibus persecutionem passi, *Conculcatum est?* Domine Jesu Christe non conqueror, neque illud dico propter Seminatores: solummodò hoc propter semen dico, solummodò hoc propter sementem sentio. Omnia ista Seminatoribus sunt gloriæ: Exaruerunt? ita, sed amore tui; Suffocati? etiam, sed amore tui; Comesti? planè, sed amore tui; Conculcati & persecutionem passi? sic, sed amore tui.

Nunc ad meam quæstionem redeamus. Ecquid faceret hoc casu, vel faciendum erat Seminatori Evangelico, videnti laborum suorum primitias tam infructuosas? desereretne agriculturam? desisteretne à seminando? an otiosam & incultam relinqueret terram, ad quam nonnisi colendam perrexisset? videtur quod non; sed si festinus rediret domum inquisitum & allatum instrumenta quibus terram emundaret à petris, expurgaret à spinis, foretne hoc desistere?, foretne hoc retrogredi? neutiquam. In ipso textu Ezechielis, quo arguistis, habemus probationem. Jam vidimus textum dicere, quod animalia Currus divini *non revertebantur cum ambularent*: porrò legite duos versus subsequentes, & videbitis eundem textum ibidem dicere, quod illa animalia, *ibant & revertebantur in similitudinem fulguris coruscantu.* Si igitur ista animalia ibant & revertebantur in similitutinem fulguris, quomodo ait textus, *Nec revertebantur cum ambularent*? Quia qui vadit & fertur ut fulgur, non revertitur: ire & volare instar radii, non est reverti sed progredi; Ita seminavit & fecit seminator nostri Evangelii, non despondit animum in primâ, secundâ, & tertiâ jacturâ; perrexit seminare & tanta facilitate, ut in quarta & ultima tritici parte, cum quæstu restauratæ fuerint reliquæ jacturæ: natum est, crevit, aristas egit, maturuit, collectum est, mensum est, & inventum centuplicatum, *Fecit fructum centuplum.* Ezech. 1. v. 12. Ezech. 1. v. 14.

O quantam mihi spem facit ista seminatio! ô quale exemplum præbet mihi iste Seminator! seminatio dat mihi spem magnam, nam quamvis mihi perierint labores primi, ultimi promittunt successus meliores: Grande mihi præbet exemplum Seminator, nam perditâ primâ, secundâ, & tertiâ tritici parte, quarta & ultima fructificavit, & collegit ex ea fructum plurimum. Cùm itaque perierint tres vitæ partes, cùm unam sustulerint spinæ, alteram abstulerint petræ, tertiam annihilarint viæ tot & tantæ: hæc quarta pars & ultima, hic ultimus vitæ quadrans quare etiam periret? quare non fructum redderet? quare non habebunt anni, quod habet annus? Annus habet tempus pro floribus, & tempus pro fructibus: Quare non etiam vita suum habebit autumnum? Florum alii decidunt, alii arescunt, alii marcescunt, alios

ventus aufert: pauci ramis adhærentes & in fructum desinentes, tantummodò sunt felices, hi soli durant, illi soli nobis proficiunt, illi soli mundum sustentant; Consultumne erit mundum perire fame? consultumne erit ultimos in floribus perire dies? absit, nec Deus hoc probat: nec oportet esse. Ecce hîc patet cur dixerim in principio, quod veneritis decepti in Prædicatore: sed ne opus sit redire deceptos sermone, tractabo in eo rem & materiam magni momenti, & hic serviet velut Prologus aliis quos habiturus sum.

§. II.

Semen est Verbum Dei.

TRiticum quod seminavit Prædicator Evangelicus, inquit Christus, est Verbum Dei. Spinæ, petræ, via, terra bona in quam triticum cecidit, sunt diversa hominum corda. Spinæ, sunt corda curis, divitiis, & delitiis intricata: & in eis Verbum Dei suffocatur. Petræ, sunt corda dura & obstinata, & in istis Verbum Dei exarescit: vel si nascitur, non agit radices. Viæ, sunt corda inquieta & rerum sæcularium transitibus & tumultibus pervia, aliæ veniunt, aliæ vadunt, aliquæ transversim, & omnes transeunt: & in his Verbum Dei conculcatum est, nam illud vel despiciunt, vel non attendunt. Denique terra bona, bona sunt corda, vel homines boni cordis: & in iis radicatum Verbum Dei fructificat tam fœcundè & copiosè ut pro simplo centuplum colligatur, Et *fecit fructum centuplum.*

Ista copiosa Verbi Dei fructificatio, est quam hodie considero: & quoddam dubium est & mirabile, quod me post suggestus conscensum suspendit. Si Verbum Dei tam efficax est & potens, quomodo apparet tam exiguus Verbi Dei fructus? Christus inquit, quod Verbum Dei fructificat centuplum pro simplo: & ego jam contentus essem, si fructificaret simplum pro centuplo; si centum Sermonibus converteretur unus: jam mundus esset sanctus. Istud in authoritate Christi fundatum argumentum fidei, confirmatur magis experientiâ, si tempora præterita cum præsentibus comparentur. Legite Historias Ecclesiasticas, & omnes invenietis admirandis effectibus Prædicationis Verbi Dei plenas, tot peccatores conversos, tantam vitæ mutationem, tantam morum reformationem: Magnates despexisse divitias & mundi vanitates, Reges renunciasse sceptris & coronis, nobiles & juvenes abdidisse se in antris & speluncis; Et hodie? nihil horum. Nunquam in Ecclesia Dei tot fuerunt Prædicationes & Prædicatores sicut hodie: Si igitur tam copiosè seminatur Verbum Dei, quomodo tam modicum affert fructum? Nemo est qui aliquo sermone resipiscat & se resolvat, nullus adolescentûm qui pœniteat, nullus senum qui moveatur; Ecquid est istud? sicut Deus hodie non est minus omnipotens: sic ejus Verbum hodie non est minus potens quàm ante, ergo si Verbum Dei est tam potens, si Verbum Dei hodie tot habet Prædicatores, quare hodie Verbi Dei nullum videmus fructum? Hoc tam grave tantique momenti dubium, erit præsentis Sermonis materies; Volo incipere prædicando mihi, serviet mihi & vobis: mihi, ut discam prædicare, vobis, ut discatis audire.

§. III.

QUod Verbum Dei faciat exiguum in mundo fructum, potest ex aliquo

trium

trium Principiorum provenire : vel ex parte Prædicatoris, vel ex parte auditoris, vel ex parte Dei. Ut anima mediante aliquo Sermone convertatur, oportet ut concurrant tria. Primò Prædicator, doctrinâ persuadendo: Secundò auditor, intellectu percipiendo : Tertiò Deus, gratiâ illuminando. Ut homo videat seipsum, tria sunt necessaria: Oculi, speculum & lux. Si habet speculum, & est cœcus, nequit se videre, oculorum defectu : si speculum habet & oculos, & est nox : non se videre poterit, defectu lucis. Ergo necessaria Lux, Speculum, & Oculi. Quid est animæ conversio, nisi quod homo semetipsum introgressus inspiciat? pro introspectione ista, oculi, lux, & speculum necessaria sunt. Prædicator concurrit speculo, quod est doctrina: Deus concurrit luce, quæ est gratia: Homo concurrit oculis, quod est cognoscere seipsum. Jam supposito quod conversio animarum mediante prædicatione dependeat ab his tribus concursibus: à Deo, à Prædicatore, & Auditore, per quemnam horum putandus est venire defectus? Ex parte Auditoris, ex parte Prædicatoris, vel ex parte Dei?

Primò, ex parte Dei concursus non deest, nec deesse potest. Propositio ista est de Fide, definita in Concilio Tridentino, & in nostro Evangelio ipsam invenimus. De tritico quod Seminator misit in terram, una pars fructum fecit, tres verò sine fructu periêrunt. Quare istæ tres perierunt? Prima perdita, quia spinis suffocata: Secunda, quia in petram cadens exaruit: Tertia, quia conculcata ab hominibus, & devorata à volucribus. Hoc est quod Christus dicit: sed notate hoc, quod non dicit. Non dicit, quod aliqua tritici pars perierit causâ solis vel pluviæ. Causa propter quam ordinariè perit semen, est inæqualitas vel intemperies temporis, vel defectus aut abundantia pluviæ, vel solis nimietas aut defectus. Age, quare non introducit Christus in Parabolâ Evangelicâ aliquod triticum, quod perditum sit causâ solis vel pluviæ? Quia sol & pluvia sunt influentiæ ex parte cœli, & quod semen Verbi Dei non fructificet, nunquam provenit ex defectu cœli, sed semper est ex culpa nostra. Desinet fructificare semen vel ob impedimentum spinarum, vel ob duritiam petrarum, vel inæqualitatem viarum : sed defectu influentiæ cœli hoc non est, nec esse potest. Semper Deus ex parte sua promptus & paratus est, fovere sole, & pluviâ rigare, sole illuminare, pluviâ emollire, si corda nostra vellent : *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* Quod si Deus solem & pluviam æquè malis ac bonis ministrat: malis, qui vellent fieri boni, quomodo illam negabit? hocce punctum est tam clarum, ut necesse non sit nos detinere ad magis probandum. *Quid debui facere vineæ meæ & non feci?* inquit ipse Deus per Isaiam. Matth. 5. v. 45. Isai. 5. v. 4.

Postquam igitur certum est quod Verbum divinum non desinat fructificare ex parte Dei: sequitur quod vel ex parte Prædicatorum, vel Auditorum. Ex quânam erit? Prædicatores culpam conjiciunt in auditores, sed non est ità. Si esset ex parte auditorum, Verbum Dei non faceret multum fructum : sed facere nullum fructum, nullum effectum, non est ex parte auditorum. Probo. Auditores vel sunt mali, vel sunt boni; si sunt boni, multum in iis facit fructum Verbum

Dei: si sunt mali, quamvis in illis non faciat fructum, facit effectum. Hoc habemus in Evangelio. Triticum quod cecidit inter spinas, natum est, sed suffocatum: *Simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* Triticum quod cecidit inter petras, natum est similiter, sed exaruit: *Natum aruit.* Triticum quod cecidit in terram bonam, natum est & fructum attulit multiplicatum: *Et natum fecit fructum centuplum.* Ita triticum quod cecidit in terram bonam, natum, fructum attulit: triticum quod cecidit in terram malam, non attulit fructum, sed natum est; nam Verbum Dei tam est fœcundum, ut in bonis multum faciat fructum: estque tam efficax, ut in malis, quamvis non fructum, faciat tamen effectum; missum inter spinas non fecit fructum, sed natum est usq; ad spinas: missum inter petras, non attulit fructum, sed natum est usque ad petras. Pejores auditores qui sunt in Ecclesia Dei, petræ sunt & spinæ. Quare? Spinæ acutæ, petræ duræ. Auditores ingenii acrioris, & auditores voluntatis induratæ, sunt pessimi qui inveniuntur. Auditores acutioris ingenii, sunt mali auditores; qui solùm veniunt auditum subtilitates, & venatum verborum phaleras, & dijudicatum conceptus, & frequenter etiam ad pungendum non pungentes. *Aliud cecidit inter spinas*: Triticum non pupugit spinas, potiùs à spinis punctum: idem hîc accidit. Putatis quod Sermo pupugerit vos, & non est ità: Vos estis qui pungitis Sermonem, hinc acutiores intellectu sunt auditores mali. Sed auditores induratæ voluntatis adhuc sunt pejores, quia acumen intellectus acumine majore vincitur; sed contra obduratas voluntates nihil proficit, sed plus damnificat: quantò enim sagittæ sunt acutiores, tantò faciliùs retunduntur in petra. Ah, Deus liberet nos à voluntate indurata quæ ipsis petris pejor est! Virga Moysis emollivit petras, & non potest emollire voluntatem induratam: *Percutiens virga bis silicem, & egressæ sunt aquæ largissimæ. Induratum est cor Pharaonis.* Et cum auditores acuti, & auditores indurati sint magis rebelles: tanta est divini Verbi virtus, ut etiam ad insultandum acumini nascatur in spinis, & ad insultandum duritiei nascatur in petris. Arguere poteramus agricolam Evangelicum, non amovisse petras, nec evulsisse spinas, antequam sementem jaceret: sed de industriâ reliquit in campo petras & spinas, ut virtus seminis appareret. Tanta est vis divini Verbi, ut sine evulsione spinarum nascatur inter spinas: Tanta est divini Verbi virtus, ut absque amotione seu emollitione petrarum, in ipsis nascatur. Corda intricata velut spinæ; corda sicca & dura velut petræ; audite Verbum Dei & confidite: sumite exemplum ab ipsis spinis & petris. Istæ petræ & spinæ modò resistunt Seminatori cœlesti: sed veniet tempus, quo illæ ipsæ petræ illi acclamabunt, & illæ ipsæ spinæ illum coronabunt. Quando cœlestis seminator reliquit campum ex hoc mundo exeundo, petræ scissæ sunt ut illi acclamarent: & spinæ plexæ sunt ut coronarent. Sed si Verbum Dei ad spinas usque & ad petras triumphat: si Verbum Dei ad spinas usq; ad petras nascitur: quod hodie Verbum Dei non triumphet in arbitriis, nec nascatur in cordibus, non est ex culpa & indispositione auditorum.

Exod. 7. v. 13. Num. 20. v. 11. Matth. 27. v. 51. Et petræ scissæ sunt. ibid. 29. Coronam de spinis posuerunt super caput ejus.

Suppositis istis duabus demonstrationibus: supposito quod fructus & effectus Ver-

Verbi Dei, non promanet nec ex parte Dei, nec ex parte audientium : sequitur per claram consequentiam, quod provenit ex parte Prædicatoris. Et ita est. Nostis Christiani, quare non faciat fructum Verbum Dei; ex culpa Prædicatorum. Nostis Prædicatores, quare non faciat fructum Verbum Dei? ex culpa nostra.

§. IV.

SEd cum in uno Prædicatorum tot sunt qualitates, & in una Prædicatione tot leges, & Prædicatores possint esse reprehensibiles in omnibus, in quo consistet ista culpa? In Prædicatore considerari possunt quinque circumstantiæ: Persona, scientia, materia, stylus & vox. Persona, qualis? Scientia, quam habet: materia, quam tractat: Stylus, quem sequitur: & vox, qua loquitur. Omnes has circumstantias habemus in Evangelio, aggrediamur examinare illas, unam post alteram; & investigare causam.

Non faciet fortè hodie Verbum Dei fructum ex circumstantia Personæ? non faciet: nam olim Prædicatores erant sancti, erant viri apostolici, erant viri exemplares: & hodie Prædicatores sunt Ego, & alii sicut ego? bona ratio est ista. Definitio Prædicatoris est vita & exemplum. Hinc Christus in Evangelio illum non comparavit seminatori; sed ei qui seminat. Attendite. Non dicit Christus; Exiit ad seminandum seminator; sed exiit seminare qui seminat. *Ecce exiit, qui seminat, seminare.* Inter seminatorem, & illum qui seminat, magna est differentia: alius est miles; alius qui pugnat: alius est nauclerus, alius qui gubernat. Simili modo, alius est qui seminat; alius seminator; alius est Prædicator, alius qui prædicat. Seminator, & Prædicator, est nomen; qui seminat & prædicat est actio: & actiones sunt illæ; quæ Prædicatori dant esse. Habere nomen Prædicatoris, vel esse Prædicatorem nomine, nihil refert: actiones, vita, exemplum, opera, hæc sunt, quæ convertunt mundum. Meliorem conceptum quem Prædicator secum adfert ad suggestum quem putatis esse? est conceptus, quem de ejus vita habent auditores. Olim convertebatur mundus; quare hodie convertitur nullus? quia hodie prædicantur verba & conceptus, olim prædicabantur verba & opera. Verba sine operibus, sunt explosiones sine glande; fragorem quidem dant, sed non feriunt. Funda Davidis stravit Gigantem; non stravit eum plumbo, sed petra: *Infixus est lapis in fronte ejus.* Voces citharæ Davidis ejecerunt dæmonem è corpore Saulis: sed non erant voces pronuntiatæ ore, erant voces formatæ manu: *David tollebat citharam, & percutiebat manu sua.* Idcircò Christus comparavit Prædicatorem seminatori; Prædicare, quod est loqui, fit ore: prædicare, quod est seminare, fit manu; ad loquendum vento, sufficiunt verba: ad loquendum cordi necessaria sunt opera. Evangelium dicit, quod Verbum Dei centuplicatum fecerit fructum ex simplo: Ecquid hoc innuit? Vultne dicere, quod de uno verbo nata sint centum verba? Non. Vult dicere quod de paucis verbis, nata sint multa opera. Nunc verba, quæ proferunt opera, videte an solùm possint esse verba? Voluit Deus convertere mundum: & quid fecit? misit filium suum in mundum factum hominem. Notate. Filius Dei in quantum Deus, est Verbum Dei, non est opus Dei: *Genitum, non factum.* Filius Dei, in

1. *Reg.* 17. *v.* 49.

1. *Reg.* 16. *v.* 23.

quan-

quantum Deus & homo, est Verbum Dei,
Joan. 1. & opus Dei simul: *Verbum caro factum est.*
v. 14. Ita ut usque ad suum verbum non concomitatum operibus, Deus non speraverit conversionem hominum: in unione Verbi Dei cum majore opere Dei, constitit efficacia salvationis mundi. Verbum divinum est Verbum divinum: sed parum refert quod verba nostra sint divina, non conjuncta operibus. Hujus ratio est, quia verba audiuntur; opera videntur. Verba intrant per aures; opera intrant per oculos: & nostra anima faciliùs subditur per oculos; quàm per aures. In cœlo nullus est qui non amet Deum, aut possit desinere ab amore Dei: in terra pauci adeò illum amant, omnes offendunt. Deus nunquid idem est, tam dignus amari in terra, ac in cœlo? Quare ergo in cœlo obligat & necessitat ad amandum, & in terra non? Ratio est, quia Deus in cœlo, est Deus visus: Deus in terra, est Deus auditus & creditus. In cœlo intrat agnitio
1. Joan. Dei per oculos in animam, *Videbimus*
2. v. 3. *eum sicuti est*: In terra cognitio Dei intrat
Rom. per aures, *Fides ex auditu*; Et hoc quod
10. v. 16. per auditum intrat, creditur: quod per visum intrat, necessitat. Videant auditores in nobis, quod audiunt à nobis: & effectus sermonis erunt multùm alii.

Vadit Prædicator prædicatum Passionem; venit ad prætorium Pilati: narrat quomodo fecerunt Christum Regem ludicrum: dicit quod acceptâ purpurâ eum induerunt; audit hoc auditorium valdè attentè. Dicit quod plexam è spinis coronam imposuerunt capiti ejus: omnes audiunt similiter attenti. Dicit ulteriùs, quod ligatis manibus, inseruerunt arundinem pro sceptro: continuat idem silentium & suspensio in auditoribus, interea retrahitur siparium, apparet imago: *Ecce Homo!* ecce omnes humi prostratos, ecce omnes percutientes pectora, ecce lachrymas, ecce ejulatus, ecce clamores, ecce colaphos! Ecquid istud? quid novi apparuit in Ecclesia? totum hoc quod siparium detractum discooperuit, jam ante dixerat Concionator: jam dixerat de purpura, de corona, de spinis: jam dixerat de sceptro & arundine. Quod si ante nullam admirationem induxit, quomodo nunc tantam? ante erat, *Ecce homo!* auditum: & modò est, *Ecce homo!* visum; relatio Concionatoris intrabat per aures: repræsentatio figuræ intrat per oculos. Nôrunt nostri Pastores Concionatores, quare tam exiguum nostri sermones faciant fructuum? Quia non prædicamus oculis: prædicamus tantùm auribus. Cur S. Joannes Baptista tot convertebat peccatores? Quia sicut verba ejus prædicabant auribus: ita exemplum ejus prædicabat oculis. Verba Baptistæ prædicabant pœnitentiam, *Agite pœnitentiam*: & *Matth.* exemplum clamabat *Ecce homo!* ecce hic 3. v. 2. est homo, imago pœnitentiæ & asperitatis. Verba Baptistæ prædicabant jejunium, & reprehendebant ingluviem: & exemplum clamabat, Ecce homo! ecce hic est ille homo victitans locustis & melle sylvestri. Verba Baptistæ prædicabant compositionem & modestiam; & damnabant dissolutionem, superbiam, & vanitatem: & exemplum clamabat, Ecce homo! ecce hic est homo vestitus pilis camelorum & zonâ pelliceâ renes succinctus; Verba Baptistæ prædicabant abrenuntiationem mundi, & fugam occasionum & hominum: & exemplum clamabat, Ecce homo! ecce hic homo ille qui deseruit aulas, & civitates, & vivit in antris

teris & ſpeluncis. Si auditores aliud audiunt, & aliud vident, quomodo convertentur? Jacob ponebat virgas decorticatas ante oves quando concipiebant, & hinc agni naſcebantur maculoſi: *Factumque eſt, ut oves intuerentur virgas, & parerent maculoſa.* Quando auditores audiunt noſtros conceptus, ſibi ob oculos habent noſtras maculas: quomodo concipient virtutes? ſi mea vita confundit meam doctrinam: ſi mea verba jam operibus meis ſunt confutata: ſi alius eſt ſeminator, & alius ille qui ſeminat, quis hinc ſperandus eſt fructus? præclara & ſolida eſt ratio iſta, cur non fructum tulerit Verbum Dei: ſed habet oppoſitum ſibi exemplum & experientiam Jonæ. Jonas fugitivus à Deo, inobediens, contumax, poſtquam devoratus & evomitus; iratus, impatiens, parùm charitativus, & parùm miſericors, & magis zelans & amans propriam exiſtimationem, quàm honorem Dei & ſalutem animarum, deſiderabat videre Niniven ſubverſam, & ſubverti quidem ſuis videre oculis, tot millenis in ea innocentibus: nihilominus idem iſte homo, uno ſermone convertit maximum Regem, maximam aulam, & maximum Regnum mundi, & non homines fideles, ſed gentiles & idololatras. Ergo alia eſt cauſa quam quærimus. Qualis erit?

Gen. 30. v. 39.

Jonæ 1. 2. 3. 4.

§. V.

FRitne fortè ſtylus hodie uſitatus in ſuggeſtibus? ſtylus tam intricatus, ſtylus tam difficilis, ſtylus tam affectatus, ſtylus pugnans cum arte & natura? Iſta quoque eſt bona ratio. Stylum oportet eſſe facilem & naturalem. Hinc Chriſtus comparavit prædicationem ſeminationi: *Exiit qui ſeminat ſeminare.* Comparat Chriſtus prædicationem ſeminationi, quia ſeminare eſt ars, quæ habet plus naturæ, quàm artis. In aliis artibus, totum eſt ars: in muſica totum fit per tactum: in architectura totum fit per regulam: in arithmetica totum fit per numerum: in geometria totum fit per menſuram. Seminare non ſic: eſt ars ſine arte; cadat ubicunque. Ecce quomodo ſeminabat noſter Agricola Evangelicus. Cadebat triticum inter ſpinas, & naſcebatur; *Aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exortæ ſpinæ.* Cadebat triticum ſuper petras, & naſcebatur: *aliud cecidit ſuper petram, & natum.* Cadebat triticum in terram bonam, & naſcebatur: *aliud cecidit in terram bonam, & natum.* Triticum cadebat, & naſcebatur.

Talem oportet eſſe Prædicationem: res cadere oportet & naſci: tam naturales ut cadant, tam proprias ut naſcantur. Quam differens eſt ſtylus violentus & tyrannicus hodiedum conſuetus? Videre adduci tam triſtes ſacræ ſcripturæ textus quaſi ad torturam: aliqui quaſi peregrini, alii implexi, alii conciſi, ſolummodò ligati non veniunt. Et in medio horum, quantâ hoc fit elevatione! non conſiſtit in elevando, ſed cadendo: *Cecidit.* Notate allegoriam noſtræ linguæ propriam. Triticum Seminatoris, quanquam cecidit quatuor vicibus, ſolùm tribus natum eſt. Ut naſcatur ſermo, tres debet habere modos cadendi; Debet cadere manenter; debet cadere cadenter; debet cadere caſualiter. Manentèr pro materiis; cadentèr pro verbis: caſualitèr pro diſpoſitione. Manſio eſt pro materiis: quia benè & ſuo loco citari oportet, habere debent immanſionem: Cadentia eſt pro verbis: quia non oportet eſſe inæqualia nec diſſona; debent eſſe cadentia. Caſualitas eſt pro diſpoſitione; quia debet eſſe tam naturalis

& non affectata, ut videatur casus & non industria. *Cecidit, cecidit, cecidit.*

Jam cum loquor contra modernos stylos, volo pro me allegare stylum antiquissimi Prædicatoris qui fuit in mundo. Et quis ille fuit? Cœlum. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum.* Psalm. 18. v. 1. Supposito, quod cœlum est Concionator, debet habere sermones & verba. Ita, dicit David; habet verba, habet sermones benesonantes: *non sunt loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* Ibid. v. 4. Sed qui sunt isti sermones, & quæ verba cœli? Verba sunt stellæ: sermones sunt compositio, ordo, harmonia & cursus earum. Ecce quomodo stylus prædicandi cœli, concordat cum stylo quem Christus docuit in terra? aliud & aliud est seminare; Terra seminata tritico: cœlum consitum stellis. Prædicatio debet esse velut seminatio, & non veluti pavimenti stratio variegata: debet esse ordinata sicut stellæ, *Stellæ manentes in ordine suo.* Jud. 5. v. 20. Omnes stellæ sunt in suo ordine; sed est ordo quem facit influxus; & non ordo quem facit labor. Non creavit Deus cœlum in quadro stellarum, sicuti Prædicatores faciunt sermonem in quadro verborum; ex una parte album, ex altera oportet esse nigrum; si ex una parte dies, ex altera debet esse nox: si ex una parte dicunt lucem, ex altera dicunt umbram: si ab una parte dicunt, descendit; ab aldera dicent ascendit. Sufficitne quod non videamus in uno sermone duo verba æqualia & consona? Cunctáne debent esse prioribus semper contraria? Discamus à cœlo stylum dispositionis & verborum. Quomodò ergò debent esse verba? sicut stellæ. Stellæ sunt multum distinctæ, & valdè claræ; ita debet esse stylus Concionis valdè distinctus, & valdè clarus; nec hinc timeatis quod stylus videatur humilis. Stellæ sunt multum distinctæ, multum claræ: & altissimæ. Stylus potest esse valde clarus & altus; tam clarus ut illum intelligant rudes: & tam altus, ut difficulter intelligant literati. Rusticus invenit documenta in stellis pro agricultura, navigans pro sua navigatione, mathematicus pro suis observationibus & judiciis, ita ut rusticus & navigans, qui nesciunt legere aut scribere intelligant stellas: & mathematicus qui legit eos quotquot scripserunt, non assequatur intellectu quantum illis continetur. Talis potest esse sermo: scilicet stellæ, quas omnes vident: & pauci metiuntur.

Dicetis mihi, ita quidem Pater: sed iste stylus prædicandi non est multùm cultus. Sit ut sit; infelix iste stylus hodiernus, quem qui honorare volunt vocant cultum; qui condemnant vocant obscurum: nihilominus ipsum valde honorant. Stylus cultus non est obscurus, est niger & obseratus. Estne possibile quod sumus Lusitani, & audire habemus concionantem linguâ Lusitanicâ, & non intelligere hoc quod dicit? sicut habetur Lexicon pro lingua Græca, & Calepinus pro lingua Latina, ità necesse est habere Vocabularium pro pulpito. Ego imprimis illo uterer pro nominibus propriis: nam facundi repabtizarunt Sanctos; & quilibet author allegatus ænigma habet. Ità hoc dixit sceptrum pœnitens: ità hoc dixit Evangelista Apelles: ità hoc dixit Aquila Africana, Favus Clarævallis, Purpura Bethlemitica, Os aureum. Daturne talis modus allegandi? Sceptrum pœnitens dicitur David, quasi omnia sceptra non essent pœnitentia: Evangelista Apelles,

est

est S. Lucas: Favus Clarevallis, est S. Bernardus: Aquila Africana, S. Augustinus: Purpura Bethlemitica, S. Hieronymus: & Os aureum, S. Chrysostomus. Quis reprehenderet putantem quod Purpura Bethlemitica esset Herodes? quod Aquila Africana, esset Scipio? & quod Os aureum est Mydas? si esset Advocatus aliquis ità citans Bartholum & Baldum, velletisne tali credere vestram causam? si aliquis sic loqueretur in conversatione, nonne illum æstimaretis stultum? Itaq; quod in conversatione esset stultitia, quomodo in suggestu potest esse discretio?

Appositа etiam mihi videbatur ista ratio: at quia literati per politiam & studium sese defendunt cum magno Nazianzeno, cum Ambrosio, cum Chrysostomo, cum Leone, & per obscurum & durum cum Clemente Alexandrino, cum Tertulliano, cum Basilio de Seleucia, cum Zenone Veronensi, & aliis: tantis authoribus reverentiam negare non possumus; quamvis desideremus in illis qui gloriantur ex istis se haurire rivos, haberent eorundem etiam profunditatem. Qualis erit igitur nostræ querelæ causa?

§. VI.

ERitne fortè propter materiam aut materias, quas isti Concionatores assumunt? Utimur hodie modo quem vocant apostillare Evangelium, in quo multas sumunt materias & conceptus: sed qui multa venatur & nihil persequitur, non mirum quod vacuis se manibus videat. Bona quoque ratio est ista: Sermo unum solum habere debet assumptum, & unam solam materiam. Hinc Christus inquit quod agricola Evangelicus non multa sparserit seminum genera, sed unum solùm: *Exiit qui seminat, seminare semen.* Seminavit unum solummodò semen & non multa: nam sermo unam tantùm debet habere materiam, & non multas. Si agricola seminâsset primò triticum, super triticum siliginem, super siliginem milium grossum ac tenue, & super milium avenam, quid nasciturum inde? Campus aliquis permixtus, viridis confusio. Ecce hîc quod evenit in hujusmodi sermonibus. Quia seminant tantam varietatem, rem certam colligere nequeunt. Qui seminant mixta, ægrè colligent triticum. Quod si aliqua navis jam ventatur ad Septentrionem, jam ad Occidentem, jam ad Orientem, quonam tandem appulsura? hinc in pulpitis tantum laboratur, & parùm navigatur; Unum assumptum abit in hunc ventum, aliud in alium, quid inde colligendum nisi ventus? S. Joannes Baptista multos convertebat in Judæa, sed quotnam accipiebat materias? Unam tantùm, *Parate viam Domini*, id est, *Matth. 3. v. 3.* præparationem ad regnum Christi. Jonas convertit Ninivitas, sed quotnam habuit assumpta? unum tantùm, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*, *Jona. 3. v. 4.* ità ut Jonas quadraginta diebus prædicârit unum assumptum tantùm, & nos quadraginta assumpta volumus prædicare unicâ horâ? hinc prædicamus nemini. Sermonem oportet esse unicolorem tantùm, unum tantùm habere objectum; unum tantùm assumptum; & unam tantùm materiam.

Prædicator unam tantùm debet sumere materiam: illam definire ut cognoscatur; illam dividere ut distinguatur; ex Sacra scriptura illam probare, ratione declarare; exemplo confirmare; illam dilatare causis, effectibus, circumstantiis, congruentiis inde sequi necessariis, & incongruentiis vitandis: debet respõdere ad dubia, satisfacere difficultatib'; impugnare & totis eloquẽtiæ virib' refutare argumẽta cõtraria: &

postmodum colligere, urgere, concludere, persuadere, finire. Istud est sermo; istud est prædicare: & aliud est tantùm vociferari. Nec nego, nec dicere volo, quod sermo habere non debeat varietatem discursuum; sed hi omnes formari debent ex eâdem materia, & in illa continuari & finiri. Vultisne hoc totum oculis intueri? Videte. Arbor habet radices, habet truncum, habet ramos, habet folia, habet frondes, habet flores, habet denique fructus, talem oportet esse sermonem: habere debet radices validas & solidas; nam fundatus esse debet in Evangelio: habere debet unum truncum; quia unum solùm habere debet assumptum, & unam solam tractare materiam: ex hoc trunco nasci oportet varios ramos, qui sunt discursus diversi, sed ab eadem materia nati, & in illa continuati: Rami non debent esse aridi, sed foliis vestiti; nam discursus verbis debent esse vestiti & ornati: Arbor ista habere debet frondes, quæ sunt vitiorum reprehensiones: habere debet & flores, quæ sunt sententiæ: & denique fructus, qui sunt utilitas & finis ad quem sermo referendus; Ità ut habere debeat fructus, flores, frondes, folia, ramos, sed omnia nata & fundata in uno solo Trunco, qui est una sola materia. Si omnia sunt trunci, non est sermo, est lignum: si omnia rami, non est sermo, sed stipes: si omnia sunt folia, non est sermo, sed folia inversa & dispersa: si omnia sunt frondes, non est sermo, sed fascis aridus: si omnia sunt flores, non est sermo, sed fasciculus odorifer hinc inde collectus: Ut omnia sint fructus, non potest esse: nam fructus non sunt sine arbore. Ità ut in hac arbore, quam appellare possumus arborem vitæ, inveniri debeat utilitas fructus, florum pulchritudo, frondium vigor, foliorum ornatus, ramorum distensio, sed hæc omnia nata & formata ab uno tantùm Trunco, & hic Truncus non in aërem elevatus, sed in radicibus Evangelii fundatus: *Seminare semen.* Ecce hîc, quales esse sermones debeant: Ecce hic, quales non sunt; hinc non mirum quod nullus sequatur fructus.

Totum quod dixi largè possum demonstrare non solùm præceptis Aristotelis, Tullii, Quintiliani: sed praxi observata à principibus Oratorum Evangelicorum sancto Joanne Chrysostomo, S. Basilio magno, S. Bernardo, S. Cypriano, & celeberrimis orationibus S. Gregorii Nazianzeni utriusque Ecclesiæ magistri. Et posito quod in illis ipsis PP. sicut in S. Augustino, S. Gregorio, & multis aliis Evangelia inveniantur explicata cum nominibus Sermonum & Homiliarum: aliud est explicare, aliud prædicare: aliud docere, & aliud persuadere. De hoc ultimo ego loquor, quo tantum fructum fecerunt in mundo S. Antonius de Paduâ, & S. Vincentius Ferrarienſis; sed necdum adhuc intelligo, quod hæc vera sit causa quam inquiro.

§. VII.

ERitne fortè defectus scientiæ, qui est in multis Concionatoribus? multi inveniuntur Prædicatores, qui ex illo vivunt quod non collegerunt, & seminant in quo non laboraverunt. Post latam Adæ sententiam, terra non consuevit dare fructum, nisi illi qui pane suo in sudore vultus sui vescitur. Apta etiam ista videtur ratio. Prædicator suum, & non alienum prædicare debet: hinc Christus inquit, quod agricola Evangelicus seminavit suum triticum, *Semen suum*: seminavit suum & non alienum, nam alienum & ablatum

latum non servit ad seminandum, quamvis furtum sit scientiæ. Eva comedit pomum scientiæ; & ego olim conquerebar de hac matre: jam cùm comedit pomum, quare sibi non reservavit grana: nonne fuisset bonum ad nos devenire arborem, cujus onus nunc incumbit nobis? Quare ergo hoc non sic fecit Eva? Quia pomum erat furtivum, & alienum est bonum esu, sed non seminatu. Bonum esu; quia dicunt quod est sapidum: non bonum ad seminandum, quia non nascitur. Expertus aliquis fuerit, quod alienum nascatur in domo sua, sed certus sit quod si crescet, non aget radices: & quod non habet radices, non potest dare fructum. Ecce quare multi Concionatores non faciunt fructum, quia prædicant alienum & non suum: *semen suum*. Concionator inire debet certamen cum vitiis: & arma aliena, licet etiam ipsius Achillis, nemini dant victoriam. Patroclus cum armis Achillis victus fuit & mortuus. Davidi procedenti in campum contra Gigantem, Saul sua obtulit arma quæ acceptare recusavit; armis alienis nemo vincere potest: quamvis sit David. Arma Saulis soli serviunt Sauli; & arma Davidis Davidi: & plus juvat virga pastoralis & funda propria, quàm gladius & hasta aliena. Prædicatore pugnante armis alienis, non est quod timeat quis, ne vincat aut prosternat Gigantem.

Christus Apostolos fecit piscatores hominum, *Faciam vos piscatores hominum*, quod tantundem erat ac ipsos ordinare Prædicatores: Et quid faciebant Apostoli? Textus dicit, quod erant *Reficientes retia sua*. Retia erant sua & non aliena. Notate: *Retia sua*: non dicit quod erant sua, quia illa comparârant; sed quod erant sua, quia' illa reficiebant. Non erant sua, quia illis constiterunt pecuniâ; sed quia constiterunt labore. Hoc modo erant retia sua: & quia hoc modo erant sua, idcircò erant retia piscatorum, qui piscari debebant homines. Retibus alienis vel alienâ manu factis capi possunt pisces, non homines. Ratio hujus est, quia in ista piscatura intellectuum, solùm qui novit facere rete, mittere illud novit & educere. Quomodo conficitur rete? Ex filo & nodo conficitur foramen. Qui filum ducere & nodum nectere ignorat, quomodo faciet rete? qui nescit connectere & claudere, quomodo capiet homines? Rete habet plumbum tendens ad fundum, & superius ligna innatantia aquis. Sermo habet quædam gravia & profunda; habet alia levia & superficialia: sed regere leve & ponderosum solùm novit, qui conficit rete. Qui prædicando non tangit fundum superficialitèr loquitur: Rationes non oportet esse superficiales, sed natas & fundatas. Prædicare non est recitare. Rationes propriæ nascuntur in intellectu, alienæ adhærent memoriæ: & homines non convincuntur per memoriam, sed intellectum.

Matth. 4. v. 21.

Venit S. Spiritus super Apostolos, & quando linguæ descendebant de cœlo, putabam ego lapsuras fuisse in ipsum os, sed descendebant super caput. Et quare super caput non super os, quod est proprius locus linguæ? Quia quod proferre debet Prædicator, non solùm ex ore prodire oportet, sed per os ex capite. Quod ex ore tantùm exit, sistit in auditu: quod prodit ex judicio penetrat & convincit intellectum. Amplius adhuc aliquid istæ continent linguæ S. Spiritus.

Textus dicit, quod non omnes linguæ descenderunt super omnes Apostolos, sed singulæ super singulos, *Apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Et quare singulæ supra singulos, & non omnes supra omnes? Quia omnes linguæ non serviunt omnibus, sed cuilibet sua. Una tantùm lingua supra Petrum; nam lingua Petri non servit Andreæ. Alia lingua supra Andream; nam lingua Andreæ non servit Philippo: alia lingua super Philippum; nam lingua Philippi non servit Bartholomæo: & sic de reliquis. Quod hoc ità se habeat vide in stylo cujusque Apostolorum, supra quem descendit Spiritus Sanctus. De quinque tantùm habemus scripturas, sed differentia, quâ scripserunt, ut nôrunt docti, est admirabilis. Calami omnes extracti erant ex alis Columbæ divinæ; sed stylus tam diversus, tam specialis, & tam proprius uniuscujusque, ut clarè demonstret quod erat suus. Matthæus facilis; Joannes mysteriosus. Petrus gravis: Jacobus fortis. Thadæus sublimis, & omnes tam vigorosi in dicendo, ut quodlibet eorum verbum esset tonitru? quælibet clausula fulmen; & quælibet ratio triumphus. Associate hisce quinque SS. Lucam & Marcum qui etiam ibi erant, & invenietis numerum istorum septem Tonitruum quæ audivit S. Joannes in Apocalypsi: *Locuta sunt septem tonitrua voces suas.* Tonitrua loquebantur articulatis vocibus, sed istæ voces erant suæ: *Voces suas*, suas, non alienas sicut notavit Ansbertus, *Non alienas, sed suas.* Denique prædicare alienum, est dicere alienum: & alienum nihil fructificat.

Act. 2. v. 3.

Apoc. 10. v. 3.

Ansbertus hic.

Nihilominùs non me fundo penitus in hac ratione, nam de magno Joanne Baptista novimus ipsum prædicâsse quod prædicavit Isaias, sicut notavit S. Lucas, & non alio sub nomine nisi Sermonum: *Prædicans baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro Sermonum Isaiæ Prophetæ.* Prætereo quod sumpsit S. Ambrosius ex S. Basilio: S. Prosper & Beda ex S. Augustino: Theophylactus & Euthymus ex S. Chrysostomo.

Luc. 3. v. 3.

§. III.

ERit tandem causa, quam tantùm inquirimus, Vox qua hodie loquuntur Prædicatores? olim prædicabant clamando, hodie prædicant conversando: olim potior pars Prædicatoris erat bona vox & bonum pectus. Et verè sicuti mundus regitur adeò per sensus, aliquando plus valent clamores quàm ratio. Arridebat etiam ratio ista: sed illam probare non possumus cum Seminatore', diximus etenim jam non esse officium oris. Nunc quod nobis negavit Evangelium in Seminatore metaphorico, nobis dedit Seminator verus, qui est Christus. Mox ut Christus absolvit parabolam, inquit Evangelium quod Dominus incepit clamare, *Hæc dicens clamabat.* Dominus clamavit, & non super Parabolam ratiocinatus est, tale etenim erat auditorium, ut plus fideret clamoribus quàm rationibus.

Luc. 8. v. 8.

Interrogaverunt Baptistam Quis esset? respondit, *Ego vox clamantis in deserto.* Hoc modo Baptista sese definivit. Definitionem Prædicatoris putabam ego esse vocem ratiocinantem, & non clamantem; Quare itaque Baptista se definivit per Clamorem, & non per ratiocinationem sive rationem? Quia multi sunt in hoc

Joan. 1. v. 28.

mun-

mundo, in quibus plùs valent clamores, quàm rationes: & hujusmodi erant, quibus Baptista prædicabat. Ecce hoc clarè in Christo. Pilatus postquam examinavit accusationes contra illum, lavit manus dicens; *Ego nullam causam in eo invenio.* Eodem tempore totus Populus & Scribæ clamabant foris ut crucifigeretur: *at illi multò magis clamabant, Crucifigatur*, ità ut Christus pro se haberet rationem, & contrà se clamores. Et quid prævaluit? plus valuerunt clamores quàm ratio. Ratio nihil valebat ad illum liberandum: clamores sufficiebant ad illum crucifigendum. Et quia clamores in mundo tantùm prævalent, bonum est aliquando clamare. Prædicatores, bonum est vociferari. Idcircò Isaias Prædicatores vocavit nubes, *Qui sunt isti, qui sicut nubes volant?* Nubes habet fulgur, tonitru, & fulgetrum: fulgur pro oculis, tonitru pro auribus, fulgetrum pro cordibus; fulgure illuminat, tonitru terrefacit, fulgetro occidit; sed fulgetrum ferit unum, fulgur multos, tonitru omnes. Ità vocem Prædicatoris esse oportet, Tonitru de cœlo quod terrefacit, & tremere facit mundum.

Luc. 23. v. 14. Matth. 27. v. 23.

Isai. 60. v. 8.

Sed quid dicemus ad orationem Moysis? *Concrescat ut pluvia doctrina mea: fluat ut ros eloquium meum?* id est, lenitèr & sine strepitu. Quid dicemus ad ordinarium exemplum Christi, sic ab Isaiâ decantatum: *Non clamabit, neque audietur vox ejus foris?* id est, non clamabit sed loquetur tam temperata voce? ut non possit audiri foris. Nec ullum est dubium, quod loqui familiariter, & loqui potius auditui quàm auribus, non solùm majorem conciliat attentionem, sed naturaliter & sine vi insinuatur, intrat, penetrat, & in animum dimittitur.

Deut. 32. v. 2.

Isaiæ. 42. v. 2.

In conclusione causæ, quare hodie Prædicatores non faciant fructum cum Verbo Dei, non est circumstantia Personæ, *Qui seminat*: nec styli, *Seminare*: nec materiæ, *Semen*: nec scientiæ, *Suum*: nec vocis, *Clamabat.* Moyses habebat debilem vocem: Amos habebat grossiorem stylum: Balaam non habebat exemplum vitæ, ejus asina non habebat scientiam, & tamen omnes isti loquendo persuaserunt & convicerunt. Igitur si nulla rationum per quas discurrimus, nec omnes simul junctæ, sunt causa principalis, nec sufficiens exigui fructus quem hodiedùm facit Verbum Dei, quam tandem dicemus veram causam?

Exod. 4. v. 10. Voce gracili juxta LXX. Amos 1. v. 1. Ecclesiastes 1. & deinceps. num. 22. & 23.

§. IX.

VErba loco Thematis assumpta illud dicunt: *Semen est Verbum Dei.* Nostis Christiani causam? quare hodie tot Prædicationes tam parum fructificent? Est, quia verba Prædicatorum sunt verba, sed non sunt verba Dei. De eo loquor quod ordinariè auditur. Verbum Dei (sicut dixi) est tam potens & efficax, ut non solùm fructum faciat in terra bona, sed in spinis nascatur & petris? Sed si verba Prædicatorum non sunt Verba Dei, quid mirum quod non habeant efficaciam & effectum Verbi Dei? *Ventum seminabunt, & turbinem colligent.* Si Prædicatores ventum seminant, si prædicatum est vanitas, si non prædicatur verbum Vei, quomodo Ecclesia Dei non incurret tempestatem, loco ejus quod colligere deberet fructum?

Osee. 8. v. 7.

At fors dicetis mihi. Pater, Prædicatores hodierni nonne prædicant Evangelium, nonne prædicant è S. Scriptura? quomodo itaque non prædicant Verbum

bum Dei? hoc est latens malum. Prædicant verba Dei, sed non verbum Dei:
Jerem.23. v. 28. *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè*: dixit Deus per Jeremiam Prophetam. Verba Dei prædicata eo sensu quo Deus ea protulit, sunt Verbum Dei: sed prædicata in sensu quo nos volumus, non sunt Verbum Dei, potiùs esse possunt diaboli. Diabolus tentavit Christum ut de lapidibus faceret panem;
Matth.4. v. 4. respondit illi Christus: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.* Hæc sententia adducta est ex Deuteron. c. 8. Videns diabolus quod Christus sese defenderet contra tentationes ex S. Scriptura, ducit illum ad templum, & allegans locum Psalmi 90. alloquitur hoc modo: *Mitte te deorsum:*
Psalm.90. v. 11. *scriptum est enim, quia Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Ità ut Christus sese defenderit contra diabolum Sacrâ Scripturâ, & diabolus etiam Christum tentârit Sacrâ Scripturâ. Omnes Scripturæ sunt Verbum Dei; Si igitur Christus allegat Scripturam ad defendendum se contra diabolum, quomodo diabolus utitur Scripturâ ad tentandum Christum? Ratio est, quia Christus accipiebat verba Scripturæ in suo vero sensu, & diabolus in sensum alienum detorquebat: & illa ipsa verba quæ accepta in sensu vero sunt Verbum Dei, ea sumpta in sensu alieno, sunt arma diaboli. Eadem verba sumpta in sensu quo Deus illa protulit, sunt Defensio: sumpta in eo sensu, in quo non à Deo prolata, sunt tentatio. Ecce hîc tentationem, quâ tunc diabolus conatus est dejicere Christum, & quâ hodie idem-ipsi conatur inferre bellum de pinnaculo templi. Pinnaculum est pulpitum, quia est locus ejus altissimus. Diabolus tentavit Christum in deserto; tentavit in monte: tentavit in templo. In deserto tentavit illum Gulâ; in monte superbiâ: in templo, scripturis perversè interpretatis. Et hæc est ista tentatio, quam hodiedùm maximè patitur Ecclesia: & quæ in diversis mundi partibus exturbavit si non Christum, saltem fidem ejus.

Dicite mihi Concionatores (Vos quibus loquor tam sanctâ compellatione verè indigni) dicite mihi: ista inutilia assumpta quæ toties exaggeratis; istos conceptus opinione vestra acutos, quos deducitis: inveniistisne aliquando in Prophetis veteris Testamenti, vel in Apostolis aut Evangelistis Testamenti novi, vel in Authore utriusque Testamenti Christo? Certum est quod non: nam à primo verbo Geneseos usque ad ultimum Apocalypsis simile non invenitur in scripturis omnibus. Porrò si in Scripturis non habetur quod dicitis aut prædicatis, quomodo putatis vos prædicare Verbum Dei? Insto. In istis locis, in textibus allegatis, ad probandum quod dicitis, estne sensus iste, in quo Deus eos dixit? Estne iste sensus, in quo illos locos intelligunt Patres Ecclesiæ? Estne iste sensus literalis verborum? Non certè: sæpiùs etenim ista verba sumitis secundùm quod sonant, & non secundùm quod significant: nec interdùm pro eo quod sonant. Proinde si isto non est sensus Verborum Dei; sequitur quod non sunt Verba Dei; & si non sunt Verba Dei, quid conquerimur Concionos infructuosas permanere? Sufficitne referre Verba Dei, ut dicant hoc quod nos volumus, & nos nolumus dicere, quod illa dicunt? Tunc etiam videre ipsum auditorium capita mo-

movere, quando capita oporteret impingere ad parietes ad audita ! Verè nescio, quidnam magis mirer, utrum nostros conceptus, vel vestros applausus? O quàm bellè dixit iste Concionator ! sic planè est: sed quid dixit: Falsum testimonium textui, aliud falsum testimonium Sancto, aliud intellectui & sensui amborum. Audiamus Hieronymum in Prologo Galeato. *Sola scripturarum ars est, quam sibi omnes passim vendicant, & cum aures populi sermone composito mulserint, hoc legem Dei putant: nec scire dignantur, quid Prophetæ, quid Apostoli senserint: sed ad sensum suum incongrua aptant testimonia: quasi grande sit, & non vitiosissimum dicendi genus, depravare sententias, & ad voluntatem suam scripturam trahere repugnantem:* ita Hieronymus. Et sic convertetur mundus falsis testimoniis Verbi Dei? Quod si cui hæc censura videatur nimis rigida, velim me audiat.

Hieron.

Christus stabat accusatus ante Caipham, & ait Evangelista S. Matthæus, quod tandem venerint duo falsi testes: *Novissimè venerunt duo falsi testes.* Hi retulerunt audivisse se Christum dicentem, quod si Judæi destruerent Templum Dei, in triduo illud resuscitaturus esset. Si legerimus Evangelistam Joannem, inveniemus quod Christus eadem verba relata dixerat. Porrò si Christus dixerat se reædificaturum templum Dei spatio tridui, & illud ipsum est quod retulerant testes, quomodo vocat illos Evangelista testes falsos? *Duo testes falsi.* Idem S. Joannes dedit rationem. *Loquebatur de templo corporis sui.* Quando Christus dixit quod in tribus diebus templum reædificare vellet, loquebatur de templo mystico sui corporis, quod Judæi per mortem destruxerunt & Christus resurgendo reædificavit: Et quia Christus loquebatur de templo mystico, & testes hoc referebant de templo materiali, licet verba essent vera, testes erant falsi: erant falsi, quia Christus illa dixit in sensu alio, & illi in alio: & referre verba Dei in alio sensu, quàm fuerunt dicta, est proferre falsum testimonium contra Deum, & Scripturas. O Domine quot falsa contra te proferuntur testimonia! Quoties audio dici, quod dicas, hoc quod nunquam dixisti: Quoties audio dici, esse verba tua, conceptus meos: nam ex horum numero nolo me excludere! Quid ergò mirum quod nostri conceptus, & nostræ vanitates ac fabulæ non habeant efficaciam Verbi Dei!

Matth. 26. v. 60.

Joan. 2. v. 21.

Væ miseris nobis & temporibus nostris! cum in his completa est Prophetia S. Pauli: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus: & veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* Fabula duas habet significationes: dicere vult figmentum, & comœdiam, & istud sunt multæ Prædicationes hujus temporis; sunt figmentum, quia sunt subtilitates & conceptus aërei sine fundamento veritatis: sunt comœdia, nam auditores ad concionem veniunt quasi ad comœdiam; & sunt Prædicatores, qui ad pulpitum veniunt veluti comœdi. Inter felicitates temporis præsentis in Lusitania, meritò numeratur illa, quod comœdiæ ibidē sublatæ: sed non ita factum est; comediæ non sunt sublatæ, sunt mutatæ: transierunt de Theatro ad Pulpitū. Nolite putare me exorbitare vocando comœdias multas conciones quæ hodie audiuntur; Optarem hîc habere comœdias Plauti, Terentii, Senecæ, & videretis ibidem, si non inveniretis multas veritates

tes vitæ, & vanitates mundi, multa doctrinæ moralis puncta, multò magis vera & solida, quàm quæ hodie audiuntur ex pulpitis. Magna profectò est miseria, quod plura inveniantur documenta instituendæ vitæ in versibus Poëtæ alicujus profani & gentilis; quàm in sermonibus Oratoris Christiani, & frequenter non tantum Christiani, sed etiam Religiosi.

Parum dixit S. Paulus vocando illos comœdiam: nam multi sermones non sunt comœdiæ, sed larvæ. Ascendit quandoque pulpitum Prædicator aliquis, ex iis qui profitentur se mortuos mundo, vestitus & indutus habitu Pœnitentiæ (nam omnes habitus plus vel minùs asperi, sunt Pœnitentiæ: & omnes, à die quo profitemur, indumenta mortuorum) aspectus est horror nomen reverentia, materia compunctio, dignitas oraculum, locus & expectatio silentium: rupto isto silentio, quid auditur? Quod si isti auditorio interfuisset extraneus, qui non cognovisset & vidisset istum hominem intrantem in publicum ad dicendum in isto habitu & tali loco, putasset se auditurum Tubam è cœlo, quodlibet verbum esse fulgetrum, quod prædicaturus esset zelo & fervore Eliæ? quod voce, gestu & actionibus vitia redacturus esset in pulverem & nihilum. Et nos, quid videmus? Videmus exire de ore hominis istius, sicut & ex istis habitibus vocem valdè affectatam, politam, & mox grandi boatu tonare; sed ad quid? ad excitandam attentionem: ad conciliandum fidem dictis: ad subtilitates magis elevandas: ad oblinienda præcipitia: ad provocandum auroræ splendorem: ad resolvendum crystallum: arefaciendum jasminum: & alias mille hujusmodi indignitates. Nunquid istud est larva magis digna risu, si non esset tantùm deploranda? In comœdia vestitur & loquitur Rex instar Regis, pedisequus loquitur & vestitur instar pedisequi: rusticus vestitur & agit ut rusticus: sed Prædicator vestitus est ut Religiosus, & locutus, Quomodo? Nolo hoc dicere propter reverentiam loci. Nunc cum Pulpitum est Theatrum, & sermo comœdia; si volumus, nonne benè faciemus figuram? nonne dicent verba, cum habitu & officio? Itàne prædicabat S. Paulus? itàne prædicabant SS. Patriarchæ qui se & nos induerunt istis habitibus? nonne laudamus, & admiramur eorum Prædicationem? nonne gloriamur esse eorum filios? Quare ergo illos non imitamur? Quare non prædicamus quod illi prædicarunt? in hoc eodem pulpito concionatus est S. Franciscus Xaverius; in hoc ipso prædicavit S. Franciscus Borgias; & Ego qui eundem habitum gesto, quare non prædicarem eorum doctrinam, cùm me deficit eorum spiritus?

§. X.

Dicetis mihi quod objicitur, & jam expertus sum: quod si prædicamus ità, rident nos auditores & audire fastidiunt. O bona ratio pro servo Jesu Christi! rideant, & fastidiant; quid inde? nos, nostrum faciamus officium. Doctrina quam illi rident, quam illi despiciunt, est quam illis prædicare oportet, & propter idipsum: nam est illis magis utilis & necessaria. Triticum quod cecidit in viam comederunt volucres: istæ volucres, juxta quod explicat Christus sunt dæmones, qui tollunt verbum Dei de cordibus hominum: *Venit diabolus, & tollit*

verbum de corde ipsorum. Age, quare non comedit diabolus triticum quod inter spinas cecidit? vel quod inter lapides? sed quod in viam cecidit? quia triticum quod in viam cecidit, *conculcatum est ab hominibus*: & doctrina quam homines conculcant, quam homines despiciunt, est quam diabolus timet. Ab aliis Conceptibus, Discursibus, subtilitatibus, quas homines æstimant, non timet nec præcavet: scit enim illas non esse Conciones, quæ ex unguibus ipsi eruant animas. Sed doctrina quæ cadit *secus viam*: doctrina, quæ videtur calcata, *secus viam*: doctrina, quæ videtur esse communis, *secus viam*, doctrina, quæ videtur esse trivialis, *secus viam*: doctrina, quæ nos dirigit in viam, & viam salutis (quæ est quam homines calcant & despiciunt) est quam diabolus timet & præcavet: illa est quam nititur comedere, & tollere è mundo. Propter idipsum ista est, quam deberent Prædicatores concionari, & auditores quærere. At si illi non ità fecerint, & nos riserint, rideamus & nos tantundem eorum irrisiones, quantum applausus: *Per infamiam, & bonam famam* inquit S. Paulus. Prædicatorem concionari ad acquirendam famam, est vanum: Prædicare quod convenit, quamvis cum propriæ famæ dispendio, est Prædicatorem esse Jesu Christi.

2. Cor. 14. v. 27.

Sed delectentur, vel fastidiant auditores! O advertentia dignissima! Ecquis medicus attendat palatum infirmi dum tractat de ipsius sanitate? sanentur, & non delectentur: salventur, & amarizentur, nam ideo sumus Medici animarum. Quales putatis fuisse Petras, in quas cecidit pars tritici Evangelici? Christus explicans Parabolam inquit: quod Petræ sunt, qui cum gaudio Verbum Dei audiunt, *Hi sunt qui cum gaudio suscipiunt verbum.* Eritne ergo bonum, quod auditores cum gustu audiant, & in fine maneant lapides? non gaudeant, sed mollescant: non gaudeant, sed conterantur: non gaudeant, sed fructum referant. Iste est modus, quo fructum attulit triticum quod cecidit in terram bonam: *Et fructum afferunt in patientiâ*, concludit Christus; ità ut fructificatio non conjungatur cum delectatione, sed cum patientiâ fructificemus nos; & habeant illi patientiam. Concio fructificans, utilis, non est quæ delectat auditorem, sed quæ contristat. Quando ad quodlibet Prædicatoris verbum auditor contremiscit; quando quodlibet verbum Prædicatoris quasi torquet cor auditoris; quando auditor ex concione domum redit confusus & attonitus, nec non perplexus; concio est congrua, sperari potest fructus: *Et fructum afferunt in patientiâ.*

Denique ut Prædicatores perspiciant modum prædicandi, & auditores, quem audire conveniat; concludo cum domestico & nostri temporis exemplo. Prædicabant Conimbricæ duo Prædicatores famosi, ambo suis scriptis celebres: quos non nomino, quia disjungere volo. Altercati sunt quidam Doctores istius Universitatis, uter ipsorum foret melior, & quia vix judicium sine affectu; hi illum, isti alterum præferebant. Lector quidam Universitatis authoritate

cæteros antecellens sic concluſit. Inter bina tanti nominis ſubjecta, meum interponere judicium formido, dicam tantùm differentiam, quam ſemper experior. Dum audio unum, optimè Prædicatore contentus ex ſermone egredior : dum audio alterum egredior in memetipſo turbatus; hoc dixiſſe ſufficiat. Aliquando in me decepti eſtis, exeuntes ex ſermone benè contenti Prædicatore : optarem vos modò exire malè contentos vobiſmetipſis. Seminatores Evangelici, ecce quod hîc intendere oportet noſtris ſermonibus, ſcilicet, non ut auditores exeant contenti ex nobis, ſed malè contenti ſecum : non ut illis arrideant noſtri conceptus, ſed diſpliceant illis ſuæ conſuetudines, vita, temporis perditio, ambitio, omnia denique peccata. Quod ſi adeò malè contenti ſecum, ſi malè contenti nobiſcum, quid refert ? *Si hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem*, ajebat omnium Prædicatorum maximus S. Paulus. O ſatisfaciamus Deo abſque reſpectu hominum ! Conſideremus in hac ipsâ Eccleſiâ eſſe Tribus altiores illis quas videmus : *Spectaculum facti ſumus Deo, Angelis & hominibus.* Supra Tribus Regum, ſunt Tribus Angelorum, eſt Tribus & Tribunal Dei, quod nos audit & judicabit. Quam rationem reddet Prædicator Deo in die judicii ? Auditor dicet, non mihi dixerunt : Sed Prædicator, *Væ mihi quia, tacui.* Væ mihi quia non dixit conveniens tia ! non fiat deinceps propter amorem Dei & noſtri. Stamus ad portas Quadrageſimæ, quod eſt tempus præcipuum quo Verbum Dei ſeminatur in Eccleſiâ, & præmunit hominem contra vitia. Prædicemus & obarmemus nos omnes contra peccata, contra ſuperbiam, odia, ambitiones, invidias, concupiſcentias & ſenſualitates. Videat Cœlum, adhuc in terrâ dari qui ſtet à parte ejus : Noverit infernus adhuc in terra dari qui inferat illi bellum Verbo Dei : & ipſa ſciat Terra, adhuc eſſe ſe in ſpe & ſtatu revireſcendi, & ferendi fructum multum : *Et fructum fecit centuplum.*

Gal. I. *v.* 10.

I. Cor. 4. v. 9.

Iſai. 6. v. 5.

SERMO

PRO

Feria Quarta Cinerum.

Romæ in Ecclesiâ S. Antonii Lusitanorum Anno 1672.

Memento homo, quia pulvis es: & in pulverem reverteris.

§. I.

BIna hodie cunctis mortalibus prædicat Ecclesia: utraque grandia, utraque tristia, utraque tremenda, utraque certa. Unum verò certum adeò ac evidens, ut ad credendum intellectus non requiratur: Alterum adeò certum & difficile, ut ad penetrandum nullus sufficiat intellectus. Unum præsens: alterum futurum. Futurum intuentur oculi: præsens intellectus non assequitur. Quænam verò sunt ista duo ænigmata? hæc, *Pulvis es, & in pulverem reverteris. Pulvis es*, est præsens: *Et in pulverem reverteris*, est futurum. Pulverem futurum & in quem revertemur, intuentur oculi: Pulverem præsentem seu qui sumus, nec oculi vident, nec intellectus capit. Quod pulverem me futurum mihi dicat Ecclesia, *in pulverem reverteris*: nec fides, nec intellectus ad credendum requiritur: in apertis & clausis hoc oculi intuentur sepulchris. Quid inscriptiones istæ seu Epitaphia significant? quid sepulchrales abscondunt lapides? Epitaphia pulverem indicant, lapides abscondunt. Omnia ibi abscondita; & quicquid ibi continetur, est illud nihil quod erimus: omnia pulvis. Pro evidentiore exemplo & horrore, ad recentiora Vaticani procedamus sepulchra. Interrogantibus cujusnam pulvis sunt isti cineres? respondebunt Epitaphia (quæ sola illos distinguunt) iste pulvis fuit Urbanus, ille Innocentius, ille Alexander, iste nondum totaliter resolutus fuit Clemens. Ità ut ad credendum me pulverem futurum nec fides requiratur nec intellectus; sed sufficiat visus. At quod hodie prædicet, mihique dicat Ecclesia fidei veritatisque regula me non solùm in pulverem resolvendum in futuro, sed jam in præsenti me pulverem esse, *Pulvis es*! Quomodo assequitur intellectus, oculis contradicentibus? Estne possibile, quod oculi isti qui vident, aures quæ audiunt, lingua quæ loquitur, manus & brachia quæ operantur, pedes qui ambulando terram premunt, omnia ista hodie sint pulvis? *Pulvis es*!

Ad Ecclesiam cum ipsâ argumentor Ecclesia, *Memento homo*. Ecclesia mihi dicit, supponendo quod sim homo: Ergò non sum Pulvis. Homo est substantia vivens, sensitiva, rationalis. Pulvisne vivit? non; quomodo ergò vivens est pulvis? Pulvisne sentit? non; quomodo er-

go sensitivus est pulvis? Pulvisne intelligit & ratiocinatur? non; quomodo ergò rationalis est pulvis? Si denique mihi concedunt, quod sim homo, *Memento homo*; quomodo mihi prædicant quod sim pulvis, *Quia pulvis es*? nihil conducibilius nobis esse posset, quàm nec responsum, nec dubii hujus accipere resolutionem: at responsum ejusque solutio, erit nostri discursus materia. Ut materiæ hujus difficultatem meliùs valeam enodare, debitumque ex eâ fructum reportemus, istam obsecremus Dominam, quæ sola, puros inter homines, omnis fuit corruptionis expers, ut gratiam nobis impetrare dignetur. Ave Maria.

§. II.

ECce Auditores Christiani, non solùm pulvis erimus: sed jam sumus, *Pulvis es.* Quicquid argumentorum in contrarium, universali huic sententiæ opponi potest, jam audistis. Sed quia ista sententia definitivè fuit pronunciata, & per ipsum Deum Protoplasto nostro ejusq; descendentibus declarata: nec interpretationem patitur, nec dubium habere potest. Sed quomodo possibile, quomodo inquam possibile, quod ego qui hæc loquor, vos qui eadem auditis, cunctique qui nunc vivimus simus pulvis? *Pulvis es*! Ista est ratio; Homo in quocunque degens statu certus est se pulverem fuisse: & in pulverem reversurum esse. Fuit pulvis, & in pulverem revertetur: Ergò est pulvis; omne enim vivens non est id quod actualiter existit, sed quod fuit & futurum est. Jam vi lete.

In die ostensionis, quando Moyses Ægyptiique Magi suam coram Rege Pharaone ostentaturi erant potentiam? Moyses solus cum Aarone ex uua, omnesque magi stabant ex parte altera. Dato à Rege signo, mandavit Moyses Aaroni virgam suam è manu projiceret in terram, quæ mox in vivum tamque horridum conversa fuit serpentem, quemadmodum ille quem ipse in deserto fugerat. Similitèr fecerunt magi: & serpentes incepêre super terram discurrere; Serpens verò Moysis cæteros insecutus, animosè & intrepidè, vivos ac integros absque discerptione & comminutione cœpit devorare & deglutire. Casum refert Scriptura Sacra in hæc verba: *Devoravit virga Aaron, virgas eorum.* Hîc noto. Dicendum fuisse videtur non virga, sed serpens. Virga ad edendum carebat ore, dentibus ad masticandum, gutture ad diglutiendum, stomacho ad incorporandum tantam serpentum multitudinem. Serpens, in quem virga fuit conversa non carebat illis: erat enim Draco vivus, vorax, terribilis, & tantæ stragis tamque animosi actus capax. Quare nunc igitur textus dicit, Virgam, & non, Serpentem hæc omnia fecisse? Quia quodlibet est hoc quod fuit, aut futurum est. Virga Moysis in serpentem conversa ante fuerat Virga, & postquam serpens facta, in virgam fuit reversa: & serpens qui fuit virga, & in virgam denuò revertetur, non est serpens, sed virga: *Virga Aaron.* Verum est, quod serpens isto tempore erat vivus, ambulans, comedens, pugnans, vincens, & triumphans: sed quia fuerat virga, & in virgam reversurus, non erat quod actualitèr existebat: sed quod fuerat, & futurus erat: *Virga.* *Exod.* 7. *v.* 12.

Ah astuti serpentes hujus mundi, tam vivi tamque vivaces! nihil vobis de vita

vestra

vestra aut vivacitate præsumatis : non estis hoc, quod putatis, aut estis : estis hoc, quod fuistis, & eritis. Quantò magis nunc vobis videmini draco coronatus, squamis aureis circumdatus, erectâ, gyrante & ventilante caudâ, pectore tumido, alis extensis, collo erecto & superbo, ore hiante, dentibus acutis, linguâ trisulcâ, oculis scintillantibus, unguibus rapacibus. Quantò magis iste draco luctari sibi videtur in hastiludiis Lacedæmonum, jam hortis inambulare Hesperidum, jam thesauros protegere Mydæ, vel inter Meteora stellasve volitare, vel inter Hierarchias Divinitatis affectatæ: fuit virga, erit virga, estque virga : fuit terra, erit terra, estque terra : fuit nihil, erit nihil, estq; nihil. Quicquid enim in hoc mundo vivit, est quod fuit, quodque erit. Solus Deus est hoc, quod est: sed ex hoc ipso capite. Notate.

Apparuit Deus eidem Moysi in deserto Madian, mandans nova propinquæ liberationis nuntia captivo deferre populo : interrogantique cujus nomine ad conciliandam dictis suis fidem, annunciare deberet : semetipsum deficiendo respondit Deus : *Ego sum, qui sum.* Dices: *Qui est, misit me ad vos.* Qui est ? Quodnam hoc est nomen, & quæ distinctio ista ; Etiam Moyses est, qui est: & Pharao est, qui est: similiter & populus Israëliticus est, qui est. Cum ergò ipsum nomen & definitio omnes includat & omnia, quare eam sibi usurpat Deus tanquam suam ? Et si omnes sunt quod sunt, & quilibet est quod est ; quare non tanquam attributum, sed propriam Divinitatis suæ essentiam sibi vendicat : *Ego sum, qui sum?* Egregiè respondit S. Hieronymus vernis Apocalypseos, *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Scitisne, cur dixerit Deus : *Ego sum qui sum* ? Quia solus Deus hoc est, quod fuit & futurus est. Deus est Deus, fuit Deus, & futurus est Deus: & solus ille qui est quod fuit, & quod futurus est, est qui est : *Qui est & qui erat, & qui venturus est. Ego sum, qui sum.* Ita ut ille, qui est hoc quod fuit, & futurus est, sit qui est; & hic solus est Deus. Qui non est quod fuit aut futurus est, non est qui est; est quod fuit & futurus est : & isti sumus nos. Respiciendo retrò, quid fuimus ? pulvis. Prospiciendo quid erimus ? pulvis. Fuimus pulvis, & erimus pulvis: ergò istud est, quod sumus : *Pulvis es.*

Exod. 3. v. 14.

S. Hieronym.

Apoc. 1. v. 4.

Scio quoque terrestres esse Deos, & hanc terram in qua vivimus, communem omnium, vel domesticorum, vel extraneorum Deorum fuisse patriam. Dii isti constabant ex diversis metallis : alii ex argilla (vel cruda vel malè cocta) sed tamen Dii. Sunt Dii magnificentiâ, majestate, potestate, & adoratione ; Dii quoque nomine : *Ego dixi Dii estis* ; verumtamen si quis istorum esset Deorum (quia esse potest) qui sibi imaginetur & dicat, *Ego sum qui sum* : consideret primò quid fuit, quidve erit. Si fuit Deus, & erit Deus, est Deus : & ego in ipsum crederem, & adorarem. Sed si non fuit, nec futurus est Deus : si fuit, & futurus est pulvis, suam potius attendat corruptionem & resolutionem ; quàm imaginariam suam Divinitatem. Ita hoc asseruit vobisque verificavit ipse Deus, qui illos Deos nuncupavit : *Ego dixi Dii estis : vos autem sicut homines moriemini.* Qui fuit, eritque pulvis; sit licet quicquid, & quantum velit, est tamen pulvis : *Pulvis es.*

Psal. 81. v. 6.

Psal. 81. v. 7.

§. III.

§. III.

Videor mihi meam probâsse propositionem ejusdemque consequentiam; quod si in propriis illam terminis vobis demonstrari velitis, præsto sum. Veritatem istam practicè ostenderunt duo, qui nos melius nobisipsis noverant, Abraham & Job. Job cum alio quàm nostro memento, dicebat Deo: *Memento quæso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem rèduces me.* Abraham copiam libertatemque cum Deo loquendi petens ajebat: *Loquar ad Dominum cum sim pulvis & cinis.* Differentiam Terminorum jam videtis; quâ major propositoq; nostro naturalior esse nequit, Job se pulverem fuisse, & futurum esse asserit? Abraham se non fuisse, aut futurum esse pulverem; sed in præsenti esse affirmat, *Cum sim pulvis & cinis.* Si alter istorum mortuus, alter adhuc fuisset vivus, valdè propriè loquerentur: omnis enim vivus dicere potest, fui, & futurus sum pulvis: Et mortuus, si loqueretur deberet dicere, ego sum pulvis; Veruntamen Abraham hoc dicens adhuc vivebat, similiter & Job: & uterque nec differenti ex materia, nec ex differente constabant naturâ; Proinde si ambo ejusdem erant naturæ & adhuc viventes, quomodo alter eorum se jam pulverem esse, alter se pulverem fuisse ac futurum esse dicit? Propter idipsum, quia Job fuit & futurus est pulvis, hinc Abraham est pulvis. In Job locuta fuit mors, in Abraham vita, & in utroque natura. Unus se per præteritum descripsit & futurum, alter se definivit per præsens: Unus consideravit effectum, alter causam: Unus insinuavit quod erat, alter declaravit quare: Job enim & Abraham & alius homo quicunque fuit & futurus est pulvis, hinc jam est pulvis. Fuistisne & futuri estis pulvis sicut Job? estote jam pulvis sicut Abraham, *Cum sim pulvis & cinis.*

Job. 10. *v.* 9.

Gen. 18. *v.* 27.

Re, ut oportet, consideratâ, totum hoc habemus in nostro textu, sequentia etenim verba non solùm ejusdem declarationem, verùm etiam præcedentium continent rationem. *Pulvis es*: Quare? quia *in pulverem reverteris.* Pulvis enim fuistis, & in pulverem revertemini; hæc illius verbi, *reverteris*, est energia, quod non solùm futurum sed jam præteritum pulverem signat; hinc non inquit in pulverem convertêris, sed *reverteris* in pulverem qui fuisti. Dicendo mortuos in pulverem converti impropriè loquimur: non enim est conversio, sed reversio; *reverteris.* Est reverti in pulverem in morte; qui fuimus in nativitate. Est redire in pulverem sepulchralem; qui fuimus in agro Damasceno. Et quia fuimus pulvis, & in pulverem redituri sumus *in pulverem reverteris*: hinc jam pulvis sumus. *Pulvis es.* Hæc non est mea expositio, sed formalitas Textus, quo Deus sententiam mortis protulit in Adamum. *Donec revertaris in terram, de qua sumptus es; quia pulvis es.* Proinde ratio & quare pulvis sumus; *Quia pulvis es*, fit, quod pulvis fuimus, & in pulverem revertemur; *donec revertaris in terram, de qua sumptus es.*

Gen. 3. *v.* 19.

Videtur tantùm opponi posse, quod, Ly, *Donec*, tempus quoddam medium significet inter pulverem præteritum & futurum, intermedioque illo tempore non simus pulvis. Ast ipsa veritas divina quæ dixit; *Donec*; etiam simul addidit, *Pulvis es.* Consequentiæ hujus ratio consistit in *Reverteris*; quia reversio quâ revertimur ad pulverem qui fuimus, circulariter

ritèr non ab ultimo, ſed primo vitæ incipit puncto. Notate. Nominalis hæc noſtra vita non eſt aliud quàm circulus de pulvere ad pulverem: de pulvere qui fuimus, ad pulverem qui futuri ſumus. Hi majorem, alii minorem, illi adhuc minorem, & alii minimum faciunt circulum, *De utero translatus ad tumulum*: ſed ſive via ſit longa, ſive brevis & breviſſima, quia de pulvere ad pulverem; ſemper & quocunque vitæ tempore pulvis ſumus. Qui ambulat circulariter à puncto, quantò magis recedit, tantò magis ad ipſum appropinquat: & qui magis recedendo magis appropinquat, non recedit. Pulvis qui noſtrum fuit principium, ille idem noſter eſt finis: & quandoquidem ambulamus circulariter ab hoc pulvere ad illum; quantò magis recedere videmur ab illo, tantò propiùs huic appropinquamus; paſſus nos elongans, idem nos adducit. Dies vitam inchoans, idem eam abrumpit. Et quemadmodum vitæ noſtræ rota ſemper volvitur, continuò ipſam atterit, erimuſque ſemper pulvis. Proinde reverſionem hanc & revolutionem circuli hujus Deus intimans Adamo, *Donec revertaris*: ex præmiſſis, Pulvis fuiſti, & pulvis eris, conſequentiam intulit, pulvis es, *quia pulvus es*. Ita ut à primo vitæ inſtanti ad ultimum uſque momentum ejuſdem perſuadere nobis & concludere habeamus, quod non ſolùm fuerimus & futuri ſimus, ſed jam pulvis ſimus, & hoc in idipſum. Fuiſti pulvis, & eris pulvis? es pulvis: *Pulvis es*.

Job. 10. *v.* 19.

§. IV.

JAm ſuppoſito quod ſimus Pulvis, quod negari nequit, ſiquidem hoc Deus dixit: fortaſſis me interrogabitis, & quidem rationabilitèr; in quo igitur vivos diſtinguimus à mortuis? mortui ſunt pulvis, & nos ſimilitèr pulvis ſumus, in quo igitur diſcernimur ab illis? Diſtinguimus vivos à mortuis, ſicut pulvis diſtinguitur à pulvere. Vivi ſunt pulvis levis: mortui gravis & dejectus. Vivi ſunt pulvis ſeſe movens: mortui ſunt pulvis immotus jacens, *Hic jacet*. Loca hæc tempore verno pulvere ſunt cooperta, ſi diſcutias pede rapitur in aërem, & quid ſequitur? hoc quod commune pleriſque vivis: non quieſcit, nec quieſcere poteſt; ambulat, currit, volat, hâc ingreditur, illàc exit, nunc ante, nunc retrò, omnia implet, omnia operit, omnia involvit, perturbat & tollit, omnia obſcurat, omnia penetrat, in omnia & per omnia ſeſe inſinuat, nec momento quidem, dum ventus durat quietus: quieſcente vento decidit pulvis, & ubi quievit ventus ibidem ſimul etiam quieſcit pulvis, vel intrà domum, vel in plateâ, ſive ſuprâ tectum, ſive in mari, flumine, monte, ſeu ruri. Nunquid eſt ità? Plane. Quinam eſt iſte ventus & pulvis? Pulvis ſumus nos: *Quia pulvis es*. Ventus eſt noſtra vita, *Quia ventus eſt vita mea*. Exoritur ventus, raptatur ſimul & pulvis: quieſcit ventus, decidit pulvis. Exoritur ventus, ecce pulverem raptatum, & iſte ſunt vivi: quievit ventus, ecce pulverem proſtratum; & hic ſunt mortui. Vivi pulvis; mortui pulvis. Vivi, pulvis agitatus; mortui pulvis immotus & quietus. Vivi pulvis cum vento, ideoque vani; mortui pulvis ſine vento, ideoque ſine vanitate. Hæc eſt diſtinctio, & non alia.

Job. 7. *v.* 7.

Nec quiſquam arbitretur hoc eſſe Metaphoram ſive comparationem: ſed realitatem experimentalem & certam. Deus ex pulvere illam primam formavit ſtatuam Adami Corpus, poſtmodùm vocatam

Gen. 2. v. 7. tam atteſtante Textu originali, *Formavit Deus hominem de pulvere terræ*; Figura erat humana excellenterque delineata: Subſtantia vel materia non erat niſi pulvis; Caput pulvis, pectus, brachia, os, oculi, lingua, cor & omnia pulvis. Deus ad ſtatuam accedens, quid fecit? *Inſpiravit in faciem ejus*: mox ut ventus inſufflatus penetravit pulverem, *Et factus eſt homo in animam viventem.* Ecce pulverem levatum & vivum; jam eſt homo, & jam vocatur Adam. Ah pulvis ſi acquieſcens hîc ſtitiſſes! Aſt pulvis vento ſufflatus quomodo quieſceret? ecce nunc infrà nunc ſuprà; nunc agitatur, nunc gyratur; mox deprimitur mox extollitur; jam dominus Univerſi, mox mancipium ſui; jam ſolus, jam ſociatus; jam nudus, jam veſtitus, jam coopertus foliis, jam pellibus; jam tentatus, jam ſuperatus; jam Paradiſi inquilinus, jam exul; jam peccator, jam pœnitens; & pro majore pœnitentia Pater filios deplorans; operando terram colligens pro fructibus ſpinas, ſudando, laborando, & mille fatigationibus ſeſe exhauriendo, repugnante ſpiritu & fortuna quaſi in rota viva gyratus: hoc modo pulvis erectus flante adhuc vento fuit agitatus. Flavit ventus diu, ſiquidem iſto tempore longioris erant vitæ; ceſſante demum vento collapſus eſt. Quidnam proinde mox evenit Adamo? hoc quod pulveri. Quamdiu ventus pulverem erexit & agitavit, eundem ſuſtinuit, quo quieſcente decidit. Pulvis erectus eſt Adam vivus: Pulvis collapſus, Adam mortuus, *Et mortuus eſt.* Hic fuit primus pulvis vivens, & ad mortem condemnatus: & hæc eſt differentia inter vivos & mortuos, nec non pulverem inter & pulverem; & hinc in ſacra Scriptura mori vocatur cadere, & vivere ſurgere. Mori cadere, *Vos autem ſicut homines moriemini, & ſicut unus de Principibus cadetis*, vivere, ſurgere, *Adoleſcens tibi dico, ſurge.* Si erecti, vivi: ſi collapſi, mortui. Sed ſive erecti, ſive collapſi, ſive vivi, ſive mortui, pulvis. Erecti, pulvis vitæ: collapſi, pulvis mortis. Hoc modo illud intellexit & notavit David, & hæc diſtinctio quam fecit dicens, *In pulverem mortis deduxiſti me.* Non ſufficiebat dicere, *in pulverem deduxiſti me*, ſicut, *in pulverem revertêris*? Omninò: ſed cum majore Emphaſi dixit *in pulverem mortis*: eſt enim pulvis mortis, & pulvis vitæ; Vivi pedibus inambulantes ſumus pulvis vitæ, *pulvis es*; mortui jacentes in ſepulchris ſunt pulvis mortis, *in pulverem revertêris.* Pſal. 81. v. 7. Luc. 7. v. 14.

§. V.

VIſa nunc diſtinctione tam vera, & veritate tam evidente, quid pulveri noſtro dicam niſi idipſum quod Eccleſia, *Memento homo*? Duo hodie faciam memento pulveri: Unum adhuc erecto, alterum jam collapſo; Unum pulveri qui ſumus, alterum qui erimus. Unum ei qui me audit, alterum qui me audire nequit; Primum erit vivorum, alterum mortuorum.

Quid dicam vivis? ut pulvis erectus & agitatus collapſum ſe fore pulverem recordetur; Erigitur pulvis vento vitæ, multoque amplius elevatur vento fortunæ: ſed meminerit pulvis, ventum fortunæ non excedere ſpatium vitæ, brevioremque ejus terminum, quia major eſt ejus inconſtantia; Ventus vitæ quantumcunque prolongetur, veram nihilominus tranquillitatem nunquam obtinere valebit; Ventus fortunæ accreſcens in-

tem-

tempestatem degenerare potest, & quidem tantam, ut ipsum vitæ ventum absorbeat. Pulvis erecte, memento te denuò pulverem fore collapsum, omniaque tecum peritura & in pulverem abitura.

Statua Nabuchodonosoris, aurum, argentum, æs, ferrum, splendor, divitiæ, fama, potentia: memento collapsura hæc omnia, & ictu quidem unico, moxque apparebit quod modò intueri nolumus; omnia esse pulverem, & pulverem terræ. Non miror auditores, statuam istam in unico momento in pulverem conversam, erat simulachrum hominis, hoc sufficiebat: hoc miror & semper obstupui, quod conversum sit (prout textus inquit) in pulverem terræ, *In favillam æstivæ areæ.* Nonne caput statuæ aurum? quare ergò aurum non convertitur in pulverem aureum? nonne pectus & brachia argentea? quare ergò non convertuntur in pulverem argenteum? nonne venter erat æneus, & reliquum ferrum? quare ergò æs non in æneum, & ferrum in pulverem non convertitur ferreum? sed aurum, argentum, æs, & ferrum, omnia in pulverem terræ? Ità, omnia in pulverem terræ. Illustris superbus consideret se constare ex auro, & omnem illum splendorem cadendo, in pulverem, & quidem pulverem terræ abiturum. Argento gravis consideret dives, totum istum mammonem in pulverem, & quidem pulverem terræ redigendum. Quasi æneus, meminerit robustus; & quasi ferreus, memoretur fortis; alter robori suo fidens, alter arrogans, totam hanc fortitudinem, illudque robur in pulverem, & terræ pulverem convertenda: *In favillam æstivæ areæ.*

Dan. 2. v. 35.

Domine Pulvis: *nimium ne crede colori.* Petra statuam pulverizans lapis est sepulturæ, similisque lapidi pictoris colores omnes subigentis & in tenuissimum comminuentis pulverem: Color niger, albus, rubeus, cæruleus, omnes ab eo rediguntur in pulverem. Adam interpretatur rubeus, pulvis enim campi Damasceni, ex quo formatus est, erat rubeus: videturque Deus hujusce tam pretiosi coloris pulverem elegisse, ut cum, & in illo cæteri omnes minimè adulterarentur colores.

S. Hier. hic in quæst. Hebra. Lyran. Hugo Abul.

In statua aurum erat fulvum, albicans argentum, æs viride, ferrum nigrum: Statuâ verò à petra comminuta; omnia mox ejusdem, id est, lutei apparuerunt coloris: *In favillam æstivæ areæ.* Pulvis iste erectus distinctiones meditabatur de pulvere ad pulverem: & quia non poterat discernere substantiam, differentiam posuit in coloribus. Nihilominus mors velut omnium naturæ gravaminum vindex, omnes hosce colores ejusdem facit esse coloris: ut vanitas & fortuna non discernat, quos ratio facit æquales. Auscultate S. Augustinum, *Respice sepulchra, & vide, quis Dominus, quis servus, quis pauper, quis dives? discerne, si potes Regem à vincto, fortem à debili, pulchrum à deformi.* Discernitisne illos? Dignoscitis illos? Non certè. Magnus & parvus, dies & pauper, doctus pariter & indoctus, Dominus & servus, Princeps & subditus, Europæus & Æthiops, omnes ejusdem ibidem sunt coloris. Transit S. Augustinus ab Africa, Romam interrogans: *Ubinam sunt qui ambibant civium Potentatus? Ubi insuperabiles Imperatores? Ubi exercituum Duces? Ubi Satrapæ & Tyranni? Ubi sunt Consules Romani? Ubi illi Imperatores & famosi Capitanei, qui à Capitolio totum legibus suis regebant mundum? Ubi*

S. August. in sent. sentent. ult.

nunc Cæsares & Pompei? Ubi Marii & Scyllæ? Ubi Scipiones & Æmylii? Augusti, Claudii, Tiberii, Vespasiani, Titi, Trajani? Quid de illis nunc factum? *Nunc omnia pulvis: nunc omnia favillæ, nunc in paucis versibus est eorum memoria.* Non alia de his superest memoria; quàm paucorum versuum Epitaphia. Heus Augustine, qui tunc legebantur versus, non supersunt: deletæ sunt literæ, tempus lapides exedit. Similitèr & petræ moriuntur, *Mors etiam saxis, nominibusque venit.* Heu quale istud est memento pro urbe Româ! *S. Aug.*

Jam non continuabo amplius, quod dixi hucusque; memento homo quia pulvis es erectus futurus collapsus. Exaggerare conabor, memento Roma quod pulvis sis erectus, simulque collapsus. Ex sublimitate tuâ te contemplare Roma, & collapsam te sepultamque videbis: Similiter ex humili tua sepultura te contemplare, & excelsam te, & super te elevatam conspicies; Roma super Romam, & Roma infrà Romam. In ripis Tiberis sublimitas, & humilitas Romæ cernitur: Sed hæc sunt tantùm umbræ: hîc verò Romæ altitudo & profundum, incrementum & defectus cernitur; & non est deceptio visus, sed veritas. Urbs super ruinas, corpus super cadaver, Roma viva super mortuam. Quid est Roma, nisi sui ipsius sepulchrum? subtùs cineres, supra statua: subtùs ossa, supra facies. Ista facies, majestas & magnificentia imago est, & solùm imago istius quæ est subtùs terram. Providentia divina tam frequentes Romæ ordinavit ruinas, & de ruinis resuscitationes, ut Capiti orbis non deesset cranium in quo se contemplaretur. Homo in cranio hominis alterius se potest contemplari: Caput orbis, nonnisi in proprio cranio se considerare potest. Quid est Roma exaltata? Caput mundi. Quid verò Roma collapsa? Cranium mundi. Quid sunt rudera ruinæque Thermarum? nisi comminuta hujus cranii ossa? Quid sunt istæ Columnæ eminentesque Pyramides, nisi acuti & duri, & à se invicem disjuncti dentes? O quàm prudentèr ageret orbis Caput, si se ritè intueretur, & in suo cranio contemplaretur!

Nabuchodonosor statuam illam videns in pulverem redactam, erexit aliam. Insipiens, Quidnam tibi dixit Propheta? *Tu Rex es Caput.* Age igitur, si tu es caput & vivis, caput vivum intueatur caput vitâ carens: Caput erectum contempletur caput collapsum, caput consideret cranium. O si Roma faceret quod Nabuchodonosor facere nescivit! O si caput orbis, orbis intueretur cranium! Cranium majus est suo capite: ut minorem locum habeat vanitas, & veritas materiam majorem. Istud fui, hoc sum? in hoc universi hujus stitit magnificentia, cujus hodie sum portio tam exigua? in hoc stitit. Et quod est deteriùs, Roma (si mihi referre permittis) non in hoc solo sistet. Istæ tuæ ruinæ, hæc tua rudera non sunt ultima: reservantur tibi & restant adhuc alia, ante universalem ruinam mundi tibi in Scripturis sacris vaticinata. Babylonia de quâ ait S. Joannes in Apocalypsi *Cecidit Cecidit Babylon*: hæc est Roma, non per hoc quod hodiè exstitit, sed quod futura est: juxtà quod intelligunt SS. Hieronymus, Aug. Amb. aliique PP. quos concorditèr sequuntur Interpretes & Theologi. Roma spiritualis est vita æterna; nam *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Roma verò temporalis veluti aliarum Monarchiarum metropolis non solùm *Dan. 2. v. 38.*

Apoc. 14. Hieron. Augustin. Ambros. Tertullian. Oecum. Cassiodor. Bellarm. Suarez.

& plures apud Cornel. ibi. Matth. 16. v. 18.

solùm subjecta est, verùm etiam ad rerum mutabilium cataſtrophen, temporiſque Eclypſes condemnata. In tuis ruinis vides quid fueris, in tuis oraculis legis quid futura ſis: & ſi verum de te ferre velis judicium, ex eo quod fuiſti & eris, æſtima quod es.

In hâc ipsâ rerum divinarum naturali rotâ, ſapientia Salomonis duo reciproca detexit ſpecula, quæ temporis vocari poſſunt, in quibus facilè videri poteſt quod fuit, quodque futurum eſt. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt: Quid eſt quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt.* Sic ſibi ſpecula invicem opponite, & ſicut radii Occaſus feriunt Orientem, & vice versâ: ità per naturalem reciprocamque reverberationem in ſpeculo præteriti, futurum: & in ſpeculo futuri, præteritum invenietis. Quod ſi vos delectat videre futurum, legite hiſtorias & reſpicite præteritum: ſi præteritum, legite Prophetias & proſpicite futurum; viſurus verò præſens, quò vertet oculos? hoc non dixit ſapiens: Ego autem dicam. Suadeo igitur unico intuitu ſpeculum reſpiciat utrumque: reſpicite præteritum & futurum, & videbitis præſens, præſens enim eſt futurum præteriti; & præteritum futuri. *Quid eſt quod fuit? ipſum quod futurum eſt: Quid eſt quod eſt? ipſum quod fuit & futurum eſt.* Roma, hoc fuiſti quod futura es: & quod fuiſti & futura es, hoc ipſum es. In hiſce duobus ſpeculis temporis ſeriò te contemplando te cognoſces. Et ſi veritas hujus evidentiæ locum obtinet in Petris, quantò magis in hominibus? in præterito fuiſti pulvis, in futuro eris pulvis, ergò in præſenti es pulvis: *Pulvis es.*

Eccleſ. 1. v. 9.

§. VI.

HOc memento fuit virorum; finio cum memento mortuorum. Dixi vivis, meminerit pulvis erectus ſe futurum pulverem collapſum: Dico nunc, meminerit pulvis collapſus ſe denuò pulverem futurum erectum & vivum. Nullus ſine reſuſcitationis ſpe moritur; hinc mors in ſcripturis ſacris ſomnus appellatur. Vivi, in terram cum ſomno mortis decidunt: mortui, in ſepulchris ſine motu, ſine ſenſu profundum illum & diuturnum dormiunt Lethargum, ſed noviſſimæ Tubæ clangore ad judicium vocati omnes experrecti reſurgent. Quilibet tunc cum Davide dicet, *ego dormivi & ſoporatus ſum, & exurrexi*: memoretur itaque pulvis proſtratus, ſe fore redivivum; Secundum hoc memento multò terribilius eſt primo. Vivis dixi, *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*: mortuis dico, commutatis converſiſque verbis, ſed in ſenſu ſimiliter vero, *memento pulvis quia homo es, & in hominem reverteris.* Qui me audierunt, intellexerunt quemlibet eſſe hoc quod fuit & futurus eſt: Tu qui jaces in ſepulchro ſcias iſtud modò. Ego vivo, tu es mortuus: ego loquor, tu ſiles: ſed ſicut ego exiſtens homo, quia fui pulvis & in pulverem reverti debeo, ſum pulvis; pari ratione tu exiſtens nunc pulvis, quia fuiſti & eris homo; es homo. Moritur Aquila, moritur Phœnix, ſed aquila mortua non eſt aquila; Phœnix mortua, eſt phœnix. Quare? Quia aquila mortua non eſt aquila, nam fuit aquila, ſed in aquilam non revertetur: mortua phœnix, eſt phœnix quia fuit phœnix, & in phœnicem reditura. Talis es tu in ſepulchro jacens, mortuus? Ita.

Resolutus in cineres? etiam: sed in cineres instar phœnicis. Phœnix in cineres resoluta est phœnix, quia fuit phœnix, & in phœnicem reditura: similiter tu in cineres resolutus, es homo, quia fuisti homo, & in hominem redibis. Non est hæc propositio vel comparatio mea, sed Sapientiæ & Veritatis æternæ. Audiant mortui mortuum, qui omnium optimè cognitam sibi immortalitatis prædicavit fidem. *In nidulo meo moriar & sicut Phœnix multiplicabo dies meos.* Numeratos vitæ tuæ dies subtrahe morti, & cum resurrectione multiplica: proinde Job, tanquam vivus, mortuus & immortalis phœnici se comparat. Potuisset jure optimo hic magnanimus Heros sepulchrum suum vocando nidulum se Reginæ avium assimilare sicuti Rex erat: sed de se ipso, & nobiscum in æquali mortalitatis mensura loquendo, non se aquilæ sed phœnici comparavit. Nasci enim aquilam, fortuna est paucorum: renasci phœnicem, natura est omnium. Ut moriamur omnes nascimur: ut resuscitemur, omnes morimur. Ut nascamur antequam simus, genitoribus indigemus patre & matre: ut instar phœnicis post mortem resuscitemur, ipse in quem resoluti jacemus pulvis, parentum vices supplet utpote de quo renasci habemus; *putredini dixi, Pater meus es: mater mea, & soror mea vermibus.*

Index græc. Job. 29. v. 18.

Joa. 17. v. 14.

Non minùs jam certa & probata secundâ hac metamorphosi quàm primâ; mortuis quoque Ezechielis prædicemus exemplo, ut mortui nos audiant & vivi. Si vivis diximus, *memento homo quia pulvis es*, quia fuisti & eris pulvis: æque veraciter inclamemus mortuis qui jam sunt pulvis, *memento pulvis quia homo es, & in hominem reverteris.*

Ezech. 37. v. 4.

Apage nunc, auditores mei, fallaces ceremonias & superfluas nugas; loquamur seriò: sancta enim & seriis consecrata est hæc dies. Vel credimus nos immortales, vel non? si homo finit cum pulvere, quod loquar non habeo: sed si pulvis redit in hominem, quis vobis & mihi hoc dicet? Pulvis in quem reversurus sum non me terret: sed consideratio, quod in pulverem redire habeam, horripilationem inducit. In morte, non mortem timeo, sed immortalitatem: hodie non diem Cinerum timeo, sed Paschalem; scio enim me resuscitandum æternalitérque victurum, sive in cœlo, sive in inferno; *Scio enim quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum.* Job inquit *Scio*: Notate. Non dicit *Credo*; sed *Scio.* Siquidem immortalitatis humanæ veritas & certitudo non solùm est fidei, sed etiam scientiæ. Per scientiam & rationem naturalem cognoverunt illam Plato, Aristoteles, & tot alii Philosophi gentiles. Sed quid refert hoc non assequi rationem, ubi est fides? Quid facit authoritas hominum, ubi adest testimonium Dei? Pulvis sepulchralis clamat, *De terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* Iste homo, istud corpus, ista ossa, ista caro, ista pellis, isti oculi, iste ego & non alius, moriturus est? Ita: sed revivisçet & ad immortalitatem resuscitabitur. Mortalis usque ad pulverem, post pulverem immortalis. *Credis hoc? Utique Domine.* Quem itaque in nobis fructum ista mortis cognitio, & immortalitatis fides operatur?

Job. 19. v. 25.

Plato in Timæo. Philabomenon de rep. Arist. 1. de Anima c. 8. & l. 3. c. 4. & lib. 2. de gen. Anim.

Job. 19. v. 26.

Joan. 11. v. 26.

Considerantì mihi vitam quâ fruimur, mox

mox occurrit, quod nec tanquam mortales, nec tanquam immortales vivimus. Non vivimus tanquam mortales, quia tractamus de rebus vitæ præsentis tanquam æternæ: nec vivimus ut immortales, quia in tantum obliviscimur vitæ æternæ, quasi non supereſſet. Quod si hæc vita esset immortalis, nos pariter immortales, quid faceremus, nisi quod jam facimus? Sistite mecum auscultantes. Si Deus plasmando Adamum unum, plasmâsset duos, & secundus esset prudentior nostro Primo: nos oportuisset esse mortales qui sumus, & alterius Adami filii immortales; Isti homines immortales, quid debuissent agere in hoc mundo? idem quod nos agimus: Propter multiplicationem (eorundem non capace amplius paradiso) diffundere se debebant super universam terram, ex omnibus mundi plagis pretiosa quæque & à Deo creata delectabilia conquirere; civitates & palatia construere; villas, hortos, fontes, oblectamenta, convivia, comœdias, musicam, Encœnia ordinare & instituere; quicquid denique ad vitæ jucunditatem serviret procurare. Nunquid non idem facimus nos? & multò amplius? hoc enim agendum fuisset cum justitiâ, ratione, cum modestia, cum temperantia, sine luxu, sine fastu, sine superbia, sine æmulatione, sine invidia, cum concordia, charitate & humanitate: Sed qualiter quæso isti immortales nos admirati irrisissent! Quomodo nostras nugas subsannassent, cœcitatem nostram obstupuissent, videntes nos adeò occupatos, sollicitos, & pro modica & momentanea vita insomnes, tamque incurios & oblivioſos mortis, quasi ipsis essemus immortalitate æquales! Illi absque dolore & infirmitate; nos infirmi & gemebundi. Illi vivaces; nos morientes. Illi sepulturæ nomen ignorantes; nos invicem nos sepelientes. Illi orbis pace gaudentes: nos bella cientes & processus quibus minimè fruemur. Miseri homunciones (dixissent illi) stulti, insentati, non videtis vos morituros; non attenditis vos terræ mandandos, & ex omnibus acquisitis & congestis nonnisi septem pedûm terræ spatium hæreditaturos? Quæ ergò insania hæc & cœcitas vestra! nobis dissimiles, æqualitèr nobis vivere vultis? Sic est. *Morimur ut mortales: vivimus ut immortales*; morimur ut mortales, quales sumus: & tanquam essemus immortales, vivimus; hoc dicebat Seneca Gentilis, Romæ gentili. Replicabitis ad hoc: Senecam fuisse Stoicum. Ast, nonne hoc effatum magis Christianum sonat quàm Stoicum? Seneca immortalitatem animæ non intellexit: summum quod de ea naturalis luminis beneficio fuit assecutus, est, quod eandem in dubium vocarit; & hoc intellexit.

Seneca de consolat. ad Marciam Epist. 7. & 517.

§. VII.

AGedûm Auditores Christiani, cùm morituros nos & immortales esse noverimus: mortis ac immortalitatis scientia practicè utamur; De vita præsenti veluti mortales: & de futura tanquam immortales tractemus. Majorne cœcitas & insania esse potest, quàm totum me vitæ quandoque finiendæ impendere, omnemque de mansura semper sollicitudinem dimittere? anxiari, affligi, enervari, mori pro perituris: & de cœlestibus ac æternis acquirendis nihil esse sollicitum! Tot industriæ pro hac, nulla pro vita altera? tantus timor, tantus horror mortis temporalis & nullus æternæ? Mortui, mor-

mortui veritatem oſtendite vivis : Senſa, cogitationeſque veſtras quas intrando portas mortis & exeundo habuiſtis nobis revelate. Binas mors habet portas,
Pſal. 9. v. 15. *Qui exaltas me de portis mortis* : Vitrea una quâ exitur de vita, adamantina altera per quam ad æternitatem intratur. Has intrà portas, ſubitò ſe homo ipſo mortis inſtanti abſque ſpe regreſſus deprehendit, nec ſiſtere, nec fugere, nec morari permiſſus, ad incognita & æterna ingredi cogitur. O quàm auguſtus tranſitus ! ô quàm
Ariſtot. terribile momentum ! Ariſtoteles appellavit mortem, terribilium omnium terribiliſſimum. Benè quidem dixit, ſed quid diceret non intellexit. Non eſt terribilis porta quâ exitur : ſed quâ intratur. Suſpiciendo ſurſùm, ad cœlum uſque pertingentem videtis ſcalam ; reſpiciendo deorſum, deſcendens in abyſſum & illam incertam, videtis præcipitium.

Indormiens lapidi Jacob, ſcalam à terra in cœlum uſque pertingentem vidit,
Gen. 18. v. 7. & experrectus clamavit attonitus : *Terribilis eſt locus iſte !* & quare tam terribilis ? *Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli.* Ergóne cæli, æternæque beatitudinis porta eſt terribilis ? Eſt : aperiri enim poteſt & claudi. Hæc aperta fuit quinque Virginibus prudentibus : & clauſa fuit
Matth. 25. v. 10. quinque fatuis, *Et clauſa eſt janua.* Quod ſi hæc porta terribilis eſt ſuſpicienti tantummodò ſurſum ; quàm terribilis erit, etiam ſimul reſpicienti deorſum ! Si terribilis eſt ſuſpicienti tantummodò cœlum, quàm terribilis erit ſimul etiam deſpicienti infernum ! hocce myſterium ſcalæ, Jacob velut dormiens non plenè conſiderabat. Aſpiciebat quidem aſcendentes, & deſcendentes per ſcalam Angelos : plures verò ad deſcendendum quàm ad aſcendendum ſcalæ ineſſe gradus non attendebat. Ad aſcendendum pertingebat à terra uſque ad cœlum : ad deſcendendum verò à cœlo ad inferni uſque pertingebat abyſſum. Scalæ hujus aſcenſus erat pro Angelis beatis : deſcenſus verò pro damnatis. Si ſcala terribilis non aſcendenti, quia cœlo & beatificâ privatur viſione Dei : terribilior utique erit deſcendenti, qui non à cœlo ſolummodò & beatificâ excluditur viſione, ſed æternùm arſurus vadit in infernum ! hæc eſt illa terribiliſſima nobis omnibus occurſura viſio ; hic eſt locus ille terribiliſſimus omnibus neceſſariò tranſeundus, & quem latentes in ſepulchris jam tranſiêre. Jacob ibi incubabat lapidi, nunc vice verſa lapis incubat Jacobo : vel Jacob ſubtùs lapidem in ſpelunca duplici ; *Dormierunt ſomnum ſuum.* Jam iſtam viderunt viſionem, jam aſcenderunt ſeu deſcenderunt per ſcalam : utrum ad cœlum aut infernum, Deus ſcit ; totum autem in illo momento verificatum eſt. *Pſalm. 75. v. 6.*

O quale momentum ! repeto, ô quàm terribilis tranſitus ! ô quales timores ! ô quales anguſtiæ ! Ibi Auditores, non timetur mors, ſed vita. Quicquid ibi cruciat, eſt quod in præſenti vitâ nos delectabat : & quicquid cum iiſdem ſæpè pœnis & anxietatibus pro noſtris oblectamẽtis venamur. O quanta tunc rerum humanarũ apparebit differentia ! Quàm vera, quàm lucida & clara omnia, quæ nos in hoc mundo excœcant ! nullus homo in iſto momento, vel natum ſe non fuiſſe, vel ad novam revolvi nativitatem pro vitâ meliùs inſtituendâ non optabit : ſed ſerò, & fruſtrà, jam enim non eſt tempus, *Quia tempus non erit amplius.* Auditores mei Chriſtiani, ex miſericordia Dei adhuc verſamur in tempore : *Apoc. 10. v. 6.*

ad

ad istum transitum nos omnes festinamus, & nos infallibiliter oportet appropinquare, nec non in terribili illo momento nos videre, & forsan opinione citiùs. Quilibet nostrûm judicet, utrum nunc præstet pœnitere, aut pœnitentiam in tempus infructuosum differre ? Deus nobis idipsum insinuat, Deus clamat, ne quæso hanc excludamus inspirationem, quæ num ultima sit ignoramus. Quod si tunc in vanum vitam moresque nostros corrigere desiderabimus, nunc fructuosè corrigamus: *Dixi, nunc cœpi*, incipiamus nunc vivere deinceps, qualiter in agone nos vixisse optabimus ; taliter vitam institue, qualiter moriturus te optabis vixisse. O quantam hoc faciendo tunc percipiemus consolationem ! & vice versâ, quanta nos expectat anxietas & afflictio ! quàm irremediabilis desperatio ! si torrente voluptatûm abrepti nos tandem deprehendamus ibi, quò illæ deducunt. Estne possibile, quod meâ culpa propria voluntate me condemnavi, præscius istius quod nunc absque ullo remedio experior ! Estne possibile, quod pro unica cœcitate à qua nolui resipiscere ; pro momentanea delectatione ardere debeam in inferno quamdiu Deus erit Deus ! Hoc cogitemus Christiani, & seria mente revolvamus. Quid cogitamus, & non consideramus ? Homines mortales & immortales, si omni momenti morti simus obnoxii magisque appropinquamus morti & illa nobis, ne quæso cum hac die finem accipiat memoria mortis. Resolvamus, resolvamusque semel (sine resolutione enim nihil exit in opus) & ne hæc resolutio cæterarum instar evanescat, qualibet die, unam horam istius horæ meditationi consecremus. Ex viginti quatuor horis quibus dies constat, quare non unam tristi mancipabimus animæ ? hæc optima est devotio, utilissima & Deo gratissima pœnitentia, quam in hac quadragasima poteritis exercere ; unam sibi indies segregare horam, qua soli cum Deo & nobiscum de morte & vita nostra meditemur. Proinde vestra fretus pietate & judicio quod meum acceptabitis consilium, finio, quatuor vobis pro quatuor horæ istius quadrantibus, consideranda relinquens. Primò, quamdiu vixi ? Secundò, quomodo vixi ? Tertiò, quamdiu vivam ? Quartò, quomodo vitam meam instituam ? quo firmiùs inhæreat memoriæ, repeto, Quamdiu vixi ? Quomodo vixi ? Quamdiu vivam ? Quomodo vitam institutam ? *Memento homo.* Amen.

Psal. 76. v. 11.

SERMO

DE

Sanctissimo Sacramento.

Ulyssipone in Ecclesia Sanctæ Engraciæ Anno 1645.

Caro mea verè est Cibus:

Et

Sanguis meus verè est Potus. Joan. 6. cap.

§. I.

DUo verba superflua, aut unum otiosè repetitum, in desumpto & proposito ex hodierno Evangelico Themate obviè deprehendes: *Verè est cibus, verè est potus.* Omnia fidei mysteria, omnia Ecclesiæ Sacramenta, sunt vera mysteria, sunt vera Sacramenta: nihilominùs si attentè legerimus Evangelistas, si attentè singula Christi observaverimus verba, in nullo alio mysterio, in nullo alio Sacramento; nisi Eucharistiæ, Christum usurpasse reperiemus illud Verbum *Verè.* Instituit Christus Sacramentum Pœnitentiæ, dicens: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, non addidit *Verè*: Verè sunt remissa. Instituit Christus Sacramentum Baptismi, dicens: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit*: non addidit *Verè*, Verè salvus erit;

Joan. 20. v. 23.

Marc. 16. v. 15.

Si igitur aliis in mysteriis: & rursum, si aliis in Sacramentis Christus Dominus non expressit, nec effectuum suorum veritatem confirmavit: Quare in Sanctissimo Corporis & Sanguinis sui Sacramento, illam tam clarè & expresse non semel, sed repetitis vicibus astruit & confirmat, *Verè est cibus, verè est potus?*

Quò quis altiùs cacumen ascendit, eò præcipitio fit vicinior. Et sicut mysterium Eucharistiæ, mysteriorum omnium est altissimum: Christus Dominus facilè advertit, quod fragilitas in illo repertura & malitia majores dubitandi detectura esset occasiones. Habebant, de quo humano captu dubitarent sensus: habebant de quo fluctuarent Potentiæ: dubitare poterat scientia: habebat de quo angeretur scrupulus; habebat de quo cespitaret ignorantia; erat de quo titubaret curiositas: & ubi major dubitandi occasio, consultum omninò erat, ut veritas expressior esset & confirmatior; hinc Corporis sui veritatem sub speciebus Hostiæ, *Caro mea verè est cibus*: hinc veritatem sui Sanguinis sub speciebus Calicis, *Sanguis meus verè est potus*, asserens reddidit indubitatam.

Sup-

Suppoſita hac intelligentia, quæ Concilio Tridentino inferior non eſt: & ſuppoſita occaſione hujus ſolemnitatis, inſtitutæ ad reſarciendam ſublimiſſimo huic myſterio injuriam illatam: conſiderans me hodiè in hoc verè magno Fidei theatro, ſtatui contra omnes altiſſimi hujus myſterii inimicos, infallibilem hujus *Verè* ſuſtinere & propugnare veritatem, *Caro mea verè eſt cibus: & Sanguis meus verè eſt potus.* Binas haſce concluſiones ipſius favente gratia hodiè defendemus: & quia Fidei principia, contra illam negantes, vel non valent vel quia non volunt ut valeant, quamvis ſint infallibilia: ſeponendo ejuſdem Fidei ſcutum, & æqualibus per omnia armis in campum prodeundo, hodiè ſolummodò armis *Rationis* decertabo. Myſterium Euchariſticum per antonomaſiam vocatur myſterium Fidei! *Hic eſt Calix Sanguinis mei novi & æterni Teſtamenti, myſterium Fidei*: hodiè vero novitate nunquam audita, *myſterium Fidei*, faciemus *myſterium Rationis.*

Ad argumentandum contra hujus myſterii veritatem, non ſolùm ejus manifeſtì prodibunt inimici; ſed & omnes quotquot quacunque demum via, illud creditu difficilè reddere poſſunt, qui ad ſeptenarium numerum reducentur. Primus horum erit Judæus: ſecundus, Gentilis: tertius, Hæreticus: quartus, Philoſophus: quintus, Politicus: ſextus, Devotus: ſeptimus, diabolus; omnes iſti ſua adducent dubia, quibus omnibus unica & ſola ſatisfaciet Ratio, utque glorioſior ſit victoria, propriis omnes vincemus armis: Judæum, Sacra Scriptura; Gentilem, fabulis; Hæreticum, Evangelio; Philoſophum, natura; Politicum, conveniențiâ; Devotum, affectibus; diabolum, tentationibus. Habemus ſermonis materiam, utque ad noſtræ Fidei gloriam, ſanctiſſimique Sacramenti cedat honorem, ab illa Domina, quæ Deo dedit Carnem & Sanguinem unde hoc Sacramentum fuit inſtitutum, & ad quam hæc de inimicis ſuis victoria non minùs pertinet, petamus, quatenus nobis lucem, vires, & gratiam impetret, quibus omnibus pro tam nova & inſolita pugna indigemus. *Ave Maria.*

§. II.

Caro mea verè eſt Cibus.

ET

Sanguis meus verè eſt potus.

Joann. cap. 6.

PRimus contra Sacroſancti iſtius Myſterii veritatem prodiens Chriſti inimicus, eſt Judæus: Judaica etiam perfidia creditur fuiſſe cauſa luctus, & hodiernæ glorioſæ feſtivitatis occaſio; Sed ad Judæum convincendum fideique myſterii Euchariſtiæ ſubjiciendum, ſcripturis noſtris non indiget Ratio: ſufficiunt illi Judæorum propriæ. Primum & potiſſimum Judæorum dubium contra veritatem hujus Sacramenti, fuit ejus impoſſibilitas, dicentium, *Quomodo poteſt nobis hic dare carnem ſuam ad manducandum?* quaſi dicerent, iſtud eſt impoſſibile. Et quid Chriſtus illis reſpondit? Reſponſum notatu dignum dedit. *Niſi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis.* Domine Jeſu Chriſte, pace tua divinæque tuæ Sapientiæ dixero: Quæſtio Judæorum, erat dubitatio de hujus myſterii poſſibilitate: Dubia vero præſente magiſtro propoſita, *Joan. 6. v. 52.*

non minis & pœnâ, ſed explicatione ſolent diſſolvi. Si homines iſti de hujus myſterii poſſibilitate dubitant, ediſſere illis quomodo poſſibile ſit, modumque poſſibilitatis declara : & erit utique illis ſatisfactum. Quare itaque Chriſtus, in hoc caſu, adeò contrariam ſecutus viam, explicationis loco gravem illis interminatur pœnam? cauſa fuit, quia hoc paſſu dubitantes, erant Judæi, *Litigabant ergò Judæi :* & ad cognoſcendam hujus myſterii poſſibilitatem Judæis haud opus eſt doctrinâ Chriſti : ſufficit illis ſcriptura eorum & ratio. Iſtud probo ex eodem Textu, *Litigabant ergò Judæi*, ſi litigabant : ergo quidam eorum dicebant quod ſic, & alii quod non. Dicentes quod ſic, dabant rationes quomodo eſſet poſſibile : dicentes quod non, dabant ſimiliter rationes quomodo eſſe non poſſet : & rationes dicentium quod ſic, erant tam efficaces, ut Chriſtus dare ſuas neceſſe non habuerit. Hinc dubio non occurrit explicatione, ſed pertinaciæ minis & pœnâ. In hoc caſu concurrebant tria : Dubium de myſterio, pertinacia negantium ; & defendentium ratio ; & quando videbatur Chriſtus occurrere debere dubio, explicando : occurrit malitiæ pœnam interminando : argumenta etenim negantium, jam convicta erant rationibus defendentium. Ità ut confutando Judaiſmo in poſſibilitate Sacramenti Euchariſtiæ, nec fides, nec Chriſti neceſſaria fuerit doctrina, ſuffecerit fides & ratio ipſorum Judæorum. Deſcendamus in particulari ad impoſſibilia, quæ Judæus in hoc myſterio ſibi imaginatur aut perſuadet. *Quomodo poteſt?* Judæus aſſerit myſterium Euchariſtiæ, in forma, quâ nos Chriſtiani hoc credimus, impoſſibile eſſe quoad ſubſtantiam, & quoad modum. Non eſt poſſibile quoad ſubſtantiam : Deus enim (ſicut dicit Moyſes in Exodo, & Salomon in libro Regum tertio :) immenſus eſt & inviſibilis : immenſumque tam exiguâ non poteſt ſphærâ circumſcribi, nec inviſibile reduci. Non eſt poſſibile quoad modum (ſicut enim David inquit) Mirabilium operator eſt Deus, miraculorumque ſubjecta ſunt creaturæ : Ergo cùm Sacerdos ſit creatura, quomodo poteſt miraculum operari in Deo, & in Corpus Dei convertere ſubſtantiam Panis? *Quomodo poteſt?* ut binorum horum impoſſibilium apparentiis ſatisfaciat Ratio, ab aliis intellectibus neceſſe non habet rationes quærere ; cùm in ipſorummet Judæorum intellectu utraque impoſſibilia conceſſa habeat & convicta.

Joan. 6. v. 52.

Exod. 33. v. 20. *3. Reg. 8. v. 27.* *Pſalm. 17. v. 18.* *Pſal. 135. v. 4.*

Moyſe moram faciente in monte ut Legem acciperet, tædio victi moræque impatientes Judæi (qui modò tædium non patiuntur exſpectando) dixerunt ad Aaron, *Fac nobis Eloim, qui nos præcedat :* id eſt, Aaron fac nobis Deum, quem videre poſſimus & ſequi, quique nos hoc in itinere præcedat. Notate benè iſtud verbum *Eloim*, quod non ſolùm ſignificat Deum ; ſed Deum verum qui creavit Cœlum & terram. Ità hoc Moyſes in Librorum ſuorum exordio ſcripſit, *In principio creavit Eloim Cœlum & terram.* Hæc Judæorum Aaroni facta propoſitio, duo comprehendit notatu digniſſima, quorum primum eſt quod ab homine petunt ut faciat ipſis Deum : ſecundum, quod hoc non petunt ab alio quàm Aarone. Nonne ſciebant Hebræi Deum immenſum omnia implentem, quomodo ergò petebant ut Aaron faceret Deum qui locum mutare poſſet & præcedere? Nunquid noverant Deum eſſe inviſibilem, & extra ſphæ-

Exod. 32. v. 1. *Gen. 1. v. 1.*

ram

ram & objectum humanorum oculorum, quomodo ergò petebant ab Aaron fieri sibi Deum quem videre, possent & sequi? quæ omnia insinuant dicendo: *Qui nos præcedat.* Cumque hoc grande opus & miraculum peterent ab homine, nonne aderant aliæ sublimiores personæ tribuum Capita, populique Duces? Nunquid præ cæteris aderat Hur, ab ipso Moyse Aaroni associatus adjutor quoad ipsius absentia duraret: *Habetis Aaron & Hur, si quid natum fuerit quæstionis referetis ad eos?* Quare ergò non ab Hur aut aliquo aliorum, sed ab Aarone tantùm hoc petierunt operari miraculum? Hîc videbitis quàm rationabilia, & humano intellectui conformia sint Catholicæ fidei mysteria: licet enim Judæi à fide sua deficerent, nostræ nihilominus negare non poterant rationem. Judæi petierunt ab Aarone, ut ipsis Deum faceret quem videre & sequi possent: quia, quamvis Deum immensum esse intelligerent & invisibilem, tamen sine læsione & magnificentiæ suæ præjudicio aut dispendio minore sphœrâ circumscribi, & sine invisibilitatis detrimento sub figura aliqua signoque visibili tectum ostendi posse credebant; nec non pro hujus miraculi artifice elegêrunt alium quàm Aaronem Sacerdotem, nam similiter intelligebant actionem tam supernaturalem & miraculosam, qualis est, Deum ponere sub speciebus creatis, non alii posse competere quàm Sacerdoti. Ecce quod Judæi petierunt tunc, & quod nos adoramus hodie: Deum sub speciebus visibilibus, & in illis miraculosè positum ministerio Sacerdotum. Judæi adinvenerunt mysterium hoc, quo jam nos fruimur: illi adornarunt petitionem & supplicam, nos felicem referimus expeditionem: illi errârunt, nos errare non possumus. Sed in quo constitit differentia? In eo, quod illi crediderunt hoc miraculum fieri posse authoritate humanâ, *Fac nobis Eloim, qui nos præcedat*: nos credimus fieri solùm & fieri posse solâ authoritate Divinâ, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quod Judæus credit humanâ posse fieri potestate, non credat fieri posse omnipotentia Divina, *Quomodo potest?* hoc non solùm est error fidei, sed & cœcitas rationis: si minus, ratio adjuvetur experientiâ.

Exod. 24. v. 14.

Luc. 22. v. 19.

Quando isto casu Judæi adorarunt vitulum, eodem ipso die Deus illos punivit, occidendo eorum ultrà viginti millia. Estne ita? Benè itaque sequitur Deum præsentem esse in hostia consecrata. Probo consequentiam. Si Deus (ponamus istud impossibile) non est in illa hostia realiter præsens, omnes Christiani sumus Idololatræ sicuti fuere Judæi adorantes vitulum: istud certum est, nam tali casu profiteremur & veneraremur Divinitatem ubi non est; at si sumus Idololatræ, quare non punit nos Deus sicuti punivit Judæos? Insto magis & dubium urgeo. Judæi una tantùm vice vitulum adorarunt, nos Christiani à mille Sexcentis & ultrà annis adoramus consecratam hostiam: Judæi adorarunt vitulum in uno tantùm loco, nos Christiani in omnibus mundi partibus Sacramentum adoramus: Judæi vitulum adorantes unius tantùm erant nationis, Christiani adorantes Sacramentum totius sunt universi; adhuc fortius superest argumentum. Multi credentes & summum hoc Mysterium ritè adorantes, ejusdem nationis sunt Hebræi ad veram fidem conversi: author itidem & ejus institutor Re-

Exod. 32. v. 28.

demptor noster JESUS CHRISTUS Hebræus erat: Primi adorantes, credentes & communicantes qui fuerunt Apostoli Discipulique Domini, erant Hebræi: Istique Hebræi, fuerunt primi Sacerdotes qui hoc Sacramentum consecrârunt; & primi Prædicatores qui hoc Sacramentum laudârunt, nec non per universum mundum promulgantes stabiliêrunt & confirmârunt: Ergò si Deus est idem, & adoratores iidem, quare Deus non punit illos & nos, sicut quondam punivit Hebræos? Si illam hostiam adorare, est idololatria sicut adorare vitulum, quare mille sexcentis & ampliùs annis toto inspectante mundo Deus suffert, quod nec uno quidem impunè toleravit in deserto? Ratio est, quia illi erant veri idololatræ, & nos sumus veri fideles: nam illi adorando vitulum profitebantur veritatem ubi non erat, & nos consecratam adorantes hostiam ubi Deus verè est, profitemur Divinitatem. Ità ut te Judæum, propriâ tuâ pœnâ, propriis tuis scripturis, proprio denique tuo intellectu convincat Ratio; eadem veritas quam negas: & ipsa impossibilitas & difficultates quas fingis.

Sed prosequamur discurrendo per omnes hujus mysterii difficultates: & perspiciemus quomodo illas Judæi in suis scripturis crediderint. Sacramentum Eucharistiæ, per antonomasiam est mysterium novi Testamenti, *Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine*: verùm tali modo est mysterium novum, & novum Testamentum; ut omnes ipsius difficultates deductæ sint ex Testamento veteri. Magna in hoc mysterio difficultas est, quod vinum convertatur in Sanguinem, & panis in Corpus Christi: sed si Judæus in suis scripturis credit, quod uxor Loth conversa sit in statuam salis, Virga Moysis in serpentem, & Nilus similiter in sanguinem: quam quæso non credendi habet rationem, quòd panis convertatur in Corpus Christi? Grandis in hoc mysterio videtur difficultas, quòd accidentia remaneant sine subjecto, & sine substantiæ adminiculo per se subsistant: sed si Judæus credit lucem esse accidens solis, quæ creata fuit die prima, & Sol, qui lucis est substantia, creatus fuerit die quarta, quam rationem habet non credendi existere accidentia panis quæ videmus, ubi non est substantia panis quæ sustentet? Magna in hoc mysterio videtur difficultas quòd integram sumens Hostiam tantum accipiat, quantum exiguam ejus sumens partem: sed si Judæus credit, quod quando sui Patres ibant manna in campo collecturi, quòd plus minusve colligentes, æqualitèr, & in eadem mensura se collegisse deprehenderint: quodnam justum non credendi motivum habere potest, quod recipientes partem, æquè ac totam recipientes hostiam, totum accipiant Christum? Denique magna in hoc mysterio videtur difficultas, quod totum ejus mirabile quatuor conficiatur verbis, & Deus subjectus sit & obediens illis Sacerdotis verbis: sed si Judæus credit, quod Deo obediente voci Josue, steterit Sol; & Moyses, cui ad silicem in fontem convertendum sufficiebant verba, propter incredulitatem ab ingressu terræ promissionis fuerit prohibitus: quam quæso habet rationem non credendi quod verba Sacerdotis sufficiant, ut descendat Christus, & panis mutetur? Ità ut Judæo ad confitendum mysterii Eucharistiæ, in quo

1. Cor. 11. v. 25.

Gen. 19. v. 26. Exod. 4. v. 3. Exod. 7. v. 17. Gen. 1. v. 4. Ita SS. Basil. Naz. Theodoret, & alii apud Suarez de oper. 6. dier. Exod. 16. v. 18. Josue 10. v. 12. Num. 20. v. 8.

quo hallucinatur, possibilitatem, non nova aut nostra fides sit necessaria: sed lex illi vetus eademque sua, adjuta ratione sufficiat; quod enim in suis credidit scripturis, idem est quod ipsum credere jubet fides, cum isto solùm discrimine, quod hîc mandet credere miracula junctim, quæ ibi credidit divisim. Hoc Propheta David his insinuat verbis, *Memoriam fecit mirabilium suorum, escam dedit timentibus se*: quasi diceret; Deus fecit memoriam suorum mirabilium in Pane, quem dedit ad comedendum iis qui illum timent; ità ut memoria sit quidem nova; sed mirabilia antiqua. Ibi erant divisa; hîc compendio sunt combinata.

Psalm. 110. v. 4.

Ubi cumprimis circà, Ly, *Memoriam fecit*, notandum est, quod, quando Christus SS. Sacramentum instituit, & in eo se nobis reliquit, aliud non petiit nisi memoriam: *In mei memoriam facietis*; Et quare non petiit intellectum aut voluntatem? Christus in hoc mysterio prætendebat fidem simul & amorem: pro fide necessarius erat intellectus, pro amore voluntas, quare ergò totus est in commendando hoc mysterio memoriæ? Ratio est, quia locus hujus Institutionis fuit Jerusalem, & personæ coram quibus, erant Judæi: & ut Jerusalem & Judæi hoc mysterium credant & ament, non opus habent desuper intellectu discurrere, novamque applicare voluntatem, memoriâ tantùm ipsis sufficit recordari. Recordentur quod in sua lege crediderunt, nec dubitabunt adorare quod nos credimus in nostra. Nulla totius mundi Natio expeditiorem Sanctissimi Sacramenti habet fidem quàm Judæi: nam cæteris nationibus ad credendum opus est intellectu & voluntate; ast Judæo ad hoc sola sufficit memoria. Recordentur, & credent. Ità ut infidelitas in Judæis, non tam sit infidelitas quàm oblivio: non credunt, quia non recordantur; & si ad credendum sufficit memoria, quantò magis Discursus & Ratio? à Ratione igitur convicti, irrefragabilem hujus *Verè* confiteantur veritatem, *verè est cibus, verè est potus.*

§. III.

GEntili similitèr hocce mysterium videtur impossibile, & maxima difficultas in eo deprehensa, sunt ipsa verba Christi, *Caro mea verè est cibus: & sanguis meus verè est potus.* Quomodo est possibile (inquit Gentilis) esse Deum, qui mandet carnem suam manducari, & sanguinem suum bibi? Atreo carnem sui filii epularum loco Thyestæ ministrante, tantus (inquit Gentilitas) naturam invasit horror, ut sol retrogressus fuerit, ne tam abominabili lucendo mensæ, radiorum suorum puritatem contaminaret. Quomodo igitur Deus esse potest, mandans suam carnem comedi, & sanguinem suum bibi? Et quomodo dari possunt homines, qui proprii sui Dei carnem comedant, aut sanguinem bibant? Argumentum istud tam validum & efficax, actioque ista tam inhumana visa fuêre Commentanti in Aristotelem Averroi, ut, ne subesset Legi, quæ Deum suum manducare obligaret, noluerit esse Christianus, & mortuus sit Gentilis. Audiamus propria ipsius verba; *Placet mihi Lex Christianorum, sed quia Deum quem adorant, devorant; moriatur anima mea morte Philosophorum.*

Seneca in Thyest. act. 4.

Averroes.

Ad

Ad argumentum Gentilium seſe reſponſurum promiſit Ratio non aliter quàm eorum Fabulis: & ne iſte reſpondendi modus videatur minùs ſolidus, audiamus primò Tertullianum in ſuo Apologetico dicentem, quod fabulæ Gentilium faciant Chriſtianorum myſteria valdè credibilia. Iſta propoſitio videtur eſſe difficilis, ſiquidem Gentilium fabulæ, mendacia ſunt & figmenta: Chriſtianorum verò myſteria, vera ſunt & infallibilia. Quomodo ergò mendacium fidem aſtruat veritati? ipſe Tertullianus ſeſe conſueto explicavit judicio, *Fideliora ſunt noſtra, magiſque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt.* Fabulæ Gentilium, ſi benè conſiderentur, ſunt quædam adumbrationes, ſunt quædam effigies, ſimilitudines vel imagines myſteriorum Chriſtianorum: & ſi Gentiles noſtrorum myſteriorum imitationi dederunt fidem, quare eorundem Exemplari fidem negabunt? Si crediderunt & adoraverunt Effigies & Ectypa, quare vocabunt in dubium & adorationem negabunt Prototypis? *Fideliora ſunt noſtra, magiſque credenda, quorum imagines quoque fidem inveniunt.* Ratio, Gentiles ſua propria convincit Idololatria, ut fidem negare non poſſint: nihil enim tam difficile proponitur, quod non jam tum conceſſerint, & in ſuis fabulis confeſſi ſint. Hinc colligimus rationem & altiſſimam Dei providentiam, cur in mundo permiſerit Idololatriam, ſcilicet, ut eadem ipſa fidei aperiret viam, & tam ſublimium myſteriorum credulitatem humano intellectui redderet faciliorem; veluti eorum quæ Deus pro lege gratiæ reſervarat.

Tertullian. in apolog. c. 21. & 23.

Sicut Deus in hoc mundo condidit hominem, ut omnium hominum exiſteret Parens, qui fuit Adam: ità alterum condidit hominem, qui parens foret credentium, ſicut fuit Abraham, uni primatum contulit naturæ; alteri primatum fidei. Sed ipſius Abrahæ vita ritè examinata, inveniemus ipſum, antequàm, in verum Deum credidit, fuiſſe Idololatram; *Thare Pater Abrahæ, & Nachor: ſervieruntque Diis alienis.* Ergòne Idololatra erit Abraham, qui omnium credentium debebat eſſe pater? imò verò, & ob idipſum Deus permiſit ut fidei pater, eſſet filius Idololatriæ: Idololatria enim gradus eſt, & ad fidem proceſſio. Porta fidei eſt credulitas, antequam enim aliquid quid credatur, intellectus de credendo debet judicare; & hoc in mundo fecit Idololatria, præveniendo fidem. Idololatria credibilitatem ſeminavit; Fides credulitatem meſſuit. Idololatria Gentiles incepit facere credulos fabulis; Fides verò credentes eos fecit myſteriis. Idololatria dimidium; Fides credulitatis dedit complementum. Et ſicut fides eſt rerum verarum & difficilium credulitas, ſic Idololatria facilitavit difficile, & mox Fides introduxit verum. Repugnantia quam habet fides, eſt illud magnum, arduum, obſcurum & ſupernaturale myſteriorum, credere quod non video, & confiteri quod non intelligo: atque has repugnantias Idololatria jam vicerat in fabulis; quando Fides eas convicit in myſteriis.

Joſue c. 24. v. 2. Ità Maſius hîc Phil de Genebrard. & Hebræi.

Hac ſuppoſita veritate, valdè facilè erit Gentilibus quaſcunque ſibi in Sacramento altaris occurrentes difficultates credere: quicquid enim nos credimus in hoc myſterio; illi priùs in ſuis crediderunt fabulis. Si Gentiles credebant ſe in pane unum comedere Deum, & in vino bibere

bibere alterum : in pane Cererem , & in vino Bacchum, quare ipsis creditu est difficile, quod sub speciebus Panis comedamus carnem , & sub specie vini bibamus Sanguinem Dei nostri ? si comederemus carnem, & biberemus sanguinem in propria specie , natura meritò posset abhorrere : sub speciebus verò alienis, tam naturalibus sicuti panis & vini , nullum omninò potest ingerere horrorem , nec iis quidem , qui tam humanum ac reverentialem gustum aut palatum habent , sicut Averroes.

In reliquis omnibus Gentili imaginariis impossibilibus evenit idem. Videtur impossibile in hoc mysterio, quod substantia Panis fiat Corpus Christi. Videtur impossibile quod quantitas Corporis & Panis eundem in eadem Hostia occupent locum : videtur impossibile, quod idem Cibus vitam causet & mortem : videtur impossibile, quod idem Christus in Cœlo simul sit & in Terra , ut hominem sibi uniat , & in Cœlum tollat. Denique videtur impossibile, quod homo comedendo, unico bolo , ex homine in Deum transformetur.

Ovid. 1. Metamorph. *3. Metamorph.* *Sat. in Sylv.* *Ovid. 10. Metamor.* *4. Fast.* *Virgil. Æneï. 8.* *Ovid. de*

Sed si gentiles (omnia ipsorum confutemus impossibilia) si Gentiles credebant Danaen conversam fuisse in laurum: Narcissum in florem : Nióben in marmor : Hipomanen in leonem : Arethusam denique in fontem : Quænam quæso illis remanet ratio dubitandi , quod panis in corpus, & vinum in Christi sanguinem convertatur? Si Gentiles, in Geryonis corpore , tria inesse corpora crediderunt : quamnam non credendi habent rationem, quod quantitas corporis Christi & panis, cum duæ sint, in sacra Hostia unum tantùm occupent ? Si Gentiles credebant , quod gladius Achillis Telephum vulneravit inimicum , eundemque sanavit reconciliatum , quænam ipsis non credendi ratio, quod idem Christi Corpus mors est obstinatis, & vita contritis ? Si Gentiles credebant Hecaten simul esse in cœlo, & in terra, necnon in inferno : in cœlo cum nomine Lunæ , in terra sub nomine Dianæ, in inferno sub nomine Proserpinæ : qualem non credendi habent rationem quod idem Christus simul sit in cœlo & in terra , necnon in diversis simul locis ? Si Gentiles credebant quod Jupiter in aureo imbre descendit in terram , ad vincendum, sese commiscendum , & opprimendum Danaem: necnon in figura aquilæ ad tollendum in cœlum Ganymedem : quænam rogo ipsis credendi potest esse difficultas, quod aliis duobus modis Deus descendat in terram , ad uniendum sese hominibus in hac vita, eosdemque secum in cœlum rapiendos in altera ? Denique si Gentiles credunt , Glaucum aliquam masticando herbam , immutatâ naturâ conversum fuisse in Deum maris : quæ tandem justa illis remanet credendi difficultas, quòd, mediante hoc excellentissimo cibo , Christiani naturam immutent, & ex hominibus evadant Divini ? Nulla proinde Gentilibus de hoc mysterio dubitandi supereſt ratio : quicquid enim in hoc Sacramento credi præcipitur , in suis ipsi jam ante fabulis crediderunt.

Remed. l. 2. *Virgil. Æn. 4.* *Horat. lib. 3. Ode. 16.* *Virgil. Æn. 1.* *Ovid. 14. Metaph.*

Nec quisquam arbitretur , Religionis nostræ & fidei esse vituperium, quod nostra mysteria Gentilium fabulis assimilentur : cùm hoc sit potiùs maximum fidei encomium , & omnipotentiæ placitum. David mysteria legis scriptæ laudans, eadem per fabularum ejusdem gentilitatis comparationem extollit : *Narraverunt mihi* *Psalm. 118. v. 85.*

bi iniqui fabulationes : sed non ut lex tua. S. Petrus laudans mysteria legis gratiæ, eadem cum Gentilium fabulis conferendo extollit : *Non enim doctas fabulas secuti, notam facimus vobis virtutem & præsentiam* Jesu Christi. 2. Pet. 1. v. 16.

Notabilis comparatio : nec minùs notabilis illa inter duas istas præcipuas Legis novæ & veteris columnas consonantia ! Si David, & S. Petrus divina fidei mysteria volunt extollere per comparationem cum gentilitate, quare ea non comparant cum Gentilium historiis, sed cum eorum fabulis ? Historia profitetur proferre veritatem, & historiæ Gentilium facta continent heroica casusque famosissimos, prout in Græcorum & Romanorum historiis clarissimè patet ; Quare ergò David & S. Petrus mysteria sancta non comparant cum Historiis, sed fabulis ? Ratio est, quia historiæ referunt hominum facta ; fabulæ verò eorundem figmenta, Deum verò vincere homines in eo quod facere potuerunt, non est argumentum ipsius magnificentiæ : illos autem vincere, in eo quod sciverunt fingere, est laus ipsius potestati propria. Quod omnipotentiæ ipsius eò perveniant opera, quò nostræ imaginationis non pervenêre figmenta ! Quod Divina omnipotentia eò pertingat operando, quò humana imaginatio non pertigit fingendo ! Magna Potestas ! magna Sapientia ! magnus Deus ! Istud est quod in illo mysterio adoramus & confitemur. Fabulæ Gentilium, fictæ fuêre effigies Mirabilium excellentissimi hujus mysterii : & misterii hujus Mirabilia, sunt veræ istarum fabularum existentiæ. Si igitur figmenta & imaginationem crediderunt, quare realitatem negabunt ? Confiteatur itaque Gentilis manifestâ istius *Verè* ratione convictus, & dicat, *Verè est cibus : Verè est potus.*

§. IV.

HÆreticus velut inimicus domesticus, argumentatur ex Evangelio, & ex ipsis verbis Christi contra ipsum arma cudit. Hæreticus credit, & probare præsumit, quod contentum sub Sacramentalibus speciebus, sit vera substantia panis. Argumentatur in hunc modum. Christus hoc mysterium in Evangelio frequenter appellat Panem, *Hic est panis qui de cœlo descendit : qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Joan. 6. v. 59. Christus vocat illud Panem ; Ergò est panis. Probat consequentiam. Ratio, ob quam nos Catholici credimus in hostia esse substantiam Corporis Christi, est quia Christus dixit, *Hoc est Corpus meum* : ergò si in hostia est corporis Christi substantia quia Christus dixit *Hoc est Corpus meum* : in Hostia similitèr est substantia panis, *Hic est Panis*, sicut Christus dixit. Matth. 26. v. 26.

Hæretico facillimè respondet ratio. Hostiam consecratam Christus vocat panem licet non sit panis : quamvis enim non sit panis, fuit tamen panis : & licet non sit panis, videtur tamen panis : & ad sortiendum panis nomen, non est opus esse, sed sufficit fuisse, aut videri panem. Ratio hoc probat ex Evangelio ; *Panis quem ego dabo Caro mea est.* Joan. 6. v. 52. Nunc si hostia est Caro, quomodo illam vocat panem ? & si illam vocat panem, quare illam vocat Carnem ? Vocat illam Carnem, quia est : & vocat illam Panem, quia fuit : vocat illam carnem, quia est caro : & vocat illam panem ; quia videtur esse panis. Hostia consecrata non est panis, sed fuit, & esse videtur panis : & videri, aut fuisse, sufficit ut sic vocetur. Et ne hæreticus ob-

obgannire possit, hanc esse humanam & explicationem nostram : videat ipse, videantque omnes, hanc esse phrasin modumque loquendi Dei ac scripturarum ejus.

Virgâ Moysis (quæ etiam vocatur Aaronis) in serpentem conversâ, & similiter Pharaonis sapientum maleficorumque virgis in serpentes commutatis : serpens Moysi, serpentes alios est insecutus,& ait Textus, *Virga Moysis devoravit virgas Ægyptiorum.* Videtur non sic dici debere, sed, serpens Moysis comedit devoravitque serpentes Ægyptiorum ; Virga enim Moysis comedere non poterat, sed serpens. Porrò si Moysis serpens fuit,qui comedit & devoravit, quare dicitur quod comedit & devoravit virga ? Ratio est, quia serpens Moysis fuerat virga Moysis : & ut virga vocetur serpens, sufficit fuisse virgam, quamvis sit serpens. Idem accidit in hoc mysterio; Hostia consecrata, quæ modò est caro & Corpus Christi, fuerat panis : & ut hostia, quæ est caro & Corpus Christi,vocetur panis, sufficit fuisse panem, quamvis sit Christi Corpus : ità ut absque panis substantiâ vocari possit panis,non quia est ; sed quia fuit, & videtur esse panis.

Exod. 7. v. 12.

Sacer Textus planetarum astrorumrumque cœlestium referens creationem, dicit, quod Deus fecerit duo luminaria cœteris majora : *Fecit Deus duo luminaria magna,*scilicet Solem & Lunam.Si Astrologiam consuluerimus, Solem omnium cœlestium luminariûm maximum : Lunam verò omnium minimum deprehendemus.Ergò,si Luna astrorum omnium est minimum, quare vocatur magnum, *Duo luminaria magna* ? Quod Sol vocitetur luminare magnum, hoc nomen ejus majestati & magnitudini debetur : sed quod Luna dicatur luminare magnum,quænam est ratio ? Sol vocatur luminare magnum, quia reverà est : Luna verò vocatur luminare magnum; quia videtur esse magnum. Omnia astra magnitudine superant lunam : at luna omnia astra magnitudine videtur excedere, & hoc sufficit ut vocetur luminare magnum : quia ità videtur esse, cùm tamen non sit.Pari ratione Sacra Hostia non est,sed videtur esse panis,quia panis accidentia remanserunt, in quo sensus nostri hallucinantur : & sufficit panem videri,quamvis non sit, ut panis appelletur; *Hic est panis.*

Gen. 1. v. 16.

Et si fortè hæreticorum quispiam hisce exemplis non sineret se convinci,eò quod adducta sunt ex Testamento veteri (quæ eorum quidam,sicut Manichæi,negârunt) eadem dantur in Testamento novo, & quidem [si possibile est] adhuc clariora.

In nuptiis Canæ Galileæ, quando architriclinus vinum novum miraculo factum gustavit,inquit Evangelista S. Joannes, *Gustavit Architriclinus aquam vinum factum.* Resurrectionis diluculo, quando Mariæ ingressæ sunt sepulchrum, inquit Evangelista S. Marcus, *Viderunt Juvenem sedentem à dextris, coopertum stolâ candidâ.* Et iste juvenis inquit Evangelista S. Matthæus erat Angelus : *Angelus enim Domini descendit de cœlo, & revolvit lapidem & sedebat super eum.* In his ambobus casibus multum est quod considerandum. Vinum miraculosum post conversionem erat verum vinum : Angelus, quem viderunt Mariæ albis vestitum, similiter erat verus Angelus : Si igitur vinum, verè & substantialitèr erat vinum,quomodo S. Joannes Evangelista illud vocat aquam, *aquam vinum factam* ?

Joan. 2. v. 9.

Marc. 16. v. 5.

Matth. 28. v. 2.

ctam? & si Angelus, verè & in substantia erat Angelus, quomodo S. Marcus Evangelista illum vocat hominem sive juvenem; *Viderunt juvenem sedentem?* Uterque locutus est velut Evangelista: & uterque verè, propriè, & naturaliter. S. Joannes aquam vocavit vinum; licet enim jam non esset aqua sed vinum, fuerat tamen aqua: *Aquam vinum factam?* & S. Marcus, Angelum vocat hominem; licet enim non esset homo, in figura tamen & veste homo vocabatur, *Juvenem sedentem, coopertum stolâ candidâ.* Idem est in sacra Hostia, proindè de ea locutus est Christus, sicut ejus Evangelistæ locuti sunt de vino miraculoso, & Angelo vestito. Quemadmodum substantia aquæ conversa fuit in substantiam vini, & nihilominus post conversionem appellatur aqua, non quod adhuc esset, sed fuisset: ità Corpus Christi in Sacramento vocatur panis, non quod sit, sed quia panis fuit. Et sicut Angelus substantialitèr verus erat Angelus, nihilominùs appellatur homo, quia talis hominis habitu indutus apparebat: ità Corpus Christi sub speciebus sacramentalibus vocatur panis, non quod sit, sed quia videtur panis, *Hic est panis.*

Ità planè est. Sed hinc instat & instare potest & replicare Hæreticus; sicut Christus hostiam vocavit panem, absque eo quod sit panis; ità illam vocare poterat suum corpus, absque eo quod sit suum corpus. Non poterat, respondet ratio; & hoc modo probat & evincit admirabiliter. Hostia potest dici panis licet non sit panis, quia fuit & videtur esse panis: sed non potest dici Corpus nisi sit Corpus Christi, quia nec antè fuit, nec postea apparet, aut illud esse videtur. Uno è tribus modis sacra hostia dici potest Corpus Christi: vel quia est, vel quia fuit, vel quia esse videtur. Num quia esse videtur? Non: post consecrationem enim non videtur esse Corpus Christi. Num quia fuit? Non: ista enim hostia non fuit corpus Christi ante consecrationem. Ergò vocatur Corpus Christi quia verè est, aliàs enim verus non manet sensus in quo Christi verba possint verificari.

Contrà; obstinatus replicat Hæreticus; Christus in scriptura vocatur Petra, vocatur Agnus, vocatur Vitis. Dicitur Petra teste S. Paulo, *Bibebant de consequente eos Petra: Petra autem erat Christus.* 1. Cor. 10. v. 4. Dicitur Agnus teste S. Joanne Baptistâ, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Jona. 1. v. 29. Dicitur Vitis; nam Christus de seipso loquens dixit; *Ego sum Vitis vera, vos palmites.* Joan. 15. v. 5. Nihilominus nec Christus fuit, nec videtur esse, nec est petra. Similiter nec fuit neque videtur, nec est agnus. Neque videtur, nec fuit, nec est vitis: Ergò, quamvis Sacramentum dicatur panis quia fuit & videtur panis, rectè vocari potest Corpus Christi; absque eo quod sit Corpus Christi, sicuti vocatur petra, agnus, vitis, absque eo quod sit petra, agnus, vitis. Benedicta sit tua, Domine Jesu Christe, Sapientia & Providentia, quòd contra omnium fidei inimicorum pertinaciam & astutiam, tuam armatam reliquisti Ecclesiam, supremamque hujus mysterii veritatem unico tuo verbo, *Verè*, defensam. Inter sensum verum & metaphoricum hæc est differentia; quod sensus metaphoricus solummodo similitudinem: verus autem significet realitatem. Et ad tollendam omnem æquivocationem, ad quodlibet submovendum dubium, ipsemet Sacramenti Institutor Christus insinuavit & iteratò repetiit, sensum, in quo

de

de Corpore ſuo & Sanguine loquebatur, non fuiſſe metaphoricum, ſed verum. Verum ſignificando Corpus, *Caro mea verè eſt cibus*: & verum ſignificando Sanguinem, *Et Sanguis meus verè eſt potus.*

Quod ſi Luthero dixiſſem aut Calvino quod fuiſſent homines, planum eſt illos intellecturos fuiſſe me in ſenſu loqui vero: quamvis enim fuerint duo monſtra tam irrationabilia, nihilominus ex corpore & anima erant compoſiti. Si verò dixiſſem illis quod fuiſſent duo venenati ſerpentes, duo Gregis Chriſti Lupi, & duæ Mundi & Eccleſiæ Peſtes: ſimiliter me intellexiſſent locutum fuiſſe in ſenſu metaphorico.

Eadem eſt differentia inter Chriſti Textum, & illos malè interpretatos Textus, quos contra Sacramenti veritatem allégant. S. Paulus Chriſtum vocat Petram: quemadmodum enim de petra deſerti, de qua loquebatur, exiliit fons perennis, è quo Dei populus bibebat, ità ex Chriſto manant & effluxerunt Gratiarum fontes quibus populus ſuſtentatur Chriſtianus. S. Joannes Baptiſta Chriſtum compellat Agnum quemadmodum enim in lege veteri offenſo Numini placando immolabantur agni: ità Chriſtus illis figuratus, pro totius mundi peccatis ſeſe immolavit in Cruce; Denique Chriſtus dicitur Vitis: quemadmodum enim abſciſſus à Vite palmes fructum ferre nequit: ità à Chriſto ſe ſegregantes & ejus Eccleſiâ (ſicuti Hæretici) benè & meritoriè non poterunt operari. Hoc modo Chriſtus eſt Petra, Agnus, Vitis: non realiter, ſed per ſimilitudinem; non in ſenſu vero, ſed metaphorico. Proinde quando idem Dominus de ſuo Corpore & Sanguine loquitur; ſicuti Corpus & Sanguis ſuæ ſacræ Humanitatis erat Corpus verum, & Sanguis verus non metaphoricus: ità ſenſus in quo loquebatur non poteſt eſſe metaphoricus, ſed verus. Et ſi non: reſpondeant iſti duo Hæreſiarchæ & mihi dicant, utrum Corpus Chriſti in Cruce immolatum, & ejuſdem Sanguis in Calvaria effuſus, erat verum Corpus & verus Sanguis Chriſti? Uterque confitebitur quod ſic. Benè idem Corpus in cruce immolatum, eſt ipſum quod Chriſtus in Hoſtia dedit comedendum, dicens: *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur.* Idem ipſe Sanguis in Calvaria effuſus, eſt ille quem in Calice propinavit ad bibendum, dicens: *Hic eſt Calix Sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.* Obmuteſcat itaque Hæreticus, & impium blaſphemumque os ſuum obturans credat, manibuſque ligatis confiteatur hujus *Verè* veritatem: *Verè eſt cibus, Verè eſt potus.*

§. V.

PHiloſophus tam cœcus præſumptione, ſicut præfatos tres excœcatos vidimus infidelitate, validiſſimis ſeſe opinatur contra hoc myſterium inſtructum argumentis, & ex multis principiis veritatem abnegare præſumit. Primò, quia naturæ & ſubſtantiæ rerum ſunt immutabiles, ergò quod erat ſubſtantia Panis, non poteſt converti in ſubſtantiam Corporis Chriſti. Secundò, Totum majus eſt ſuâ parte, & Pars minor eſt ſuo Toto: Ergò ſi Chriſtus eſt in Hoſtiâ totâ, non poteſt eſſe in qualibet ejus parte. Tertiò, Intellectus judicare debet ſecundùm ſpecies ſenſuum, qui omnis humanæ cognitionis portæ ſunt. Senſus olfaciunt, guſtant, & palpant panem: Ergò eſt panis,

& non Christi Corpus, quod istâ Hostiâ continetur.

Philosophus argumentatur ex Natura, & ex eâdem facilè & sine labore, eum convincet Ratio: cùm etenim Fides sit supernaturalis, optima fidei magistra est natura. Prophetæ qui prædicârunt & homines docuerunt mysteria fidei, hi non fuerunt à Deo in mundum missi tempore legis naturæ, sed tempore subsecuto, scilicet, legis scriptæ. Et quare? doctè ad hoc respondet Tertullianus. *Præmisit tibi naturam magistram, submissurus & Prophetiam quò facilius crederes Prophetiæ, discipulus naturæ.* Deus dedit hominibus magistram primò Naturam, daturus illis posteà Prophetiam; quia naturæ opera, mysteriorum Gratiæ sunt rudimenta; multòque facilius addiscent homines quod docentur in schola Fidei, si priùs fuerint discipuli naturæ, *Quò facilius crederes Prophetiæ, discipulus naturæ.* Si vis esse magister Fidei, discipulum te fac naturæ: Naturæ etenim exempla, tibi solvent difficultates Fidei. Audiat igitur Philosophus discipulus naturæ, quantumcunque in ea graduatus, & videbit quomodo Ratio, principiis ejusdem suæ scholæ omnia argumenta annihilet, quæ contra mysterii hujus fidem profert.

Tertullian

Ad supradictam primam difficultatem respondet Ratio, non esse quod Philosophia miretur, dicente sibi Fide, quod substantia Panis convertatur in substantiam Corporis Christi, & substantia Vini in substantiam Sanguinis Christi: istud enim mirabile quotidie videmus sensibiliter in naturali nutritione corporis humani, in qua substantia Panis & Vini transit in substantiam Carnis & Sanguinis, si ergò natura octo horarum spatio Panem & Vinum in carnem & sanguinem potens est convertere, potens non erit Deus minore temporis spatio idipsum operari? ad hoc miraculum confitendum, necesse non est credere Deum esse potentiorem, sed tantùm concedere Deum naturâ velociorem: quod natura facit tardè, quare hoc Deus non operetur velociùs.

Duo celebriora quæ Christus in Pane & Vino operatus est miracula, fuerunt illa, scilicet in nuptiis Canæ Galileæ: & in Deserto. In nuptiis aquam convertit in vinum: in deserto quinque panibus, quinque hominum millia pavit. Est quod in his duobus casibus meritò considerem. Ad pascendos tot homines in deserto, isti quinque panes Christo nullatenus erant necessarii: & ad dandum in nuptiis vinum opus non habebat hydrias impleri aqua. Quare itaque nonnisi vinum ex aqua factum dare voluit? & quare noluit ministrare panem, nisi ex quinque panibus multiplicatum? Rationem dat Sanct. Augustinus, *Quia voluit, ut miraculorum suorum aut mirabilium fidem, faciliorem redderent exempla naturæ.*

Joan. 2. v. 1. Matt. 14. v. 19.

S. Aug. Tract. 24. in Joann.

In multiplicatione Panûm, Christus fecit hoc quod facit terra: in conversione vini fecit hoc quod faciunt vites. In multiplicatione panum fecit Christus hoc quod facit terra, nam modico pane in terram seminato colligitur multum: in conversione vini fecit Christus quod faciunt vites; Vites enim haustam è Cœlo aquam convertunt in vinum. Hoc fecit Christus in nuptiis: illud in deserto. In deserto panes multiplicavit: in nuptiis ex aqua vinum fecit. Si igitur Christus fecit hoc quod facit terra & fa-

faciunt vites, in quo itaque constitit miraculum? In hoc, quod Christus uno fecit instanti: quod terra & vitis sex mensibus. O egregiam doctrinam! Quod igitur opera Dei discernit ab operibus naturæ, est velocitas aut tarditas, quâ fiunt: mirabilia tardè facta, sunt opera naturæ: naturæ opera velociter facta sunt miracula Dei; Istud fit in nostro mysterio. Panem & Vinum convertere in Carnem & Sanguinem, sicut Christus facit in Sacramento: ità hoc in nutritione facit natura, cum eo tantùm discrimine, quod natura aliquot horis; & Christus hoc ipsum operetur in instanti; Ergo Philosophe, quod natura facit morosè, quare naturæ author & gratiæ, idem non faciet velociter?

Alterum impossibile, quod Christus sit in Hostia tota, & in qualibet ejus parte, similiter facillimè confitebitur Philosophus, & possibilitatis videbit modum: si ad naturæ scholam fuerit reversus. Philosophus accipiat in manus Speculum crystallinum, seseque in eo contemplando unam tantùm videbit figuram: isto speculo fracto, quid videbit? toties utique eandem multiplicatam videbit figuram, quod crystalli fractæ fuerint partes, nec non tam integrè & perfectè in partibus magnis & majoribus, quàm in parvis imò minimis repræsentatam. Sicut itaque una crystallus integra unum tantùm est speculum, confracta verò & divisa, sunt specula multa: ità iste albus panis orbiculus integer, una est Hostia: at divisus sunt Hostiæ multæ. Et sicut dividitur crystallus absque divisione figuræ humanæ: ita dividitur Hostia absque divisione Corporis Christi. Et quemadmodum figura est in crystallo tota, & tota in qualibet ejus parte, etiam valdè minuta: ità in Hostia totus est Christus, & totus in qualibet ejus parte, etiam quantumcunque parvâ imò minimâ. Denique sicuti figura in confracta crystallo repræsentata, in tot particulis est semper unum tantùm corpus, & solummodo ejus multiplicantur præsentiæ, dum unum tantùm existit objectum & imagines multæ: eodem modo in Sacramento & Hostiâ divisâ multæ sunt præsentiæ, objectum verò unum tantùm. Haberíne potest similitudo magis viva, aut proprietas magis propria? Mysterium speculi Deus creâsse videtur pro speculo Sacramenti: hoc ità intellexisse & insinuâsse videtur David & Ecclesia, *Mittit crystallum suam sicut buccellas.* Ista comparatio tam notabilis est, quàm peregrina: Quænam quæso est comparatio buccellæ panis ad crystallum, & crystalli ad buccellam Panis? cum buccellis quidem panis vestræ mensæ nullam prorsùs habet similitudinem: cum buccellis verò panis Sacramentalis de mensa Sacramenti, totam illam miraculosam habet similitudinem quam audistis. Quicquid enim in crystallo quasi per vitreas videtur fenestras, est idem quod inter clausas Sacramenti fit cortinas. Sicut in crystallo, manifesto naturæ miraculo, objectum cernitur totum quamvis nonnisi partem occupet: & sicut in crystallo fit diviso illæsâ integritate objecti, necnon multiplicatio sine singularitatis excessu: ità in sacra Hostia Christus occulto supernaturalique modo multiplicatus infinitè, hostiâ divisa semper manet integer, tam in ejus parte, quàm in tota.

Psalm. 147. *v.* 17. *Ecclesia in officio de Sacramento.*

Quod Philosophus, oculis præsentiam panis

panis ibidem conteſtantibus, credere non debeat: ipſa natura illud docet notabili exemplo. In iride ſive arcu cœleſti, omnium noſtrûm juratò teſtabuntur oculi, colorum varietatem à ſe videri: nihilominùs Philoſophia, non ibidem colores, ſed lucem tantùm & aquam, eſſe docet. Agedùm ſi Philoſophia docet non eſſe colorem ubi oculi colorem vident; quid mirum quod doceat fides non eſſe panem ubi oculis videtur ſe videre panem? Eapropter rem notatu dignam de ſuis oculis aſſerebat David, *Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua*: Propheta videtur debuiſſe dicere; Domine revela mihi mirabilia tua ad cognoſcendum ea; ſed nunc dicit, revela oculos meos ut mirabilia tua cognoſcam? Ità planè; oculi enim mirabilibus Dei (uti in hoc apparet myſterio) contradicunt, & ſimilibus mirabilibus penetrandis duæ revelationes ſunt neceſſariæ: una in mirabilibus ſeu miraculis ut ea intellectus cognoſcat: altera in oculis, ne illis viſus contradicat. Secundam hanc revelationem neceſſe non eſt ut Deus faciat: ſufficit quod illam faciat ratio. Viſus in operibus naturæ decipitur: quomodo in ſupernaturalibus non decipietur? & ſi oculi in uno lucido arcu, & nube ſic errant, in circulo nubis ſine luce quid illis eſt credendum? Emendet igitur Philoſophus viſum cum diſcurſu, & à natura doctus, nec non ratione convictus, indubitabilis hujus *Verè* confiteatur veritatem, *Verè eſt cibus*: *Verè eſt potus*.

Pſalm. 118. *v.* 18.

§. VI.

SEquitur in ordine Politicus; ſed maneat pro coronide, & in ejus locum ſuccedat diabolus, talis enim commutatio quandoque non eſſet incongrua: fuit tempus quo dæmones loquebantur & mundus eos audiebat, ſed poſtquam audivit Politicos mundus adhuc pejor factus eſt.

Diabolus tanquam arrogans & inflatus (hoc S. Paulus duplicatam ſuperbiam ſive inflationem vocat, *Scientia inflat*) hoc modo argumentatur. Si homines communicantes in Sacramento ſumerent Chriſtum, eſſent velut Deus: ſed homines velut Deus eſſe non poſſunt, ergò non communicant, neque ſumunt Chriſtum in Sacramento. Conſequentia, inquit diabolus, evidens eſt & clara, tanquam mea: ſuppoſitum homines negare non poſſunt, quod ipſorum eſt. Si homines communicarent & ſumerent Chriſtum, eſſent ſicut Deus: hoc dicit proprius Chriſti Textus, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo*. Et quod homines eſſe nequeant ſicut Deus, ego dico & ſentio, inquit diabolus: Si enim non attentâſſem eſſe ſicut Deus in cœlo, illud impoſſibile ego hodie non luerem in inferno. Itaque ſi mihi, ſi omnium creaturarum nobiliſſimæ, ſi Lucifero, impoſſibilis eſt ſimilitudo Altiſſimi, *Similis ero altiſſimo*: quomodo homini abjecto, de limo formato, poſſibilis erit non tantùm ſimilitudo, verùm etiam transformatio, hoc enim prædicta verba innuunt: *In me manet, & ego in illo*? Quod homines hanc ſtultitiam credant & ſibi imaginentur, inde provenit, quod non cognoſcant ſe, neque nos. Nos, licet perſecutionem paſſi, ſumus Angeli: qui nobis tollere poteſt locum, nequit nobis tollere naturam. Et ſi manna quod tantò ignobilius, vocatum eſt panis Angelorum: quomodo

Joan. 6. *v.* 58.

Iſai. 14. *v.* 14.

cor-

corpus Filii Dei infinitè excellentiùs quam manna, erit panis hominum? ad ultimam ſuperbi hujus argumenti illationem, diabolo proprio ipſius lapſu reſpondet ratio. Ex quo Deus naturam ſibi univit humanam & non Angelicam; *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*: nullatenus mirandum, homines Angelis in omnibus eſſe prælatos. In hac prima admiratione & in hoc primo ſtupore, ceſſabunt admirationes & ſtupores omnes. Quantùm ad impoſſibile, quod homines manducando poſſint eſſe ſicut Deus: in hoc argumentatur diabolus non contra nos, ſed contrà ſeipſum. Primus inventor (nemo miretur hoc quod dico) primus inventor inquam hujus myſterii Euchariſtici & typicus quaſi inſtitutor, fuit diabolus: nam tentando Evam dixit illi, *In quocunque die comederitis eritis ſicut Dii*, hoc eſt comedite de pomo prohibito, eritis ſicut Dii. Ecce hic Euchariſtiæ myſterium non ſolùm quantùm ad ſubſtantiam, ſed etiam quoad effectus adumbratum. Quantùm ad ſubſtantiam: ait enim diabolus, quod Divinitas ſit in pomo: quantùm ad effectum, inquit idem; quod comedendo homo evadet ſicut Deus. Adeſdùm nunc diabole, *ex ore tuo te judico*. Si dicis quod homo manducando evadet ſicut Deus, quodve in arboris pomo latet Divinitas, quomodo negas ſub ſpeciebus panis & vini latere Divinitatem, & hominem comedendo eſſe poſſe velut Deum? quod Chriſtus nobis conceſſit in hoc myſterio; idem nobis diabolus promiſit in Paradiſo, Diaboli mendacium Chriſtus verificavit, ut hoc modo illum vinceret: & injuriam nobis tolleret; in illo, quod contigit in paradiſo, victor evaſit diabolus; & Homo injuriâ affectus. Diabolus victor, quia decepit: Homo injuriatus, quia deceptus, perditus & ſpoliatus. Quale igitur ſupererat remedium illatam injuriam tollendi, & hominem contra diabolum vindicandi? Unicum erat remedium, ut Chriſtus ex diaboli promiſſione faceret donum; & ex ejus tentatione Sacramentum. Et ita fecit. Ex diaboli promiſſione fecit donum ſive donationem: quia, quam ille comedendo promiſerat, hanc Chriſtus nobis manducandam dedit Divinitatem, dixerat enim *Comedite, & eritis ſicut Dii*. Et ex ejus tentatione Chriſtus fecit Sacramentum, nam ſub ſpeciebus panis & vini conſecravit, quod diabolus ſub apparentiis pomi finxit: atque hoc modo diabolus fuit victus; & homo ab injuria liberatus & vindicatus. Diabolus victus: quia illius mendacium eſt factum veritas. Homo ab injuria liberatus: quia deceptio tranſiit in fidem. Quod Protoplaſti noſtri crediderunt in paradiſo: nos credimus in Sacramento. Illi errone é crediderunt diabolō; nos infallibiliter credimus Deo.

Hebr. 2. v. 16.

Gen. 3. v. 5.

Luc. 19. v. 22.

Gen. 3. v. 5.

Hinc ſequitur, quod nec diabolus in hoc myſterio poſſit eſſe tentator; nec homo tentatus. Diabolus nequit eſſe tentator; tentaturo enim me diabolo in hoc fidei Euchariſtiæ myſterio, ego reſponderem hoc modo; Heus diabole, quando tentando loquebaris ad Evam, eſne mentitus, an locutus verum? Si mentitus es, fidem non mereris: qui enim tunc mentitus eſt, etiam nunc mentiri poteſt. Et ſi dixiſti verum, ſimiliter non mereris fidem: ſi enim verum dixiſti, hoc inde eſt, quod Deus in iſta buccella poteſt ponere Divinitatem. Porrò ſi Deus poteſt ponere Divinitatem in uno bolo:

hoc ipsum quod tu concedis, istud est quod ego credo. Apage igitur in rem
Rupertus. malam. Similiter homo non potest tentari : nam si homo (juxta sententiam Ruperti) credidit Diabolo, dicenti, quod comedendo foret sicut Deus, quomodo idipsum asserenti Deo non credet? potissimùm, quia quod dicebat diabolus, non æquè, ut assertum Christi cadebat intrà sphæram Omnipotentiæ. Omnipotentia Dei, in quantùm naturæ author minore sphærâ, quàm ejusdem omnipotentia, in quantum author gratiæ circumscribitur. Omnipotentia Dei, in quantùm author naturæ solùm producere potest effectus naturales; virtute autem naturali pomo inesse nequibat Divinitas. Omnipotentia Dei, in quantùm est author gratiæ, effectus producere potest supernaturales; & virtute supernaturali uni buccellæ inesse potest Divinitas. Si igitur homines tam fuêre simplices, ut, quod impossibile, crediderint diabolo; quare erunt tam irrationales, ut quod est possibile, negent Deo? Agnoscat igitur diabolus, quod in hoc mysterio non solùm nos nequit vincere; sed nec ampliùs tentare quidem: & hac ipsâ tentatione obligatus, hujus, *Verè*, quod tanquam mendacii pater, tot tantosque negare fecit, confiteatur veritatem, *Verè est cibus; verè est potus.*

§. VII.

DEvotus non ob fidei defectum, sed amoris excessum querulus, magis de accidentibus quàm de substantia dubius, hoc modo argumentatur cum eodem Christo. Domine mea fides clausis oculis, te in hoc Sacramento esse, firmiter credit, sed amor meus oculis apertis nec intelligere nec penetrare potest, quomodo ista veritas sit possibilis. Si abiturus ex terra, in terra remanere voluisti: hoc fecisti ad satisfaciendum amori tuo, & solatium amoris nostri: pro signo tuæ gloriæ, & pro remedio salutis nostræ. Hoc ille singularis secretorum cordis tui in hoc mysterio interpres attestatur D. Thomas. *De sua contristatis absentia solatium singulare reliquit.* Si in terra pro nostra remansisti consolatione, quare te nostris oculis abscondis? Si fuit amor, velle remanere, quomodo fuit amor hoc modo? manere, & absconditum manere: potiùs est desiderii martyrium quàm solatium. Ille profectò olim non erat stylus tui amoris, neque illa patientia animæ tibi dilectæ. *En stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Erat inter Te, & animam tibi dilectam unus paries: sed quia paries erat ejus, erat in eo fenestella tua, per quam tu videbas illam, & illa videbat te. Quod tuam divinitatem videre nequeamus, noster paries est nostrum corpus; sed quod tuam non videamus humanitatem, tuus paries ista sunt accidentia. Ergò si impedimenta visus tua sunt, tuusque amor est omnipotens: quomodo voluntatis tuæ est, ut amor meus tantam amoris tui credat implicantiam, qualis est, tantum me amare, & te non sinere videri? Fides quidem istud credit, sed amor hoc fert gravitèr, nec assequitur, nec idipsum potest non pro impossibili habere.

D. Thom. opus. 57.

Cant. 2. v. 9.

Ità amantèr querula argumentatur devotio, sed obvium & integrum ad suam pietatem responsum habet. Amoroso animæ affectui, alio amorosiore affectu Christi respondet Ratio, dicens, majoris

in

in Christo amoris esse argumentum non sinere se videri : quam in pietate & devotione visionem illius desiderare. Quamvis Christus se nobis non præbeat visibilem, nihilominùs est certum ipsum manere nobiscum, sicquē manere, ut videri non possit : nam ejus amor plus fidit nostris desideriis, quàm nostris oculis, Finis quare Christus nobiscum mansit, in Sacramento, fuit, ut nostrum in sese provocaret amorem : cumque major cognitio intensioris sit causa amoris ; homines impensius amant Deum per desideria, quàm per visionem. Ni fallor, benè conceptam habeo hujus veritatis probationem ; S. Paulus cum Christo esse desiderans, ajebat : *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. q.d. quis mihi dabit, ut anima mea dissolvatur à corpore, ut sic esse possit cum Christo ! quod cùm ità sit, si interrogaverimus Theologos, utrum animæ fruentes Dei visione aliquod habeant desiderium ? omnes resolvunt & respondent quod sic ; & quod desiderent suis corporibus reuniri. Difficultatem nunc moveo, & urgeo argumentum. Si animæ, Christi fruentes visione desiderant Corporibus suis reuniri ; quare dicit anima S. Pauli, quod desideraret à suo corpore dissolvi, ut videret Christum, *Cupio dissolvi & esse cum Christo* ? Ratio est, quia Deus respectu animarum beatarum, est Deus per visionem perceptus ; & Christus respectu animæ S. Pauli, erat Deus desiderio desideratus ! amor autem Dei desiderio desiderati, affectuosior est & impatientior amore Dei per visionem percepti. Deus visione perceptus, adhuc animæ se reuniendi suo corpori desiderium relinquit : sed Deus desideriosè desideratus, proprii sui corporis eòusque tædiosam facit unionem, *Cupio dissolvi & esse cum Christo*. Et quia ad Christum rectiùs tenditur nostris desideriis quàm nostris oculis : tectus potiùs manere voluit & occultus desideratus, quàm apparente formâ visus. Cognoscit igitur devotio nostra, excellentiam esse & non Dei amoris implicantiam, quod in hoc mysterio maneat invisibilis : & nostra fides non solùm oculis clausis, sed & amor oculis apertis amabilem illius *Verè* confiteatur veritatem, *Verè est cibus* : *Verè est potus*.

ad Philipp. 1. v. 23.

§. VIII.

DEnique ex casu, qui huic solemnitati occasionem dedit, argumentatur Politicus & infert, super dignissimam Personam Christi in hoc Sacramento non præsentem esse. Principibus nulla potior est aut esse debet cura & sollicitudo quàm de sua Dignitate, proinde vitam potiùs, imò mille vitas periculo exponerent : quàm personæ suæ dignitatem in discrimen vocarent. Quod si non ità esse videbitur, primus Israëlitarum Rex ad memoriam reducatur. Perditâ pugnâ contra Philistæos in montibus Gelboë, Saul tam graviter sese sensit vulneratum, ut & salutem desperaret, nec fugere posset. Et quid in tali articulo resolvit ? Vocato suo armigero mandavit, ut evaginato gladio se interficeret, causam addens : *Ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi*, q.d. ne veniant Infideles, & interficiendo me Majestati meæ inferant contumeliam, non propter vitam, sed propter respectum suæ Majestatis occidi præoptabat, quod tamen armiger exequi trepidabat : quare Saul in proprii

1. Reg. 31. v. 4.

hoc ipsum quod tu concedis, istud est quod ego credo. Apage igitur in rem
Rupertus. malam. Similiter homo non potest tentari : nam si homo (juxta sententiam Ruperti) credidit Diabolo, dicenti, quod comedendo foret sicut Deus, quomodo idipsum asserenti Deo non credet? potissimùm, quia quod dicebat diabolus, non æquè, ut assertum Christi cadebat intrà sphæram Omnipotentiæ. Omnipotentia Dei, in quantùm naturæ author minore sphærâ, quàm ejusdem omnipotentia, in quantum author gratiæ circumscribitur. Omnipotentia Dei, in quantùm author naturæ solùm producere potest effectus naturales; virtute autem naturali pomo inesse nequibat Divinitas. Omnipotentia Dei, in quantùm est author gratiæ, effectus producere potest supernaturales; & virtute supernaturali uni buccellæ inesse potest Divinitas. Si igitur homines tam fuêre simplices, ut, quod impossibile, crediderint diabolo; quare erunt tam irrationales, ut quod est possibile, negent Deo? Agnoscat igitur diabolus, quod in hoc mysterio non solùm nos nequit vincere; sed nec ampliùs tentare quidem: & hac ipsâ tentatione obligatus, hujus, *Verè*, quod tanquam mendacii pater, tot tantosque negare fecit, confiteatur veritatem, *Verè est cibus: verè est potus.*

§. VII.

DEvotus non ob fidei defectum, sed amoris excessum querulus, magis de accidentibus quàm de substantia dubius, hoc modo argumentatur cum eodem Christo. Domine mea fides clausis oculis, te in hoc Sacramento esse, firmiter credit, sed amor meus oculis apertis nec intelligere nec penetrare potest, quomodo ista veritas sit possibilis. Si abiturus ex terra, in terra remanere voluisti: hoc fecisti ad satisfaciendum amori tuo, & solatium amoris nostri: pro signo tuæ gloriæ, & pro remedio salutis nostræ. Hoc ille singularis secretorum cordis tui in hoc mysterio interpres attestatur D. Thomas. *De sua contristatis absentia solatium singulare reliquit.* Si in terra pro nostra remansisti consolatione, quare te nostris oculis abscondis? Si fuit amor, velle remanere, quomodo fuit amor hoc modo? manere, & absconditum manere: potiùs est desiderii martyrium quàm solatium. Ille profectò olim non erat stylus tui amoris, neque illa patientia animæ tibi dilectæ. *Ecce stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Erat inter Te, & animam tibi dilectam unus paries: sed quia paries erat ejus, erat in eo fenestella tua, per quam tu videbas illam, & illa videbat te. Quod tuam divinitatem videre nequeamus, noster paries est nostrum corpus: sed quod tuam non videamus humanitatem, tuus paries ista sunt accidentia. Ergò si impedimenta visus tua sunt, tuusque amor est omnipotens: quomodo voluntatis tuæ est, ut amor meus tantam amoris tui credat implicantiam, qualis est, tantum me amare, & te non sinere videri? Fides quidem istud credit, sed amor hoc fert gravitèr, nec assequitur, nec idipsum potest non pro impossibili habere. *D. Thom. opusc. 57.* *Cant. 2. v. 9.*

Ità amantèr querula argumentatur devotio, sed obvium & integrum ad suam pietatem responsum habet. Amoroso animæ affectui, alio amoriosiore affectu Christi respondet Ratio, dicens, majoris

in

in Christo amoris esse argumentum non sinere se videri : quam in pietate & devotione visionem illius desiderare. Quamvis Christus se nobis non præbeat visibilem, nihilominùs est certum ipsum manere nobiscum, sicquē manere, ut videri non possit : nam ejus amor plus fidit nostris desideriis, quàm nostris oculis, Finis quare Christus nobiscum mansit, in Sacramento, fuit, ut nostrum in sese provocaret amorem : cumque major cognitio intensioris sit causa amoris ; homines impensiùs amant Deum per desideria, quàm per visionem. Ni fallor, benè conceptam habeo hujus veritatis probationem ; S. Paulus cum Christo esse desiderans, ajebat : *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. q.d. quis mihi dabit, ut anima mea dissolvatur à corpore, ut sic esse possit cum Christo ! quod cùm ità sit, si interrogaverimus Theologos, utrum animæ fruentes Dei visione aliquod habeant desiderium ? omnes resolvunt & respondent quod sic ; & quod desiderent suis corporibus reuniri. Difficultatem nunc moveo, & urgeo argumentum. Si animæ, Christi fruentes visione desiderant Corporibus suis reuniri ; quare dicit anima S. Pauli, quod desideraret à suo corpore dissolvi, ut videret Christum, *Cupio dissolvi & esse cum Christo* ? Ratio est, quia Deus respectu animarum beatarum, est Deus per visionem perceptus ; & Christus respectu animæ S. Pauli, erat Deus desiderio desideratus ! amor autem Dei desiderio desiderati, affectuosior est & impatientior amore Dei per visionem percepti. Deus visione perceptus, adhuc animæ se reuniendi suo corpori desiderium relinquit : sed Deus desideriosè desideratus, proprii sui corporis eòusque tædiosam facit unionem, *Cupio dissolvi & esse cum Christo*. Et quia ad Christum rectiùs tenditur nostris desideriis quàm nostris oculis : tectus potiùs manere voluit & occultus desideratus, quàm apparente formâ visus. Cognoscit igitur devotio nostra, excellentiam esse & non Dei amoris implicantiam, quod in hoc mysterio maneat invisibilis ; & nostra fides non solùm oculis clausis, sed & amor oculis apertis amabilem illius *Verè* confiteatur veritatem, *Verè est cibus* : *Verè est potus*.

ad Philipp. 1. v. 23.

§. VIII.

DEnique ex casu, qui huic solemnitati occasionem dedit, argumentatur Politicus & infert, super dignissimam Personam Christi in hoc Sacramento non præsentem esse. Principibus nulla potior est aut esse debet cura & sollicitudo quàm de sua Dignitate, proinde vitam potiùs, imò mille vitas periculo exponerent : quàm personæ suæ dignitatem in discrimen vocarent. Quod si non ità esse videbitur, primus Israëlitarum Rex ad memoriam reducatur. Perditâ pugnâ contra Philistæos in montibus Gelboë, Saul tam graviter sese sensit vulneratum, ut & salutem desperaret, nec fugere posset. Et quid in tali articulo resolvit ? Vocato suo armigero mandavit, ut evaginato gladio se interficeret, causam addens : *Ne fortè veniant incircumcisi isti, & interficiant me, illudentes mihi*, q.d. ne veniant Infideles, & interficiendo me Majestati meæ inferant contumeliam, non propter vitam, sed propter respectum suæ Majestatis occidi præoptabat, quod tamen armiger exequi trepidabat : quare Saul in proprii

1. Reg. 31. v. 4.

sui ensis aciem incumbens, cecidit mortuus, ne inimicorum suorum incideret manus. Ita æstimant, & sic æstimare debent Principes personæ suæ Majestatem plus quàm vitam. Proinde si Monarchæ supremi tanti faciunt pensique habent personarum suarum Majestatem & excellentiam: Si generosus Rex propriis sibi potiùs manibus vitam tolleret, quàm in inimicorum suorum manus deveniret: Quomodo est possibile, Principem Gloriæ, hominum Angelorumque Regem Jesum Christum, supremum totius Universi Monarcham sic suam indefensam prostituere Majestatem & excellentiam, prout necessariò aliquibus tantùm accidentibus circumvallato accidit? Quomodo possibile est & credibile, quod Christus Divinæ suæ Personæ dignitatem taliter prostituat, & in sacrilegas Infidelium hostiumque suorum manus incidendi, tali exponat periculo & discrimini, sicuti hujus diei memoria, solennitatisque hujus vindicandis illatis ipsi injuriis institutæ occasio palàm facit?

Author hîc insinuare vult historiam de Hostiis consecratis Ulyssipona à Judæis furto sublatis.

Ad alia argumenta respondi per Rationem, ad hoc verò argumentum respondeo per id quod video. Ubi acquiruntur veneraciones: non perditur Dignitas. Hæc sunt dictamina Dei, hæc semper fuit ipsius Ratio status. Hoc, quod deploramus, permisit, ad consequendum hoc, quod videmus. Quænam major Fidei exaltatio? quænam major hæresis confusio? Quænam major Christi Gloria? Tantum Deo acquirit unica ejus offensa, ubi eam sentit Christianitas, & illam vindicat ac resarcit Nobilitas! Majestates mundique Celsitudines, Dignitates, Prælati, Religiones &c. omnes humi prostrati, omnes genibus flexis infima sese ejus recognoscendo mancipia, velut Dominum omnium universalem adorant supremam hanc Majestatem semper venerabilem, ac semper venerandam, & multò ampliùs quando est offensa. Videat nunc Politicus, num Deus Majestatis suæ patiatur decrementum, an verò unam permittendo indecentiam, honoris, venerationis & gloriæ acquirat incrementum? Idem ipse Dominus (qui semper idem est & semper secum) dicebat: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* q. d. Quando exaltatus fuero à terra ad Crucem, omnia ad me traham. Ignominia Crucis, fuit ignominia maxima, quam ab infidelium manibus & à temeritate humana aut passus est, aut pati potuit Christus: sed ejusdem injuriæ & infamiæ consequentias (inquit ipse Christus) maximam sibi parituras gloriam, omnia trahendo ad seipsum. Hoc monstravit & adhuc demonstrat impletio Prophetiæ hujus per decursum temporis in Universali Fide mundi, qui jam quasi totus adductus est ad agnitionem, obedientiam, venerationem & adorationem Christi. Quod si adhuc magis urgere voluerimus significationem & energiam istius *Si*: *Si exaltatus fuero à terra*, deprehendemus, quod in obsequiis Joseph & Nicodemi, in ipsa Cruce verificatum fuit illud: *omnia traham ad meipsum.* Joseph, prout notavit S. Marcus, erat Nobilis, *Nobilis Decurio*; Nicodemus, sicut notat S. Joannes, erat Princeps, *Princeps Judæorum*: & quoniam Christus è Cruce ad se trahere habebat Nobilitatem ac Principes, hinc dicit, quod ad se traheret omnia: *Omnia traham ad meipsum*, Principes etenim & Nobilitas sunt omnia quæ sunt in Regno; Christus elegit Principes & Nobiles, qui ex infami ligno illum deponerent, & Cor-

Joan. 12. v. 32.

Marc. 15. v. 43.

Joan. 3. v. 1.

pus

pus suum sepulturæ traderent; nam honorare Christi Corpus ignominiâ affectum, est actio nobilitati propria & innexa; & quando hoc modo Christus ad se traxit Nobilitatem, dixit, quod traheret ad se omnia, & non *Omnes*: Nobiles enim non sunt omnes, sed sunt omnia. Benè impleta fuit ista promissio tunc: multò verò meliùs eam impletam videmus modò, *Omnia traham ad meipsum*. Omnia quæ sunt in Lusitania, ecce habet Christus hìc ad suos pedes prostrata.

Quid quæso diem hanc tam festivam, Ecclesiam hanc reddidit adeò famosam, nisi unica Christi injuria? Lanceâ transfodiente Christum infideli milite, omnia è vulnerato Latere exiêre Sacramenta, de quo graviter dixit Tertullianus, *Ut de injuria lateris ejus tota formaretur Ecclesia.* Quod Tertullianus dixit de Ecclesia Universali, hoc nos dicere possumus de hac Ecclesia particulari & materiali, quæ de Corporis Christi injuria à fundamentis est erecta. Sed accuratâ consideratione digni sunt termini Tertulliani, dicentis, quod de injuria Corporis Christi non sola posita sint fundamenta, sed tota Ecclesia formata, *Tota formaretur Ecclesia.* Nunc videmus novæ hujus Ecclesiæ erecta fundamenta, valdè splendida, sumptuosa, magnifica, illustriumque Fundatorum generositatem benè exprimentia: sed interruptam tot annis fabricam Christiana & comprimis Lusitanica Pietas luget. Quod si ista interruptio, vel dimidiata hujus fabricæ absolutio præsumi posset ab incuria, satis excusata esset vicissitudine temporum: quæ quantò notior est & magis publica, tanto majorem laudem promeretur novus & præsens zelus hanc fabricam promovendi, nec ante desistendi quàm fuerit absoluta & perfecta, præeunte in hoc zelo Regiâ suâ Majestate, quam Deus nobis conservet, cujus Regia Liberalitas in hoc, sicut & in omnibus operibus pietatis maximam partem meritò sibi vendicat.

Tertullian.

Tempora videntur exigere, ut potiùs ædificentur Muri & Castella, quàm Templa: sed istud privilegium nominatim habent Templa Sanctissimi Sacramenti, quæ sunt optima Regnorum Castella & Propugnacula. Divina Sapientia ædificavit Templum: *Sapientia ædificavit sibi domum*; Dedicavit istud Templum Sanctissimo Sacramento: *Miscuit vinum, & posuit mensam*; Et quid inde secutum est? *misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem & ad mœnia civitatis*; Illi Templo, sicut & huic deservientes vocabantur mancipia, & hæc mancipia mandavit Christus vocari pro muris & mœniis civitatis. Sed quomodo? Templum quod fuit ædificatum, Sanctissimo Sacramento erat dedicatum, & mandatum quo vocabatur populus ad Templum, continebat ut veniret populus pro muris & mœniis civitatis, *ad arcem, & ad mœnia civitatis*; Ita est: Templa etenim Sanctissimi Sacramenti sunt fortissima mœnia, & inexpugnabilia Civitatum & Regnorum propugnacula. Ædificetur, promoveatur ac perficiatur hæc Fabrica, erit enim fortissimum Urbis Ulyssipponensis antemurale, erit maximum & inexpugnabile munimentum Regni Lusitaniæ: & Politicus cognoscet Rationem status Dei: scilicet, quod quando se exponit periculo in inimicorum suorum manus deveniendi, istud fieri, ad nos ex inimicorum nostrorum manibus eripiendos, & ut super suas injurias fundet & ædificet structuram suarum

Prov. 9. v. 1.

rum Gloriarum, discendo & confitendo in Politica hujus altissimi consilii Christi, secretissimam & sacratissimam veritatem hujus *Verè*; *Verè est cibus, Verè est potus.*

§. IX.

DIvinissimum Sacramentum, Verum & reale Corpus Christi, Deus latens sub substantia Carnis, Homo sub accidentibus Panis: Philosophus, Devotus, Politicus tanquam Christiani & Catholici; & cum Philosopho tota nostra scientia & scientiæ omnes, cum Devoto tota nostra devotio & omnes affectus; cum Politico omnis nostra congruentia & nostrum interesse; Omnes quotquot astamus præsentes, cum omni nostrâ scientiâ, spe, & amore, Fidei obedientes & ducti Ratione, per speculum & in ænigmate, in tenebris & luce, oculis clausis sed apertis, in tremendæ divinæ & humanæ Majestatis tuæ conspectu profundè prostrati, infallibilem realis sub velamine, sine horum accidentium substantiâ, Præsentiæ tuæ veritatem credimus, confitemur, & adoramus; Et de Tua Domine Clementia confisi, qua nos tuus Amor suffert; necnon benignitate quâ obsequiorum nostrorum teporem acceptas, nos tanquam mancipia in perpetuum Sanctissimo huic Sacramento offerimus, devovemus, & obligamus. Adauge Domine misericordiæ tuæ magnitudine istam tuam familiam: & postquam Judæus obstinatus, Hæreticus obcœcatus, Gentilis ignarus, nec sciunt, nec pro se orare volunt; nos te supremum Pastorem pro illis obsecramus, ut ex omnibus facias Gregem unum; quæsumus Domine, Gentilis erudi ignorantiam, Hæretici illumina cœcitatem, Judæi emolli obstinationem; & ne malitia vel astutia tentatoris diaboli decipiantur, veniat modò justitiæ tuæ executio, & videat mundus rebellionem ejus illis catenis ligatam, & illo carcere clausum, qui à tot annis illi fuit comminatus & promissus juxta illud Apocalypsis, *Apprehendit Serpentem antiquum, qui est Diabolus & Sathanas: & misit eum in abyssum & clausit, ut non seducat amplius Gentes*; ut unitis hoc modo omnibus mundi sectis, in unius tantum Fidei concordia, ex omnibus istis sex vocibus una totalis harmonia & perpetua formetur consonantia; juxta illud Apostoli: *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum*: cantando omnes in omnibus quatuor Mundi partibus usque ad finem ejus, & alternatim confitendo multis vocibus, in unam tantum vocem coeuntibus & junctis, sacram & consecratam veritatem hujus Verè: *Verè est cibus: Verè est potus*, & sic obtineant Gratiam, Gloriámque possideant æternam, quam mihi & vobis concedat.

Apoc. 20. v. 2.

Ad Ephes. 4. v. 13.

(o)

SERMO

SERMO
DE

Nativitate Beatissimæ Virginis MARIÆ, sub invocatione lucis; Titulo, Ecclesiæ, & Collegii Societatis JESU, in Civitate S. Ludovici, Maragnonæ in America. Anno 1657.

De qua natus est JESUS. Matth. I.

§. I.



CELEBRAMUS hodie natalem; sed cujus? requisita desuper Ecclesia respondet, Mariæ: Evangelium verò, JESU. *De quâ natus est JESUS*; Hoc modo in verbis propositis non videtur concordare Textus cum mysterio, thema cum sermone, & nativitas una cum nativitate altera. Quod si gloriosa Nativitas Christi hac die celebraretur ab Ecclesia, valde accommodum præcepto ejusdem legeretur Evangelium: sed dies & nativitas quam celebramus non est Filii, sed Matris. Proinde si hodierna die nascitur Mater, quare Ecclesia simul & Evangelium, non matrem, sed filium natum indicat, *De quâ natus est JESUS*? Proposito dubio, hac duntaxat die, Beatissimæ Virgini de Luce, abundè satisfieri poterit. Sol, si benè advertistis, binas habet Nativitates, unam dum nascitur oriendo: alteram nascendo priusquam oriatur. Primum illud diluculum nocturnas fugans tenebras, cujus est lux? Solis, Ergóne jam sol est natus? Est; & non est. Non est: quia nondum natus est in seipso. Est; quia jam natus est in sua luce. Ita ut bis natum solem binis vicibus oculis intueri liceat, natum oriendo; & natum, antequam oriatur.

Evidentem hujus Philosophiæ probationem licet desumere ex historia Evangelica, & est una è majoribus controversiis in ea contentis. Mariæ tertio de manè exierunt ad sepulchrum: & S. Marcus Evangelista, adventus horam designando dixit, *Valdè manè unâ Sabbathorum veniunt ad monumentum, orto jam sole*: Verba notatu digna! Si Sol jam erat exortus, *Orto jam Sole*: quomodo erat valdè manè, *Valdè manè*? Et si erat hoc *Valdè manè*, quomodo *orto jam Sole*? Totum erat, & totum esse poterat inquit S. Augustinus: nam sol

Mar. 16. v. 2.

Aug. lib. 3.

de conſ. Evang. c. 24. *Luc. 24. v. 1.*

ſol jam prævenerat ortum. Nunc attendite. Tempus quo Mariæ venerunt ad ſepulchrum erat *Valdè manè*, inquit S. Marcus: *Valdè diluculò*, inquit S. Lucas. Ergò, ſi erat *Valdè manè*, neceſſariò erat aliqua lux (iſtud enim inſinuare vult *diluculò*) itaque ſol jam erat natus: *Orto jam Sole.* Probo conſequentiam. Sol enim, ut diximus, binas habet nativitates. Unam dum emittit primam lucem matutinam, id eſt, Auroram; alteram, dum in ſeipſo prodit. Quia verò ſol non tantum naſcitur oriendo in ſeipſo, verùm etiam in ſua naſcendo luce; hinc veraciter inquit Evangeliſta, fuiſſe *Valdè manè & orto jam Sole.* Horum verborum nullum meum eſt: ſed ex gloſſa Lyrani, & ſenſu S. Auguſtini omnia deſumpta ſunt. *Valdè manè, orto jam ſole Sol enim poteſt oriri dupliciter uno modo perfectè, quando primo egreditur, & apparet ſuper terram: alio modo, quando lux ejus incipit apparere, ſcilicet in aurora, & ſic accipitur hic ortus Solis.* In ipſa linguâ Luſitanâ clariùs loqui non potuiſſet. Ita ut illam primam noctis tenebras fugantem lucem, S. Marcus appellâsit Solis ortum. In omni etenim Evangelicæ veritatis rigore, non ſolùm naſcitur ſol oriendo in ſeipſo: verum etiam naſcendo in ſua luce. Unam nativitatem habet ſol egrediendo, & ſuper terram apparendo: alteram dum ejus lux incipit emicare. Hoc cernimus in præſenti die; hoc in hodierno Evangelio nobis prædicat Eccleſia. Hodiernus dies, natam nobis demonſtrat lucem; Evangelium, natum aſſerit ſolem, & hoc eſt clariſſima veritas. Hodiernus dies non eſt *quando ſol primò egreditur, & apparet ſuper terram*: ſed eſt dies, *quando lux ejus incipit apparere, ſcilicet in aurora.* Licet enim in ſeipſo necdum ſit natus, natus tamen jam eſt in luce, de qua naſcetur: *De quâ natus eſt JESUS.*

Lyran. hic.

Jam dicta abundè quidem ſufficiebant, ſed quia quibuſdam videbitur eſſe novitas, duas nativitates & duos Chriſti aſſerere natales: ſciant velim naſuti, hanc nativitatem non eſſe novam, ſed valdè antiquam, & unam ex figuris melius formatis: quas Conditor mundi in ejus principio nobis depinxit. Primo mundi die creavit Deus lucem; quarto ſolem. Hi duo dies; & duæ creationes magnam controverſiam excitant inter Doctores: Etenim ſi ſol eſt fons lucis: quæ ergò lux eſt iſta, ante ſolem condita? vel eſt ipſa lux ſolis; vel alia à ſole differens. Si eſt ipſa, cur non fuit eodem die creata? & ſi eſt alia ac differens, quænam eſt aut eſſe poteſt lux differens à luce ſolis? S. Thomas, & cum eo communior Theologorum conſenſus reſolvit, lucem primo die creatam, eandem fuiſſe, de quâ Deus quarto die formavit ſolem: ita ut duobus his diebus & creationibus ſol fuerit creatus. In Primo, creatus fuit ſol informis, in forma lucis; Quarto die creatus fuit formatus in forma ſolis, hiſce terminis utitur S. Thomas. Pro concluſione ſit, quod ſolus inter univerſas creaturas ſol duntaxat duas habeat nativitates, ſcilicet diem primum & quartum; Quartum in quo natus eſt in ſeipſo; & primum, in quo natus eſt in ſua luce. Quartum in quo natus eſt ſol formatus; & primum, in quo natus eſt in ſua luce, de qua formatus eſt. Quidnam quæſo magis propriè & ad rem adduci poteſt? Itaque interrogo (ſi quis fortè me minùs intellexit) quiſnam eſt hic bis natus ſol? Quæve iſta eſt lux, de qua ſol eſt formatus? Sol eſt JESUS: lux Maria, inquit Albertus Magnus: & hoc ab illo aſtrui

S. Tho. q. 67. art. 4. ad 2 & q 70. art. 2. ad 3. ſecutus Dion. Areop. c. 4. de divin. nom. Suarez de oper. 6. dier. l. 2. c. 8. & alii.

Albert. Magn.

astrui erat superfluum. Quemadmodum enim sol bis natus, duos etiam habuit natales dies : Quemadmodum sol natus est eodem die quo ortus est, & altero antequam oriretur : Quemadmodum semel natus est in seipso, & iterùm in sua luce: ità quoque, nec ultrà, nec infrà, sol divinus, Christus Jesus bis natus, duos habuit natales. Unum, quo natus est in Bethlehem alterum quo natus est in Nazareth. Unum, quo natus est nascendo vigesimo quinto Decembris, & alterum quo natus est antequam nasceretur; qui est terque quaterque felicissimus dies hodiernus. Unus, quo natus est de sua Matre; alter quo natus est cum illa. Unus, quo natus est in seipso; alter quo natus est in illa, *De quâ natus est* JESUS.

Introduximus & concordavimus Evangelium, quod non parum difficile in præsenti solemnitate. Ad satisfaciendum verò obligationi secundæ (quæ nihil distat à prima, à Domina Lucis supplices petamus, ut lucis suæ radium nobis impertiri dignetur. *Ave Maria.*

§. II.

De quâ natus est JESUS.

SUpposito quod in hoc *Natus*, Evangelii, duos natos, & in hac nativitate duas habemus nativitates : nativitatem Lucis, id est, Mariæ in seipsâ natæ; & nativitatem Solis, id est, Christi in sua Luce nati. Quæstio nunc animum pulsat, utra harum nativitatem præsentem diem reddat lætiorem, festiviusque veniat celebranda, Lucisne, an Solis ? bona ipsiusmet Solis pace dico, natalem lucis majore solemnitate dignam. Sed quare ? non propter unam aut alteram causam duntaxat, sed propter plures, quarum tantummodò quatuor brevitatis studio tangam. Prima est, Prærogativarum præcellentia : Secunda, quia est benignior : Tertia, quia universalior : & Quarta, quia ad succurrendum nobis promptior. Propter hos titulos dies hodiernus pro nativitate Lucis festivius, quàm pro nativitate Solis videtur celebrandus. Sed cùm hic Sol, & hæc Lux, inter quæ instituenda est comparatio, videantur esse extrema incomparabilia, siquidem nulla pura creatura (nec ipsa quidem ejusdem mater) Christo ex æquo comparari potest; priusquam sublime hoc assumptum ad pertractandum & absolvendum aggrediar, protestor, in omnibus, quæ dicturus sum, comparationem procedere inter Christum velut Solem justitiæ, & Dominam Lucis velut Matrem misericordiæ. Et quemadmodum effectus Lucis ad primum suum referuntur fontem, qui est Sol : ita quoque quicquid operatur Domina Lucis in bonum nostrum, ab ipso Christo originem trahit & derivatur, cujus bonitas & providentia disposuit; ut cuncta per manus suæ Matris, tanquam advocatæ & mediatricis nostræ, nec non supremæ gratiarum suarum & donorum dispensatricis, transirent nobisque communicarent. Ita hoc cum S. Bernardo magis pia supponit Theologia: *Nihil Deus nos habere voluit, quod per manus Mariæ non transisset.* Isto posito. S. Bern.

§. III.

EXordior à Titulo primo, qui est Prærogativarum præeminentia; dicoque Lucem præeminere Soli, quia Diem, qui est vita & decus mundi, non solis sed lucis nativitas facit. Notat hoc & advertit graviter S. Ambrosius, quod tanti

momenti est, ut hic S. Doctor nobis innotescere voluerit hanc Notam esse suam, inquiens, *Advertimus quod Lucis ortus, antequam Solis diem videatur aperire.* Grandis hæc machina, & varietas universi tenebris est involuta, totus mundus tenebricoso incluſus tenetur carcere, quænam verò Clavis diei reserat portam? Sol? non: sed Lux. Ad ortum namque solis jam tum mundus detectus est & patens, *Diem Sol clarificat, Lux facit.* Pro cujus confirmatione idem Sanctus inquit: *Frequenter Cœlum nubibus tegitur ut Sol tegatur, nec ullus radius ejus appareat: Lux tamen diem demonstrat.* Quasi diceret, Quoties videmus Cœlum densis obductum nubibus, ità ut non appareat Sol, nec minimus ejus radius: attamen, quamvis non videamus Solem, videmus Diem. Quare? quia Lux illum nobis monstrat. Benè itaque sequitur, quod Dies, tam necessarius & mundo utilis, Est Filius Lucis, & non Solis.

S. *Ambr. in Hexa. l. 9. c. 1.*

Hic S. Ambrosii Discursus videbitur quodammodò esse sophisticus: siquidem cùm Lux sit effectus Solis, qui efficit lucem, efficit quoque diem, hoc quidem ità videtur esse, sed non est ità. Dabo probationem validam aliquâ ratione apparenter infirmiore. Aliis occasionibus declaravimus Scripturam per Sanctum, modò declarabimus Sanctum per Scripturam. S. Ambrosius dicit, diem esse Filium Lucis & non Solis. Hoc probo & interrogo, quonam die creatus fuit Sol à Deo? Respondet sacra Scriptura Solem fuisse creatam die quarto, *Luminare majus, ut præesset diei: & factus est dies quartus.* Si Deum Solem creavit die quarto; ergò nondum existente Sole jam præcesserant dies. Si Sole nondum existente jam erant dies, ergò dies non est filius Solis. Cujus igitur est filius Lucis. Hoc testatur ipse sacer Textus dicens: *In principio creavit Deus Cœlum & terram*: id est, antequam vel dies, vel nox, vel tempus esset, creavit Deus Cœlum & terram. *Et tenebræ erant super faciem abyssi*: q. d. totus mundus tenebrarum abysso erat submersus. *Dixitque Deus fiat Lux: & facta est Lux; appellavitq; Lucem diem, & tenebras noctem: & factus est dies unus*; Et hoc modo factus est mundi dies primus. Proinde rectè dixit S. Ambrosius diem esse filium lucis & non solis, ac consequenter non nativitati solis sed lucis, mundus debet beneficium diei. Felicissimum tempus legis gratiæ in quo nunc vivimus, est dies mundi: Tempus legis naturæ & scriptæ, erat nox. Unde S. Paulus: *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* Et quæ fuit aurora, quæ tam lætum, salutiferum, & vivificum mundo produxit diem, nisi illa Lux Divina? Sol diem fecit clariorem: sed lux fugavit tenebras; Lux debellavit & spoliavit noctem; lux fecit idem: *Diem Sol clarificat: Lux facit.* Excellens prærogativa lucis præ sole; quod illa & non hic (vel ad minus priùs illa quàm hic) originem diei sibi vendicet.

Gen. 1. *v.* 16. & 19.

Gen. 1. *v.* 1.

v. 2.

v. 3.

v. 5.

ad Rom. 13. *v.* 12.

Verum enimverò, priusquam ab hoc argumento recedam, adhuc aliam insigniorem lucis prærogativam adducam. Deus triduo ante solem creavit lucem: Sol creatus statim in mundo apparuit, & non defuêre oculi qui illum viderent, & splendore ejus fruerentur, creatus quippe fuit die quarto: volucres & pisces die quinto: animalia terrestria & homines die sexto. Notat hic S. Basilius, toto triduo quo lux jam creata erat ante solem,

S. *Basil.*

lem, non fuisse adhuc oculos in mundo. Sed si oculi non fuerunt in mundo, ut quid Deus creavit lucem? Deus creando solem die quarto benè fecit; Quinto enim & sexto omnium viventium creatus fuit oculus. Sed si secundo, tertio, & quarto die non fuerunt, nec debuerunt esse oculi, quare lucem creavit primo die? quia Deus creavit solem pro oculis hominum & brutorum animalium: Lucem verò creavit pro oculis suis, *fiat lux, & facta est lux: & vidit Deus quod esset bona*, inquit Textus. Nata igitur lux, mox in se rapuit oculos Dei, *vidit Deus lucem*: Dico: rapuit; nondum enim creatâ luce, jam creatum erat cœlum, terra, elementa, Angeli, nihilque horum oculos Dei in se rapuit præterquam lux: hæc eatenùs divinos occupavit oculos, ut quamvis sint immensi, nihil in eis vacuum reliquerit quo alia reciperet objecta: proinde lux creata fuerat pro oculis Dei, sicut sol pro oculis hominum & brutorum.

Non arbitretur aliquis me injurias inferre Soli incarnato; ipse enim voluit & disposuit ut sic esset; Apparuit in mundo ipse Sol incarnatus Christus, & quorum nam oculi eum viderunt natum? Hominum & jumentorùm, Ut ipsum natum intuerentur oculi animalium, ipse ea quæsivit in præsepio: & ut natum viderent oculi hominum, per stellam Regibus, & per Angelum, ut se inquirerent, mandavit pastoribus. Homines per peccatum assimilati sunt jumentis, *Homo cum in honore esset non intellexit, comparatus est jumentis.* Hinc Sol natus manifestat se oculis hominum & jumentorum: nam nascebatur, ut de jumentis faceret homines. At lux quia nascebatur pro Matre Dei, universis creatis se abscondit oculis; & divinis duntaxat manifesta nascitur *Vidit Deus lucem.* Oculi Dei supremæ hujus lucis celebrârunt nativitatem, & eo quidem triduo quo sol & alii adhuc oculi defuerunt nam quælibet Persona sanctissimæ Trinitatis sibi ad hoc diem festivum assignavit: *Ipsa est enim Lux, quæ prima distinxit dierum nostrorum Trinitatem* dixit Dionysius Areopagita. Oculi Patris celebrârunt nativitatem lucis die primo, *Et vidit Deus lucem quot esset bona*, scilicet pro Filia: Oculi Filii celebrârunt nativitatem lucis die secunda, *Et vidit Deus lucem quod esset bona*, scilicet pro Matre: Oculi spiritus sancti celebrârunt nativitatem lucis die tertia, *Et vidit Deus lucem quod esset bona*, scilicet pro Sponsa. Sic tota sanctissima Trinitas supremæ hujus lucis nativitatem celebravit; & pari modo nos eam celebrare oportet. Convertite oculos vestros ad hanc lucem, simul rogantes, ut illa recìprocè suos convertat ad vos: & experiemini quomodo ad omnia est bona, *vidit lucem quod esset bona.* Bona pro consolatione in afflictione: bona pro remedio in necessitatibus: bona pro salute in infirmitate: bona pro victoria in tentatione: & si gratiâ excidistis divinâ, bona, & illa solùm valdè bona ad vos reconciliandum Deo, Tot & tantis à Deo ornata prærogativis hodie nascitur illa Lux, de quâ ipse nasciturus est: *De quâ natus est JESUS.*

Dionys. Areopag. de div. nom. c. 4.

Psal. 48. v. 13.

§. IV.

SEcundus Titulus quare celebriorem oporteat esse natalem lucis, est, quia lux est benignior. Lux benignior est sole, nam sol quidem illuminat, sed simul adurit: lux illuminat, sed sine læsione. Quod si videre desideratis differentiam

ferentiam lucem inter & solem, intueamini ipsum solem, & ipsam lucem de qua ille nascitur, auroram. Aurora est risus cœli, lætitia camporum, respiratio florum, harmonia avium, vita & alimentum mundi. Ortus jam sol incipit crescere : ecce amabilem mundi faciem, & ipsius naturæ compositionem totaliter immutatam. Cœlum accenditur, campi siccantur, flores flaccescunt, aves obmutescunt, bruta speluncas, & homines inquirunt umbras; & nisi Deus cursum solis interpositione noctis interrumperet, conflagraret terra, & exurerentur plantæ, fluvii siccarentur & fontes, & hoc modo verificarentur fabulosa Phaëtontis incendia. Naturalis hujus differentiæ ratio est; quia sol, ut ajunt Philosophi, vel verè ignis est, vel naturâ igni similis: Elementum terribile, ferox, indomitum, consumens, executivum & concremans omnia; è contrà lux in sua puritate, est qualitas mitis, suavis, amica, denique creata pro socia & instrumento visus sine offensa oculorum; qui in universa corporis compositione sunt pars delicatior & tenerior. Fuerunt Philosophi qui propter subtilitatem lucis eò devenerunt, ut lucem esse spiritum & non corpus arbitrarentur: sed quia Philosophia humana lucis & solis differentias nondum perfectè est assecuta, serviat nobis scientia Angelorum.

Visibilis ille Angelus, qui filios Israël ducebat per desertum, inquit Textus, quod illos præcesserit in duabus columnis prodigiosæ magnitudinis; unâ nubis per diem : & altera ignis per noctem : *Per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis* Et quare, aut ad quid secum ducebat Angelus has duas columnas nubis & ignis; Illam nubis, pro umbraculo contra solis æstum: hanc ignis, pro continuatione lucis; appropinquante nocte mox Angelus accendebat columnam ignis, ut jugiter luce fruerentur : exurgente verò aurora, statim Angelus opponebat soli columnam nubis, ut contra ejusdem radios obumbrarentur. Ità ut omnis Angeli cura, ratione commissi sibi populi, in hisce binis consisteret punctis, primò ne læderetur à sole : secundò ne fraudaretur luce. Tam benignas in luce, & tam immites in sole agnoscebat Angelus qualitates.

Exod. 13. *v.* 21.

Hæ sunt proprietates immites & benignæ solis & lucis naturalis : & easdem (re benè considerata) in sole & luce divina inveniemus. Christus est sol, sed sol Justitiæ : sic eum appellante Propheta, *Sol justitiæ*. Quid mirum, quod in sole inveniantur radii, & in Justitia rigores? omnes rigores quos operatus est in mundo sol naturalis, tot siccitates, sterilitates, sites, fames, infirmitates, pestilentiæ, & tot mortalitates, omnes & singulæ fuêre operationes & executiones solis Justitiæ, qui illas adhuc majores fecit & multiplicavit. Sol materialis nunquam civitates inflammavit : Sol verò Justitiæ uno die quinque Penthapoleos civitates integras exussit unà cum universis incolis, nec ab ædificiis plus quam cineres relinquit. Tales sunt rigores hujus divini solis. At benignitatem lucis hodie natæ, & de qua ille natus est, quomodo sufficiam explicare? multa & magna de hac suprema benignitate possem dicere, sed unum tantùm astruam quod sit instar omnium. Adeò benigna est hæc divina lux, ut quamvis tam rigidi & terribiles sint radii illius Divini solis, hæc sola sufficiat ad istos mitigandos, & benignos faciendos.

Malac. 4. *v.* 2.

Quare

Quare Virgo Maria vobis videtur nasci hodie? si dies natalis Christi fuit mysteriis plenus, & similiter dies natalis Baptistæ eò quod esset Præcursor Christi; quanto magis mysteriosus erit dies natalis Matris Christi? Quid ergo habet mysterii quod B. Virgo nascatur hodie? magnum quid supra omnem modum. Mysterium natalis Christi (prout notavit S. *S. Aug.* Augustinus) fuit, quia illo tempore sol redit ad nos, & dies incipiunt crescere. Mysterium natalis Joannis Baptistæ fuit, quia ab illo tempore sol ànobis recedit, & dies incipiunt decrescere. Mysterium natalis Beatissimæ Mariæ Virginis est, quia isto tempore sol è signo leonis transit ad signum virginis; & solis æstus incipit remittere. Cursus solis conficitur per duodecim signa cœlestia, in quibus diversos sortitur effectus secundùm cujusq; signi constellationem. Dum sol est in signo leonis, quasi ferocis & cholerici hujus animalis naturam assumeret, similes illius sunt effectus: scilicet, calores, siccitates, infirmitates graves & malignæ, phreneses & mortes. Sed Sole ex signo leonis transeunte in signum virginis, incipit leo mansuescere, incedit modestus, pacificus, & velut agnus; Idem accidit ferocitati & rigoribus Leonis nostri. Legite Testamentum vetus, & invenietis Deum igne deleviſſe exercitum, exussisse civitates, inundasse mundum, devastasse Paradisum. Hodie cum peccata sunt majore pœna digna, ob circumstantiam temporis, fidei & beneficiorum Dei, similes rigores in Deo non experimur; sed quare, eum sit idem, & eadem ejus justitia? Quia tunc ille Sol erat in signo leonis, nunc verò invenitur in signo Virginis; & Sole hoc signum ingresso, statim illa benigna lux ejus mitigavit rigores, impedivit effectus, taliterque temperavit ejus radios; ut ipsi igni consumenti, ex quo constabant & erant compositi, suam sustulerit activitatem qua exurebat; & solummodò reliquerit splendorem quo lucebat. Casus mirabilis, sed probatus:

Exod. 3. v. 3. Vidit Moyses in deserto quod Rubus ardebat & non comburebatur, ad visionem obstupescens accedit propiùs, & quò magis appropinquat & contemplatur, eò magis stupet & consternatur. Quin sit ignis quod video (ita argumentatur apud se) nullum est dubium; ingens illa Lux; istæ vitæ flammæ, isti ardentes colores ignei sunt: sed Rubus non comburitur, manet integer, & in sua viriditate illæsus perseverat. Quid hoc est miraculi? magnum videbatur prodigium illi, qui nec Rubum moverat, nec ignem: sed scienti Deum esse ignem, & Mariam Rubum, videbitur esse prodigium adhuc majus vel nullum. Ignis erat Deus, qui ad liberandum populum veniebat, ita attestatur textus; Rubus erat Maria, in qua Deus assumpsit formam visibilem, ad salvandum genus humanum adveniens, ità affirmat S. Hieronymus, S. Athanasius; *Hieron. Athanas. Basil.* S. Basilius, & ipsa Ecclesia. Sicut ignis erat in Rubo, sic Deus erat in Maria: jam ejus ignis non habebat activitatem adcomburendum, ad lucendum verò & splendendum maximè, qui sunt effectus lucis: Sed ad comburendum, concremandum, & consumendum, qui sunt effectus ignis, minimè; hos enim Maria sustulit. Jam Maria intensiores Solis radios mitigavit, hinc splendent sed non lædunt; ardent nec comburunt; lucent & non concremant. Videtur vobis mirum vel magnum

miraculum, benignam illam lucem Solis mitigâſſe rigores? videturne vobis magnum eſſe prodigium, ab hac luce Soli ablatam vim ardoris, & ipſi relictum duntaxat lumen & ſplendorem? aliquid adhuc ampliu præſtitit.

Non ſolùm mitigavit vel extinxit in Sole ſævitiam & rigores ignis; ſed ipſius etiam rigores ſplendoris. Sol non ſolùm ſævus eſt & terribilis ob qualitatem ignis quâ conſumit: ſed etiam ob ſplendorem quo illuminat. Apparentibus in Oriente primis Solis radiis veluti maximi Planetarum imperatoris lateronibus, videbitis quomodo præcedant ad præparandam viam, & qualiter unico momento ampliſſimum Cœli campum mundant & exornant, abſque omnium luminarium reſpectu. Vulgus ſtellarum in noctis confidentia errans diſpergitur, minores merguntur, majores ſe ſubducunt; univerſæ fugientes ſeſe abſcondunt: ità ut nulla cujuſcunque etiam magnitudinis in conſpectu Solis jam exorti aut ſubſiſtere, aut comparere præſumat. Cernitiſne hanc ſeveram Majeſtatem? hunc rigorem lucis Solis, quâ cuncta fugantur, & in ſuâ præſentiâ obſcurantur? veniat nunc in ſignum Virginis; & videbitis quomodo eadem lux benigna fiat & tractabilis.

Vidit S. Joannes in Apocalypſi novum cœleſte Signum; *Signum magnum apparuit in Cœlo: Mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus ejus, & in Capite ejus Corona Stellarum duodecim;* Non Solem & Lunam: ſed Solem & ſtellas conſidero Luna ſub ejus pedibus eſſe potuit & illa amicta Sole: ſiquidem in conſpectu Solis apparet & Luna. Sed amicta ſole, & coronata ſtellis? ſol & ſtellæ conjuncta? hoc eſt impoſſibile viſu. Quod ſi à Solis præſentiâ ſtellæ fugiunt & diſparent, ſol verò adeò præſens & propinquus erat, ſcilicet in mulieris ipſius veſte, quomodo apparere ſeu lucere poterant ſtellæ in Corona? Hinc videre licet quàm immutatus ſit Sol, poſtquam mulierem veſtivit, & veſtitus eſt ab ipſa: *Veſtis eum, & veſtiris ab eo.* Signum, in quo ſol apparuit Joanni, erat ſignum Virginis, *Signum magnum apparuit in Cœlo, Mulier amicta ſole.* Poſtquam autem Sol in hoc ſignum Virginis intravit, poſtquam in viſceribus Beatiſſimæ Mariæ Virginis fuit incarnatus; mox ejuſdem radii deſierunt eſſe timendi, ejus Majeſtas eſſe deſiit terribilis, mox magnificentia & excellentia ejus lucis tam benigna fuit & amabilis, ut jam non amplius fugiant aut ſe abſcondant ab ea ſtellæ: ſed eiſdem vim lucendi & ſplendendi ſuâ præſentia relinquat. Taliter lux illa divina, tam auſterum præcedentibus ſæculis mitigavit Solem: tam humanam & comem hujus lucis reddidit magnificentiam: taliter fregit radiorum ipſius ferociam; ut hinc colligere liceat, quantum in hac die gaudere, quamque feſtivè hujus lucis feſtum celebrare fas ſit univerſum humanum genus; & potiſſimùm eos, qui iſtum Solem graviſſimè offenderunt. Et quoties hic ſol Juſtitiæ univerſum hunc mundum ſublunarem juſtè concremare potuiſſet; quoties radiorum ſuorum fulgure, ingratitudinem noſtrarum rebelliones, ſcelerumque noſtrorum abominationes ferire potuiſſet, niſi lucis hujus benignitas ſeſe oppoſuiſſet? hinc hodiè nata exoritur, ut ipſum ante ortum mitiget? ut jam orto brachia manuſque liget; *De qua natus eſt Jeſus.*

Apoc. 12 v. 1.

S. Bern.

§. V.

§. V.

Titulus tertius cur dies hujus nativitatis solemniùs debeat celebrari, est quia Lux maximè universalis est. Lux est universalior Sole, quia Sol nunquam plùs quàm unum Hemisphærium, temporisque dimidium illuminat: Lux verò illuminat mundum totum, & omne tempus. Sol non illuminat nisi medium mundum & unum Hemisphærium: nobis etenim exoriens, antipodis occidit, & vice versâ. nunquam etiam Sol plùs quàm temporis dimidium illuminat, nam de viginti naturalis diei horis, duodecim tantùm in nostro; & totidem in altero assistit Hemisphærio. Non ita Lux, quæ nec temporis nec loci terminis constringitur; semper & ubique, & omnes illuminat cum Sole simul & Luna, & ubi nec Sol est nec Luna illuminat cam stellis: ità ut nullum sit mundi punctum, nec temporis momentum, sive dies sive non sit, quo non semper lux sit. Taliter in mundi principio disposuit Deus. Soli suam jurisdictionem tempore & loco circumscripsit: Luci illimitatam, nullisque aut loci aut temporis limitibus circumscriptam; sed absolutam semper & ubique contulit jurisdictionem Soli determinavit tempus; mandando ut illuminaret diem, *Luminare majus ut præesset diei*: determinavit quoque ipsi locum; voluit enim ut Tropicis cancri & capricorni non egrederetur: Luci verò nullum determinavit tempus, nam illi præcepit, ut diem mediante Sole, noctem verò mediantibus Lunâ & stellis illuminaret, *Luminare majus ut præesset diei: Luminare minus, ut præesset nocti; & stellas*; Nec determinavit illi locum; voluit namque ut non solùm intrà, sed & extrà tropicos etiam illuminaret, quod etiam lux facit, quæ intrà tropicos Sole Lunaque mediantibus illuminat, & extra tropicos mediantibus stellis: ut hoc modo die & nocte, in sereno & nubilo, præsente vel absente Sole, semper Lux esset, sicuti est!

Gen. 1. v. 16.

Ibid.

Hæc eadem differentia in vera Luce, & vero Sole, id est, Christo ejusdemque Matre invenitur. Christus est Sol mundi: ast Sol suum habens Hemisphærium, Sol suos habens antipodas: Sol qui nonnullis, & non omnibus nascitur. Prædixit hoc Deus per os Malachiæ Prophetæ: *Orietur vobis timentibus Nomen meum Sol Justitiæ.* Loquitur Propheta non de Gratia redemptionis vel sufficiente, quæ universalis est & pro omnibus: sed de sanctificante & efficaci, à qua multi culpâ suâ sunt excluſi; & hinc solem justitiæ non omnibus, sed tantùm timentibus eum orieturum asserit. Totus mundus sic consideratus in duo dividitur Hemisphæria: unum Hemisphærium est timentium; alterum non timentium Deum: In Hemisphærio timentium Deum duntaxat nascitur Sol Justitiæ, dieſque illucescit; & illi soli sunt illuminati; in Hemisphærio impiorum & non timentium Deum nunquam Sol exoritur; perpetua ibi nox est; & omnes tenebris involuti; hoc sensu Propheta solem hunc *Solem justitiæ* appellavit. Sol materialis in se consideratus, est sol sine justitia; æqualiter enim omnes tractat, & tam malis, quàm bonis oritur; *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos.* Estne possibile solem tam esse pro bonis quàm pro malis? pro Christiano, sicut pro infideli? pro veri Dei cultore, sicut pro idololatra?

Malach. 4. v. 2.

Matt. 5. v. 45.

itáne oritur industrio & laborioso, uti pigro ? itáne homini ostium sibi reseranti sicut occludenti ? ità agricolæ desideranti, veluti illum abominanti ? notabilis solis materialis injustitia : non est tali Sol justitiæ. Est sol justitiæ, quia tractat quemlibet pro suo merito : solis bonis oritur, & malis se abscondit : timentes se illuminat, impios & non timentes densis immergi tenebris permittit.

Videtur difficile intellectu: quod in eodem Hemisphærio, in eadem civitate, & in eadem quandoque domo aliqui sint illuminati, alii verò obtenebrati : sic est, quod aliquando in mundo docuit experientia. Una ex Ægypti plagis fuerunt tenebræ, quas describendo inquit Textus; *Exod. 10. v. 22. & 23.* *Factæ sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti. Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat: ubicunque autem habitabant filii Israel, luxerat.* Stupendum prodigium ! in universa terra Ægypti, quædam domus ab Ægyptiis solis & seorsim, quædam ab Hebræis seorsim itidem & solis : aliæ ab Ægyptiis simul & Hebræis conjunctim inhabitabantur. Quæ à solis inhabitabantur Ægyptiis, densissimis tenebris erant obruptæ : inhabitatæ à solis Hebræis, gaudebant luce: illæ verò quæ ab Hebræis simul & Ægyptiis conjunctim inhabitabantur, quâ parte habebant Hebræos, lucidæ, quâ verò habebant Ægyptios, erant tenebrosæ : ità ut Hebræi illuminati, & Ægyptii obtenebrati. Quod in Ægypto operata est virga Moysis : idem in universo orbe operatur virga solis Justitiæ. Multæ in hoc mundo invenientur domus à solis justis : aliæ à solis impiis, aliæ denique & quidem magis ordinariè à justis simul & peccatoribus promiscuè inhabitatæ ; & concurrente simul hac incolarum diversitate, id agit virga Justitiæ divinæ, quod virga Mosaica operata est in Ægypto. In domibus & tectis justorum tantùm, omnes sunt in lumine : in habitaculis impiorum tantum, omnes versantur in tenebris : in domo quam incolunt Justi simul cum impiis, justi sunt in luce, peccatores verò in tenebris. Ità ut sol justitiæ (hoc modo consideratus) si tam particularis, & partialis, ut non solùm in mundo habeat differentia Hemisphæria ; sed in eadem etiam domo habeat Antipodas.

Lux quæ hodie nascitur, non est talis? hæc pro hominibus universis, & pro singulis temporibus, & locis omnibus, est lux perennis. Angeli exortam hodie pulchram istam lucem contemplati, ejus pulchritudinis magnitudine attoniti exclamant : *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut Luna, electa ut Sol* ? *Cantic. 6. v. 9.* Angeli hanc Dominam Auroræ, Lunæ, & Soli comparando, his tribus comparationibus minùs dixisse videntur, quàm si illam tantummodò Soli similem pronuntiassent ; à Sole namque Luna minuitur ; de Sole aurora producitur. Quâ igitur de causâ (quod rationabili motivo carere non potest) tam illuminati & intellectuales spiritus adeò dissimiles faciunt comparationes, & hanc Dominam in nativitate, Auroræ, Lunæ, & Soli simul comparant ? hoc mysterium profundè penetravit Innocentius Papa tertius Nascentem Mariam Angeli comparant simul, Soli, Lunæ, & Auroræ ; ad demonstrandum illam Dominam esse lucem omnium temporum. Omnia tempora, vel dies sunt vel nox, vel hora istâ lucis dubia, quæ

quæ diem & noctem intermediat : diem sol, noctem luna, mediam inter diem & noctem horam illuminat aurora. Hinc Angeli hanc Dominam Auroram, Lunam & Solem appellant : ut insinuarent hanc esse lucem, quæ omnibus temporibus illuminat. Est lux quæ illuminat de die velut Sol; Lux quæ illuminat de nocte velut Luna : Lux quæ illuminat quando nec dies neque nox est, veluti Aurora. Et quidnam sunt aut significant ista tria tempora? ad hoc respondentem nunc auscultate Innocentium: *Luna lucet in nocte, aurora in diluculo, sol in die; nox autem est culpa; diluculum pœnitentia; dies gratia.* Et pro omnibus hisce temporibus, pro omnibus hisce statibus lux universalis est Maria. Lux Justis, constitutis in gratia: Lux Peccatoribus, qui sunt in culpa: Lux Pœnitentibus de culpa parentibus transitum ad gratiam. *Qui ergò jacet in nocte culpæ, respiciat lunam, deprecetur Mariam: Qui vivit in die gratiæ, respiciat solem, deprecetur Mariam; Qui surgit ad diluculum pœnitentiæ, respiciat Auroram, deprecetur Mariam.* Sic suprema illa lux universaliter omnes absque temporis vel statûs exceptione illuminat. Sol Justitiæ illuminat solos se timentes, *Timentibus nomen meum*: Sed lux misericordiæ illuminat omnes ipsum timentes quia timent: & non timentes ut ipsum timeant: consequenter omnes. Sol justitiæ solis oritur justis; sed lux misericordiæ nascitur justis, & magis peccatoribus, & proinde omnibus : atque ità lux quæ hodie nascitur est universalior ipso sole ex se nato: *De quâ natus est* JESUS.

Innocentius Papa III.

§. VI.

QUartus & ultimus titulus, cur solemniùs celebrare oporteat hodiernum diem, est; quia lux celerior est & promptior in bonum nostrum. Lucem celeriorem esse sole, est veritas oculis manifesta. Discedit sol ab oriente & venit ad occasum sive occidentem duodecim horarum spatio. Apparens ab oriente lux, mox in instanti fecit oppositum occidentem, statim se diffundit & extendit per omnes Horizontes, illuminando universum Orbem in unico momento. Sol, juxta Astrologorum opinionem, quâlibet horâ trecenta octoginta leucarum emetitur millia. Velox profectò cursus! sed tota hæc velocitas, cum luce collata, mera est tarditas. Sol suum cursum per annos, dies, horas, & sæcula perficit : lux in uno semper instanti. Sol tempore hyemali semper tardiùs, vernali verò oriri videtur velociùs: sed nunquam tam velociter oritur, quin à luce præveniatur. O Lux Divina, quàm videris similis in hac celeritate luci naturali!

Invitati sunt ad nuptias Sol & Lux: Christus & Maria; in medio convivii, defuit ille liquor, qui in altera mensa (postquam Sol accubuit, & antequam Sol occumberet) tantorum mysteriorum materiam suppeditavit. Ad succurrendum defectui piissima Mater interpellatur, quæ desuper allocuta Filium, quasi repulsam passa hoc accepit responsum, *Quid tibi & mihi est mulier? nondum venit hora mea.* Hìc considero. Nonne hora ista erat accommoda ad operandum bonum? nonne opportuna ad succurrendum necessitati nonne ad supplendum defectum sufficiens & conveniens? Quomodo igitur respondit Christus: *Nondum venit hora mea*? Si nondum venerat ejus hora, quomodo de remedio tractat Maria? Venerat hora Mariæ, & non venerat hora Christi?

Joan. 2. v. 5.

Christi ? Ità est. Maria enim est Lux & Christus Sol : & hora Solis semper sequitur horam Lucis, *Nondum venit hora mea*, id est, nondum venerat hora Solis, & jam appropinquarat hora Lucis. Christus itaque suæ Matri singulari emphasi dixit : *Quid mihi, & tibi ?* quasi dixisset, considera Mater differentiam inter me & te in materia hominibus succurrendi, uti modò à me fieri desideras ? Tu illis succurris, & ego succurro : Tu illos audis, & ego exaudio : Tu illis affers remedium, & ego affero : Sed tu primò, & ego posteà. Tu statim, ego tardius. Tu in hora tua quæ est ante meam : & ego in hora quæ est post tuam, *Nondum venit hora mea.* Hæc est illa glorioſa differentia à S. Anselmo decantata semel, & ab omnibus post eum repetita toties: scilicet, *Velocior nonnunquam salus memorato nomine Mariæ, quàm invocato nomine JESU.* Hic Sanctus dixit, nonnunquam : ego vellem quod dixisset, semper. Num hujus dicti sufficientem habeam rationem pensate, & attendite.

S. Anselmus.

Omnes viæ Christi & Mariæ ad hominum remedium tendebant ; sed ego differentes hujus Regis & Reginæ notavi rhedas, quibus ad succurrendum nostris necessitatibus vehebantur. Christus pro curru sibi elegit Solem : & Maria Lunam. Primum vidit David, *In sole posuit tabernaculum suum.* Secundum vidit S. Joannes; *Et luna sub pedibus ejus.* Hic in terrenis aulis Regem & Reginam (dum oblectatum se prodeunt) eodem vehi curru cernimus : Cur Rex & Regina Cœli non faciunt idem, Quare Regina Cœli cum suo Filio in eodem solis curru non apparent ? quare fit differentia in curru, & Regina sibi pro curru elegit Lunam ? Dicam quare. Luna multò velociùs sole mundum percurrit ; sol per signa zodiaci spatio anni mundum circuit : luna, ut multùm, spatio triginta dierum. Sol totius anni spatio semel tantùm suum peragit cursum : Luna duodecies, superfluis adhuc aliquot diebus & horis. Et quia alæ aquilinæ hunc agitantes currum lunæ velociores sunt equis igneis trahentes currum solis, propterâ Christus in curru solis, Maria verò apparet in curru lunæ. Hæc non est mea consideratio ; sed veritas Prophetica, unius alteriusve visionis confirmata testimonio & effectibus. Christus sibi elegit currum solis, & quid subsecutum ? *Exultavit ut Gigas ad currendam viam* inquit David. Maria sibi elegit currum lunæ, & quid est subsecutum ? *Datæ sunt Mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ ut volaret* inquit S. Joannes ; Ita ut Christus in curru solis currat passibus gigantis ; & Maria in curru Lunæ alis volet aquilinis. Et quanta differentia est inter gigantes & aquilas, inter pedes & alas, inter cursum & volatum : tantum celeritas velocissima qua nobis succurrit Maria, illam celeritatem (quamvis magnam) qua nobis succurrit Christus, antecedit. Nunquid in vestris litibus priùs succurrit vobis Advocatus, quàm Judex : Christus est Judex, Maria Advocata.

Psal. 18. v. 6.

Apoc. 12. v. 14.

Verum enim verò, non sine consideratione transeamus illam Evangelistæ notam, *aquilæ magnæ* : videlicet quod istæ alæ, quibus mulierem vidit instructam, non tolùm fuerint aquilæ ; sed *aquilæ magnæ.* Ita ut Christus ad occurrendum in nostrum remedium passibus plùs quàm hominis, pedes sibi assumpserit gigantis ; *Exultavit ut Gigas* : & Maria ad succurrendum nostris necessitatibus plùs quàm pas-

sibus

sibus gigantis, alas sibi sumpserit aquilæ, *Data sunt mulieri duæ alæ aquilæ*: illæ verò alæ non fuerunt cujuscunque aquilæ, sed *aquilæ magnæ*; ut competentia seu præeminentia esset de gigante ad gigantem. Quid est aquila magna, nisi avium gigas? Christus currit velut gigas, sed velut gigas hominum: Maria currit velut gigas, sed velut gigas avium. Christus velut gigas, pedibus: Maria velut gigas, alis; Christus velut gigas currens: Maria velut gigas volans; Christus velut gigas terrestris: Maria velut gigas aëreus; sed ità esse oportebat, ut Maria in nostrum auxilium exaggerationes faceret esse veritates. Maxima in succurrendo celeritatis exaggeratio, est succurrere per aërem; idem facit Beatissima Virgo. Christus passibus gigantis hominibus succurrit celerrimè: sed Maria succurrit per aërem alis aquilinis; hæc lux ex aëre nos contemplatur

Ut uno intuitu hanc cernamus differentiam, quâ illa suprema Lux divino præeminet Soli in alacritate nostris necessitatibus opitulandi, consideremus conjunctos, & comparemus divisos, & quid reperiemus? Rem admirabilem. Deprehendemus accelerationem nostri remedii provenire ex diligentia lucis: ejus verò dilationem, ex tarditate Solis. Verbum Divinum carne vestitur in visceribus Virginis Mariæ; & Evangelista inquit, statim cum festinatione Mariam cum Filio suo profectam, ut parvulus Baptista mundaretur à labe originali: *Exurgens Maria abiit in montana cum festinatione.* Tandem Christus nascitur, vivit, adolescit, moritur, resurgit, & ab ipso Incarnationis die, post triginta tres ætatis annos instituit Baptismi Sacramentum, *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs sancti.* Baptismus, uti nôstis, est remedium contra peccatum originale, ad quod tollendum Christus in mundum venit tanquam ruinarum Adæ restaurator. Si igitur Christus principaliter venit in mundum ad peccatum originale abolendum, & veniens in mundum illud quamprimùm aboleri voluit in Joanne Baptistâ, quare tot annis ejusdem remedium distulit? tunc ipso properat instanti, postmodum differtur tanto tempore? Sic est. Tunc enim Christus in Matris suæ latebat utero; *Exurgens Maria*: nunc extra eam, & seorsim agit, & pro curandis malis humani generis, valdè differenter festinat in seipso, & in sua Matre. Christus in sua Matre operatur per illam: & hæc adinstar lucis operatur in instanti. Christus extra suam Matrem operatur per se ipsum; & velut ipse Sol operatur in tempore & morosè. Videte num dictis meis atteſtatur experientia, quod nimirum remedii nostri acceleratio ex diligentia hujus divinæ Lucis proficiscatur; & similiter ejusdem dilatio aut perpitio (quamvis nostrâ culpâ) ex Solis tarditate proveniat. *Matt. 28. v. 19.*

Ex decem virginibus Evangelicis infelicitate non imaginabili perierunt quinque: & posito, causam perditionis earundem fuisse imprudentiam, & hujus causæ occasionem fuisse desponsatorum tarditatem, nisi enim ad mediam usque noctem tardâssent, earum lampades deficiente oleo non fuissent extinctæ; quibus non extinctis nec virgines fuissent exclusæ. Interrogo nunc, uter horum desponsatorum tardavit? Sponsus in hac parobola est Christus, Sponsa Maria: Uter igitur illorum tardavit, nisi forsan uter-

que? an Sponſus vel Sponſa? Chriſtus an ejus Mater? ſuperfluum eſt reſponſum quærere in commentatoribus, quod ipſemet declarat textus; *Moram faciente Sponſo dormitaverunt omnes, & dormierunt*: pro inde tardans fuit Sponſus. Extra dubium eſt deſponſatos fuiſſe ſimul; tardans verò vel cauſa moræ non fuit Sonſa, ſed Sponſus: *Moram autem faciente Sponſo.* Nunc combinemus hanc infelicitatem virginum & felicitatem Joannis Baptiſtæ. In Joanne ſecutum eſt remedium ex velocitate: ſed cujus? Chriſtus & Maria erant ſimul: ſen velocitas fuit Mariæ, *Exurgens Maria abiit in montana cum feſtinatione.* In virginibus periit (uti ſemper perit) remedium per tardationem, ſed cujus? Sponſus & Sponſa erant ſimul, ſed tarditas fuit Sponſi: *moram autem faciente Sponſo.* Divinum animarum noſtrarum Sponſum nunquam deeſſe vel tardare certum eſt, ſed nos eſſe refractarios & tardos. Ejuſdem & Matris ipſius celeritates ex eodem ſcaturiunt fonte, qui eſt exceſſivum remedii noſtri deſiderium. Maria verò (ad deſerviendum magis ſeque conformandum ipſius deſiderio Chriſti) tam ſollicita eſt & alacris in occ- & ſuccurrendo hominibus, ut quandoque (ſicut in præſenti caſu accidit) filii ipſius feſtinationes, cum ipſius celeritate comparatæ, videantur eſſe tarditates: cujus ſola cauſa eſt, quod ille ſit Sol, & hæc Lux. Sol nunquam tardat, etiam tardiùs oriendo: ſuo enim tempore veniens, non tardat. Idipſum Propheta Habacuc ad literam non de alio, quàm Chriſto loquens aſtruit; *Si moram fecerit exſpecta illum, quia veniens veniet, & non tardabit.* Quomodo non tardabit, ſi jam tardavit & actu adhuc tardat, *Si moram fecerit, non tardabit*? ſunt tarditates ſoli familiares, qui etiam tardare viſus non tardat, nam venit quando veniendum eſt; ſed idem ipſe ſol, qui regulariter procedens non tardat, collatus cum celeritate lucis, nunquam deſinit tardare. Lux ſemper præcedit; lux ſemper priùs exoritur, ſemperque prævenit ſolem. O divina lux Maria, felix ille qui tui favoris meretur lumina! felix qui è tuorum dilectorum & illuminatorum eſt numero! Ex una parte apprehendens te, & ex altera tuum tenens Filium, magnus ille utriuſque ſervus & amator S. Auguſtinus dicebat: *Poſitus in medio, quò me vertam neſcio.* In utriuſque medio poſitus S. Auguſtinus, quò ſe vertere debeat neſcit? Cùm S. Auguſtinus ſe neſcire fateatur, omni homini hæc ignorantia venit ignoſcenda: *Ut minùs ſapiens dico*, velut ignorans dico, Virgo ſanctiſſima (tuus Filius mihi ignoſcat ſive non) ego potius ad Te me vertere eligo. Ille quandoque reliquit ſuum Patrem propter ſuam Matrem: non igitur mirabitur ſi fecero idem. Quiſquis volet, habeat prærogativam Eſau; ego potiùs eligo felicitatem Jacob. Eſau magis amabatur à patre; Jacob verò magis amabatur à ſua matre, & præripuit benedictionem. Quam ob cauſam? ob præfatam; induſtriæ quippe matris, velociores erant quàm patris. *Quomodo tam citò invenire potuiſti Fili mi?* dixit Iſaac ad dandam primogenito benedictionem: Et quid reſpondit Jacob? cùm non eſſent aliud quàm induſtriæ & præventiones matris, reſpondit Jacob: *Voluntas Dei fuit*; & ſic eſt. Mater Jacob hoc paſſu repræſentabat Matrem ſanctiſſimam & qui pro ſua parte habet hujus matris diligentias, ſemper etiam pro ſe habet voluntatem Dei, Eſau pro ſe habuit ſollicitudinem patris, ſed veniens venit tardè;

Matt. 25. v. 5.

S. Aug.

Gen. 27. v. 20.

Ibid.

Habacuc. 2. v. 3.

quia

quia quantæcunque sint festinationes solis; lucis velocitate præveniuntur. *Quomodo tam citò?* Diligentia matris jam aderat; & patris adhuc ventura erat. Simile quid est in hac die: Lux jam est nata; & sol nasciturus; *De qua natus est* JEsus.

§. VII.

AGedum Christiani: Supposito Lucem hanc sublimem, in auxilium nostrum tam celerem esse & alacrem: supposito tam universalem esse pro omnibus & per omnia; supposito tam piam esse & benignam ad nobis benefaciendum; supposito tot præeminentiis & prærogativis ornatam gaudere ex gratia hujus Solis: sistamus nos hodie sub hujus supremæ Protectricis alis, ut nos obumbret & illuminet: obumbret, id est, nos defendat à radiis Solis justitiæ, quos nostris sceleribus adeò irritavimus; & illuminet, id est, lumen præbeat ad evadendum peccatorum tenebras, siquidem est Domina lucis. Prodigiosam illam Apocalypticam Mulierem alis instructam, fuisse Beatissimam Virginem Mariam tota agnoscit Ecclesia: & nobis licet addere, sub titulo & invocatione Lucis; quod ipsa circumdans eam Lux, & à pedibus ad Coronam usque Lucis corruscationes demonstrabant: scabellum Luna, amictus Sol, Corona stellæ, tota luminibus plena, & illa tota Lux. Et quia Domina lucis stat alis expansis, ad illas confugiamus, & intimè intrà eas, ut filii lucis evadamus: *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis*, inquit Christus, Nôstis Christiani, quare non simus filii lucis? quia non credimus in lucem. Credamus in lucem, nihilque luci præferendum credamus in mundo, nec nostra credulitas & fides ab ipsis nostris sensibus roboretur.

Joan. 12. v. 36.

Quare aurum & argentum cæteris metallis pluris æstimantur? quia aliquid habent lucis. Quare adamantes aliique pretiosiores lapides, reliquis præferuntur? quia aliqualiter lucent; à luce omnium rerum pendet æstimatio. Et benè; quia quò plus lucis, eò quoque plus habent perfectionis. Auscultate quid adverterit Div. Thomas. In hoc mundo visibili dantur aliqua imperfecta, aliqua perfecta, alia perfectissima: & notat subtilitate & advertentiâ Angelicâ, perfectissima quæque lucida, in se esse & lucem dare: perfecta lucem non habere sed recipere: imperfecta nec habere lucem nec recipere. Planetæ, Stellæ, & elementum ignis, quæ sunt creaturæ sublimes & perfectissimæ, habent & dant lucem: Elementum aëris & aquæ, quæ sunt creaturæ diaphanæ & perfectæ, non habent lucem sed recipiunt: Terra & cuncta corpora terrestria, quæ sunt creaturæ imperfectæ & grossæ, nec habent, nec recipiunt, imò potiùs à se rejiciunt & repellunt lucem. Non simus igitur terrestres, quia nobis spiritum indidit cœlestem. Recipiamus, amemus & quæramus lucem, agnoscendo nos nec habere nec habere posse, nec Deum posse dare nobis bonum ullum, quod verum bonum esse queat sine luce. Auscultate desuper notabilia S. Jacobi verba in suâ Epistola: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Sententia notatu digna! ità ut Deus nobis largiendo aliquod bonum, non vocetur Pater misericordiarum, nec fons donorum; sed Pater luminum, & fons lucis. In lumine enim & luce, quam Deus simul cum his largitur,

D. Thomas.

Jacob. 1. v. 17.

eorum bonitas & perfectio consistit. Multa opinione nostrâ, bona, absque luce sunt verè mala ; & vice versâ, multa quæ nos dicimus mala, cum luce sunt verè bona. Gratiæ sine luce, sunt pœnæ : & pœnæ cum luce sunt Grætiæ. Prosperitas sine luce est infelicitas ; infelicitas cum luce est prosperitas Opulentia sine luce est inopia ; inopia cum luce est opulentia. Salus sine luce infirmitas : infirmitas cum luce est sanitas. Denique in luce, & lucis defectu, omne bonum vel malum præsentis & futuræ vitæ consistit. Quare Sanctos arbitramur fuisse Sanctos, nisi quia habuêre lucem quæ nobis deest ? Illi despexerunt, quæ nos magni facimus : fugerunt, quæ nos quærimus ; conculcârunt pedibus, quæ nos capiti imponimus; differente enim luce suâ à nostra, omnia arbitrati sunt & contemplati. Unde & David in omnibus suis Psalmis : Prophetæ in orationibus ; & Ecclesia in suis lucem & majorem semper lucem efflagitant.

Christiani, dies hodiernus est ille, in quo petitiones nostras oportet expediri. Lucem hodie pro nostris tenebris, lucem pro nostris obscuritatibus : lucem pro nostris postulemus cœcitatibus. Lucem, quâ Deum, mundum, & nosmetipsos cognoscamus. Aperiamus luci portas, ut domus nostras illuminet: aperiamus luci oculos, ut nostra illuminet corda : aperimus luci corda nostra, ut ea inhabitet sine fine. Properemus, properemus quærere lucem in hoc lucis fonte ; & inde referemus nostras animas luce repletas. Hujus lucis beneficio quò eundem, quidquid nobis sit declinandum intelligemus. Denique hac luce comite, ad illam perveniemus lucem quam Deus inhabitat, & Apostolus inaccessibilem nuncupat, *Qui lucem inhabitat inaccessibilem:* 1. ad Timoth. 6. hac enim luce hodie nata, pervenitur ad visionem Solis qui ex illa natus est ; v. 16.

De quâ natus est
JESUS.

SERMO
PRO
Feria quarta post Dominicam secundam Quadragesimæ. Ulyssippone in Capella Regali. Anno 1669.
Nescitis quid petatis. Matth. 20.

§. I.

DUo loca digniora, & duo prætendentes : unú memoriale, unaque Advocata ; unus Princeps, unaque expeditio: sunt repræsentatio moralis, & Christiana hujus Evangelii historia. In locis habemus gratias, in prætendentibus ambitiones, in advocata favores, in memoriali petitiones, in Principe potestatem & justitiam : denique in expeditione veritatem & exemplum ; hoc ultimum erit vena hodie secanda ; utinam tangeretur

retur ritè, profundè enim latet. Labes generalis, quâ passim inficiuntur aulæ; dolor & vulnus, de quo passim conqueruntur omnes, est expeditio inopinata & ingrata. In quibusdam conqueritur meritum, in aliis necessitas, in multis propria æstimatio: denique in omnibus conqueritur consuetudo. Benemeritus, dicit injustum; indignus, crudele; præsumptuosus, injuriosum, modestissimus quisque, infaustum. Et in præsentem usque diem non fuerat in ambone, qui hujus querelæ consolationem, hujus melancholiæ levamen, istius veneni antidotum, denique hujus infirmitatis curam pro themate assumeret? horum infirmorum multi, valdè indigerent hospitali: sed huic cathedræ (quæ medicinæ deservit animarum) incumbit examinare & discutere infirmitatem, & præscribere medelam: quæ si probata exiguique fuetit pretii, facilè poterit applicari. Nunc obligatione motus & pietate; cum materia ista ex potissimis, universis mundi aulis, & tempore præsenti aulæ nostræ vel maximè videatur necessaria, de malè contentorum expeditione pro eorundem consolatione prædicare statui. Nec Zebedæorum ambitione condemnare volo prætendentes: nec matris negotiatione arguere intercessores: nec Christi resolutione, Principes pacare aut ministros: petitionis tantummodo veritate (*Nescitis quid petatis*) consolari omnes, qui de ingratis suis expeditionibus lamentantur. Consolari malè expeditum: sermonis est assumptum. Si adjuvante divinâ gratiâ assequar intentum, hodie hinc exibunt prætendentes, adjuti: ministri, alleviati: benè expediti, confusi: malè expediti, consolati & contenti. Adjuvet Deus zelum, ex quo hujus puncti electionem factam novit.

§. II.

Nescitis quid petatis.

CUm itaque hodie oporteat consolari malè expeditos, gentem istam frequentem nec vulgarem, cui quadrat; *Non est qui consoletur eam*: & progrediamur distinctè, nec loquamur nisi quibuscum oportet, necesse est ab hac honorata serie excludere eos, qui sine ratione & importunè se contendunt ingerere. Et quinam sunt isti? Sunt? qui hodie solitò majores, plus habent quam habebant, & sublimiores sunt quam ante; adhuc querebundi sese malè dicunt expeditos. *Thren.* 1. *v.* 17.

Adam à Deo nondum conditus, erat nihil; conditus, erat statua lutea in planum missa: insufflante hunc limum numine, exurgens in pedes Adam incipit esse homo, & hoc quidem adeò extraordinariâ felicitate & fortuna; ut attestante textu, mox tres sortitus fuerit præcellentias. Præsidentiam terræ, super omnia animalia: præsidentiam aëris super omnia volatilla: præsidentiam maris super omnia aquatilia. Quis non putaret Adamum optimè fuisse expeditum? nec major, nec melior esse potuisse videtur; attamen nec ipse, nec ejus mulier fuêre contenti; adhuc prætendebant. Et quid? non plus, quàm esse Dii: *Eritis sicut Dii.* Daturne talis ambitio ascendendi? tanta imprudentia crescendi? nudius tertius nihil, heri limus, hodie homo, cras Deus? non recordabatur Adam *Gen.* 3. *v.* 5.

ejus

ejus quod erat heri, multò minùs quod erat nudius tertius ? Qui heri limus, non erit hodie contentus esse homo, & homo primus? Qui nudius tertius erat nihil, non erit contentus hodie esse omnia, omnibusque imperare ? Non. Quia jamtùm erat Adam, sicuti hodie sunt multi ejus filii, qui similes illi, ex limo exeunt, & de nihilo fuêre creati : male creati, malique servi ; hinc non contenti & ingrati : ubi oporteret esse vel maximè contentos & gratos. Causa hujus imprudentiæ est in promptu : nam è sensibus visum, & ex potentiis perdiderunt memoriam ; nec attendentes hoc quod sunt, & ejus, quod fuerunt, obliti.

Sed ab eo quod eratis & estis ; ad illud transeamus quod habebatis & habetis. Evecto Joseph ad thronum præposituramque Ægypti, innotuit Regi Pharaoni, ipsum in terra Chanaan habere Patrem & Fratres, quos statim in fraternæ prosperitatis & fortunæ societatem vocari mandavit. Mandatum fuit notabile & hujus tenoris: *Properate, nec dimittite quicquam de suppellectili vestra, quia omnes opes Ægypti vestræ erunt.* Istud *Quia*, non intelligo : imò, quia omnes Ægypti opes ipsorum erant futuræ, non erat necesse quicquam eorum quæ habebant, ex Chanaan secum illud asportare. Quare igitur mandat Pharao, ut omnem suam supellectilem afferant secum ? Propter idipsum : ut præsentis fortunæ opes, cum opibus fortunæ præcedentis conferendo, gratiam sibi à Rege præstitam pleniùs agnoscerent. Fratres Josephi erant inopes agricolæ pecorumque pastores, cum suis baculis pastoritiis & peris ; è suis casis & tectis stramineis, exibant ad habitandum in deauratis palatiis sub obeliscis & pyramidibus Ægypti ; conferant itaque suas pelles & sua pallia, nec non saga pastoritia, indumenta, præcinctoria, caputia, vasa lignea sive ligneas scutellas & crateres ligneos, &c. ut videntes parietes auris tapetibus vestitos, mensas argento stratas : sericum & aureum ornatum pretiosarum vestium, gemmas, adamantes, cymelia &c. famulos, equos, rhedas &c. temporis & fortunæ differentiam dignoscant, grateque Pharaoni referant. Vultne quilibet eorum videre & palpare exhibitam sibi à Rege gratiam ? rusticam suam aulæ hujus supellectili opponat, hanc splendidam cum sua tenui comparando. Comparatio hujus multi, cum illo exiguo, prô quantum serviet pro gratiarum actione, pro modestia, & ipsâ insuper fortunâ in æquilibrio continendâ !

Gen. 45. v. 20.

Viso jam quod eratis, & hoc quod estis : quod habebatis & habetis : restat combinatio locorum, unde venistis, & ubi estis ; 2. Reg. 7. descriptæ sunt gratiæ Davidi à Deo collatæ, legiturque, *Ego te tuli de pascuis sequentem greges, ut esses Dux super populum meum*, Deus non solùm meminit loci in quo illum posuit, sed etiam unde ipsum tulit, & quò. Domine, cum sis tam magnificus & liberalis, si exhibitas Davidi gratias consignari vis commentariis, quare etiam exercitium de quo vivebat, & humilem locum unde eum sublimâsti exprimi voluisti ? ut David contemplatione istius loci & exercitii, exhibitæ sibi gratiæ agnosceret magnitudinem ; seque cum sceptro regni in manu considerans, eâdem manu se baculum pastoralem tenuisse recordaretur. Si quandoque (quod totum ab hominibus timeri potest) collatæ Davidi gratiæ vi-

2. Reg. 7. v. 8.

de-

debúntur exiguæ, prioris ſui loci recordetur & moderni : recordetur unde & quò fuerit translatus ; & mox ipſi apparebunt eſſe magnæ. Iſta, unde, & quò, non ſolent conſignari libris gratiarum : bonum eſſet ut ad minùs inſcriberentur memoriis accipientium. Poſtquàm tantam inveniſtis ſtellam, parvam ſtellulam ponite ad marginem. Malè contentus cum Davide recordetur ubi fuit, & ubi eſt : cum fratribus Joſephi, meminerit ejus quod habebat & quod habet : recogitet cum Adamo quid erat & quid eſt ; moxque videbit, uter debeat conqueri, num expeditio an expeditus ?

Non expedivit Chriſtus noſtros prætendentes : tamen noto, eorum nullum fuiſſe conqueſtum. Petiêre duas ſupremas regni cathedras, tribus ſtatim literis hoc petierunt à Chriſto expediri, *Dic, dic, ut ſedeant hi duo filii mei* : tribuſque literis extemplò fuit reſponſum, *Non: non eſt meum dare vobis.* Et cum iſtud non tam clarum ſit & planum, num fortè conqueſta fuit advocata ? num conqueſti prætendentes ? nullum dixêre verbum. Quare ? erant gens gnara ſuâ ſe metiri fortunâ : contulerunt præteritum cum præſenti ; id eſt, hoc quod fuerant cum eo quod erant : & hoc quod erant cum eo quod eſſe prætendebant. Conferendo quod fuerant cum eo quod erant, videbant conditionis ſuæ meliorationem : & conferendo quod fuerant cum eo quod eſſe cupiebant, ambitionis cognoſcebant exceſſum : & hæ binæ collationes ſic ipſis ora conclusêre, ut exitus non pateret querelæ. Heri remigabamus reficientes retia, hodie quilibet noſtrûm eſt inveſtitus de aliqua regni Chriſti cathedra, & necdum contenti duo loca ſuprema prætendere ſumus auſi? juſtiorem igitur magiſter noſter rationem habet negandi, quàm mater noſtra poſtulandi : ille negavit ut juſtos, nos petivimus velut præſumptuoſi & ſtulti ; *Neſcitis quid petatis.*

§. III.

EXcluſis qùeruloſis & malè contentis ſine cauſa (qui fortè ſunt cauſa quod inveniantur tot malè contenti) auſcultent nunc benemeriti, malè expediti, optimam juſtamque rationem ſeſe conſolandi. Conſolatio Evangelica, prout mox oſtendam, eſt omnium ſolidiſſima. Sed ſine recurſu ad motiva fidei ; ſi ego eſſem benemeritorum unus, in meipſo, proprioque meo merito tantas me conſolandi invenirem rationes, ut abſque alia gratia aut expeditione pleniſſimè contentus, pro voto mihi ſatisfactum putarem. Diſcurrite parum per mecum.

Vel meremini præmia quæ vobis deſunt, vel non : ſi non meremini, non habetis quod conqueramini ; & ſi illa meremini, adhuc multò minùs. Adhuc dùm ignoratis, non eſſe virtutem, aut meritum, ſine præmio ? ſicut virium pœna, ſic virtus præmium eſt ex ſeipſa. Maximum præmium heroicarum actionum, earundem eſt exercitium. Optimis hoc verbis aſſerebat Seneca, quia optima loquebatur lingua. *Quid conſequar* (inquis) *ſi hoc fortiter, ſi hoc gratè fecero? quod feceris ; rerum honeſtarum pretium in ipſis eſt.* Res honeſtæ habent præmium in ſe, & ſtatim ferunt ſecum : non tardat, nec memoralia expectat, neque ab alio dependet, ſunt ſui ipſarum ſatisfactio. Eodem die quo illas exercuiſtis & feciſtis, vobis ſatisfeciſtis. *Seneca de Beneficiis l. 4. c. 1.*

Et ſi extra vos ipſos aliud præmium ſpe-

sperâstis, famæ honorisque mercede contenti estote. Quod si vestra servitia infrà condignum maneant remunerata, vobis sufficiat benè esse cognita: mentale istud præmium situm est in judiciis hominum: nemo vobis potest tollere, nec deminuere. Quid refert ascendere malè consultos à Ministris, si à fama bene judicati estis? Quid refert à tribunali exisse excusatos, si tribunal maneat accusatum? transeat ista expeditio per cancellariam: relinquite eam vestris descendentibus pro gloria: eritisque dupliciter glorioši; solummodo vobis concedo pœnitere quod prætenderiris: actiones suas & merita vilificat, qui ea ab hominibus condignè remunerari posse putat.

Quod si serviviſtis Patriæ vobis ingratæ; vos feciſtis quod debuiſtis, illa quod solet. Aſt pectori generoso quænam solutio major, quàm feciſſe quod debebat? Si feciſtis quod debuiſtis, vos solviſtis. Audite Magiſtrum Divinum hoc nos docentem. Ajebat Chriſtus militibus ſuis, quibus mandavit ſibi ſubjicere non minùs quam mundum, pro quo etiam omnes exposuerunt vitam: *Cùm feceritis omnia, dicite servi inutiles sumus.* Sententia notatu digna! Servus inutilis est qui nihil facit: sed qui multum, & multò magis qui facit omnia, num dicere & cogitare debet, quod sit servus inutilis? Etiam. Hunc Textum nemo melius intellexit quàm venerabilis Beda. Chriſtus non loquitur de utilitate quam recipit Dominus: sed de utilitate quam non recipit servus. Servus ex suo servitio non percipit utilitatem, nam obligatus est ad serviendum & hoc modo servire debet qui generosè servit. Chriſtus ipse seſe explicavit, dando rationem tanquam suam, *quod debuimus facere fecimus*: Qui fecit quod debebat, debebat hoc quod fecit; nemoque debiti à se solvendi expectat solutionem: Si servivi, sed pugnavi, si laboravi, si vici; feci quod debebam Regi, feci quod debibam patriæ, feci quod debebam mihi ipsi: & qui se tot & tantis exoneravit debitis, solutionem aliam expectare non debet. Nonnulli sunt tam vani, ut plus debito se præstitisse putent; sed errant. Qui plùs est & plùs potest, plùs quoque debet. Sol & stellæ serviunt incessanter, totique solummodò universo, & non sibi. Sit gloria vestra, ibi esse filios solis, & stellarum instar illustres: aliamque mercedem mendicare cessate.

Luc. 17. *v.* 10.

Vener. Beda ibid.

In hoc non intendo excusare illos quos vos accusatis: nam si vos estis benè meriti, illi non debent esse injusti; sed à vestra generositate potiùs addiscere liberales esse & generosi. Qui retribuunt aut retribuere possunt ei, qui vitam & sanguinem dedit pro ipsis? Aſt quamvis illo modico quod possunt, gratitudini adhuc desunt; deesse vobis nolo consolationem. Quod si facta vestra fuerint Romana: solletur vos Cato statuâ carens in Capitolio. Venerant Romam peregrini, Herorum istorum immortalium statuas contemplati, inter cæteras Catonis quoque inquirebant: ista inquisitio erat statua omnium maxima, nam aliis statuam erexit Senatus: Catoni mundus. Interroget mundus, & miretur vos non præmiatos: ista interrogatio & admiratio præmiorum omnium erit maximum. Quod vobis virtus dedit, invidia tollere nequit; quod vobis dedit fama, ingratitudo non potest auferre. Sinite illos esse ingratos: ut vos fitis glorioſiores, magnum meritum, per magnam ingratitudinem sublimiùs excres-

creſcit. Quod ſi non forent ingratitudines, ubinam maneret excellentia meritorum? ceſſetitaque querela de ingratitudine, & vos illi potiùs gratias referte.

Forſan dicetis mihi plùs minúſvè meritos indifferenter præmiari: Dolendum ſanè! Jam dixerat quædam Regina Caſtellæ, ſuos ſervire ut vaſallos: noſtros ut filios. Non poteſt non eſſe magnum amoris ſcandalum, naturæque monſtrum, quod hi ſint filii & alii hæredes: ſed illa ipſa injuſtitia vobis eſſe debet conſolationi. Si mundus & tempus adeò juſta forent, ut meritis æqualia præmia redderent, magnam querelæ cauſam haberetis, deeſſet enim vobis teſtimonium virtutis, pro quâ ipſa præmia fuerunt inſtituta; ſed cùm Gratiæ non probent hominem: eaſque ab homine habere, non oſtendat dignitatem, ſed æſtimationem, idcireo exigua illi fit injuria, cui non fit gratia. Judicioſè aſſerebat Marcus Tullius: Gratias indignis factas non honorare homines, inhonorare honores. Et ſic eſt, Tales itaque ſint exemplum fortunæ: Vos eſtote virtutis, *Virtutem ex me, Fortunam ex aliis* inquiebat Virgilius.

In vita Joan. 2.

Sententia Tullii laudata à D. Hie.

Virgil. aneid. 12.

Denique ſi homines ſint ingrati vobis; nolite vos ingrati eſſe Deo. Si vobis Reges non tribuunt quod poſſunt; eſtote contenti eo quod vobis dedit Deus, & Reges largiri nequeunt. Reges conferre poſſunt titulos, reditus, dignitates: animi verò generoſitatem, fortitudinem, conſtantiam, vitæ contemptum, aliaſve virtutes quibus verus honor conſtat conferre nequeunt. Quod ſi à Deo ejuſmodi recognoſcitis gratias, ſpernite alias: non enim tanti ſunt, quanti conſtant. Præ cæteris recordetur Generoſus belli dux & miles, quot ſocios perdidit in iiſdem ſecum conflictibus, mortuos, & non conquerentes; mortui oſtenderunt maximam generoſitatem, pro illis profundendo vitam qui hanc dare nequeunt; & ille, qui per gratiam Dei vitam retulit & victoriam, quomodo ſe malè expeditum conqueretur? Si non oſculati eſtis manum Regis pro gratiis quas vobis non contulit: oſculamini gladii veſtri capulum, qui vos iis dignos reddidit, reſpiciat vos Rex tanquam creditores perpetuos: & gloriamini, quod veſtrum ſe negare non poſſit debitorem, dominus omnium. Si vobis non defuit animus ad exponendam vitam ſanguinemque fundendum: ſimiliter oſtendite non vobis deeſſe animum ad ſufferendum. Tunc conflixiſtis cum hoſtibus; nunc tempus eſt vincendi voſmetipſos. Miles ſe cernens rude donatum, gaudet vulnera detegere, & illis patriam confundere, cujus amore illa excepit. Eques multi temporis, ſe tandem peditem conſiderans, hoc ipſum reputet victoriarum ſuarum ſplendidiſſimum currum triumphalem. Denique miles ſe fame mori videns, moriatur; & ſic ſe ulciſcatur, hâc veritate non ſuſtentantem, & multos alios confundet, non deerit qui pro illo dicat: *Quanti mercenarii abundant panibus: ego autem hic fame pereo!* Et hoc ingratum & ſcandaloſum Epitaphium, erit pro ejus memoria pinguiſſima nec non honoratiſſima Commenda, vel aliud quodcunque beneficium aut præmium, quod ab aliis ipſi conferri poteſt.

Luc. 15. v. 17.

§. IV.

HÆc ſunt motiva glorioſa, quibus ego non ſolùm conſolaret, ſed & gloriarer: ſi eſſem unus ex optimè meritis, ſed (quia, *non omnes capiunt verbum iſtud*) *Matth. 19. v. 11.*

istud) procedamus ad divinam rationem Evangelii, qua consolabuntur, & cui sese conformabunt fideles omnes, imò & infideles. Attendite me primùm velut humines, & postmodùm velut Christiani.

Nescitis quid petatis. Nullus in hoc mundo extat homo, qui sciat quid desideret, vel quid petat. Hanc veritatem fundemus in experientia: ut ejus consequentiæ pro majore & securiore serviant consolatione. Quoniam Evangelica petitio fuit matris & duorum filiorum: similiter ponam exemplum in duobus filiis & una matre.

Ardentissima, importunissima, & impatientissima petitio à muliere unquàm in mundo facta, fuit illa Rachelis ad maritum suum Jacob: *Da mihi liberos alioquin moriar.* Respondit illi Jacob, solius Dei esse dare, & dare posse liberos: huic rationi tam certæ & irrefragabili non se conformabat Rachel. Instabat. *Da mihi liberos*; Jacob, ætatis illi obtendebat florem, residuosque adhuc conceptui & partui idoneos annos; quibus naturaliter posset assequi, quod tam inordinatè petebat. Sed hæc ipsa spes illam inquietabat ampliùs, ut diceret, *Da mihi liberos.* Animabat illam Jacob exemplo Saræ ejus aviæ, quæ post tot annorum sterilitatem peperit Isaac: ast semper impatientior ingeminat Rachel, *Da mihi liberos.* Rationibus prioribus adjungebat Jacob Rationes blandas, apud fragilem & præsumptuosum sexum muliebrem multoties efficaciores; suadebat, ut sese contemplata consolaretur in rosa, quæ quantumvis sit pratorum decor & Regina florum, infructifera tamen sit & infœcunda. Sed ne blanditiæ, nec ratio, nec exemplum, nec spes anxiis & querulosis alleviandis sufficiebant vocibus, *Da mihi liberos: Da mihi liberos.* Ista erat petitio, & hæc instantia. Sed qualis expeditio, & eventus est subsecutus? Casus verè admirabilis! Expeditio Rachalis petitioni respondet: at eventus ejus voto fuit è diametro contrarius. Rachel non solùm petebat filium, sed filios, *Da mihi liberos.* Deus voto annuens fecit illam matrem Joseph & Benjamin: Eventus verò omninò fuit contrarius: feliciter enim enixa filium primum; mortua ex enitendo secundum. Recogitate nunc terminos quibus Rachel petiit liberos; *Da mihi liberos* inquit *alioquin moriar.* Quando moriendum sibi putavit, nisi liberos haberet: illis jam habitis, eodem mortua est momento, putabat se petere vitam, & petebat mortem. Putabat se sibi mihi domuiq; suæ petere gaudium: & mœrorem, luctum, & ejus orbitatem postulabat; nam petebat illos, qui ipsam domum conversuri essent in sepulchrum. Tantum erant hominum conceptus & vota: tam certum est nos in eo quod vel maximè anxiè petimus, nescire quid petamus, *Nescitis quid petatis.*

Gen. 30. v. 1.

Confirmata nunc veritate petitionis matris Zebedæorum, exemplo hujus matris: hoc filiorum ejus exemplum, aliorum duorum filiorum confirmemus exemplo, quamvis fuerint filii parentûm diversorum.

Nota est historia Samsonis & filii prodigi: ambo suis excessibus famosi, relictis igitur unius & alterius Tragœdiæ principiis & progressibus, amborum considerabimus exitum: & miserrimum statum in quem uterque per adeò diversas vias pervenit, contemplemur. Videtísne illum hominem robustum & gigantem, vultu horribili, iracundo, & subtristi: capillis contor-

tortis, oculis effossis, cruore perfusum, catenis duabus in carcere ligatum, in pistrino molentem circuire? Ipse est Samson. Videtisne juvenem illum macie confectum, cogitabundum, laceris vestibus & quasi spoliatum, cum pendulo ex humeris cornu, pastorali innixum baculo, sordidissimi pecoris gregem pascentem? Ille est filius prodigus. Quis non hujusmodi fortunæ catastrophen in tam famosis duobus subjectis, uno tam generoso, altero tam tumido obstupescat? Estne possibile Samsonis victorias & facinora talem exitum fuisse sortita? Estne possibile in hoc abiisse luxum & delicias filii prodigi? imò verò in hoc abierunt: vel ut loquamur rectiùs, in isto nondum fuistiterunt. Nam filius prodigus in mediis deliciis fame deficiens, non habebat copiam vescendi siliquis quibus pascebat gregem. Samson illudendus in publicum productus, talibus, fuit sannis, irrisionibus exceptus & exagitatus, tamque indignis modis tractatus; ut sibi violentas manus intulerit præ confusione. Quænam verò funestrorum adeò eventuum, & ambarum adeò extremarum mutationum fuit causa? non hic jam admirationem à vobis exigo, sed stuporem. Utraque illa fortunæ mutatio nullam aliam habuit causam, præterquàm optatam illam utriusque Samsonis, filiique prodigi tam instanter postulatam petitionis expeditionem. Samson à Parentibus postulavit sibi in uxorem accipi quandam Philisthæam: *Quàm quæsont accipiatis mihi uxorem*, annuerunt parentes postulatis: & ista Philisthæa gestorum cum allophylis bellorum, deceptionum & proditionum Dalilæ, ipsius captivationis nec non exoculationis, injuriarum denique omnium, nec non tragici generositatis ejus Epilogi causam extitit. Pari modo filius prodigus hæreditatem sibi à patre post mortem ejus obventuram, anticipando postulavit, *Da mihi portionem substantiæ quæ me contingit.* Condescendit Pater petito: & hæc Hæreditas, luxui, juventutisque vitiis insumpta, paupertatis, abjectionis, miseriæ, famis, servitutis denique & infamiæ extitit causa: quibus præteritis, nonnisi dolor, factique pœnitudo remansit.

Jud. 14. *v.* 2.

Luc. 15. *v.* 12.

Redeat nunc Rachel; hanc matrem & ambos ejus filios interrogemus; præviâ tam tristi votoque contrariâ experientiâ, peteréntne quod petierant anteà? Peterétne Rachel filios, quos obtinere, vitâ sibi constiturum sciret? Prætenderétne Samson Philisthæam, quam tot sibi injuriarum, mortis, oculorumque quibus illam videndo deperierat jacturæ, causam fore præsciret? Postularet anticipatò filius prodigus hæreditatem, sciens illam miseriæ, servitutis, infamiæque causam futuram? Clarum est, quod non. Cum igitur nihil eorum, sed planè contrarium petere voluissent, quare petiêre tunc? Jam responsum nôstis: quia, quidquid peterent, nesciebant: & nemo scit, quid petat. Atque hoc petierunt, quia illa mater, & ambo illi filii fuerunt sicuti mater & ambo filii hujus nostri Evangelii, *Nescitis quid petatis.*

Supposito hoc principio certo & infallibili, scilicet neminem scire quid petat: nunc conclusionem inferant, qui se malè expeditos judicant. Si sciviſletis hoc vobis conducturum quod petiistis: illo concesso habuistis causam acquiescendi, & obmurmurandi illo negato. Ignorantes verò, utrum utile aut noxium futu-

rum sit quod prætenditis, quare contristamini ? Si contristor putando mihi potuisse esse bonum, quare non gaudeo considerando mihi potuisse esse malum, eóque amplius, quo in hujus mundi rebus malum est magis certum ? consoletur vos infelicitas Rachelis ; consoletur tragœdia Samsonis ; filii Prodigi vos soletur pœnitentia. Quæ exempla si vos minùs movent, quia remota : solentur vos propinquiora oculis quotidie objecta. Quot vidistis ibi reperisse perditionem, unde sperabant medelam ? inde retulisse ignominiam, unde venabantur honorem ? unde quærebant incrementum, inde passos fuisse ruinam ? Denique quot vidistis, quos inde exspectabat mors, unde illi majorem vitæ sperabant felicitatem ? Obtinuêre petita. Optatæ quidem sed non in bonum vergentis expeditionis aggratulationem libenter admiserunt : *Pœnam pro munere poscis*, ajebat sol Phaëtonti petenti habenas sui currus, q. d. Ecce fili, gratiam te petere putas, & pœnam poscis. Author quidem est fabulosus: vera nihilominus sententia. Si minùs, nostros interrogate Phaëtontes: illos ex Oriente in Asia : illos ex meridie in Africa : illos ex Occidente in America : idem ipse currus quem petierunt, eorundem fuit præcipitium, idem radiorum excessus, eorundem fuit incendium. Si fulmine tactorum investigaretis ossa (sicuti Phaëtontis fuêre investigiata) quædam eorum in undis, alia in arenis, alia in hospitalibus, alia in carceribus & exiliis : pauca denique in ipsis reperiretis terris quas perdiderunt, quæ maximè honorifica fuisset eorum sepultura. Hi sunt vestri benè expediti. Iter ingressi traxerunt post se invidias : reversi, vel non reversi, retulerunt lachrymas. Quod si illi in suo desiderio & fortuna decepti, quia nescierunt quid petierunt : vos idem ignorantes, quare vultis decipi ? ex eorum deceptione resipiscite, ex eorum errore consolationem accipite : nam nec illi, nec vos, scitis quid petatis. *Nescitis quid petatis.*

Ovid. metam. 2.

§. V.

O Si sciremus quid petimus ! O sciremus quod nobis bonum, quidve malum ! Quoties reputaremus nos optimè expeditos, eo ipso quod malum dicimus, & malam expeditionem nominamus ! Quid expediat, vel non expediat, solus novit Deus : reliqui omnes ignoramus. Hæc Dei scientia, nostraque inscitia sunt duo Poli, in quibus tota petitionum nostrarum indifferentia & resignatio in expeditionibus figi debet Petere nos oportet, sicut qui nescit quid petat : & expeditiones debemus acceptare, veluti ab eo qui solus novit quod donat; nos arbitramur esse homines qui nos expediunt, ideoque obmurmurantes de illis querimur; non perpendentes quod Deus omnibus consiliis velut supremus præses assistat, & ille sit, qui dat aut negat quod petimus, tanquam solus sciens quid conducat; *Sortes* (inquit Salomon) *mittuntur in sinum, & à Domino temperantur* ; Quod si extractâ chartulâ albâ, vestræ exspectationi non satisfactum est, consolamini, acceptantes de manu Domini qui solus novit quid vobis expediat. Homines solummodò præstant gratiam dando, Deus verò præstat gratiam non solùm dando, sed etiam negando.

Prov. 16. v. 33.

Petite & dabitur vobis ait Christus : & pro

Luc. 21. v. 9.

pro majori confirmatione hujus promissionis addit, *Omnis enim qui petit accipit.* Universalior & clarior propositio dari non potest: sed habet replicam & instantiam insignem, & vix ullus in præsenti aderit auditorio, qui hanc proprià experientià nequeat confirmare. Quod magnates infimis precibus à Deo prolem petierunt, & non obtinuerunt; Quod pauperes parentes prolibus gravati pro iis petierunt alimentum, non habentes panem unde illos sustentent? Quod infirmi fecerunt vota pro salute consequendâ, & sunt mortui sine remedio? Quot procellis & tempestate jactati clamârunt in cœlum, undis abscorpti? Quot captivi pro suâ liberatione continuò orantes, in vinculis & ferro vitam finiêre? Ne abeamus longius, habemus in ipso Textus nostri casu matrem filiorum Zebedæi supplicantem & orantem, & quidem de genibus, *adorans & petens aliquid ab eo*, & responsum, quod accepit ad suam petitionem (licet esse ipse Christus à quo petebat) fuit absolutè unum Non. *Non est meum dare vobis.* Si igitur est veritas certa & Evangelica, experimentalis, ordinaria & manifesta, quod multi à Deo non obtinent postulata, quomodo Christus ait, *Petite & dabitur vobis*? & quomodo absolutè & universaliter affirmavit omnes petentes accipere, *Omnis qui petit accipit*? dubium magis urgeri nequit: sed est ex genere eorum, quæ nituntur intelligentiâ falsâ; aut apprehensione Textus erroneâ Expendite attentè hoc quod verba dicunt; & quod non dicunt. *Petite & accipietis: omnis enim qui petit, accipit.* Non dicit Christus, petite & accipietis hoc ipsum quod petitis; sed petite & accipietis. Neque dicit, omnis qui petit, accipit id, quod petit: sed omnis qui petit, accipit. Et quid accipit? Hoc ipsum quod Deus ipsi novit utilissimum. Si expedientia vobis petitis, petita accipitis: sed si petitis quod vobis non expedit: accipietis non dari vobis quod petebatis. Hoc modo, *Omnis qui petit, accipit.* Accipit enim vel hoc quod petit, vel quod petere debebat; si noviset quid petebat. Homo sibi nociva petens, si sciret qualia peteret, deberet orare hæc sibi denegari: sed quia solus Deus novit quid nobis convenit, hinc suâ scientiâ nostræ succurrit ignorantiæ, respondens nobis veluti Zebedæis, non: petita negando.

Christus ipsemet hanc suam propositionem declaravit, & tribus familiaribus, domesticisque exemplis illustravit: quæ si ego adderem, vilia utique reputaretis, sic tumida est ruditas nostra; & tam humana Sapientia Divina. *Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem, nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum, nunquid porriget illi scorpionem?* Luc. 11. v. 11. Hæc est ratio, quare Deus tractans non ut filios, sæpè nobis dicat non, & petita neget: petimus enim lapides, petimus serpentes, petimus scorpiones; putamus nos petere necessarium; & petimus inutile ac superfluum. Putamus nos petere profuturum: & petimus nocivum: & hoc est petere lapides. Putamus nos petere alimentum; & petimus venenum. Putamus nos petere quo vescamur; & est à quo devorabimur. Putamus nos petere à quo speramus vitam; & petimus quod ipsam tollet: & istud est petere serpentes & scorpiones. Quando adeò sumus insensati, & velut pueri,

ut

ut non discernamus scorpionem ab ovo, serpentem à pisce, nec panem à lapide: Deus qui est pater, & tam bonus pater, quare tam insciè & periculosè petita nobis non denegaret? O felices, quos Deus sic expedit, sciens illos nescire quid petant; *Nescitis quid petatis.*

Et ut dupliciter consolemini, non invidendo illis quos mundus vocat benè expeditos: scitote vos, sciantque illi, Deum, sicut habet unum non pro gratiis, ità etiam habere unum ita, pro pœnis. Inter homines optima petitionum est expeditio, sicut petit: in tribunali Dei frequentissimum est contrarium, Deus nos liberet ab illo, sicut petit, quando homines nesciunt quid petunt. Iter facientes Filii Israël per desertum, fastidioque mannæ laborantes, & ollarum Ægypti recordati, petierunt carnem. Hanc petitionem non quidem approbando, sed populi importunitate coactus Moyses indicavit Domino. Quid responderet Dominus? postulant carnem? Benè. Fiet quod postulant; daboque illis non solùm carnem, sed & copiosam atque egregiam. Eodem ipso temporis momento ad instar pluviæ volatilia descenderunt in terram. Ita enim loquitur Textus: *Pluit super eos, sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* O magnam Dei patientiam & liberalitatem! Populo tam ingrato cœlesteque manna nauseanti sic petitum indulget? appetitui tam inordinato tantum favorem? tantam impudenti petitioni gratiam? Exspectate paulisper, & videbitis finem. Nunquam visâ ante avium pluviâ populus oppidò contentus, incipit aves mactare, deplumare, carnes ad oblectamentum variis modis condire, & accumbere in lætitia. Sed quid accidit? *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Volatilibus vescebantur, & quasi fuissent serpentes aut scorpiones, quilibet bolus venenum erat; concidebantque mortui. Ecce hìc finem illius, sicuti petebant. Videbatur esse indulgentia; & erat pœna. Videbatur esse Dei gratia; & erat ira. *Ira Dei ascendit super eos.* Propter hoc & alia similia exempla graviter inquis S. Augustinus: *Multa Deus concedit iratus, qua negaret propitius.* Quod si Deus populo fuisset propitius, postlata negâsset; quæ, quia erat offensus, concessit. Putatisne hanc expeditionem tam optatam & invidendam fuisse gratiam? finem attendite: & cognoscetis fuisse pœnam.

Psal. 77. *v.* 27.

Psal. 77. *v.* 30.

S. Aug.

Et si Deus propter peccata concedit, ne benè expediti evanescant: similiter negat propter merita, ut malè expediti consolentur. Auscultate notabilem considerationem super nostro Evangelio. Prætendunt Zebædæi cathedras quas Christus negat, quia nesciebant quid peterent, sicut paulò ante diximus: priusquam verò negaret, interrogavit, num calicem bibere, id est, pro ipso mori essent parati: & mori quomodo ipse esset moriturus. *Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum?* Ambo responderunt animosè, *Possumus.* Et ne hujus animi promptitudinisque testimonium in sola resideret fide prætendentium, Christus ipsemet illud approbavit, & justificavit, sicque esse, & debere esse, confirmavit: *Calicem quidem meum bibetis;* præmissis approbationibus tam exactis, intulit: *Non est meum dare vobis.* Christus negaturus quod petebant, quare pe-

petit obsequium? quare ab ipsis prærequirit merita? quare ipsorum animum explorat? quare de morte & calice eos certos reddit? Quod si omnes istæ diligentiæ fuissent adhibitæ ad præstandam ipsis gratiam, bonum esset: sed ad petita negandum? Imò verò; negare etenim, etiam est gratia. Cumque gratiæ præsertim magnæ, nonnisi magnis justisque debeantur servitiis, hinc Christus priùs ab ipsis poposcit obsequia, eademque comprobavit vera: ut faceret gratiam negando petita. Ita ut Deus filiis Israël indulserit petita propter peccata: Filiis Zebedæi verò negârit propter merita. In primo casu, concedere fuit pœna: in secundo, negare fuit gratia. Sicut igitur expeditio benè sese expeditos arbitrantium potest esse pœna: & vice versâ, malè sese expeditos arbitrantium expedito potest esse gratia, & magna gratia: tam exiguam illi evanescendi, quàm hi dolendi habent causam. Quia hi & illi nescièrunt quid sibi datum, sicut nescièrunt postulatum. *Nescitis quid petatis.*

§. VI.

VIdeo Auditores, quod me promissis in exordio credatis satisfeciisse: scilicet, quod in prima sermonis hujus parte vobis prædicaverim tanquam hominibus: in secunda velut Christianis. Non est ita, posito quod hac secundâ parte toties locutus fuerim pro Deo, ejus justitiæ & providentiæ vestras bonas vel malas expeditiones attribuendo. Imò Gentiles hoc modo locuti sunt, & illud ipsum cognoverunt solummodo per lumen rationis velut homines, quamvis sine fide. Magnus ille Græciæ Philosophus Socrates ajebat; Deos nihil rogandos esse in particulari, sed in generali pro eo quod cuilibet futurum esset salutare: quia istud illi soli scirent, & nos homines frequenter ac ordinariè postulare, quod magis è re nostra foret non impetrare. *Nihil ultrà petendum à Diis immortalibus arbitrabatur, quàm ut bona tribuerent; qui ii demùm scirent, quid unicuique esset utile: nos autem plerumque id votis expetere, quod non impetrasse melius foret*, inquit Valerius Maximus de Socrate loquens. Plato ad tradendam methodum, quid à Deo rogandum, hanc rationem composuit. *Jupiter da nobis bona, sive ea petamus, sive non; arce verò mala, etsi ea ex errore petamus.* Sapienter certè. Isti Philosophi Deum non cognoscebant, sciebant nihilominùs quomodo & qualiter rogandus esset: petendum scilicet ab ipso, ut nobis concedat bonum, quamvis hoc expresse non petamus; & ut liberet nos à malo quamvis hoc expresè petamus. Frequenter etenim petimus malum putantes esse bonum, & negligimus petere bonum putantes esse malum: soluisque Deus sciens quid bonum, quidve malum sit, largiri nobis potest quod conducit. Ità hucusque prædicavi ut hominibus, & hinc omnia bona vel mala de quibus dixi vel locutus sum, fuêre à cœlo deorsum: nunc ascendamus altiùs, & auscultate me velut Christiani, quod breviter perstringendum restat, maximi momenti res est.

Valer. Max. lib. 7. c. 2. loquens de Socrate.

Nescitis quid petatis. Tam insensatæ & fatuæ sunt sæpè numero petitiones nostræ, tamque periculis plenæ, ut putantes nos petere bona temporalia, mala postulemus æterna: putantes nos petere salutem, petamus damnationem. Hæc non est consequentia vel consideratio mea, sed doctrina & conclusio expressa ipsius

Christi; ait enim: *Sedere autem ad dexteram vel sinistram non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à Patre meo.* Gravis & profunda responsio! Duo discipuli eorumque mater binas temporalis regni Christi prætendebant cathedras d gniores, erroneè opinantes Christum in hoc mundo Davidis instar, aùt Salomonis, & aliorum Regum, temporaliter regnaturum. Hoc mente volvebant; & hæc eorum petitio vulgi respondebat exspectationi: & post resurrectionem adhuc duranti persuasioni, quando Christum interrogabant, *Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Si igitur loca & dignitates petebant temporales, quomodo Christus respondet negando cumpaternæ prædestinationis decreto, *quibus paratum est à Patre meo?* quia nostrarum petitionum expeditiones quamvis rerum sint temporalium, sæpè sæpiùs sunt effectus prædestinationis æternæ. Prætendens frequenter expeditur, quia est præscitus: & erit non expeditus, quia est prædestinatus. Diabolus petivit potestatem in bona & personam Job, & à Deo obtinuit: S. Paulus à Deo efflagitavit instanter, & quidem tertiò liberationem à tentatione: & repulsam passus est. Ergò Paulo quod petit negatur, & diabolo conceditur? Ita, inquit S. Augustinus: Diabolo pro majore confusione: S. Paulo pro majore gloriâ. Paulo tanquam prædestinato: diabolo tanquam præscito. Quot hodie præsciti suas in inferno lugent expeditiones! quot nunc prædestinati incœlo pro non ob entâ expeditione grates referunt Deo! Illorum prædestinatorum non expeditorum duo erant illi Apostoli nostri Evangelii: hinc illis dixit Christus, quod nescirent quid peterent. Arbitrabantur se petere dignitates & honores mundi: & nescientes quid peterent, suam petebant damnationem. *Unus ad dexteram; & unus ad sinistram.* Dextera Christi, prout patebit in die Judicii, est locus salvandorum: Sinistra verò damnandorum, Et quia uterque amborum indeterminatè petebat dexteram aut sinistram, ambo Apostoli etiam inscii sese exponebant & ad locum damnationis offerebant; hinc S. Joannes Chrysostomus, *Ego vos elegi ad dexteram: & vos vestro judicio curritis ad sinistram.* Et quot hodie prætendentes sinistram sive damnationem in Christianorum versantur aulis, ignorantes quid petant aut requirant! Lassantur prætendendo, sollicitando & contendendo de eo quod ipsos demerget in infernum; votique compotes læti sunt & alacres, frustrati verò conturbantur supràmodum tristes, querelis & ministrorum traductionibus ac infamationibus pleni, & quandoq; tam exorbitanter & audacter ut nec modus sit, nec finis; imò in ipsum usque cœlum Deique thronum omnia replent lamentis.

Act. 1. v. 6.

S. Joan. Chrysost.

Non sic de Dicasteriis seu Tribunalibus nostris in Justitia distributiva, aliisque speciebus hujus virtutis opinor & sentio sed pro fine prædestinationis & salvationis (quæ est ultima tantique momenti expeditio) Deus utitur tam ministris justis, quàm injustis: & tantùm eorum justitiâ (si illam observent) quantùm eorum injustitia. Deus voluit humanum salvare genus in die illo tragico, quo viram pro illo profudit: quibus verò ministris ejus Sapientia ad hoc fuit usa? Casus stupendus! Usa est Judâ: Annâ, Caiphâ, Pilato, Herode, & mediante abominabilium adeò hominum impietate & injusti-

tia,

tia, prædestinatorum salvatio est consecuta: è quibus si desideratis esse, querulari cessate. Et si mihi dixeritis, ministros vobis fuisse injustos: similiter id vobis concedo, quamvis non credo. Sed quid interest, si in hoc consilio sint Judæ, in alio Annæ & Caiphæ, in altero Herodes & Pilati, si horum mediante injustitia Deus vestram prædestinaverat salvationem? Illi, ob illatam vobis injuriam descendent in infernum: vosque occasione ipsorum injustitiæ ibitis in cœlum.

In illo ipso tragico die Christi notate duos consideratione dignissimos concursus; ne conqueramini vobiscum concurrentes vobis esse prælatos; primus concursus fuit Christi, cum Barraba: & uterque injustissimè judicatus. Barrabas enim latro, adulter, homicida, & proditor fuit absolutus; & Christus innocentissimus, de omnibus optimè meritus, fuit condemnatus. Secundus fuit concursus Dismæ & Gestæ (boni & mali latronis) & uterque æquali justitia condemnatus; uterque enim furcam merebatur ut latro. Et quid Deus ex his duobus concursibus tamque contrariis judiciis elicuit? Primum utrimque fuit injustum; Secundum utrimque justum; & ex utroque elicuit præscitorum condemnationem, & prædestinatorum salvationem. Ex judicio primo elicuit condemnationem Barrabæ, & Christi gloriam: ex secundo elicuit gloriam latroni bono, & infernum malo, ad damnandum enim aut salvandum, hominum injustitia æquè ac justitia Deo subserviunt. Dato, quod judicati sitis & expediti, vel injustè ut dicitis; vel justè, quod non confitemini: ast neque de ministrorum justitia neque injustitia habetis quod conqueramini si habetis fidem; tantùm enim ab hac justitia vestra pendere potest damnatio, dum exitis benè expediti ad infernum: quantùm ab illa injustitia vestra salvatio, dum malè expediti egredimini ad cœlum.

Nullâ suppetente justâ causâ conquerente contra ministros: multò minorem causam habet temeritas vestra ejaculandi querelas ad sanctuarium, ubi resolutiones decernuntur. Et quare? quia licet Reges sint homines; Deus nihilominùs eorum cor manu suâ circumfert; juxta illud: *Cor Regis in manu Domini est, quocunque voluerit inclinabit illud.* Sicut cor Regis est in manu Dei, aperiente distendenteque manum Deo, similiter cor Regis se dilatat, & largissimam vobis gratiam præstat; & Deo manum contrahente, pariter contrahitur cor Regis, & multò minùs aut nihil omninò petitorum largitur. Ità ut Rex, quamvis sit dominus, dans aut negans, alium supra se habeat dominum majorem, qui ad dandum aut non dandum illi cor distendat aut constringat. Rex erat Cyrus, & Rex erat Pharao. Cyrus dominabatur Hebræis in captivitate Babylonica; & Pharao in servitute Ægyptiaca; quod verò tam diversimodè & contrariè fuerint tractati, superior causa nec Cyrus fuit nec Pharao, sed Dominus: qui fatorum Regum corda in manu habens, cor Cyri ad dandam Hebræis libertatem inclinavit: Cor Pharaonis verò indurari permisit, ut non solùm eos non donaret libertate; sed graviore opprimeret servitute. Interim advertite pro consolatione vestra, ipsam oppressionem cordisque Pharaonici duritiam, fuisse ultimam dispositionem à Deo intentam, ad introducendum (sicut fecit) Hebræos in terram promissionis. Quod si cor Re-

Prov. 21. v. 1.

gis allis tam largum & mite, vobis tam durum est & contractum; dilatate cor vestrum & consolamini, securi, quod Deus hoc medio destinaverit vos introducere in promissam terram cœli, ad quam vos prædestinavit. Num major dari poterit consolatio quàm ista? Nequaquam.

Nunc tandem intelligemus providentiam in aliqua inæqualitate absconditam, quam quotidie experimur: & nescio utrum illam benè adverteritis. Prætendens quispiam requirit, sollicitat, instat, rogat, negotiatur, largitur munera & subornat, & hoc modo expeditur: ejus competitor largiri impotens & hinc tantam non habens gratiam, suum negotium commendat Deo; suam causam consignat in manus S. Antonii: curat legi Missas de Beata Maria Virgine, *de bona expeditione*; & patitur repulsam. Hiccine negotiantis cum Deo fructus? Hæccine orationis virtus & efficacia? Hæccine intercessionis Sanctorum vis & potentia? imò verò. Illi pro vobis intercesserunt, hinc vos non estis expediti. Quidam Sanctus ex hoc concionatus pulpito dicta probabit. Erat in India quidam Nobilis, S. Francisco Xaverio insigniter devotus, prætendebat quippiam à Rege nostro *Joanne tertio* p.m. petebat commendatitias à S. Francisco Xaverio ad ejusdem socium Patrem Simonem Principis magistrum, maximoque loco apud Regem. Scripsit S. Xaverius; tenorque epistolæ erat talis. Dominus N. nostræ Societatis est amicus singularis, habens negotia apud Regem: quia huic nobili sumus obligati, peto à Reverentia Vestra, quatenus pro viribus, ejus expeditionem impedire conetur, quicquid enim benè expeditum venit in Indiam; benè expeditum vadit in infernum. Ecce intercessiones Sanctorum. Scitisne quare alius fuerit expeditus, vos verò minimè? quia ille favore valuit hominum, & vos intercessione Sanctorum. Sperabatisne vos benè expediri in infernum, si Petitionem vestram commendatis Beatæ Mariæ Virgini *De bona expeditione*? Gratias agite Deo, ejusque Matri, totumque hoc quod dixi, aut in hac materia dici potest, audite in quodam textu S. Pauli, *Quid oremus, sicut oportet, nescimus: ipse autem spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Nos nescimus, quid petimus: *Nescitis quid petatis*; nescimus petere nobis convenientia: *Quid oremus, sicut oportet, nescimus.* Et quid facit Deus nostræ prædestinationis & salvationis author, nobis huic contraria poscentibus? *Ipse autem spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*, Ipse Spiritus S. (inquit S. Paulus) pro sua infinita bonitate & misericordia petitiones nostras immutat, emendat ac ordinat: & ille ipse à seipso petit pro nobis gemitibus, qui declarari non possunt; *Gemitibus inenarrabilibus*: ità ut quando nos saluti contraria petimus in terra: Spiritus Sanctus gemat in cælo, nos facimus instantias; ille, ah! ah! ingeminat. Ah homo cœce non videns periculum cui te exponis! ah, quod misera illa anima seipsam eam perditum! ah, quod illud ambiat officium! ah, quod illam affectet judicaturam! ah, quod illud prætendat Gubernaculum! ah, quod obtento desiderio descendat in infernum! prætendit Brasiliam: in Brasiliam pergit, perit. Prætendit Angollam: Angollam profiscitur, & damnatur. Prætendit Indiam, transito Bonæ Spei Portu, omnis spes salutis abit. Ità Spiritus S. ad impediendum petita & tam anxiè prætensa gemit;

nam

nam neſcimus quid petamus : *Quid oremus, ſicut oportet, neſcimus.*

Quid ergò faciendum homini, poſt tot annorum ſervitia? nihilne prætendendum? id foret fortè conſultiſſimum, ſed non audeo exigere tantum; quia non video ſpiritum tantùm. Hoc tantùm dico, cùm cuique oporteat curæ eſſe ſuam ſalutem, etiam modum illam conſequendi eſſe oportere talem. Manibus miniſtri commenda ſupplicam; manibus verò Dei expeditionem, Domine, quid peram neſcio; quid meæ conveniat ſaluti tu nôſti ſolus; tu illud dirigas, tu diſponas & reſolvas. Hoc modo eritis expediti vel non. Si ſic; agedum veſtram acceptate ſatisfactionem, collationem, & proviſionem, timere incipientes & tremere: contingere enim poteſt; quod ipſa collationis chatta, Uriæ ſit Epiſtola. Urias in ſinu ſuo geſtabat Epiſtolam, putans eſſe expeditionem maximi momenti; & erat mortis ejus ſententia. Exiſtimatis in expeditione veſtra vos ferre remedium, & evenire poteſt vos mortis & condemnationis veſtræ ferre ſententiam. Nonne meliùs fuiſſet Pilato, non fuiſſe judicem? Caiphæ, non fuiſſe Pontificem? Herodi non fuiſſe Regem? Omnes iſti damnati propter officium: cùm ante oculos haberent Chriſtum. Verum ſi tam feliciter fueritis infelices, ut veſtram non aſſequamini expeditionem: iſtis & Sanctorum Joannis & Jacobi conſolamini exemplis. Si Chriſtus binos tam benè meritos non expedit vaſallos. Gaudete eſſe vos tam benè meritos. Si Chriſtus non expedit binos in ſuâ domo tam familiares & dilectos famulos; gaudete vos eſſe de domo Chriſti. Si Chriſtus non expedit duos amatos adeò & intimos diſcipulos, gaudete vos ſimiliter ab ipſo eſſe adeò amatos; & hinc ſcitote, cur Deus vos nec expedierit, nec expedire voluerit; neſcitis enim quid petieritis, vel ad quid prædeſtinati ſitis. In altera vita ampliùs, quàm in hac vivetis. Si hìc habueritis ærumnas: ibi habebitis refrigerium. Si hìc habueritis laborem; ibi habebitis quietem. Si hìc non habueritis loca magna & ſpatioſa; ibi loca & ſpatia habebitis ampliſſima: & ſi hìc vobis gratia defuerit hominum; ibi gratiam Dei ejuſque præmium habebitis vitam æternam.

Amen.

1. Reg. 27.



SERMO

DE

S. IGNATIO Fundatore Soc. JESU, Ulyssippone in Regali Collegio S. ANTONII Anno 1669. habitus.

Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum. Luc. 12.

§. I.

MIRABILIS Deus in Sanctis suis; sed in Sancto, quem hodie veneratur Ecclesia, singulariter mirabilis. Omnibus Sanctis Christus in præsenti mandat Evangelio, ut sint similes hominibus: *Et vos similes hominibus.* Sed quemadmodum ingens invenitur disparitas de homine ad hominem; sic & notabilis reperitur differentia de similitudine ad similitudinem. Aliis Sanctis Christus mandat, ut sint similes hominibus terreno servientibus Domino; *Hominibus exspectantibus Dominum suum.* At Ignatio Christus præcipit, ut sit similis hominibus cœlorum servientibus Domino. Quanta est distantia cœli à terra: tanta quoque est differentia inter similitudines. Aliis Sanctis Christus hoc tradidit Evangelium, dixitque illis, servite mihi prout homines serviunt hominibus: at S. Ignatio tradidit librum enarrantem vitas Sanctorum omnium, dixitque illi, servito mihi ad formam horum hominum. Hæc fuit facti species. Jacebat S. Ignatius (non rectè dico) jacebat Dominus Ignatius de Lojola gallicâ læsus glande in obsidione Pampilonæ, & velut excelsi vir animi, ægrè ferens jacturam unius Castelli, alia ædificabat majora in mente Castella pro sui mensura spiritus; Jam illi Navarra, protectio videbatur exigua, exiguus murus, Pyrenæi montes: Gallia, exigua acquisitio. Considerabat se belli Ducem, Hispanum, & victum: dolor etiam revocabat in memoriam prisca Hispaniæ spolia, Romam videlicet in Scipione; Carthaginem in Hannibale, Scythæ, Pelagii, Viriati, Lusii, Geriani, Hercules, hi viri erant, quibus ut assimilaretur fama ipsum animabat & inquietabat, saucium gravius honore Patriæ, quàm vulnere proprio. Hæc tantâ luctatione lassus librum petiit Historicum de rebus bellicis, temporis fallendi ergò. Sed ô Divina Providentia! unicus qui fuit inventus, liber erat de vitis Sanctorum. Huic quod debebat: meritò postmodùm

Luc. 12. v. 36.

dùm in libris solvit S. Ignatius. Sed ecce quantus in lectione bonorum librorum fructus! si liber iste egisset de rebus bellicis; S. Ignatius generosus & magnus evasisset miles; egit autem de vitis Sanctorum: & magnus evasit Sanctus. Si gesta legisset bellica, evasisset S. Ignatius Eques ordinis S. Jacobi sive igniti gladii. Legit autem vitas Sanctorum: & factus est Sanctus ardentis cerei, *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.* Accipit Ignatius librum; legit cum nausea in principio, paulò post sine fastidio: cum delectatione denique & fame deinceps, desiderio, aviditate, illuminatione, devotione, lachrymis. Ignatius hac raptus lectione, advertit aliam sibi repertam in mundo militiam, novam adeò atque hactenus incognitam. Ii siquidem, qui leges sui sequuntur desiderii uti vincuntur sine prælio; ità & artem ignorant bellandi. Hæc ipsi modò videbantur majora prælia, hæ fortiores resistentiæ, hæc gesta illustriora, hæ victoriæ glorioſiores: desiderabilliores hi triumphi. Extemplò se resolvit ad arma mutanda, & dandum sub Vexillo Christi militiæ nomen. Gladius, quo tam magnificè gloriabatur, primum fuit spolium quod in altari montis Serrati Deo obtulit ejusdem S. Matri. Accipe, inquiebat, Domina hunc gladium, sicut enim plurimi adversùm te hostes insurgent; ita quoque venient tempora, quibus gladius erit necessarius pro tuorum defensione attributorum. Legebat S. Ignatius vitas SS. Confessorum, & incipiens cum iisdem per despectum vanitatis, cunctum deposuit ornatum: & quemadmodum corpus exarmatum, ita quoque spiritus fuit armatus. Legebat vitas Anachoretarum, jamque ad deserta anhelabat & eremos: affectabatque speluncam de Manresa, in qua sepultus vitam finiret mundanam: inciperetque vivere ac sibi resurgere ad vitam novam. Legebat vitas Doctorum & Pontificum, & licet minimè placerent mitræ vel tiaræ, statuit discere ut doceret, & prima ponere rudimenta grammatices inter parvulos: cognoscens se spatio triginta trium annorum vitæ aulicæ & militaris, necdum hominem esse cœpisse. Legebat generosorum agones Martyrum; & sitiens proprium profundere sanguinem, qui tantùm fuderat alieni: martyrii studio iter vovet Hierosolymitanum, offerendo manus disarmatas vinculis, pedes compedibus, corpus carceribus, & pectus mucronibus Turcicis. Denique legebat vitas & itinera Apostolorum: & sonus tubæ Evangelicæ cunctis magis insonat auribus & placet. Pro fidei igitur dilatione totius concipit acquisitionem orbis, eundem ut legibus subjiciat Ecclesiæ: novumque construat super fundamenta & ruinas Apostolicas ædificium. Hæc lectio erat S. Ignatii, quam sibi simul applicando imprimebat animo. Sed quis novello Christi tyroni tunc dixisset, ut notaret isto in libro diem 31. Julii, & studiosè adverteret, hunc vacare locum; nosset que vitam vacantis ibidem Sancti suam fore, diemque hunc ferialem ac sine nomine diem fore sacrum Ignatio de Lojola Fundatori & Patriarchæ Soc. Jesu? Hæc sunt divinæ secreta Providentiæ: tanta vis gratiæ, tantaque nostræ capacitas naturæ.

Tantæ igitur Solennitatis obligationibus ut satisfaciam, nolo ampliorem ma-

materiam, quàm propositam modò facti speciem, nec plura volumina, quàm eundem librum: neque textus plures, quàm verba memorata. *Et vos similes hominibus.* Videbimus in duobus discursibus, Ignatium similem hominibus: & Ignatium hominem sine simili. Dicam adhuc breviùs, similem sine simili. Hoc erit assumptum, petamus gratiam. Ave Maria.

§. II.

HAbemus S. Ignatium cum libro suo in manibus, cum exemplaribus omnium Sanctorum ante oculos: & Deus ipsius instantem auribus, *& vos similes hominibus.* Tot instrumenta conjuncta! ingens hic opus molitur Deus. Conversurus Deus homines, eosdemque facturus sanctos, adamante expolit adamantem; & Sanctum unum, per alium efficit Sanctum. Sanctus fuit David: conversus est à Deo per alium Sanctum, Nathan Prophetam. Sanctus fuit Cornelius Centurio, conversus à Deo per S. Petrum. Sanctus Dionysius Areopagita, conversus per S. Paulum. Sanctus Augustinus, conversus per S. Ambrosium. S. Franciscus Xaverius, conversus per alium sanctum ipsummet S. Ignatium. Cum igitur ad unum sanctum faciendum alius sufficiat sanctus, cur Deus conjungit sanctos omnium retrò sæculorum, cur congregat sanctos omnium Ecclesiæ statuum, cur coacervat vitas, gesta, virtutes & exempla omnium Sanctorum, ut sanctum faciat Ignatium? Ratio est? quia his erat omnibus opus, ut tantum faceret sanctum. Ad alios faciendos sanctos unicus sufficit sanctus: ad sanctum faciendum Ignatium necessarii sunt omnes. Enoch ut sit sanctus, Setho similem esse sufficit. Ut Sanctus sit Joseph, Jacob assimilari satis est. Ut sanctus sit Josue, Moysi parem esse sufficit. Tobias ut sit sanctus, Jobo æqualem esse satis est. Elisæus ut sit sanctus, Eliæ conformari sufficit. Thimotheus ut sit sanctus, Paulo similem esse sat est. S. Ignatius ut sit sanctus tantus ac tam singularis, qualem Deus intendebat facere: non sufficit uni, non sufficit multis, necesse est omnibus similem esse sanctis. Hinc Christus in manus tradidit librum, vitas & heroica omnium Sanctorum gesta continentem, ipsos ut imitetur; & ad omnium efformetur similitudinem. *Et vos similes hominibus.*

Deus per os Davidis de filio suo loquens unigenito, se affirmat eundem genuisse in splendoribus omnium Sanctorum, *In splendoribus Sanctorum genui te.* Possunt hæc intelligi verba vel de verbi æternâ, ante incarnationem, vel de ejusdem verbi temporali, quâ incarnati, generatione. Et hoc secundo sensu illa intelligunt S. Augustinus, Tertullianus, Hesychius, S. Justinus, S. Prosper, S. Ilodorus & alii multi. Dicit itaque Pater æternus, quod filium suum mittens in mundum, eundem genuerit in splendoribus omnium Sanctorum. Christus namque (prout docet S. Theologia) non solùm causa fuit meritoria omnis gratiæ & sanctitatis; sed etiam causa exemplaris & prototypon omnium Sanctorum, quatenus omnes fuerunt sancti ad similitudinem Christi, imitando in illo & participando ab eo omnes virtutes & gratias, quibus splenduerunt. Et hoc sibi vult Ly, *in splendoribus Sanctorum.* Nam sicut astra omnia à Sole suum recipiunt splendorem,

Ps. 109. *v.* 3.

S. Aug. S. Tertul. Hesychius Justin. Prosper, Isidor, apud Lorin.

dorem,& quodlibet eorum simul est ejusdem Planetarum Regis speculum & figura resplendens, similiter omnes à Christo gratiam recipiunt Sancti: & ab eodem in se efformant omnes dotes & splendores sanctitatis, quibus illustrantur. Hinc annuncians Incarnationem Angelus non dixit, *Qui nascetur ex te sanctus*, sed, *Quod nascetur ex te sanctum*: Christus enim non tantùm Sanctus, sed Sanctus Sanctorum fuit. Sanctus Sanctorum, velut fons omnis sanctitatis per originem: & Sanctus Sanctorum, velut exemplar omnis sanctitatis ad imitationem. Hic universalis est modus, quo Christus omnes facit Sanctos: sed S. Ignatium, quem sanctum voluit facere adeò singularem, modo quoque fecit prorsus singulari: ità ut dicere posset in sensu tam excellenti quàm verò: *In splendoribus Sanctorum genui te.* Christus in splendoribus fuit genitus omnium Sanctorum: siquidem omnium est exemplar Sanctorum. Et S. Ignatius in splendoribus omnium fuit genitus Sanctorum; omnes siquidem Sancti fuerunt exemplar S. Ignatii. Christus non tantùm sanctus, sed Sanctus Sanctorum: nam ab ejusdem imitatione omnem sanctitatem receperunt Sancti. Et Ignatius non solùm sanctus, sed sanctus sanctorum: omnes namque sancti concurrerunt ad formandam sanctitatem S. Ignatii. Optimè novi, Christum solùm melius esse exemplar omnibus Sanctis simul sumptis, sed novi similiter, ut quispiam sit sanctus, sufficere, ut unum tantum imitetur Sanctum Christi imitatorem. Ità hoc ipsum prædicabat S. Paulus omnibus Apostolorum posteris: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*; sed Christus ad formandum S. Ignatium conjunxit omnem & omnium imitationem Sanctorum, ut Christum solus ipse imitaretur, quemadmodum universaliter omnes. Habuit se Deus in formando sancto Ignatio, veluti Zeuxes in pingenda Dearum Deâ Junone. Famosus hic pictor pulcherrimas ad se fecit adduci mulieres specie id temporis celebriores Aggrigenti, & imitando è qualibet partem excellentiorem quâ singulas exornârat natura, ipsam arte superavit naturam: lectissimam etenim cujusque congregando imaginem omni effinxit arte absolutissimam. Quod si ità est, casus fuit & fortuna: sed non scientia. Cum enim in symmetria consistat pulchritudo, etsi quæl bet partium secundùm se summæ foret pulchritudinis: omnes tamen simul sumptæ totum poterant componere minimè pulchrum. Contrarium invenitur in pulchritudine virtutum. Sicuti enim omnes inter se concordes non possunt negare harmoniam: ità ex quacunque parte fuerint imitatæ, necesse est ex eisdem resultare compositum excellens & admirabile, quale fuit, quod in S. Ignatio Deus voluit effingere. Hîc aptissimè quadrat versio ipsius Textûs: *In pulchritudinibus Sanctorum genui te.* Deus ob oculos sancto Ignatio posuit impressa isto in libro famosissima & pulcherrima Originalia sanctitatis, non unius regni aut sæculi, sed omnium ætatum & Ecclesiæ universalis: & S. Ignatius transfigurando in seipsum, ab uno humilitatem; ab altero pœnitentiam, ab hoc temperantiam, ab illo fortitudinem, ab isto patientiam, ab alio charitatem, & ab omnibus & singulis illam virtutem & gratiam, quâ eminuerunt, evasit Ignatius, qualis? S. Ignatius; imago virtutis excellentissimæ, imago perfectionis consummatissimæ, imago sanctitatis prodigiosissimæ; de-

Luc. 1. v. 35.

1. Cor. 11. v. 1.

Plinius lib. 35. cap. 9.

nique Sanctus non uni duntaxat similes & parilis Sancto, sed similis & parilis omnibus. *Et vos similes hominibus.* Intertogavit suos aliquando Christus Discipulos. *Quem dicunt homines esse filium hominis?* & responderunt Discipuli: *Alii Joannem Baptistam, alii verò Eliam, alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* Notabiles assimilationes hominum: & notabilior assimilatio Christi! si Christus similis erat Joanni Baptistæ, quomodo assimilatur Eliæ: si similis videbatur Eliæ, quomodo assimilabatur Jeremiæ? si similis credebatur Jeremiæ, quomodo assimilatur Joanni Baptistæ? in cæteris Sanctis aut Prophetis (*aut unum ex Prophetis*) adhuc major est admiratio; major etenim numerus erat & differentia. Si igitur Christus unicus erat homo, quomodo tot poterat assimilari hominibus? Quia non solùm in esse physico, sed etiam in esse morali (uti mox videbimus) erat factus ad similitudinem multorum: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Ubi S. Bernardus notat verba Apostoli, *hominum*, non *hominis*. Etsi ad multorum factus erat similitudinem, quid mirum, si pluribus assimilatur? Quisquis Christum videbat Baptisma instituentem, hic est, inquiebat Baptista, *alii Joannem Baptistam*; jejunantem conspiciens in deserto diebus quadraginta, hic est, ajebat Elias, *alii verò Eliam*; flentem intuens super Hierosolymam, Jeremias est iste, dicebat, *alii verò Jeremiam*. Eodem modo discurrebant, qui eum asserebant esse aliquem cæterorum Sanctorum vel antiquorum Prophetarum: *aut unum ex Prophetis.* Is qui admirabilem Christi sapientiam attendebat non studio acquisitam sed infusam: iste est, inquiebat Salomon. Qui novam in monte legem videbat publicantem: Moysem esse affirmabat. Qui per parabolas cernebat comparantem homines; hic Nathan est, ajebat. Qui peccatricis videbat admittendem obsequia mulieris; hic Oseas est, asserebat. Qui pernoctantem in oratione notabat; David est iste, inquiebat Qui laudatum à populo, exagitatum à Principibus conspiciebat; iste est, asseverabat, Daniel. Qui tanta humilitate injurias attendebat sufferentem; Michæas est iste, concludebat. Qui spectabat infirmos sanantem, mortuos resuscitantem! hic est, inquiebat, Elisæus. Ità ut copiâ miraculorum diversitatem causaret opinionum; & Christus in rei veritate unus duntaxat homo, in opinione esset multitudo hominum. Sed erat multitudo hominum in opinione, existendo unus tantum in rei veritate. Nam licet verè esset unus, erat tamen factus ad similitudinem multorum: *In similitudinem hominum factus.*

Matt. 16 v. 13.

Ad Philip. 2. v. 7.

Ah mi glorioſe Patriarcha! Si Vitâ S. Ignatii conscriptâ sine nomine, de ipso suscitaretur quæstio: *Quem dicunt homines?* nullus dubito quin totus mundus in diversas abiturus esset opiniones: nec foret qui facilè devinaret, quisnam iste Sanctus esset. Lachrymæ, quas pro peccatis vitæ præteritæ fundebat S. Ignatius, tam erant assiduæ, ut per eas solas visum amiserit; & opinaretur mundus ipsum esse S. Petrum. Integris octo diebus S. Ignatius raptus fuit in extasin, in qua Deus ipsi fundandæ revelavit institutum Religionis; & eundem Paulum esse, mundus æstimaret. Sanctorum nemo inimicos majores hosteſque habuit pertinaciores quàm S. Ignatius: sed vindicta quam de suis sumebat inimicis, est illa quam pro instituto suis reliquit

quit filiis, oratio erat pro ipsis ad Deum fusa : atque hunc S. Stephanum mundus arbitraretur. Tale erat magisterium spirituale S. Ignatii, regulæque perfectionis, quas docuit, tam benè fundatæ & solidæ, ut Sancti omnes post ipsum ab Ecclesia in numerum Sanctorum relati vel fuerint discipuli spiritus ipsius, aut illi sese conformârint : & S. Basilium mundus crederet. Tale S. Ignatius dominium sive imperium habebat in Tartarum, ut Dæmones ad vocem ipsius nominis hi adgeniculârint, alii tremuerint, isti velut exanimes in terram corruerint, universique è corporibus obsessis fugerint : & mundus judicaret hunc esse magnum illum S. Antonium. Peccatoribus repugnantiam ostendentibus sua exponendi in confessione scelera, enarrabat S. Ignatius transactæ vitæ suæ peccata, ipse primus suo confitens pœnitenti Confessarius, ut pœnitens similiter confiteri non erubesceret Confessario; & consideratis hisce confessionibus mundus putaret esse S. Augustinum. Nullum fuit necessitatis vel miseriæ genus, quod non lenierit charitas S. Ignatii, pauperes, infirmi, orphani, viduæ, turpis & profligatæ vitæ mulieres apud sanctum Ignatium invenerunt remedium : & mundus hunc autumaret ipsum esse S. Nicolaum. Magnus ille vir, doctissimus & religiosissimus Pater Ludovicus Granatensis, unum è maximis mundi mirabilibus, quæ Deus fecit in mundo, asserebat extitisse S. Ignatium ejusdemq; institutum : cum verò huic Religioni tam eximiæ S. Ignatius nomen dederit non suæ, sed Minimæ (hinc mundus censeret esse S. Franciscum de Paula. Sed antequam ulterius progrediamur : si cui plures viderentur hujus mundi assimilationes majorq; opinionum varietas, quàm ut omnes in uno queant conjungi homine, is multitudinis meminerit exemplarium, quibus eum Deus voluit esse similem, jussitq; per traditum in manus librum, dicens : *Et vos similes hominibus.* In qualibet hujus libri pagina indecisè legi poterat nova hujus glorioſi & numerosi problematis opinio. Non semel, sed sæpiùs vidit S. Ignatius (quantum in hac videri possunt vita) essentiam, attributa, personas, & processiones divinas, &c. Quis non arbitretur ac dicat hunc esse S. Benedictum? Talis fuit comprehensio, quam è sacris Scripturis habuit S. Ignatius ante etiam quàm studuisset, ut Scripturæ (veluti temporibus Esdræ) perditæ, in ipsius fuisset inventæ memoriâ : & quis non putet ac dicat hunc esse S. Bernardum? Obediebant imperio S. Ignatii, incendia, tempestates, terra, mare, ignis, venti; & quis non suspicetur ac dicat, hunc esse S. Gregorium Thaumaturgum? Eodem tempore & instanti fuit S. Ignatius Romæ simul & Coloniæ, ut satisfaceret unius duntaxat filiorum suorum ipsum videre unicè desiderantis devotioni; & quis non existimet & dicat, hunc esse S. Antonium de Padua? Resuscitavit sanctus Ignatius non pauciores quàm novem mortuos; & quis non judicet dicatque hunc esse S. Patritium? Ipse Mars fuit Ecclesiæ, & malleus hæreticorum, & dicetur non absque ratione S. Athanasius. Ipse adamas fuit constantiæ contra vitiorum impetum, & contra vim Potentum : & dicetur S. Chrysostomus. Ipse fuit restaurator divini cultus ac frequentiæ sacramentorum; & Sylvester reputabitur. Ipse fidei instituit seminaria Romæ & per orbem Christianum universum, & videbitur S. esse Gregor. Ipse est, qui sacris subdidit

Evangelicis legibus omnes utriusque orbis Gentiles : dicentque & de novo inquirent duo mundi, quisnam est iste sanctus, vel quinam in uno sancto sancti ? Denique si mundus nesciret, magnum hunc sanctum esse S. Ignatium : non foret insignis aliquis in Ecclesia sanctus, de quo formari alia posset opinio, quam quod hic idem ipse esset. Sed omnes similes erant Ignatio: Ignatius namque similis erat omnibus : *Et vos similes hominibus.*

§. III.

EGo saltem sublimem adeò discursum probare non præsumerem, nisi cœlum (cujus est assumptum) in se reciperet probationem. Dispicite utrum probârit ipsum evidenter, eleganter, & acutè. Infirmum Ignatium & in extremis constitutum visitaturus advenit Eminentissimus Cardinalis Pachecco adducens secum insignem pictorem, qui ex quodam loco visum sanctum non visus ab ipso depingeret furtivè, abdit se pictor, intuetur S. Ignatium, format ideam, applicat ad quadrum penicillos, & faciem incipit delineare : revertitur ad aspiciendum. Res mira ! quem viderat ante, non erat similis huic ; quem videt modò, non eadem erat facies, non eadem figura; sed alium plurimum à prima diversa. Pictor admiratus à cœpta desistit delineatione; secundam orditur picturam. Tertiâ demùm vice renovat intuitum (novum miraculum) secundum quoque Prototypon disparuerat, & Ignatius jam tertiò mutatus novum induerat vultum novis lineamentis, novo colore, nova proportione, & nova figura. Pictor jam cassum laborem pertæsus ab ulteriori potuisset cessare conamine ; sed hoc ipsum animavit miraculum, ad prosequendum quod cœperat opus. Instat vice repetitâ, aspicit, iteratque aspectum, delineat, & ad delineandum revertitur. Sed cum idem esset objectum : nunquam idem, quod ante viderat, objectum poterat invenire. Quotiescunque enim intuitum applicabat, & iterabat, toties diversæ erant facies ; & totidem figuræ novæ, quibus hic ipse sanctus repræsentabatur. Obstupuit pictor destititque à pictura. Stupuêre omnes videntes inceptorum varietatum delineamentorum. Et ego quoque admirare volo hujus intuitu prodigii ; & mihi tantum placet admirari prodigium. S. Ignatius nunquam duos habuit vultus; quantò minus tot? fuit aulicus, fuit miles, fuit Religiosus; & nunquam mutavit colorem vel vultum. Servivit in aula Ferdinando Regi Catholico : & maximus ipsius ornatus fuit color unicus, & expressæ vultu affectiones animi. In vultu ipsius amorem intuebantur amici, nauseam inimici, sinceritatem Princeps : adulationem nemo. Miles plumbeas inter glandes nunquam mutavit colores : æquali in comœdia animo & in prælio. Dissidium aliquando fuit ipsum inter & generosum quendam ac potentem; & refert historia, ipsum solum solo gladio occurrisse integræ gladiatorum turbæ, nec vel unicum pedem cessisse loco : brachium quidem cæteraque membra mutabant actiones; sed faciei non immutabat colores. Factus Religiosus semper exemptus fuit à jurisdictione fortunæ, neque tamen idcircò exemptus à vicissitudinibus mundi. Tam enim erat æqualis animi ejus constantia & serenitas ; ut nemo in ipsius potuerit invenire vultu perturbationem aut mutationem. Idem in successibus prosperis,

sperís, qui in adversis; in prosperis absque signo lætitiæ; in adversis sine umbra tristitiæ. Quapropter si eodem semper Ignatius fuerit vultu, si eundem habuerit semper & conservarit aspectum, quam nunc ob rationem in tot transmutatur formas & figuras, dum in ipsius depingendi laboratur effigie propter hanc ipsam rationem. Erat namque Ignatius unus, sed similis multis: & qui multis erat similis, in multis solummodò poterat effigiari figuris.

Christus antequam appàruisset in mundo, suam præmisit effigiem, ut omnes homines ipsam recognoscerent & amarent. Sed quænam fuit Christi effigies? casus admirabilis nostræ firmandæ intentioni! effigies Christi (prout omnes docent Patres) fuit effigies ex multis figuris composita. Una figura Christi fuit Abel, altera Noë, hæc figura Abraham, illa Isaac; ista figura Joseph; alia Moysis, alia Samsonis, Jobi, Samuelis, Davidis, alia Salomonis & aliorum: Veruntamen si unus erat effigiatus, & una similiter effigies, quomodo effigiatus in tot ac tam diversas figuras? Quia perfectiones Christi, licet in inferiori gradu, non inveniebantur nec inveniri poterant collectæ in uno duntaxat homine: & quia in multos homines erant dispersæ, hinc in multis est adumbratus figuris. Christus ipsa erat innocentia, ideò effigiatus est in Abelo: eras ipsa puritas, hinc est effigiatus in Joseph: ipsa mansuetudo, idcircò effigiatus in Moyse: ipsa fortitudo, propterea effigiatus in Samsone: ipsa charitas, patientia, obedientia, constantia, justitia, pietas, ipsa denique erat sapientia, eâ de causâ figuratus in Abraham, Isaac, Noë, Job, Samuel, David, Salomone: ita ut unica duntaxat effigies, in multas tamen figuras esset divisa; in multas etenim figuras solummodò cadere poterant perfectiones effigiei. Similis fuit effigies S. Ignatii, veluti facta ad multorum similitudinem. *Et vos similes hominibus.*

Sed non immorabor applicationi; idem enim video accidisse Ezechieli in effigie S. Ignatii, quod pictori Romano.

Vidit Ezechiel currum mysteriis plenum, qui super quatuor vivas movebatur rotas, & vocabatur currus Gloriæ Dei. Hunc currum quatuor ænigmatica trahebant animalia, quatenus singula facicbus, scilicet Hominis, Aquilæ, Leonis, & Bovis: quibus quatuor mundi partes respiciebant. Deluper in throno Saphirino homo apparebat ignitus? *à lumbis desuper, & à lumbis deorsum, quasi species ignis splendentis.* Hunc currum repræsentâsse Religionem Societatis Jesu, à multis fuit affirmatum authoribus. Vocabatur currus gloriæ Dei: istud namque Symbolum S. Ignatii: *Ad majorem Dei gloriam*; ferebatur quatuor rotis: hæc siquidem est differentia Societatis. Aliæ Religiones generaliter tribus firmantur rotis, id est, tribus votis essentialibus, sed Societas quatuor: Voto obedientiæ, paupertatis, castitatis, cum cæteris: & quarto voto obedientiæ particularis Summo Pontifici. Respiciebant quatuor animalia simul quatuor mundi partes, nam hic finis est & institutum Societatis, ire, vivere, vel mori in quacunque mundi parte, ubi majus speratur Dei obsequium & lucrum animarum. Habebant faciem Hominis, Aquilæ, Leonis, Bovis. Hominis, ob conversationem familiarem cum proximo. Aquilæ,

Ezech. 1. v. 27.

læ, ob ſcientiam ſcribendi ac docendi: Leonis propter fortitudinem, quâ reſiſtunt inimicis fidei: Bovis, propter laborem, quo Chriſtianum colunt agrum, toties de aratro tranſeuntes ad ſacrificium. In populo homines, in campo boves, in ſylvis leones, in nubibus aquilæ. Et ne hæc expoſitio auditorum libero relinquatur arbitrio: ubi Scriptura loquens de iſtis animalibus inquit, *animalia tua*; legit Arias Montanus, *Viri Societatis tuæ*. Homo ignitus in ſummitate currus viſus non indiget explanatione: illo ſignificatur Ignatius, igneus, flagrans, & ardens. Hoc ſuppoſito.

Pſal. 67. v. 11.

Arias Mont.

Vidit Ezechiel hominem iſtum igneum triumphantem in curru, cupienſque deſcribere ejus ſimilitudinem: *& de medio ignis, quaſi ſpecies*, ſcripſit has ſeptem literas: C.H.A.S M.A.L. uti habentur in originali Hebraico: ex cujus textu loquor. Poſito quod hæ literæ ſimul ſumptæ ſonent (*haſmal*, verbum dubiæ ſignificationis, & quod tantùm ſemel in hoc loco in ſcripturis invenitur; Cabaliſtæ tamen, prout refert Cornelius, volunt has literas eſſe ſymbolicas: quarum inveniuntur multa exempla & myſteria in ſacro Textu. In literis, quas vidit Balthaſar, interprete Daniele, tria verba tres indicabant ſententias: neque plus aliquid ſcriptum erat quàm initium ſingularum. In quatuor literis nominis Adam (ſicut notavit S. Juſtinus) & poſt ipſum in diverſis locis ſanctus Auguſtinus, ſignificavit Moyſes quatuor partes mundi: quatuor namque literæ nominis Adam, ſecundum Textum græcum, ſunt quatuor literæ initiales, quibus ſcribitur Oriens, Occidens, Septentrio, & Meridies. Eodem modo legimus in tertio libro Regum, quod Semei maledixerit David *maledictione peſſimâ*: & in Hebræo, prout declarat ſanctus Hieronymus, verbum iſtud conſtant quinque literis, quarum quælibet integram ſignificat dictionem, & quælibet maledictionem particularem, ab ipſa incipientem litera. Denique (ſi fides habenda ſit Corraſio) hoc fuit myſterium, quo Sybillæ ſcripſerunt has quatuor literas S.P.Q.R. quas Romani ſuis inſeruerunt vexillis, per ipſas denotantes, *Senatus Populuſque Romanus*; cum earum genuina eſſet ſignificatio, *Salva Populum Quem Redemiſti*. Revertamur modò ad propoſitum noſtrum & literas: ſenſus ſit allegoricus vel accommodatitius: prout doctis magis placet. Vidit Ezechiel hominem igneum in ſummitate currus; ſcribere voluit & explicare ejus ſimilitudinem, *& de medio ignis quaſi ſpecies*; & ſolùm reliquit in iſtis literis arcanis notatum non quam habebat ſimilitudinem; ſed principia ſimilitudinum, quibus ſibi repræſentabatur: quaſi accidiſſet Ezechieli in Ignatio, idem quod Pictori Romano. Progrediamur ſimul. Intuitus eſt Ezechiel hominem ignitum, & vidit Ignatium perſecutionibus exagitatum; perſecutum à domeſticis & extraneis, ab hæreticis & Catholicis, à ſæcularibus & Religioſis perſecutum in ſeipſo, & in ſuis filiis: in vita & poſt mortem: in terræ & in cœlum uſque perſecutum. Quia verò oculi Prophetici omnia penetrant tempora; Sanctus tantis exagitatus perſecutionibus ipſi videbatur eſſe S. Clemens, & ſcripſit unum C. Revertitur ad intuendum, & ad meliùs firmandum ſe in eo quod viderat, jamque alia erat repræſentatio. Vidit in ſpecu Ignatium cum cruce & cra-

Corn. à lap.

Juſtin. Auguſt.

3. Reg. 2. v. 8.

Apud Theop. in Cabal.

cranio ante se, prostratum humi, cinctum cilicio, infinitas fundentem lachrymas, jejunantem, vigilantem, orantem, catenis ferreis corpus castigantem, contra tentationes fortiter luctantem; & nudum pectus duro lapide ferientem, persuasit sibi Ezechiel hunc esse S. Hieronymum, jamque scripserat unum H. cum subitò mutatus Ignatius, in novâ se ostendit specie. Erat hic Sanctus tantus isto tempore idiota, ut non plus nôsset literarum quàm A. B. C. sed mox cœlesti illuminatus radio; librum scribebat de altissimo sanctissimæ Trinitatis mysterio, cum definitione essentiæ, cum numero & unitate attributorum, cum æqualitate personarum, cum distinctione relationum; cum proprietate notionum; cum ordine emanationum & processionum divinarum: & hoc totum cognitione tam clarâ & profundâ, ut Propheta resolverit hunc non esse alium quam S. Athanasium, conscribentem Symbolum. Formavit unum A. sed formatâ vix literâ, Ignatius jam alterâ erat vice mutatus. Repræsentabatur vestitus ornamentis Sacerdotalibus, & vivum tenens manibus puerulum (qualis ipsi casus frequenter accidit) circa illud tempus Missæ; quo maximis devotionis affectibus sacram desiderabat Hostiam sumere, cortinas accidentium suorum Christus removebat, & ut amabiliorem sese suo monstraret servo, apparuit illi in forma pueruli: Ezechiel hoc modo ipsum in habitu Sacerdotali cum puerulo Jesu in manibus visum, arbitratus fuit esse S. Simeonem, scripsitque unum S. Nihilominus mox suum recognovit errorem: ex Originali suo prodigioso, in novam etenim figuram mutatum fuerat. Monstrabatur in habitu egregii militis S. Ignatius exornatus plumis, aliisque ornamentis, pauperem juxta se habens mendicum: tollebat pileum, tollebat pallium, propriisque se spoliando vestibus, operiebat iisdem mendiculum. Miles, & exuens seipsum, ut vestiat pauperem, iste S. est Martinus, inquit S. Propheta. Formavit itaque unum M. sed novam denuò metuens mutationem objecti, quæ & facta est. Erat Ignatius raptus in aëre brachiis pendulis, vultò inflammato, oculis in cœlum fixis; accusando cum suspiriis brevitatem noctis; & conquerendo soli de exiguis momentis quibus sibi ortus fuerat in occasu, & occiderat in Oriente. Propheta persuasus magnum Ignatium esse magnum Antonium, exaravit secundùm A. at divinus Proteus, non absque cura; subitò vidit incendium de terra ascendens in cœlum, atque in ejusdem medio Ignatium incensum vivis flammis ignis & zeli amoris divini; ignis & zeli amoris proximi. Et licet Ezechieli videretur esse S. Laurentius, signavit unum L. attamen tot præcesserant transfigurationes, & tam diversæ formæ, quibus mutavit Ignatius faciem, gestus, actiones; ut tandem agnoverint oculi Prophetæ veritatem, uti agnoverunt pictoris. Hoc modo imperfecta permansit utraque pictura: cœlum & terra agnovit, quod effigies Ignatii non posset ad unam duntaxat reduci figuram: aut in unica tantùm depingi effigie, ac veluti cæteri Sancti, qui factus erat ad similitudinem omnium: *Et vos similes hominibus.*

§. IV.

Vidimus Ignatium similem hominibus: superest ut videamus Ignatium

tium hominem sine simili. Sed ex eodem, quod asseruimus, difficultas nascitur & dubium nobis resolvendum. Si Ignatius tot fuit hominibus similis, quî potest fuisse homo sine simili Ignatius : si adeò similis erat, & tot, quomodo non habebat nec habuit similem? S. Thomas dando rationem, cur Ecclesia applicet diversis aliis Sanctis illa ipsa verba de Abrahamo enunciata, *Non est inventus similis illiqui conservaret legem excelsi*, hanc ait esse causam : gratiam videlicet & prærogativam specialem, quâ Deus solet singularem reddere quemlibet Sanctorum, & respectivè sanctiorem facere cæteris. Sed non habet ista ratio locum in S. Ignatio : siquidem jam vidimus, Deum ipsi dedisse loco exemplaris omnes Sanctos, ipsumque fuisse similem non uni sed omnibus; imitando quemlibet in illa gratia & perfectione, in qua fuit excellentior. Cardinalis Hugo inquit, ista verba. *Non est inventus similis illi* : esse intelligenda de illo sæculo, in quo quilibet Sanctorum floruit: & hinc videmus, posteaquam datum fuisset hoc Abrahamo elogium, similiter datum fuisse Job, *Quod non sit similis illi in terra* : quilibet namque in suo sæculo fuit singularis, nec similem habuit. Sed neque hæc ratio Sancto Ignatio convenit : Sancti enim, quos Deus ipsi proposuit in universali illa chronica, in cujus ipse se composuit speculo, suumque concepit vivendi modum, non fuerunt hi Sancti singulares unius tantùm sæculi : sed Sancti omnium ætatum & omnium sæculorum. Si igitur S. Ignatius similis fuit tam multis qui potest subsistere, similem non habuisse? Dico quod valdè facile, si distinxerimus partes & totum. S. Ignatius sumptus secundùm suas partes, erat similis : sumptus secundùm se totum, non habebat similem. Attendite num hoc probem.

D. Th. apud Pinam hic.

Hugo hic.

Job 1. v. 8.

Creato cœlo & elementis, in cœlo creavit Deus Angelos, in aëre aves, in mari pisces, in terra plantas, animalia, & ultimò hominem. Nihilominùs cum hoc universum tantâ esset repletum, & ornatum immensitate & varietate creaturarum, sacer tamen inquit textus, quod in omnibus istis non inveniebatur una, quæ similis esset homini: *Adæ verò non inveniebatur adjutor simi is ejus.* Mihi potiùs videtur dicendum fuisse contrarium : demonstrativè namque evincitur, non inveniri creaturam ullam in toto mundo, quæ non habeat similitudinem cum homine. Universæ creaturæ mundi hujus (non loquendo de homine) vel vivunt, vel non vivunt, si non vivunt : sunt cœli, elementa, petræ; si vivunt : vel vivunt vitâ vegetativâ, ut sunt plantæ, vel vivunt vitâ sensitivâ ut sunt animalia; vel vivunt virâ rationali ut sunt Angeli : & omnia hæc inveniuntur in homine. Homo enim ab elementis habet corporeum, à plantis vegetativum; ab animalibus sensitivum : ab Angelis rationem. Hæc fuit ratio & sensus (uti notavit S. Augustinus) quo Christus appellavit hominem omnem creaturam, dicens Apostolis, *Prædicate omni creaturæ* Homo siquidem universale est compendium omnium creaturarum : & omnes creaturæ secundùm suam propriam naturam, sunt aggregatæ & quasi effigiatæ in homine. Jam si universæ creaturæ in hoc mundo à Deo creatæ, tantam habent cum homine similitudinem, & homo suâ propriâ naturâ non uni, vel aliquibus tantum, sed omnibus similis est creaturis : quomodo igitur

Gen. 2. v. 20.

August.

Marc 16. v. 15.

igitur ſacer dicit textus, quod inter omnes creaturas non inveniebatur ſimilis homini; *Non inveniebatur ſimilis ejus.* Quia licet homo conſideratus ſecundùm ſuas partes omnibus ſimilis eſſet creaturis; conſiderato tamen toto homine, vel homine ſecundùm ſe totum, nulla ipſi erat alia creatura ſimilis. Partes erant ſimiles: totum non habebat ſimile. Ità ut eadem ſimilitudo quam creaturæ habebant cum Adamo, diviſa & per partes eſſet ſimilitudo: unita & conjuncta eſſet differentia. Pari quoque ratione S. Ignatius reſpectu omnium Sanctorum, quem ego ſemper reſpicio. Sanctus Ignatius ex parte ad partem erat ſimilis: Sanctus Ignatius totus non habebat ſimilem. Adam ſimilis ſine ſimili inter omnes creaturas: Sanctus Ignatius ſimilis ſine ſimili inter omnes Sanctos.

In eodem textu Eccleſiaſtici habemus confirmationem admirabilem hujus diſſimilitudinis compoſitæ & fundatæ in multis ſimilitudinibus. Dicit textus Abrahamum non habuiſſe ſimilem: *Non eſt inventus ſimilis illi.* Et pro probatione hujus elogii & propoſitionis tam ſingularis, idem textus mox enumerat excellentias & prærogativas Abrahami. Sed valdè eſt notatu dignum: in omnibus quæ ibidem enarrantur de hoc magno Patriarcha, alios fuiſſe Patriarchas ipſi ſimiles. Textus inquit Abrahamum recepiſſe & obſervaſſe pactum circumciſionis: *In carne ejus ſtare fecit teſtamentum*: & hoc ipſum fecit Moyſes. Ait textus ipſum fuiſſe fidelem, offerendo in ſacrificium ſuum filium, *Fidelis in tentatione inventus eſt* & idem fecit Jephte. Narrat textus, quod Deus illum fecerit creſcere in mundo, *Creſcere illum dedit, quaſi terræ cumulum* & idem habuit Joſeph. Refert textus dediſſe ipſi Deum pro hæreditate terram à mari uſque ad mare, & à flumine uſque ad fines terræ: *Hæreditare à mari uſque ad mare, à flumine uſque ad terminos terræ*: & idem expreſsè legitur de Salomone. Aſſerit textus Deum ipſi dediſſe benedictionem omnium gentium, *Benedictionem omnium gentium dedit illi.* Eandemque benedictionem iiſdemque verbis dedit idem Deus Iſaaco. Si igitur Moyſes, Jephte, Joſeph, Salomon, Iſaac ſimiles fuerunt Abrahamo, in iiſdem gratiis, in iiſdem excellentiis, in iiſdem prærogativis, quomodò divinum inquit oraculum: *Non eſt inventus ſimilis illi*: ſcilicet Abrahamo? Quia multùm refert prærogativas eſſe diviſas in multis, vel eſſe conjunctas in uno tantùm: *Et quæ diviſa beatos efficiunt, collecta tenes.* Abraham diviſus & per partes, multos habuit ſimiles: Abrahamo toti & unito, nullus fuit ſimilis. Similitudines Abrahami diviſæ, quemlibet Abrahamo faciebant ſimilem; ſimilitudines Abrahami unitæ reddebant Abrahamum diſſimilem omnibus: *Non eſt inventus ſimilis illi.* O Abraham! O Ignati! Abraham ſimilis omnibus Patriarchis: ſed inter omnes Patriarchas ſine ſimili. Ignatius ſimilis omnibus Sanctis; ſed inter omnes Sanctos ſine ſimili. Si minus, videamus hoc in effectibus.

Eccl. 44. v. 20.

Ibid. v. 21.

Gen. 17. v. 11.

Eccl. 44. v. 22.

Claudian.

Pro effectiva hujus differentiæ probatione teſtimonium habeo legale admodum & impartiale: eò quòd maximi teſtimonium ſit inimici. In Germania quendam obſederat hominem diabolus adeò fortis & rebellis, ut cunctis ſeſe opponeret ac reſiſteret: applicata illi fuerunt omnia remedia naturalia & divina: repetiti multis vicibus exorciſmi; ſed nulla voluit ratione diabolus cedere. Exorci-

ſta ſtatuit totum invocare cœleſtem exercitum contra ſuperbum & contumacem hunc ſpiritum, & per ordinem recitare Litanias hoc modo : S. Michael, S. Gabriël, omnes SS. Angeli & Archangeli : ſed irridet omnia. S. Joannes Baptiſta, omnes SS. Patriarchæ & Prophetæ : at nihili facit diabolus. S. Petre, S. Paule, omnes SS. Apoſtoli & Evangeliſtæ : effectus nullus. S. Stephane. S. Laurenti, omnes SS. Martyres : qualibet vice magis rebellis. S. Gregori, S. Ambroſi, omnes SS. Pontifices & Confeſſores : omnes SS. Doctores : pertinacior atque ferocior. S. Antoni, nihil. S. Benedicte, ſicut ante. S. Bernarde, tantundem. S. Dominice, adhuc contumax. S. Franciſce, eâdem pertinaciâ ſubſiſtit. S. Ignati, audito hoc nomine S. Ignatii mox fugit diabolus, deſerit hominem : diſparet, nunquam de inceps reverſus. Revertere huc diabole & exſpecta. Quamvis malignus & ſuperbus, nonne es rationalis? nonne præditus intellectu? Imò verò. Si igitur reſiſtis Apoſtolis, quibus Chriſtus ſuper te dedit poteſtatem : ſi reſiſtis Patriarchis & Prophetis, Confeſſoribus, Pontificibus, Doctoribus, Martyribus, quare ad ſolum vinceris nomen Ignatii? ſi arbitraris, ex hoc me præſumpturum, S. Ignatium eſſe majorem aliis Sanctis, deluſus es : nihil mihi tale in mentem venit : nec filius eſſem S. Ignatii, ſi hoc exiſtimarem. Eſſe ſine ſimili (hoc eſt quod dico) non ſignificat majoritatem; ſolam notat differentiam. Et iſta eſt differentia, quod diabolus magno ſuomet dolore confeſſus ſit cum effectu, non obediendo invocationi cæterorum Sanctorum, & ſubjiciendo ſe ad nomen duntaxat S. Ignatii, ut cognoſceret mundus per iſtud publicum teſtimonium inferni [vel veræ providentiæ & omnipotentiæ divinæ) in concurſu omnium Sanctorum adhuc ſine ſimili eſſe S. Ignatium.

Gladio, quo David gigantem Goliath interemit, non fuiſſe alium ſimilem, idem aſſerit David: *Non eſt alter huic ſimilis.* Et quid præſtitit iſte gladius, quod non fuiſſe ipſius ſimilem, de eo dicatur? Idem in provocatione Davidis, quod in hoc caſu fecit S. Ignatius (qui & ipſe aliquamdiu gladius fuit ejuſdem, cui poſtmodum caput amputavit) armatus in campum exiit ſuperbiſſimus gigas, provocavit totum Saulis exercitum, omnes duodecim tribus Iſraël : neque inventus fuit in omnibus vel unicus gladius, qui ſt ingeretur contra tam potentem, tumidum, & bellicoſum hoſtem. Inter diabolos ſunt quoque gigantes, iique tam fortes & bellicoſi : ut contra poteſtatem maximorum Sanctorum ſeſe oſtentent invincibiles. Hoc experti ſunt Apoſtoli in terribili illo diabolo, de quo retulerunt Chriſto : *Non potuimus ejicere eum*, Goliath horum gigantum ſuperbiſſimus erat ſpiritus, quem vicit S. Ignatius. Provocavit contra ipſum exorciſta totum Beatorum exercitum : & omnes duodecim Cœli Tribus. Numerate utrùm fuerint duodecim. Provocavit Angelos & Archangelos : Patriarchas & Prophetas : Apoſtolos & Evangeliſtas : Confeſſores & Pontifices : Doctores & Martyres : Sacerdotes & Levitas. Fuit ne quiſpiam hoc caſu, qui ipſum vinceret vel ſubjiceret? Nullus. Solus illum Ignatius quantumvis rebellem expulit, ſolus ipſum Ignatius quantumlibet obſtinatum ſubjecit : ſolus ſanctus Ignatius vicit adeò invincibilem. Fateatur itaque diabolus, fateatur infernus, & cœlum quoque, Ignatium inter omnes Sanctos eſſe gladium

1. *Reg.* 21. *v.* 9.

Marc. 9. *v.* 27.

Davi-

Davidis, quodque ipsi (uti & illi) debeatur elogium & gloria, non habentis similem: *Non est alter huic similis.*

§. V.

UT hæc differentia cognoscatur evidentissime pateatque oculis, respiciamus veram S. Ignatii effigiem. Ignatium nemo potest depingere, prout jam vidimus: sed solus seipsum depinxit S. Ignatius. Et quænam est vera pictura, quænam est vera effigies? Vera effigies S. Ignatii est iste, quem gestat manibus Instituti sui Liber. Optima cujusque effigies est hoc ipsum, quod scribit. Corpus penicillo: animus depingitur calamo. Ovidii in Ponto exulantis amicorum aliquis ejusdem insculptam lapillo annuli gestabat effigiem: at ille suos ipsi versus misit, hos, inquiens, veram suam esse effigiem. *Grata tua est pietas, sed carmina major imago, sunt mea quæ mando.* Seneca legens chartas Lucilii, dicebat se eum videre: *Video te Lucili, cùm maximè audio.* Et Author hisce melior S. Augustinus graviter dixit, quod quamdiu Deum non videmus propria facie, illum videre valeamus velut in imagine in scripturis ejus: *Pro facie Dei pone interim scripturam Dei.* Prima Dei imago est Verbum generatum: secunda Verbum scriptum. Verbum generatum est effigies Dei, *ad intra*: Verbum scriptum est effigies Dei, *ad extra*. Et quemadmodum Deus sese depinxit in libro suarum scripturarum: ita Ignatius sese depinxit in libro suarum. Depinxit se Ignatius de uno in alterum librum. Liber vitas Sanctorum enarrans fuit originale, cujus S. Ignatius est copia: Liber instituti Societatis, est copia cujus S. Ignatius est originale Sed cùm hoc ita sit; certum est, Institutum S. Ignatii, multùm differre ab aliis institutis. Si igitur Patriarcha factus sit ad similitudinem aliorum Patriarcharum, & Institutum ad similitudinem aliorum Institutorum, quomodo fuit Patriarcha tam diversus, & institutum tam dissimile? Quia S. Ignatius quatenus imitatus est alius Patriarchas, & quatenus alia est imitatus Instituta, quamvis assumpserit genera, non tamen assumpsit differentias: genera erant aliena, differentiæ erant suæ. Deus homo factus est per altissimum mysterium Incarnationis, & profundè notavit D. Thom. (sicut jam ante notaverat S. Joan. Damascenus) quod faciendo se Deus hominem, non solùm assumpsit & sibi univit naturam humanam; sed etiam omnes alias naturas quas creaverat. Per creationem exierunt à Deo omnes naturæ, per incarnationem reversæ sunt omnes naturæ, & unitæ Deo. Sed quâ ratione facta est hæc universalis unio? quomodo Deus sibi omnes univit naturas? D. Tho. ait; *Communicavit se Christus homini, & per consequens omnibus generibus singulorum.* Assumpsit Deus in homine (inquit D. Thom.) non solùm naturam humanam: sed etiam naturas omnes. Verùm non assumpsit earum differentias, sed genera. Assumpsit genus elementorum in corporeo: & quamvis potuisset esse elementum, sicut illud ignis Rubi, non assumpsit tamen differentiam hujus elementi. Assumpsit genus plantarum in vegetativo, & licet potuisset esse planta velut arbor vitæ: non tamen assumpsit differentiam plantæ. Assumpsit genus animalium in sensitivo, & quamvis esse potuisset animal, veluti columba Jordanis; non tamen assumpsit differentiam animalis. Assumpsit genus Angelorum in rationali, & licet potuisset esse Angelus veluti Gabriel: non tamen assumpsit differen-

Ovid. de Ponto. Senec. Epist. 55.

August. serm. 109 de temp.

D. Thom. opusc. 60. & 3. p. q. 1. art. 1. Damasc. serm. 1. de Nativ. Virg.

rentiam angeli. Ità ut Deus assumpserit in homine omnes alias naturas quantum ad genera: sed non quantum ad differentias Genera namque erant creaturarum: differentiæ erant Christi. Similiter fecit magnus Christi imitator Ignatius, univit sibi omnes Patriarchas, univit suo instituto omnia Instituta: sed genera assumpsit: addidit differentias. Genera assumpsit, & hinc est similis; addidit differentias, & hinc non habet similem. Pro gloria universali omnium Patriarcharum. & pro gloria singulari Patriarchæ nostri (siquidem præsens ipsi sacer est dies) videamus unico verbo ista genera & differentias. Loquar tantummodo de Patriarchis, quorum instituta vigent in Lusitania: & sequar ordinem antiquitatis.

De magno Patriarcha & Patriarcharum omnium Elia, sumpsit S. Ignatius zelum honoris divini. Ambo gladium habebant ignitum, sed ignis Eliæ cremabat, ignis Ignatii accendebat: ignis Eliæ consumebat, ignis Ignatii emolliebat. Ambo, ac veluti duo radii artificiales ascendebant rectâ in cœlum: sed radius Eliæ resolvebatur in strepitum, Ignatii in lachrymas. De S. Paulo, primo Eremitarum Patre sumpsit S. Ignatius contemplationem: at Paulus in deserto soli sibi, Ignatius in populo omnibus. Uterque medium elegit altius & divinum, sed fine diverso, Paulus ad evitandam persecutionem Decii: Ignatius ad resistendum Deciis & persecutionibus, Paulus recepit se ad sacrarium contemplationis ut evaderet tyrannidem: Ignatius forti pectore contemplationis armavit se ut debellaret tyrannos. De Patriarcha & Doct. maximo S. Hieronym. assumpsit S. Ignatius assistentiam inseparabilem Sedis Apostolicæ in servitio universalis Ecclesiæ. S Hieronym. erat manus dextera Ecclesiæ, quâ Pontifices scribebant, S. Ignatius erat brachium dexterum Ecclesiæ, quo Pontifices sese defendebant. Hoc Clem. VIII. confirmavit Societati: *Vos estis brachium dexterum Ecclesiæ Dei.* De unico Sole Ecclesiæ S. Augustino (quia radii intellectus non erant imitabiles) sumpsit S. Ignatius flammas cordis. Amor Augustini eò usque pervenit, ut diceret, quod si ipse esset Deus, non vellet esse Deus ut Deus esset Deus: Ignatius suppositione minùs impossibili ajebat, inter certitudinem & dubium videndi Deum, eligere mallet dubium illum videndi præ certitudine ipsi serviendi. De Patriarcha tot Patriarcharum Patre S. Benedicto montem Cassinum per totum mundum extendente, sumpsit S. Ignatius scholas & institutionem puerorum. Quorsum? ut docendo literas simul imprimerent bonas consuetudines, & imbibendo literas humaniores, discerent esse homines. Ultimus Archi-Episcopus Ulissipponensis tantus Lusitanus, quantus Prælatus: & tantus Prælatus, quantus Theologus, dicere solebat omnes quos habuit Lusitania præterito sæculo magnæ existimationis viros exiisse ex atrio S. Antonii. Modòillud non frequentant adeò ejus nepotes: postmodùm videbimus, sintne tanti, quanti fuêre eorũ majores. De Patriarcha S. Brunone sacro illo horrore naturæ, quid sumeret S. Ignatius? sumpsit perpetuum ciliciũ: non credit hoc mundus, sed nôrunt nosocomia & sepulchra. Cilicium corpus inter & lineũ interjacens non adeò pungit: quod excœcat intellectum, & abnegat voluntatem, istud est cilicium, quod suffocat animam, & tollit vitam. Alia cilicia mortificant; istud occidit. De

Patri-

Patriarcha S. Bernardo Angelo in carne, & ideò collactaneo Christi fratre, sumpsit S. Ignatius angelicam puritatem: in utroque favor fuit specialis Matris Dei: sed in S. Ignatio tam singularis, ut à die suæ conversionis nunquam ampliùs nec in corpore nec in anima senserit cogitationem contrariam: cumque oculi maximi sint castitatis inimici, ipsis quos S. Ignatius aspiciebat castitatem infundebat. de gloriosis Patriarchis *SS.* Joanne & Fœlice (quorum Religioni nomen dedit ipsa Trinitas) sumpsit *S.* Ignatius officium Redemptoris: & quia huic Trinitati humanæ terna deerat Persona, ipse voluit esse tertia. Hoc modo (permittite mihi ut hoc explicem) Redemptor generis humani, qui unicam solùm habebat subsistentiam divinam, mansit veluti subsistens in tribus subsistentiis humanis: Redemptor in Joanne, Redemptor in Fœlice, & Redemptor in Ignatio: sed in illis immediatè Redemptor corporum, in hoc immediatè Redemptor animarum. De illustrissimo Patriarcha *S.* Dominico, (quem rectè dixero magnum Patrem Luminum) sumpsit *S.* Ignatius devotionem erga Angelorum Reginam, & Doctoris Angelici doctrinam. Prima devotio *S.* Ignatii singulis diebus erat recitare Rosarium: & fax, quam in Theologia sequi voluit vexilla Societatis, fuit doctrina Divi Thomæ: at tali ipsam doctrinam & devotionem præferentiâ concordavit S. Ignatius, ut una alteri adversante, devotio erga B. Virginem prævaleret doctrinæ, & non doctrina devotioni. Sic cœptum practicari in primis conclusionibus publicis, quas Romæ Societas defendit, & postmodum tot libris sustinuit. De Seraphico Patriarcha S. Francisco, sumpsit S. Ignatius intrinsecùs vulnera, extrinsecùs paupertatem, & tanti fecit S. Ignatius rigorem paupertatis Seraphicæ, ut uno sibi voto alligârit paupertatem, & rigorem altero. Unum enim facimus servandæ paupertatis: & alterum strictiùs practicandæ. Professis præcepit sanctus Ignatius ut peterent eleëmosynam: nondum professis voluit, ut daret eleëmosynam Religio Societatis, ne ipsam extrà Societatem querere compellerentur: idcircò de reditibus provisum est Collegiis, & non Domibus: De Patriarcha S. Cajetano illustri Status Clericales gloriâ & quasi coævo S. Ignatii (quamvis quibusdam Europæ partibus eodem placuerit honorare nomine ejus filios) non sumpsit S. Ignatius nomen, id namque sortitus erat à Jesu: hoc quod ab isto sumpsit Apostolico instituto, fuit Providentia divina: & ne minor esset providentia nec minùs divina, ipsam habuit non tantùm inter charitatem fidelium: sed etiam inter barbariem Gentilium. Denique de nostro insigni Lusitano S. Joanne Dei, sumpsit S. Ignatius charitatem publicam ergà proximos: ambo sese unierunt in charitate, & in ambos sese divisit charitas: proposuerunt sibi ambo studium medendi infirmis, Joannes ex una parte curando corpus; Ignatius ex parte altera curando animam. Joannes cum nomine Dei qui formavit lutum: Ignatius cum nomine Jesu, qui reformavit spiritum. Non loquor de magno illo prodigo nostri sæculi *S.* Matre Theresia de Jesu, siquidem post S. Ignatium venit in mundum: sed quemadmodum Deus ut daret similem Adamo, de latere ejusdem formavit Evam: pari modo ut daret similem S. Ignatio, de latere ejusdem formavit The-

S. Theresia in epist. ms. apud Euseb. in vita S. Ignatii c. 40. & sæpè se vocat filiam Societatis.

Lud. de Ponte in vita P. Balthasaris de Alvarez, & alii.

Theresiam. Textus hujus glorioſæ veritatis est ipsa sancta Theresia: hoc enim propriâ suâ manu exaratum reliquit, affirmando, quod de spiritu Sancti Ignatii formavit partem sui spiritûs, & de Instituto S. Ignatii partem sui instituti. Et hic fuit modus ille miraculosus, quo Patriarcha S. Ignatius evasit similis sine simili. Similis, quia sumpsit genera: sine simili quia addidit differentias. Similis, quia imitatus est similitudinem singulorum: sine simili, quia sibi univit similitudines omnium; *Et vos similes hominibus.*

§. VI

ABsolvi duas partes mei discursus; veruntamen vereor non defuturum qui me arguat, quod in hac ultima ejus limites excesserim; differentiæ enim quas similitudinibus adjunxi, ipsas videntur annihilare similitudines. Comparavi sanctum Ignatium sanctissimis aliarum sacrarum Religionum Patriarchis, & in eâdem comparatione videor introduxisse aliquam præeminentiam & gloriam: sed hoc ipsum est quod nego. Licet enim meum Patriarcham æstimem, uti teneor ejusdemque meretur Sanctitas; & quamvis norim privilegia, quæ concedit in exaggerandis Sanctorum laudibus sacer cuique dies: nihilominus agnosco & recognosco, quod nec ego illi potuerim talem prætendere præferentiam; neque majorem desiderare magnificentiam: quàm similitudinem tuam illustrium exemplarium. Et hoc est quod solummodò feci. Dico itaque & protestor differentias propositas & consideratas, licet videantur præeminentiæ, non esse tamen plus quàm similitudines: imò addo, nullam earum esse similitudinem nisi aliquid haberet præeminentiæ: ista namque est prærogativa eorum, qui præcesserunt; Sanctus Ignatius posteà secutus est, & multo tempore post istos gloriosissimos Patriarchas; & qui sequitur, si non excedit, non adæquat: nisi ampliùs quid fuerit, quam similis, non est similis. Ecclesiastici cap. 44. & 45. concinnat sacer textus Elogium generale omnium antiquorum Patriarcharum; ab Enoch incipiendo & perveniendo ad Moysen, inquit, *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Fecit illum Deus similem aliis Sanctis in gloria suorum operum Hoc est elogium Moysis, quod non tantùm videtur moderatum & breve; sed etiam multò inferiùs & quasi indignum famâ & operibus Herois tam singulariter magni. Si legerimus historias antiquorum Patriarcharum, inveniemus opera & mirabilia Moysis excessisse incomparabiliter quodammodò omnium prædecessorum. Non immorabor hujus rei demonstrationi, esset namque materia valdè lata, & me satis affligo, abstinendo & parallela inter Moysen & Ignatium. Unus loquebatur cum Deo facie ad faciem: alter illam frequenter vidit. Hic famosus Legislator: Ille Legislator singularissimus; Unus conquisitor Terræ promissionis, alter novorum conquisitor mundorum, unus domitor maris rubri: alter Oceani & tot marium; unus cessit gloriam laborum suorum Josue: alter Jesu. Unus duxit è servitute sexies centena millia familiarum: alter familias, civitates & regna sine numero; unus pro zelo animarum non dubitavit petere deleri de libro Dei: alter in simili excessu non cedit. Si ergò Moyses excessit adeò gloriam aliorum Patriarcharum, cur non

Eccl. 45. v. 2.

Gen. 32. v.

in-

inquit sacra Scriptura, quod ipsis præeminuerit, sed tantummodò fuerit similis? *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Hoc totum nihil ultrà similitudinem promeruit? Non. Siquidem alii Patriarchæ præcesserunt, Moyses postmodum secutus est; & licet multum excederet primos, ultra similitudinem non pervenit, si non excessisset, esset minor: quia verò excessit, fuit æqualis. Excessus fecit similitudinem; majoritas æqualitatem. Ex omnibus Patriarchis sacrarum Religionum unicum duntaxat expressum habemus in sacra Scriptura, nimirum Eliam. Sanctus Joannes Baptista fuit inter omnes natos major: & ista majoritas comparata Eliæ, quò pervenit? eòusque non esset major Eliâ, sed ut esset ipsi æqualis: *Venit Joannes Baptista in spiritu & virtute Eliæ.* Illi qui secuti sunt, comparati his qui præcesserant, non mensurantur æqualiter, sed cum augmento. Si plus fecistis, estis æquales: si fecistis idem, estis minùs & inferioris. Et quænam est ratio hujusmodi mensurandi, quæ verè videtur inæqualis? Æqualem manere minorem, & majorem manere æqualem, nonne est inæqualitas? Non: dum fit comparatio cum illis, qui præcesserunt, ista namque est prærogativa prioritatis. Primi semper habent gloriam Prioratus; & ista prioritas talem in se habet excellentiam, ut inter æquales semper maneat superior; & necesse est, ut eadem æqualitas aliquo superetur excessu, ne sit aut videatur minùs aliquid æquali. Non est nec concipi potest major æqualitas, quàm divinarum Personarum. Ecce autem quidnam fecit persona secunda, non ut esset, sed ut probaret, quòd sit æqualis primæ: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens.* Verbum æternum seu Filius (inquit S. Paulus] cùm sit imago substantialis Patris, & ipsi per omnia æqualis, ad demonstrandum, quod ista æqualitas esset sua, non aliena; propria, & non furtiva; naturalis, vera, & non ficta: accepit formam servi, factus homo, passus est, & redemit mundum. Ista consequentia sancti Pauli multùm fecit negotii SS. PP. & Expositoribus, ut sensum hunc penè penetrarent: siquidem ut Verbum demonstraret æqualitatem quam habet cum Patre, videtur debuisse manere ad ejus dexteram in eodem throno: & ut ostenderet esse ejus imaginem & veram effigiem (quemadmodum legit Tertullian.) videtur debuisse velut speculum ejusdem Patris effigiare in se ipso omnes actiones ejus duntaxat, & nullam aliam. Si Pater creet mundum, creet ipsum pariter (sicut creavit) Filius; Si Pater ipsum gubernet, gubernet & Filius; si det decreta, det & ipse; si jubeat, jubeat & hic: Si Pater non est factus homo, nec mundum redemit: neque ipse fiat homo, neque Redemptor. Nam quod filius assumat aliam formam (scilicet humanam) quam Pater non assumpsit, & faciat quod ille non fecit, videtur tollere æqualitatem & annihilare proportionem, & mutare similitudinem veræ & perfectæ imaginis. Itaque si Verbum seu Filius sese vult ostendere æqualem, cur se inæqualem facit? si sese vult monstrare similem cur se dissimilem exhibet? & cur agit quod Pater non fecit? quia Pater erat prima Persona, & Filius secunda; & ad ostendendum se æqualem & similem, debebat amplius quid facere. In Patre non est prioritas temporis, nec naturæ;

Luc. 1. v. 17.

Ad Phi- lip. 2. v. 6.

Tertullian.

sed

sed est prioritas Originis. Pater est primus fons Divinitatis : de quo illam Filius accepit. Pater est Prototypon : cujus Filius est imago. Denique Pater est prima persona, Filius secunda : & talis est prærogativa prioritatis (qualiscunque sit, quamvis non sit nec possit esse majoritas) ut Filio ad demonstrandam mundo integritatem suæ æqualitatis, & perfectionem suæ similitudinis fuerit conveniens plus Patre facere. Hoc modo (secundùm nostrum concipiendi modum) supplevit Filius per excessum operum prioritatem originis : & ad proportionem reduxit prærogativam Exemplaris per novos splendores similitudinis. Si hoc congruebat æqualitati divinæ inter secundam Personam & Primam ; clarè patet ; quàm necessarium sit æqualitati hominum. Excessit Baptista Eliam ; ut ipsi esset æqualis. Excessit Moyses alios Patriarchas ; ut ipsis esset similis. Itaque licèt sanctus Ignatius videatur excessisse sanctissima quæ fuit imitatus Exemplaria, sic erat necesse fieri, quia illi erant primi ; ità ut in excessu maneret proportio æqualitatis : & in differentia similitudo ; *Et vos similes hominibus.*

§. VII.

CUm fine faciamus finem. Finis cur Deus conjunxit in sancto Ignatio similitudines & perfectiones omnium Sanctorum, fuit, ut in hoc magno sancto inveniremus unitum, quod in aliis Sanctis invenitur divisum. Sanctus Ignatius [si benè considerentur principia & fines ejusdem vitæ) fuit fructus floris Sanctorum. Flos Sanctorum erat flos : S. Ignatius erat fructus sicex omnibus floribus unicus duntaxat componeretur flos, is omnium florum deberet habere odorem : & si ex hoc flore nasceretur fructus : is omnium deberet habere saporem fructuum. Hoc Deus fecit miraculum in sancto Ignatio. Liber fuit flos, ille fructus : fructus, qui omnes in se continet sapores omnium quæ cujusque efflagitet desiderium aut indigentia. Manna erat simile sine simili : simile, quia saporem habebat escarum omnium. Sine simili, quia nulla esca in se habebat omnium saporem velut Manna ; Hinc vocatum est *Manna*, seu *Manhu*, id est, quid est hoc ? & ad hanc quæstionem respondebatur : est totum hoc quod desideratis. Idem ego dico de sancto Ignatio. Quicquid volueritis, quidquid desideraveritis, quocunque indigueritis, invenietis in hoc Sancto vel in hoc compendio omnium Sanctorum. Ista fuit ratio, cur providentia divina ordinârit, ut concurreret & uniretur in hoc magno exemplari tanta diversitas Statuum, exercitiorum, & fortunarum. Natus est nobilis, fuit aulicus, miles, mendicus, peregrinus, persecutus, captus, studiosus, graduatus, scriptor, Religiosus, Prædicator, subditus, Prælatus, Legislator, magister spiritûs, & peccator in ætate juvenili : postmodum contritus, pœnitens, & sanctus. Quem in finem ? ut omnes invenirent omnia in S. Ignatio : *Omnibus omnia factus.* Nobilis inveniet in S. Ignatio idæam veræ nobilitatis : aulicus, excellentias veræ politiæ : miles, summam veræ generositatis ; pauper inveniet in S. Ignatio, nil desiderare, certissimas esse divitias : peregrinus, totum mundum esse patriam : persecutus, persecutionem characterem esse electorum : captivus, veram libertatem, esse innocentiam ; studiosus, in- 1. *Cor.* 9.

Inveniet in S. Ignatio ſollicitudinem ſine deſidia: litteratus, ſcientiam ſine ambitione: prædicator veritatem ſine reſpectu: ſcriptor, utilitatem ſine fuco: Religioſus inveniet in S. Ignatio perfectionem ſublimiſſimam: ſubditus, obedientiam maximè cœcam: Prælatus, prudentiam maximè circumſpectam: legislator, leges juſtiſſimas: magiſter ſpiritûs, inveniet in S. Ignatio multùm quod addiſcat, multùm quod in praxin deducat, multùm quod doceat: & multùm unde proficiat. Denique peccator (quantumcunque ſe viderit in mundo abſorptum, vanitatibuſque irretitum) inveniet in S. Ignatio verum ſidus ſuæ ſalutis: inveniet exemplum rarius converſationis & mutationis vitæ: inveniet ſpeculum vivacius generoſæ & conſtantis pœnitentiæ, & inveniet motivum efficacius fiduciæ in Deum ejuſque miſericordiam: ad prætendendum, conſequendum, perſeverandum, & ad aſcendendum, & perveniendum ad altiſſimum cumulum ſanctitatis & gratiæ, quâ menſuratur gloria. Amen.

SERMO
PRO
Dominicâ Tertiâ Quadrageſimæ. Ulyſſippone in Capella Regia Anno 1655.

Cum ejeciſſet Dæmonium, locutus eſt mutus: & admiratæ ſunt turbæ. Luc. 11.

§. I.

QUando Chriſtianæ magis erant aulæ, minuſvè aulici Concionatores: quando minoris fiebat gratia audientium, ut hi ſolam æſtimarent gratiam Dei: quando deducta ex Evangelio doctrina, veritates ſolidæ erant & Evangelicæ, & non diſcurſus vani & inutiles: quando denique Chriſti Præcurſorum voces ad Jordanem vocabant peccatores, & ad Sacramentorum adducebant fontes: Vulgare hujus Evangelii argumentum, hujuſque diei utiliſſima materies erat de Confeſſione. Antiquitatem iſtam hodie refodere propoſui: vetuſtatem hanc prædicare ſtatui: tantumque doleo (etiam me invito) hoc fieri debere cum ſingulari novitate.

Profligatiſſimus omniumque infauſtiſſimus hujus vitæ ſtatus, eſt peccatum. Aſt ſi in hoc extremo malo, aliud adhuc majus dari poteſt: eſt Peccatum, & mutum. Hominum infeliciſſimus (de quo Chriſtus nobis tremendum voluit relinquere exem-

exemplum) fuit ille in Parabola nuptiarum: quem Rex manibus pedibusque ligatis in perpetuum tenebricosum carcerem conjici mandavit. Rex, erat Deus: Carcer, infernus: homo, omnium infelicissimus fuit hominum: nam die, locoque quo omnes salvati, ille solus fuit condemnatus. In quoniam constitit ista infelicitas? an in peccando tantùm? Non: multi etenim post peccatum salutem sunt consecuti. In quo igitur? in obmutescendo post peccatum. Rex attonitus, tali die mensæ suæ indecenti habitu assidentis obstupuit impudentiam: & hic, pro eo quod culpæ suæ veniam petere oportuisset eam confitendo, condemnationem suam confirmavit obmutescendo: *At ille obmutuit.* Hic infœlicitatis fuit exitus: insipientior obmutescendo, quàm peccando. Commissio enim peccato remedium supererat confessio: tacitâ verò confessione, nullum pro peccato remedium relinquebatur.

Matth. 22. v. 17

Peccare, est lethaliter infirmari: peccare & obmutescere, est in morbum incidere remedioque renunciare. Peccare est naufragare: peccare & obmutescere, est cum onere in profundum descendere: manumque nolle applicare tabulæ, quâ se possit salvare. Peccare, est fatuarum virginum lampades extingui: peccare & obmutescere, est lampades earum extingui, januamque præcludi. Peccatum multas ad intrandum, unam verò tantùm januam habet ad exeundem, scilicet confessionem. Peccare, est diabolo in animam introitum patefacere: peccare & obmutescere, est introitum aperire, & exitum impedire. Hoc in communi hodierni Evangelii habemus allegoria: hominem scilicet à dæmonio obsessum & mutum. Obsessum, quia peccando intromisit: mutum, quia diabolus confessioni præclusit ostium. Et quid hoc in casu Christus egit? Casus adhuc major erat! *Erat ejiciens dæmonium.* Non dicit Evangelista, Christum ejicisse dæmonium: sed, *erat ejiciens.* Christus inveniebat obicem, vim, & repugnantiam: nihil enim in hoc mundo resistit Deo nisi peccator mutus. Tot Dei voces diriguntur ad aures, & peccator mutus? Tot radii & lumina ad oculos, & peccator mutus? Tot ad intellectum rationes, ad voluntatem motiva & impulsus, tot denique infausta iterataque ad memoriam exempla, & peccator mutus? Ecquid tandem fecit Christus? virtutis suæ applicuit efficaciam; pulsavit ostium (non enim ad ostium pulsâsse sufficiebat) institit, ursit, vicit. Victus exivit diabolus: & locutus est mutus. *Cum ejecisset dæmonium locutus est mutus.* Hic luctæ fuit finis, Christo glorioſus, homini faustus, dæmoni probrosus, circumstantibus stupendus: nostro tantùm intento minus proprius & persuasibilis. Dicit, *Cum ejicisset dæmonium, locutus est mutus.* Quâ in circumstantiâ ordo miraculi pugnare videtur cum ordine mysterii. In confessione primò loquitur mutus, & postmodum exit diabolus: primò confitetur peccator, postmodum absolvitur à peccato. Itaque (si in hoc miraculo confessionis repræsentatur mysterium) oportebat primò loqui mutum: & deinde egredi Diabolum. Anteà? Non: & hoc propter idipsum: hîc enim non sola confessio, sed perfecta confessio repræsentatur: perfectaque confessio non est, in qua primò peccatum edicitur, posteà remittitur: sed in qua primò remittitur, & posteà peccatum edicitur. Resolvit

Luc. 11. v. 14.

Fi-

Filius prodigus redire ad Patrem ſuamque confiteri culpam: & tanquam bonus pœnitens ordinavit primò, ritéque ſuam diſpoſuit confeſſionem. *Ibo ad Patrem meum, & dicam ei: Pater, peccavi in cœlum & coram te.* Hâc prima præmiſſâ diligentiâ ad iter ſe accinxit: *Et cum adhuc longè eſſet*, ecce ſubitò ſe inter brachia patris fortiter conſtrictum, blandéque amplexatum invenit: *accurrens cecidit ſuper collum ejus & oſculatus eſt eum*; quo facto Prodigus ad pedes ejus procidens præconceptam fecit confeſſionem, dicens: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Ergò, modo fili Prodige? non hoc prævie intendiſti. Turbatam tandem habemus comœdiam. Pater exivit citò; Filius locutus eſt tardè. Umbras perdiderunt figuræ, errârunt hiſtoriæ: myſteriumque mutavêre. Hæc prodigi hiſtoria non eſt comœdia, Sacramentaliſque confeſſionis actus? Imò verò, oportebat itaque primò Prodigum ſeſe ad pedes demittere Patris proſtratumque chartam (ſicuti compoſitam conferebat) recitare confeſſionis: poſtea à patre inter brachia receptum, in priſtinæ gratiæ reſtituti gradum. Quare nunc inverſo toties ordine, Pater primò amplexatur, & dein filius confitetur? quia uterque non ſolùm confeſſionis, verum etiam perfectiſſimæ actum repræſentat. In confeſſione minùs perfecta, priùs dicitur peccatum, poſteà recipitur gratia: in confeſſione verò perfectiſſima evenit vice versâ. Confeſſio minùs perfecta, à pedibus Dei incipiens in brachiis finitur: Confeſſio perfectiſſima in brachiis incipiens finitur in pedibus: uti prodigo evenit. Ratio patet; confeſſio enim perfectiſſima eſt illa, in qua peccator ad pedes Dei verè contritus accedit, & de peccatis compunctus. Vadit verè contritus & compunctus? Ergò jam eſt in gratia, & abſolutus. Et hæc eſt confeſſio quam hodie in Evangelico habemus miraculo: confeſſio, in qua primò recipitur gratia: poſtea edicitur culpa, Confeſſio, in qua primò exit diabolus, & deinde loquitur mutus: *Cum ejeciſſet dæmonium locutus eſt mutus.*

Quod ſi in mundo non forent plures confeſſionum modi præter duos jam recenſitos, non ſupereſſet mihi aliud quàm (uti dicebam) prædeceſſorum noſtrorum concionatorum inhærere veſtigiis, & ad frequentandum hoc Sacramentum, contritionem, confeſſionemque adhortari. Sed (ni fallor) alius adhuc reſtat aulæ familiaris valdè confeſſionis modus, imitandam habens veſtem *à la mode.* Diximus eſſe confeſſionem, in qua primò exit diabolus, & poſteà loquitur mutus: Et vice verſa. Alia adhuc eſt confeſſio. Et quænam illa? confeſſio in qua mutus loquitur, & diabolus non exit. Judas interpretatur confeſſio. Sicut in collegio Chriſti unus fuit Judas proditor & alter Judas ſanctus: ſic hodie in Eccleſia ſunt confeſſiones ſanctæ & proditoriæ. Judas proditor, non fuit proditor mutus: imò os & lingua primarium fuerunt proditionis illius inſtrumentum: *Ave Rabbi, & oſculatus eſt eum.* Multæ id genus confeſſiones hodie dantur in mundo: hinc ego à multo jam tempore mihi à confeſſionibus magis quam peccatis timeo. Eſt de fide, quod omnis vera confeſſio gratiam producat in anima. Nunquam tam frequens fuit confeſſionum uſus ſicut hodiedum: rari nihilominus apparent gratiæ effectus. Quænam hujus rei cauſa? tanta

confessio, tamque modica gratia? Quænam sit causa ignoro, quænam verò esse possit tantummodò dico. Causa possibilis est, quod sint confessiones in quibus loquuntur muti, sed non exeunt diaboli. Confessio ritè peracta est Sacramentum: non ritè instituta est sacrilegium. Confessio legitimè facta, omnia tollit peccata: illegitima alterum addit peccatum. Confessio rectè facta dæmones foras pellit: malèfacta dæmonem profundiùs intromittit. Et cum quotidie vos magis occupatos & penetratos considerem à dæmone, quid vestris vultis confessionibus credi? Nunc (juxta mea promissa) tractandum mihi hodie de confessione: sed quia conveniens vulneri applicandum est remedium: non de confessione peccatorum, sed confessione confessionum mihi venit tractandum. Ecce hîc vetustatem & novitatem assumpti quod hodie adduco: non ut peccata, sed confessiones confiteamini vos cohottabor: permoventes me ad hoc scrupulos examine particulari explicabo. Ego faciam examen, ut vos faciatis confessionem; ego ero scrupulosus, ut vos sitis confitentes. Sed quia materia tam profundè animæ recessibus est inhærens, temeritasque argui posset eam velle foris judicare: primò dicam, quisnam dicendorum à me scopus sit & intentio.

Miraculum illud de dæmonio muto, varios in præsentium animis excitavit effectus. Fuit qui laudaret, fuit qui damnaret: fuit qui admiraretur. Mulier quædam devota laudavit: *Beatus venter qui te portavit.* Scribæ & Pharisæi fugillârunt: *In Beelzebub principe damoniorum ejicit damonia.* Turbæ admiratæ: *& admiratæ sunt turbæ.* Quibus ultimis immorabor. Non ero ex laudatoribus, neque ex fugillatoribus: ex admiratoribus tantùm ero. Confessiones vestræ ad lucem hanc examinatæ, laude videntur dignæ: ad aliam verò examinatæ, reprobatione videbuntur fortassis digniſſimæ. Ego eas nec laudabo nec reprobo, sed tantùm admirabor: hanc meam admirationem audietis. Sermo non erit admirabilis, sed admirabundus. *Et admiratæ sunt turbæ.*

Luc. 11. v. 27.

§. II.

CUm ejecisset dæmonium, locutus est mutus, & admiratæ sunt turbæ. Confitendæ sunt confessiones (ut diximus) & confessiones confessioni ohnoxiæ sunt illæ, in quibus mutus loquitur, & dæmon remanet. Ast quomodo esse potest (intrà confessionis terminos loquendo) quod dæmon remaneat loquente muto? in materiali verborum habemus responsum. *Locutus est mutus.* Si est locutus, quomodò vocatur mutus? quia in confitendo dantur homines, qui etiam loquendo sunt muti: loquuntur dicendo, & sunt muti tacendo. Loquuntur declarando, & sunt muti dissimulando. Loquuntur confitendo, & sunt muti negando. Joannes Baptista hanc celebrem fecit confessionem (posito quod alterius sit generis) & inquit Evangelista: *Et confessus est, & non negavit: & confessus est.* Notabilis terminorum duplicatio! si dixerat quod confessus, quare addidit, quod non negavit. *Et confessus est, & non negavit?* & postquam dixit, & confessus est & non negavit, quare repetit, quod confessus est. *Confessus est, & non negavit: & confessus est.* Nonne sufficiebat dicere, quod confessus est? Non. Quia neque omne confiteri, est confiteri. Qui confitetur & negat,

non

non confitetur : confitetur solùm qui sine negatione confitetur. Et quia Joannes confessus est & non negavit : hinc Evangelista inquit, quod *confessus est & non negavit, & confessus est.* Heu quot confessiones non confessæ absolvuntur in hoc Sacramento sine absolutione ! Heu, quot confessiones negatæ ! Veniet dies judicii: veniet dies hujus theatrici mundi : quot ibidem apparebunt confessi & negativi ! confessi & muti ! confessi & non confessi, & hinc condemnati !

Admiratione omninò dignum, multa cernere peccata quomodo fiant, & audire in confessione quomodo dicantur! visa extrà confessionem sunt peccata, & quidem, enormia in seipsis : audita in confessionibus & quibus vestiuntur coloribus ; vel non apparent peccata, vel apparent virtutes. Exemplo sit (ut nos loco accommodemus) Primarii alicujus ministri peccatum & confessio.

Tractârunt quondam Hebræi de habendo Deo vel Idolo, qui loco Moysis illos traduceret per desertum : accedunt Aaron dicentes, *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Aaron id temporis supremus erat in Politicis & Ecclesiasticis Præses ; & absente Moyse populum gubernabat : & quâ talis ad contradicendum impio Idololatrarum postulato & intentioni, reprehendendosque pro tantæ audaciæ merito & castigandos : ad defendendum etiam & sustendandum fidem, religionem, cultumque Dei : & si ultrà non valuisset, ad ipsam etiam vitam, imò mille vitas pro illius defensione exponendas in conscientia obligabatur. Sed quid fecit ? attendite ad verba singulosque actus, omnes enim huic casui deserviunt. Aaron, pro more gentis propositioni populi respondit conformiter: scilicet, *Tollite in aures aureas de uxorum, filiorum filiarumque vestrarum auribus, & afferte ad me : quas cùm accepisset formavit opere fusorio, fecitque ex eis vitulum conflatilem :* quo viso cuncti mox in Aaronis præsentia exclamârunt ipsum esse Deum, qui eos ex Ægyptiaca servitute liberâsset: & ne summus Sacerdos minùs se ostenderet religiosum, *ædificavit altare coram eo, & Præconis voce clamavit dicens : eras solemnitas Domini est :* vitulum appellando Dominum. Danturne blasphema magis & indigna ? Etiamnum sequitur. *Surgentesque mane obtulerunt holocausta & hostias pacificas : & sedit populus manducare, & surrexerunt ludere.* Solemnissimus ille illuxit dies ; Sacerdotes multa obtulêre sacrificia : sacrificia excepêre convivia, convivia festivi secuti ludi : omnia in honorem & laudem recentis Dei. Hucusque ad literam, Prima pars Historiæ.

Exod. 32. v. 1.

Interrogo nunc. Quod si Aaroni confitendum hocce fuit peccatum, putatisne ipsum quod confiteretur habuisse ? nunc contigit ita. Peccatum suum confiteri debebat Aaron : confessus est, sed ecce qualiter : ex quo multum colligendum atque discendum. Eodem momento quo festum agebant, descendebat Moyses de monte, videns vitulum accenditur zelò, exocratur actum, in omnibus quæ fecerat Aaronem increpat. *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum ?* Confessus est Aaron suam culpam, sed terminis sequentibus: *Tu nôsti populum istum quod pronus sit ad malum, dixerunt mihi, fac nobis Deos qui præcedant nos.* Jam ad confessionem pergit. Omnium dictorûm recordemini: *quibus ego dixi, quis vestrûm habet aurum ? tulerunt & dederunt mihi &*

projeci in ignem, egressusque est hic vitulus. Hæccine confessio ? hæccine veritas ? daturne talis in mundo casus ? Adesdum Aaron, rationes mecum ini coram Deo, nunquid omnibus istis jussisti hominibus, (jussum hoc vocat textus, *fecit populus quod jusserat*) nunquid omnibus istis hominibus mandâsti conquirere aurum, inaures aureas uxorum, filiorum & filiarum, tibique afferre ? quomodo igitur nunc confitendo dicis te interrogâsse tantùm quis haberet aurum : *Dixi illis quis vestrùm habet aurum* ? & quod ampliùs; nunquid acceptum aurum liquefeciſti, fudisti, formâsti, vitulumque feciſti ? *formavit opere fusorio fecitque vitulum conflatilem.* Quâ itaque fronte nunc confitendo dicis projeciſſe te aurum in ignem, & Idolum à semetipso, & non à te factum *projecitque illud in ignem, egressusque est hic vitulus?* & quod majus ; Nunquid ædificâsti altare ; nunquid ei Idolum imposuisti ? nunquid diem festum illi dedicâsti ? nunquid nunc Diem Domini nuncupâsti ? nunquid illi sacrificari jussisti ? nunquid illi holocausta, convivia, ludos & festa instituisti ? qua itaque ratione hæc omnia subtices in confessione ? & ne vel verbulum à te auditur in tanti momenti materiis ? Ecce quomodo peccata confessionibus, & confessiones respondeant peccatis? Et hoc modo supremus in politicis & ecclesiasticis populi Dei administer sua confessus fuit peccata. Locutus est Aaron, in eo quod dixit : mutus, in eis quæ tacuit, *Locutus est mutus.* Notate verò factam confessionis integritati injuriam in eo quod tacuit ; majoremque adhuc illatam, modo quo dixit ; eo enim quod tacuit, peccata tacuit ; modo, quo dixit, peccata fecit virtutes. Ecquidnam tacuit Aaron ? erectam idolo tacuit aram, exhibitam illi subticuit adorationem, nomen Domini siluit quo illud honoravit, tacuit proclamationem, diem solemnem, oblationes, sacrificia, decreta illi subticuit festa ; & quod excedit omnia, primus aperuit portam, idololatriisque Populi Israëlitici præluſit, quæ postmodum cum vindictis variis infinitisque pœnis divinis per bis mille annorum perseveravêre curriculum. Hæccine venialia videntur, ut in confessione subticeantur? hæc nihilominus silentio pressit Aaron. Quidnam ergò & quomodò est confessus ? suum quidem confessus est peccatum : confitendi verò modus tam fuit dissonus, ut cum maximum esset peccatum, maxima videretur virtus. Ita ut, nisi Deus factum Moysi revelasset, Moysos ipsum Aaron eidem altari quod exstruxerat imponere potuisset. Formalia Aaronis responsa fuêre, *Dixit illis : quis vestrùm habet aurum, & tulerunt mihi : & projeci illud in ignem.* Ecce quomodò recitavit historiam ! ecce quomodo depinxit actum ? quibusnam coloribus vestivit peccatum ! petere aurum ad faciendum idolum, illud liquefacere, fundere, formare, ad adorandum exponere, non erat ad idololatriam tantummodò concurrere, sed ejusdem magistrum & authorem esse : hoc fecit Aaron. Econtrariò petere aurum, ex quo cœcum vulgus idolum intendebat fabricari, & in ignem projicere : erat ignem idololatriæ struere, erat illam concremare, illam exuere, illam in pulverem & favillam redigere, & hoc Aaron confessus est se feciſſe. Vos nunc judicate, num hujuscemodi confessiones approbandæ laude-

deque sint dignæ : & utrum ad ejiciendum, aut profundiùs in animam intromittendum dæmonem magis sint accommodatæ. Ego de Aaronis loquor confessione : quilibet examinet suas. Quod si confessiones vestræ similes sint illi Aaronicæ : proximæ sunt condemnationi; si similes Joannis Baptistæ : magna sunt laude dignæ. Sed ego nec laudo cum mulierecula, nec damno cum Pharisæis: admiror cum turbis. *Et admiratæ sunt turbæ.*

§. III.

SUppositio dari confessiones confessioni obnoxias ; congruum videtur ad particulare earundem descendere examen, quo quilibet suarum rectiùs queat agnoscere defectus. Ut Auditorio accommodetur examen non erit de quorumlibet Statuum, sed rationem tantùm Status habentium conscientiis. Erit confessionale generale alicujus Ministri Christiani. Theologi morales hunc examinis modum ad septem ordinariè titulos reducunt. *Quis, Quid, Ubi, Quibus auxiliis. Cur, Quomodo, Quando.* Eundem & nos ordinem servare intendimus. Ego pro majore claritate discursus : Vos pro majore memoriæ tenacitate. Deus nos adjuvet.

Quis. Quis sum ego ? hoc minister quilibet semetipsum interrogare debet : sive politicus sit ille Aaron sive Ecclesiasticus. Ego Judex sum domus supplicarum, gravaminum, palatii. Sum Procurator coronæ. Major sum Cancellarius. Justitiæ sum Administer. A. Consiliis sum Status bellici, Ul ramarini, triumque Statuum. Sum redituum regiorum receptor. Sum Præses Cameræ, Palatii Mensæ, Conscientiæ. Sum Secretarius Status, gratiarum, expeditionum. Sum inquisitor. Sum Deputatus. Sum Episcopus, sum Episcopatus administrator,&c. Bene. Habemus nunc officium : scrupulus verò meus seu admiratio mea non consistit in officio : sed in *Uno.* Habetisne officiorum præfatorum solummodò unum an multa ? In aula nostra subjecta inveniuntur quæ in tribus quatuorve Tribunalibus habeant locum ; quæ quatuor, sex, octo, aut decem gaudent officiis. Universalem hunc ministrum non interrogo quomodo vivit : quomodo vel quando obligationibus suis satisfacit : interrogo solùm quomodo confitetur? quando Deus regiminis mundi dedit formam, binos illos Planetas Solem scilicet & Lunam in cœlo collocavit, unam tantùm cuilibet horum assignando præsidentiam. Soli præsidentiam diei, *Luminare majus*, ut præesset diei : & Lunæ præsidentiam noctis *Luminare minus*, ut præesset nocti. Quare fecit Deus repartitionem istam ? fortè ne conquererentur Luna & Stellæ ? Non, nullam etenim cum Sole habebant competentiam, nec justam habere poterant querelam. Soli itaque tam evidenter reliqua omnia cœli astra præcellenti, cur utramque Deus non contulit præsidentiam ? Cur non utraque commisit officia? Quia nemo, licet ipse sit Sol, duobus ritè fungi potest officiis. Ipse Sol unum illuminans Hemisphærium, alterum relinquid tenebrosum. Invenieturne itaque homo cum decem Hemisphæriis ? putabitne se in omnibus posse lucere ? Non talenti, sed conscientiæ admiror capacitatem.

Dicetis fors mihi velut docti (quales

vos

vos esse decet) eodem tempore quo Deus unam tantùm Præsidentiam, unumque Hemisphærium assignavit soli : tres simul Præsidentias, triaque Hemisphæria contulit Adamo. Unam maris, ad dominandum piscibus : alteram aëris, ad dominandum avibus : tertiam terræ, ut præesset animalibus : *ut præesset piscibus maris, & volatilibus cœli & bestiis, universaque terræ.* Et, idemne est animalia regere, quod homines? Idemne status innocentiæ (in quo degebat Adam) & status naturæ corruptæ, & quidem corruptissimæ, in quo nos degimus hodie? sed quamvis omnia forent æqualia, exemplum nec pro vobis, nec contra me facit. Non pro vobis: illo enim tempore non erat nisi homo unus in mundo : necessariumque erat illum multis officiis fungi. Non contra me, imò plus pro me; Adam enim tot honoratus officiis seu oneratus, quàm justam de illis redderet rationem apparet ex eo. Non transierant viginti quatuor horæ, quibus Adam tribus Præsidentiis gavisus fuerat & functus, jam eas perdiderat : mundum, semetipsum, & nos. Quod si hoc primò contigit homini è manibus Dei cum justitiâ originali infusâque scientiâ egresso, quid timendum aliis non tantâjustitiâ doctrinâque præditis, longè pejoris originis, aliisque influentiis obnoxiis? Non erat Christianus Plato : nihilominus in suaRepublica ordinârat, ne quis duas addisceret artes; rationem assignans: quod nullus artifex duo ritè posset obire officia : Verùm enim verò, si adeò limitata existit humana capacitas, ut ad confectionem Bireti octo sint necessarii homines artibus & officio differentes : unus qui lanam seligat & mundet, alius qui pectat, alius qui in fila deducat, alius qui texat, alius qui immergendo aquæ & tundendo eluat, alius qui detondeat, alius qui scindat, alius denique qui consuat; si in benè ordinatis civitatibus aurifaber laborare prohibetur in argento; argentarius in ferro : faber ferrarius metalla fundere; metalla fundens, aut plumbum extendere autstannum tornare vetatur. Quomodo in regimine hominum, qui sunt metalla ratione utentia, in regimine hominumquod est ars artium : Quomodo tot in homine conjungi aut confundi possunt officia? Si examinator computuum non rectam reddit rationem de officio aliquo mechanico, quomodo unus homo ad magisterium competenter non promotus rectam dabit rationem de tot officiis politicis? talisque homo de hoc sibi non faciat scrupulum! confiteatur per Quadragesimam, & fungi fruique istis perseveret post Pascha! hoc sanè admiror.

Gen. 1. v. 26.

Gen. 3. v. 23. Irene. Cyrill Epiph. Ephre. & communiter Patres.

Similibus sese functionibus occupatam quandoque vidit anima sancta : sed ecce, quomodò insufficientiam suam confessa, scrupulum deposuit. *Posuerunt me custodem in vineis : vineam meam non custodivi.* Anima sancta, tuam ad minus vineam (quæ tua est) quare non custodisti? Quia cui multæ committuntur vineæ nullam sufficit constodire. In hunc modum salutis suæ cupida confitetur anima, insufficientiam suam confessa & culpam. Si quis in hoc casu excusationem sui prætendere sibi posse videtur. hæc anima posset, dicens : *Posuerunt me.* Quamvis hæc vobis contulerint officia : ad ea nihilominus obligati manetis deserenda, confidendumque errata. Quid, si vosmetipsos intrusistis, si quæsivistis, si prætendistis, si subornâstis, si aliis supplan-

Cant. 1. v. 6.

plantatis, in vos detorsistis?

Moyses (magnus ille Dei ejusque Reipublicæ supremus ministeꝛ) tradenti sibi virgam, populique eductionem ex Ægypto imperanti Deo respondit: *Quis ego sum, ut vadam ad Pharaonem?* q.d. Domine quis ego, aut quæ in me idoneitas pro illa commissione *Mitte quem missurus es:* convenientem & idoneum mitte ministrum. O verè ministrum Dei! ante professus est incapacitatem, quàm acceptaret officium. Et ne confessio ista videretur protestatio politica, sed conscientia: semel atque iterum restitit non acceptando: nisi Aarone sibi adjuncto. Moyses multis jam annis populum rexerat, magnæ canitici, & experientiæ multæ, aliud propositurus Deo rediit (Memorialis referam terminos, ut pateat quàm fuerint prægnantes) *Non possum solus sustinere omnem hanc multitudinem: si aliter tibi videtur, obsecro ut interficias me & inveniam gratiam in oculis tuis.* Non affectavit officium pro tota vita: sed auferri sibi petiit vitam, ne haberet officiū. Et rationabiliter valdè; melius est enim officium perdere cum vita: quam officio retento perdere conscientiam. Et quid Deus hoc casu fecit? præcepit eligi septuaginta ex senioribus & primoribus populi: & ait Textus, quod Deus accipiens de spiritu Moysis divisserit aliis septuaginta: *Auferensque de spiritu Moysis & dans septuaginta viris.* Eccehic hominemab officio se excusantem! Unus homo septuaginta æquivalens hominibus, nec unitantùm sese mancipare audet officio: & Vos, quibus magna à Deo præstatur gratia quod sitis homo unus, septuaginta præsumitis vos mancipare officiis? nec laudo, nec damno: admiror cum turbis, *Et admirata sunt turba.*

Exod. 3. v. 11.

Exod. 4. v. 14.

Num. 11. v. 14.

Ibid. 25.

§. IV.

Quid? Examinato jam ministro, qualesve sint ministri: quid faciat, examinandū restat. Integer judicii dies huic esset examinis necessarius. *Quid?* quales sententiæ aut decreta? quales expeditiones? qualia vota? qualia consilia? quales electiones? At ultimo huic insistamus verbo, quod ex maximis est scrupulis: communiterque totum illud, *Quid*, involvit.

Non audeo in hac materia, nisi per parabolam, eamque non meam, sed Isaiæ Prophetæ loqui. Egressus est homo in sylvam inquit Isaias (sive sculptor fuerit arte, sive statuarius) asciam ferebat & securiū, lignum quæsturus fabricando idolo idoneum: respexit cedros, fagos, pinus, cypressos, succisumque ex eis pro arbitrio truncum tulit secum domum, quo dissecto, medium ejus misit in ignem & calefactus est, coxitque panem: ad reliquum ejus extendit normam, formavit illud in runcina, fecit illud in angularibus; & in circino tornavit illud, & fecit imaginem viri, quasi speciosum hominem habitantem in domo: fecit figuram hominis, imposuit altari, & adornavit eam. Sculptoris hujus cæcitatem obstupescit Isaias: ego quoque similiter ejusdem admiror imitatores. Truncus cognitus pro trunco, factus homo, & positus in loco ubi adorandus? *Medietatem ejus combussi igne, & de reliquo ejus Idolum faciam?* Duæ medietates ejusdem trunci, una in igne, altera in altari? si utraque pars est truncus, quare utramque non ut truncum tractatis? sed altera pars trunci forte retenta mittetur in ignem: & altera non minus truncus tam informis, hominis imaginem, dignitatem, respectum & adorationē consequetur? Aft dicetis; secundum truncum artificiosè ela-

Isai. 44. v. 19.

boratum partibus membrisque constare. Ita quidem: sed non aliis, quàm quæ ipsi inculpsistis. Habet os, oculos, manus, pedes, quia vos ipsi formâstis: quod si non ità, dicite ipsi ut iisdem pedibus ambulet, manibus operetur, ore loquatur, oculis iisdem videat. Si itaque truncus est ut ante, quare hic non pergit ad ignem? vel quare alter non æque venit ad aram? Estne qui istas ad confessionem afferat inæqualitates? Estne qui confiteatur quod fecit, & quod destruxit? alterum combussistis, alterum formâstis: & utrique æqualem debetis restitutionem. Combusto, illati mali compensationem: formato, malorum quæ inferet resarcitionem. Oculos feciſtis visus incapaci: cæcitatum damna resarcietis. Formastis os, loquelæ incapaci: verborum ipsius nocumenta reparabitis. Feciſtis manus, ad operandum impotenti: damna operum ipsius resarcietis. Effigiâstis ipsi caput, cum judicii sit incapax: regiminis ergò mali damna restituetis. Ecce hîc onus creaturas habere affectantis! gloriabimini tunc de creandi annihilandique potentia? quanto fuisset melius, creare vel annihilare tales, sibi ducere conscientiæ! Duas sibi Deus præservavit actiones: creationem scilicet & prædestinationem. Primam potentes hujus sæculi jam surripuerunt Deo, producendo ex nihilo: secundam similitèr subtractam considero hoc casu: Unum ad ignem, alterum ad aram. Sufficit similitèr præscitos habere & prædestinatos! Si fuistis præsciti (nescio à quo estis reprobati: si estis prædestinati, estis felices, regnabitis. Eritne quispiam istorum potentium, qui se aliquando de isto prædestinationis peccato accusârit? accusatus nullus; excusatus autem optimo modo. Hic tali cum expeditione, ille tali cum gratia est egressus. Quique gratiam fecit & expeditionem quique talem eum fecit, idem sibi dici audiant: si vos feciſtis talem quomodo dicit, egressus est? Aaron rationem dabit ad litteram. Quid fecit Aaron, quidve alterius idoli occasione dixit? quod Aaron fecit fuit quod vitulum fecit: *Formavit fecitque vitulum conflatilem*; Et quod Aaron dixit, fuit quod vitulus fuisset egressus: *egressusque est hic vitulus*. Nunc si vos illum feciſtis, si fudiſtis, si formastis, si limastis: si certum est vos aurum poposciſſe inaurium quod conflâstis, quare dicitis, *egressus est*? Quia sic loquuntur qui faciunt vitulos. Tales vestræ sunt creaturæ: ut earum factores erubescatis appellari. Sed cum jam illas negetis in oculis hominum, quare non confitemini ad pedes Dei? Credite mihi, vitulum aureum majorem habere confessionis materiam, quàm aurum & vitulum. Et quidnam amplius confessioni obnoxium continet? Particularia & publica ex eo subsecuta damna. Ex hoc peccato, conscriptarum manu Dei tabularum confractio subsecuta: *Moyses projecit de manu tabulas & confregit eas*. *Exod. 32. v. 20.* Consecutum est, quod populus depauperatus manſit & spoliatus suis cymeliis, gemmis & inauribus, quæ ipsius, primogenitorumque, quadraginta-rum annorum servitutis in Ægypto fuerant mercedes: *Spoliaverat enim eum Aaron, & nudum constituerat*. *Exod. 32. v. 5.* Consecuta est viginti trium millium strages per manum Moysis & Levitarum: *Ceciderunteque in die illa, quasi viginta tria millia hominum*. *Abulef. & Comm. hic.* Consecuta est populi derelictio, divinæque assistentiæ & præsentiæ subtractio: *non ascendam tecum, quia populus dura cervicis* *Exod. 32. v. 32.*

cis

eis os. Consecuta fuisset indubia totalis populi deletio, ni Moysis oratio justam ipsius iram mitigasset : *Dimitte me, ut iratscatur furor meus, & delem eum.* Concutæ denique fuêre omnes à Deo comminatæ, in suumque reservatæ tempus pœnæ horrendæ, quales centenis aliquot annis in Hebræorum libris non fuerunt lectæ : *Ego autem in die ultionis visitabo, & hoc peccatum eorum.* Quales vobis peccati illius videntur sequelæ ? Cogitatis nihil amplius quàm facere vitulum ? nihil amplius quam inthronizare brutum, sive truncus ligneus illud sit sive aureus ? eædem consequentiæ ex indignis sequuntur ministris, quos creatis & sublimè ponitis. Quod si non ità videtur esse, contemplemini leges illas divinas humanasque confractas : populum nudum & spoliatum : multorum millium stragem, quorundam ex illis in bello, ducatus defectu : aliorum pacis tempore, defectu justitiæ : aliorum in nosocomiis, curæ defectu & sollicitudinis : quodque excedit omnia, accensam Domini iram, protegentisque præsentiæ ipsius jacturam. Provinciæ, Regnum, ipsaque natio tota exterminio fuit exposita : ità ut nisi justorum quorundam succurrissent orationes, jam de ea actum fuisset ; sed necdum finis pœnarum. Et in quos omnium consequentiarum harum pondus devolvetur ? in illos utique qui fecerunt & sustentant authores promotoresque earum: *Ego feci, ego feram.* Vos fecistis : vos solvetis. Et tanto pondere pressi, sic incedant quasi omni onere liberi ! moles tanta ipsorum conscientias non gravet ? scrupulus iste animam non arrodat ? ipsos non turbet, non mente emoveat Deo desuper ratio reddenda? Christiani nomine gaudeant, confiteantur ! sed nec damno, nec laudo : admiror cum turbis : *Et admirata sunt turba.*

Exod. 32. v. 9.

Exod. 32. v. 34.

Exod. 46. v.

§. V.

Ubi ? Circumstantia hæc *Ubi* magna ubique consideratione digna est : majore tamen in regno Lusitaniæ. Licet enim in ipso Regno facilis *Ubi* istius sit circumscriptio : illa tamen *Ubi* extra Regnum magis sunt diversa, distantia, dilatata omnibus *Ubi* Monarchiarum mundi. Tot Regna, tot Nationes, tot Provinciæ, tot Civitates, tot Fortalitia, tot Ecclesiæ Cathedrales, tot particulares in Africa, in Asia, in America, ubi Lusitania constituit Vice-Reges, Gubernatores, Generales, Capitaneos : ubi collocat judices ; ubi constituit Episcopos & Archiepiscopos : ubi denique reliquos omnes fidei, doctrinæ, animarumque constituit ministros. Quantum nec esse judicium, quanta veritas, quanta integritas, quanta conscientiositas ad illa *Ubi* considerandæ, ritéque distribuendæ, observandumque ubi quilibet collocetur : Quod si cubitum collocatis ubi furandi occasio, debilem ubi defendendi necessitas, infidum ubi perfidiæ, pauperem ubi ditescendi oportunitas : quid fiet terris jam acquisitis, personisque qui tanto tamque generoso sanguine profuso eas acquisivêre ? Heu quot in locis illis constituuntur subjecta, magnæ qualitatis authoritatisque personæ, illustres, Domini famosi ! hinc eò magis ipsa etiam, grandium quorundam in Lusitania, famæ Echo innuere videntur ubinam veniant collocandi. Ubi comes ? ubi antecessorum suorum specimen edat : ubi sua militibus henemeritis liberaliter distribuat ; ubi pugnet, ubi defendat, acqui-

rat & vincat: ubi justitiam exerceat, ubi fidem Christianismumque dilatet: ubi sibi, Patriæ, Principique à quo constitutus nomen honoremque acquirat: & non ubi suis commodis, nostræque studeat ruinæ: ubi ille ditescens, statum pauperem relinquat: unde perditâ victoriâ spoliis revertatur onustus. Tale oportet esse *Ubi*: quoque illa ubi sunt remotiora, eò majore securitate indigent & virtute. Gubernantem ter quaterve millenis leucis remotum à Rege, unde vix trium annorum spatio quicquam audiri gestorumve notitia haberi potest, quanta integritate, justitiâ, fide, zeloque præditum esse oportet? In Parabola talentorum, inquit Christus, quod Rex illa distribuerit, *unicuique secundum propriam virtutem, & abiit in Regionem longinquam accipere sibi Regnum.* Hoc si fuisset Historia, sic accidere potuisset, sed si non erat historia sed parabola, quare Regem & servos quibus talenta commissa, Christus non eâdem introducit regione, sed Regem in longinqua, habentesque talenta famulos in altera? ut servi cum talentes meliùs probentur: & quia tales à Rege remoti sunt magis necessarii. In Brasilia, in Angolla, in Goa, in Malaca, in Macao, ubi Rex ex fama tantùm notus, & ex nomine solùm ipsi obeditur; ibi maximè sunt necessarii famuli fideles, maximarumque virtutum requiruntur talenta. Si in Lusitania, ubi à facie & voce noscitur, præcipuarum functionum homines suæ desunt obligationi, quid foret *in regionem longinquam*? quid erit in regionibus illis remotissimis, ubi Rex, ubi Lex, ubi justitia, veritas, ratio; & ubi denique ad ipsum usque ad Deum longè esse videtur?

Matt:25. v. 15.

Luc. 19. v. 12.

Hic scrupulus est illud *Ubi* assignantium: & quis erit scrupulus illud acceptantium? quod mittat, ubi non convenit, culpa mittentis erit aut infelicitas: sed ego non considerem quo vadam! vel scio quo vado, vel non scio! si nescio quomodo vado ubi non scio? si scio quomodo vado, ubi præstare non possum quod debeo? Totum hoc habemus in Prophetæ cujusdam, non Prophetiâ, sed historiâ. Prophetæ Habacuc cibum laturo messoribus in via occurrit Angelus, mandans ut destinatam messoribus escam ferret Babyloniam Danieli in lacu leonum existenti. Quid hoc casu respondisse vobis videtur Propheta? *Domine Babylonem non vidi & lacum nescio.* Domine, si Babylonem nunquam vidi, lacumque nescio ubi sit, quomodo cibum hunc Danieli in lacu leonum deferam? Ego quidem Prophetam prudenter respondisse assero: Vos verò fortè non scitè satis respondisse dicetis. Et vestro quidem præsumptuoso judicio sic est. Si messores hîc in campis fuissent Elyseis, quàm obviis ulnis tale mandatum implexi fuissetis! Quomodo verò in Babylonicum leonum lacum descenderetis? amandamini ad exercitum, ad classis, campique Capitaneum: ad Archi-Thalassum, & Generalem: & cum lacus sit Oceanus, in latere ubi magis effervescit & furit, quomodo vos in lacum præcipitatis? assignatur vobis Gubernaculum Brasiliæ, Angollæ, Indiæ; cum Legatione Romam, Parisios, Angliam, Hollandiamque versus, cumque hæ quatuor mundi partium sint Babylones, videndum quomodo vos in Babylonem præcipitetis. Ubi maximè Regni necessitas exigit aut causa ipsius agitur, pro limitum defensione de armis providendum est. Et cum bel-

Dan. 14. v. 35.

lum

lum contra leones sit Hispaniæ, tam potentes, tam gnaros, & exercitatos: videndum quomodo leones adoriamini. Si non vidistis mare nisi in Tago: mundum nisi in mappa: bellum nisi in Pannis Tunetanis: quomodo vos in belli, maris, mundique administrationem præcipitatis? ast non maximum hîc est scandalum, Habacuc brachio sportam cum escis portabat, sed nec sportam nec escam attendebat, Babylonem tantùm & lacum animo versans: Vobis è contra de Babylone & lacu nulla consideratio, in pane in sporta totum versatur dubium, tota difficultas & petitio. Babyloniâ, Daniel, lacus, leones, omnia hæc spiritui meo, generositati meæ ac talento peroptimè respondent. Ego in Babyloniam ibo; ego Danielem liberabo; & si necesse fuerit, ego leones discerpam; nulla hìc difficultas: sed opportunum debet esse domui meæ & marsupio Non est dubium de Babylonia: sed dubium & Babylonia versatur in sporta. Panis hujus sportæ meis servit messoribus: abire in Babylonem, proprioque meo cibo pascere Danielem, nec possibile est nec æquum. Messores mei sunt in campo: domus mea manet sine me; Babylon tot centenis hinc leucis distat: omnia ista priùs computanda. Pane indigeo pro messoribus, pro domo, pro itinere, pro reditu; & casu quo ibi me devoraret leo aut morerer in itinere, panis iste mihi reliquendus foret pro annuo reditu: & ut minimùm, in tres quatuorve generationes. Nunquid hoc ità? in implendâ tantùm sportâ, marsupiique assecuratione cardo vertitur: Quicquid demùm accidat, confundantur Babylon, pereat Daniël, saturentur leones, peccatum auferat totum; hinc omnia peccatum tollit. Et quot involucro hulc inclusa vobis videntur peccata, de quibus nec vos, nec alius quisquam scrupulum facit? ast dicetis fortè (si salvari velitis) Pater, qualiter in hoc casu gerere me oportet? Exemplo Prophetæ primò te excusare: quod si locum non invenit, ire quomodo ille ivit. Quo verò modo ivit Habacuc? Angelus apprehendit eum per cincinnum capitis sui, & transtulit illum in Babylonem. Si una alterave excusatio nil efficit, ite: sed cum Angelo & per capillos. Cum Angelo Duce, qui dirigat, præluceat, custodiat, doceat, adjuvet quantumvis invitos, & per capillos. Sed quid erit quando loco ejus (per capillos) libenter desideranterque itis, & pro lucro vestro? & si loco ejus, quod manu vos ducat Angelus, à duobus diabolis ambitionis altero, concupiscentiæ alio ducamini? Binis istis inferni spiritibus ducibus, quomodo non vultis in infernum deduci? Et una ex peris eorum ipso in itinere sit confessarius! ità incedentes, in talique statu versantes & reversi confitemini! nolo damnare nec laudare, hoc enim promisi: sed non possum non admirari cum turbis. *Et admirata sunt turba.*

§. VI.

Quibus auxiliis. Quibus mediis fiunt, consequunturque jam dicta? unâ, multisque chartis, assecurationibus, informationibus, decretis, consiliis, expeditionibus, provisionibus. Nihil in mundo scrupulis magis obnoxium quàm charta & penna. Trium digitorum manus cum pennâ omnium humani regiminis officiorum periculosissimum est exercitium.

Fatalem illam Balthasari Regi apparentem in pariete scripturam, inquit textus, exaratam fuisse digitis quasi manus hominis. *Apparuerunt digiti quasi manus hominis.* Quis illos movet digitos ? omnes interpretes cum S. Hieronym. asserunt Angelum moviſſe : ita ut scriptor esset Angelus, de homine tres tantùm habens digitos. Tam purum ut Angelum, oportet esse scriptorem. Tres digiti cum pennâ multùm de manu habere possunt. Hinc solos oportet adesse digitos, non manum, non brachium non aures, non oculos, non os, non cor, non hominem; *quasi manus hominis.* Non manus pro dono ; non brachium, pro violentiâ : non aures, pro adulatione: non oculi, pro respectu : nos os, pro promissione : non cor, pro affectu : non denique debet esse homo : quia nec caro nec sanguis esse debet. Ratio est, quia nisi puri solidique forent digiti, quolibet pennæ motu, ingentia possent inferre mala.

Dan. 5. v. 5.

Pharao filios Israël opprimere volens in Ægypto, quonam usus est medio? Obstetricibus ægyptiacis adesse jussis præcepit, ut ad assistendum Hebræis parituris vocatæ masculos clam interficerent : ne cui innotescerent. Ecce quàm opportunum hoc eorum officium; in quorum manibus nascuntur negotia. Partus negotiorum sunt resolutiones, quorumque in manibus hi nascuntur (sive Tribunali scribendo sive Principi) pennæ sunt ministri : Talisque potestas, occasio, & subtilitas hujus est officii, ut unico manus motu, calamique gyratione vitam dare possint & auferre : unico ductu tribuere unde vivatis ; alteroque tollere ex quo vivitis. Videte an non necesse sit ægyptias istas fœminas teneras habere conscientias, quando ab ipsis ipsarumque manibus fors bona salusque masculorum dependet?

Si dormiatis inter medios cleros (id est sortes) *penna columbæ deargentatæ* inquit David textus hujus sensus, dum nescitur certus, si sumatur ut sonat terribile est, bonam malamve horum sortem ex aliorum pendere pennis ; multóque terribiliùs, si pennæ istæ reflexo quopiam deargentari se sinant aut deaurari. *Penna columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi ejus in pallore auri.* Pennæ istæ scribunt, tollunt, & tribuunt sortes, & quandoque bonam malis, malam bonis. Quod delicta unico pennæ ductu colorantur ! quot merita similiter obliterantur ! quot famæ unâ liturâ denigrantur ! considerent igitur scribentes, quot damnorum possint esse causæ, nisi manus valdè fuerit firma : nisi benè aptata penna, atramentum purum, linea recta, charta denique valdè fuerit munda.

Psal. 67. v. 14.

Ego nescio quomodo omnibus pennæ ministris manus non tremant, vel maximè iis, qui de genu recepta ad pedes Regis oracula interpretantur & extendunt. Hi uno adverbio fortunas contrahere possunt & dilatare : hi unâ Zyphrâ possunt pervertere cuncta : hi unico verbo dare possunt aut demere lanci justitiæ pondus : hi unicâ æquivocâ & obscurâ clausula, dubio quæstionique involvere possunt certa & efficacia ; hi mittendo vel detinendo chartam, pro libitu aliquem possunt introducere vel excludere : hi denique ultimam supremis decretis dant formam : à quibus esse vel non esse dependet omnium. Singulæ pennæ, herbarum instar, propriam habent virtutem ; viciniores tamen potentiæ fonti, cæteris

ris omnibus semper prævalent. Per officium seu artificium imitantur pennas aquilæ ; de quibus naturalistæ, quod aliarum avium pennis immixtæ, eas consumant & annihilent. Audiant hæ pennæ (quia quasi regiæ sunt) quod de ipsis dicit Spiritus Sanctus : *In manu Dei potestas terræ: & utilem rectorem in tempus suscitabit super illam. In manu Dei prosperitas hominis, & super faciem scribæ ponet honorem suum.* Scribæ, proximi à Rege vocabantur ; quorum erat nomine Regis decreta concipere, scribere, promulgare, conservare. Sic in sacra Scriptura Saraias vocatur Scriba Regis David ; & Sobna, Scriba Regis Ezechiæ. Dicit itaque Spiritus Sanctus, *Potestas & Imperium Regum est in manu Dei*: at honorem suum Deus ipsemet in manus scribentium Regibus posuit ; *Et super faciem Scribæ ponet honorem suum.* Potestne glorioſiùs pro una parte, terribiliusque pro singulis officium dari? magnam quidem fidem arguit & confidentiam, quod Reges pennis istis suum committant honorem : multò verò majorem, quod Deus ipse pennis istis honorem suum credit. Quod negotia egregiaque ad majorem Dei gloriam molimina pennis istis (sine quibus non datur progressus) ritè adminiculantibus promota ad optatos perveniſſent effectus ! Quot è contra zeli industriævè defectu, aut oblivionis incuriæque abundantiâ, si non objecto etiam impedimento, in ventum abeunt !

Eccl. 1. v. 4. Corn. à Lap. & alii hic.

De Rege mox nominando loquebatur Propheta Malachias, sub nomine solis justitiæ, dicens, in pennis ejus mundi consistere salutem : *Orietur vobis Sol justitia : & sanitas in pennis ejus*; pennas vocat radios Solis, quia sicut Sol mediantibus radiis omnes terræ partes illuminat, calefacit, & vivificat : ità Rex (qui zodiaco suo egredi nequit) mediantibus vicinis sibi pennis, omnibus Monarchiæ suæ partibus lucem, calorem impertit & vitam, quamvis extra utrosque sese extendat tropicos : sicut illa Solis, & nostra. *Et sanitas in pennis ejus.* Quod si pennæ ejus fuerint sanæ, & radiorum ad instar Solis puræ, omne bonum publicaque felicitas nascetur ab eis ; sed vice versâ, si non sanæ fuerint sed corruptæ, nec ad instar radiorum Solis, sed potiùs fulguris : omnium ruinarum calamitatumque causæ existent. Si interrogaveritis Grammaticos unde derivetur nomen *Calamitas*, respondebunt vobis à calamo. Et quid significat calamus ? arundinem & pennam ; ex tenerioribus etenim arundinibus aptabantur olim pennæ. Hinc pro signo dicebat Plinius, meliores mundi pennas, nostras esse Lusitanas. Hæc pennæ derivatio, certior est in politica quàm grammatica : si usurpatæ à Rege pennæ non fuerint sanæ, omnes ex iis derivabuntur calamitates publicæ ; infectio erunt letalisque Monarchiæ infirmitas ; pro eo quod esse deberent ejus sanitas. *Et sanitas in pennis ejus.*

Malachiæ 4. v. 42.

Rex de quo hoc loco loquitur Malachias Rex Regnum est Christus : pennas verò, quibus hic salutem contulit mundo, omnes novimus esse quatuor Evangelistarum à Spiritu Sancto directus, ut Principûm Evangelistæ imitandam pennis suis veritatem, puritatem & integritatem advertant : & quomodo in omnibus supremo tantùm impulsu, in nullo verò proprio & privato moveri debeant affectu. Si scripturam eorum tan-

tanquam sacram capiti imponimus, quælibet earum Evangelium sit humanum. Casu quo tamen contrarium (vel pennarum majorûm inadvertentiâ, vel inferiorum aut amanuensium corruptelâ) contingeret, istis oneratæ scrupulis conscientiæ judicent, an non multa examinanda, confitenda, restituendaque habeant, in tot tantique momenti materiis. Quot accidere posse, etiam quandoque accidisse

Jerem. 8. v. 8. Propheta Jeremias affirmat: *Verè mendacium operatus est stylus mendax scribarum*, vel sicut legitur in Chaldæo: *Fecit Scriba calamum mendacii ad falsandas scripturas*: Supposito, hoc non possibile tantùm, sed illo jam tum tempore practicatum fuisse & deprehensum: operæ pretium erit scire, quantillum falsificandæ scripturæ sufficiat. Sufficietne unum mutare nomen? unum variare verbum, unum mutare numerum? imò verò, multoque adhuc minùs sufficit: non necesse ad falsificandam scripturam, nomina, verba, numeros mutare, nec literas quidem: unum sufficit mutare punctum aut virgulam.

Controversistæ interrogant, sicut in scripturâ sacrâ de Fide sunt verba: num similiter etiam de Fide sint virgulæ & puncta? respondentque quod sic: puncta etenim & virgulæ sensum determinant verborum: illisque variatis, variatur & sensus. Hinc antiquitùs vigebat Concilium vocatum *Masoretarum*, cujus erat officium incorruptam in suâ puritate punctuationem conservare scripturæ: Interpunctionis hujus elegantiam mysticè depingit ille Canticorum textus: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* Divinus Sponsus ait, quod Sponsæ suæ inaures faciet aureas, vermiculatas argento. Vermiculatio ista (secundùm quod ex radice Hebr. deducitur) expunctis erat & virgulis, loco enim *vermiculatas*, alii legunt *punctuatas. virgulatas argento.* Verùm enim verò si erant aureæ, quare vermiculatio fit de argento, & ex punctis virgulisque formata? quia murenulæ ornamentum sunt aurium, ubi Fidei consistit sensus, *Fides ex auditu*: In verbis verò de Fide, quamvis puncta virgulæque exigui videantur momenti (sicut argentum auro cedit in pretio) æquè tamen ac verba ipsa ad fidem spectant. Verba, quia significationem formant: virgulæ & puncta, quia distinguunt sensum & determinant. E. G. *Surrexit non est hic.* His verbis Evangelista Christum resurrexisse asserit: iisdemque (mutatâ punctatione) hæresin dicere potest, quod Christus non surrexit. *Surrexit? Non est hic.* Ità rectè positis punctis & virgulis Christus resurrexisse asseritur & est fides: mutatis verò punctis, iisdem verbis Christus resurrexisse negatur: & est hæresis. Ecce quàm periculosum sit exercitium pennam tenere in manu! officium quod punctum mutando aut virgulam, ex fide hæresin, & ex hæresi fidem formare potest. O quàm plenum scrupulis officium!

Cant. 8. v. 2.

Rom. 10. v. 17.

Marc. 16. v. 6.

Quod si unius puncti virgulæve mutatio, tantorum errorum damnorumque causa esse potest: quid mutatis, subtractis, additisve fiet verbis? Repeto. Si unius puncti virgulæve mutatio tantorum existere potest causa damnorum, quid fieret, integris omissis lineis? deficientibus capitulis? chartis & informationibus integris suppressis? Quid denique fieret, si (pro eo quod præsentandæ essent adhibituro remedium) ei traderentur qui exequeretur vindictam? Omnia hæc in unam

ea-

cadere possunt pennam : sed nescio quomodo cadere possint in confessionem. Certum nihilominùs est, confiteri, & quidem frequenter hæc facientes : nec deesse qui talium recipiant confessiones, illosque absolvendo seipsos, condemnent. Sed ego nec absolvo confessos, nec condemno Confessarios : solùm admiror cum turbis. *Et admiratæ sunt turbæ.*

§. VII.

Cur ? Materia de *Cur* satis quidem est prolixa, sed tempus nobis est angustum : in hoc igitur puncto & sequentibus urbanè magis vestrâ, quâ auditis, utar patientia : sed non est confessio sine pœnitentia. *Cur* ? omnium istarum recensitarum & admiratarum injuriarum quænam causæ ? quæ motiva ? qualia cur ? Nihil est in mundo, cujus causa homo vadat in infernum : nihilominùs nullus sine suo *Cur* ad infernum pergit. Qualia sunt igitur ista *Cur*, tam valida, tam excœcantia, & præcipuos mundi homines præcipitantia ? Jam video quod primum *Cur* commune omnibus est pecunia. Propter pecuniam, cui omnia obediunt, quæ omnia vincit, quæ omnia finit. Suas pecuniæ non denego vires, nec volo tollere scrupulos : sed meus non tam vulgaris & grossus, ut iste, est scrupulus. Non tantùm ablata furto timeo, quantum non ablata. Multi in mundo & multi in Lusitania dantur ministri, nullo quidem casu expugnabiles auro : sed amicitia, recommendatione, dependentia, respectu superabiles ; & quamvis nihil horum sit aurum nec argentum, *Cur* nihilominùs sunt totius in mundo injustitiæ causa Gravissima in mundo fuit à Pilato in Christum commissa injustitia, ipsam ad mortem condemnando innocentiam. Quodnam tantæ injustitiæ fuit *Cur* ? fuitne delinitus ? fuitne accepta à principibus Sacerdotum ingens pecuniæ summa ? Non. Solus respectus, dependentia sola Christum condemnavit, *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris.* Ne de gratia amicitiaque periclitaretur Cæsaris, gratiam amicitiamque perdidit Dei, pensi non habens huic tollere vitam. Respectus ergò hoc fecit Pilatus, suas eodem tempore aqua lavans manus. Quid refert lotas esse Pilati manus, conscientia inquinata ? Quid refert mundum manibus ministrum, à respectibus inquinatum ? omnium delinimentorum maximum est respectus. Casu quo in quæstionem deducetur ; utrumnam plures perdidisset animas, respectusne an pecunia ? audacter resolverem, quod respectus ; idque duplicem ob causam. Prima, quod tentationes respectus plures sunt & majores quàm pecuniæ. Plures, quia pecunia modica & respectus multi ; majores seu potentiores, qui animis generosis faciliùs est despicere multam pecuniam, quàm exiguum perdere respectum. Secunda verò palmarisve causa est, quod acta respectûs ergò, difficiliorem quàm quæ pecuniæ ergò aguntur, habeant restitutionem. In injustitia pecuniaria (sicut ipsa pecunia visibilis est & palpabilis) ità quoque ipsa pecunia scrupulum excitat, urgetque restitutionem : fulgor adamantis oculos ferit : catena aurea attrahit. Quæstor vos rationum admonet : lamina seu quadrum peregrinum (mutis licet insignitum figuris) clamando inquietat conscientiam ; sed respectus, amicitiæ, dependentiæque ergo factum (quemadmodum reflexiones illæ sunt invisibiles, nec domum exornant nec parieti affi-

Joan. 19. v. 12.

Matth. 21. v. 14.

guntur) scrupulum non habet, nec excitatores qui animam commonefaciant. Si vendidi justitiam pro pecunia, restituturus, pecuniam datam reddo, acceptum solvo, quantum sacculo meo immisi tantundem extraho, quod omni difficultate caret: sed si gratis dedi aut vendidi justitiam propter respectum, restituereque habeam sine quæstu, reddere non acceptam, extrahere è marsupio non immissa, quantus hîc labor, quam stupenda difficultas! restituens pecuniam solvit ex alieno: restituturo respectum, solvendum est ex proprio. Quod ut fiat, accipiendum mihi est è mea domo, subtrahendum meis prolibus, ex meis mihi educendum est venis. Prô! quanta ad hoc magnanimitas! quanta resolutio! quanta denique divinæ gratiæ ad hoc opus est efficacia!

Judices Samariæ respectu Jezabelis innocentem condemnârunt Naboth, pro desiderioque Achab innocentis occisi vinea illa fuit condicta: porrò Achab uti & Judices vineam restituere æqualiter obligabantur: quia utrique eam æqualiter rapuerant. Utri nunc illorum facilior erat rapinæ restitutio? Achabo facilis: Judicibus per difficilis. Achab enim restituere habebat vineam occupatam; Judices verò non acceptam. Achab tantum restituebat pro tanto, vineam scilicet pro vinea: Judices autem omnia restituere debebant pro nihilo: solvenda enim eis erat vinea pro respectu. Suasero vobis, quod si vendere vultis animam, fiat pro pecunia potius quam pro respectibus: cum pecunia paucis restituatur vicibus, respectus nunquam. Sed redeat Pilatus.

3. Reg. 21. v. 11.

Pilatus tradidit Christum: similiter & Judas. Pilatus, *Tradidit eum voluntati eorum*; Judas, *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam*? Pilatus agnovit & confessus est innocentiam Christi: & Judas similiter: Pilatus, *Innocens ego sum à sanguine justi hujus*. Judas, *Peccavit tradens sanguinem justum*, Uter nunc illorum plus restituit? num Pilatus an Judas? Utique Judas: restituit enim pecuniam, eam projiciendo in templum; Pilatus nullam fecit restitutionem. Quare restituit Judas & non Pilatus? Quia ille Christum tradidit pro pecunia: Pilatus verò ob respectum. Restitutiones pecuniæ fiunt quandoque at respectuum nunquam. Quodsi non ita, dicite mihi: fiuntne multa in hac aula propter respectum? Non rectè interrogavi: Fitne aliquid in hac aula, non propter respectum? aut omninò nihil, aut oppidò parum. Estne aliquis vivens aut mortuus qui propter respectum facta restituat? hoc nec videmus, nec audimus. Quomodo ergò confitentur facientes, aut absolvunt eos talium confessiones excipientes? Casu quo ego in confessionali sederem, me illos non absoluturum sed condemnaturum promitto: sed quia sum in pulpito, nec absolvo nec condemno: admiror cum turbis. *Et admiratæ sunt turbæ.*

Luc. 23. v. 25.

Matth. 26. v. 15.

Matth. 27. v. 14.

ibidem v. 4.

§. VIII.

QUomodo? quo modo, vel quibus modis? intricatissimum ingressi sumus conscientiarum labyrinthum: quales sunt modi, fallaciæ, artes, negotiandi ad inventiones, interpretandi, insinuandi, persuadendi, negandi, annullandi probandi, supplantandi, committendi, præferendi, prævalendi, consequendi, denique sibi vel alii obtinendi omnia quæ diximus! Ut ego admirer, cunctique obstupescamus artificium, ingeniique acumen, dolos quibus illa nituntur, quibus hæ facesaccenduntur, hæcinvolucra conficiuntur

tur, hæ negationes texuntur: non opus habemus telis Penelope, nec Ariadnæ fabulis: in historiis sacris hujusmodi habemus extricem, quæ in famosi domo Pastoris ostendit, quanta hujuscemodi in aula, sed in mundi texantur aulâ.

Potissima in mundo Primogenitura fuit illa Jacob, in quam Christus successit: *Regnabit in domo Jacob.* Hac super primogenitura ab utero matris gemini duo fratres pugnavêre, Jacob & Esau. Esau totum jus favebat, natura & ætas, talentum & meritum, amor, affectus, voluntas, decretum, & promissio Patris, à quo benedictio exspectanda & investitura: ità ut de fratre ad fratrem, de homine ad hominem, de amato ad amatum omnia pro Esau contra Jacob militarent. Pro Esau militabat ætas & natura: licet enim gemelli essent & matris in utero certarent, Esau egressus est primus, & præter hoc capaciratem habebat & animum, robustus, generosus, ad campum & arma propensus, pendente ex humero pheretrâ & arcu, sagitisque armatus manus, terribilem se leoni in montibus, urso & apto reddebat in sylvis. Econtrariò *Jacob habitabat in tabernaculis*: nunquam matris egrediebatur cubiculo, pulvillo aptior quàm lanci, & balneis quàm armis. Esau denique paternus favebat affectus, amor, gratia: Patris enim sui Isaaci erat delicium, cujus sibi lucrari callebat animum, ex sylvis enim montanisve rediens, ex minore venatione ipsi apparabat ferculum: ex majore verò foliis opertam offerebat prædam. Iste erat Esau, iste competitor Jacob: istud erat ejus jus; hæc ejus erant servitia, istud erat ejus meritum; istæ ejus excellentiæ, quibus natura & gratia ipsum sine controversia domus Isaac fecêre hæredem. Nihilominus [quis hoc putâsset] Jacob evicit petitionem, Jacob tulit benedictionem: Jacob obtinuit primogenituram. Quod si primogenitura ex lege naturæ debetur primogenito, & Esau natus primò: si locus superior ex lege rationis meliori debetur talento, capacitasque & animus Esau præcellebant: si gloriæ præmiique prærogativa ex lege justitiæ potiori debetur merito, & servitia Esau tam indubiè & sine competentia digniora: si denique benedictio & primogenituræ investitura dependebat à Patre, Paterque sic Esau affectus eam ipsi pollicitus fuerat efficaciter daturus; quomodo possibile quod Jacob prævaluerit sine jure, sine talento, sine servitiis, sine favore? Quia omnia illa supplet adinventio, ars, dexteritas, dolus, negotiatio & involucrum.

Luc. 1. v. 33.

Gen. 25. v. 27.

Eodem ipso die quo Isaac Esau benedictionem dare decreverat, quia solemnitas hæc & ritus discumbendo fieri debebat: optimus senex gratum palato suo ex venatione filii sui desiderabat pulmentum. Egreditur Esau in agrum lætus & alacer: Rebecca verò magis à se amato Jacob primogenituram destinans, fratris absentia, Patrisque cœcitate observata quid fecerit nôstis. Festina mittit Jacob ad ovium gregem, leporum loco occurrunt hœdi, ex quorum carnibus præparat pulmentum, & ex pellibus struit dolum; indutusque Jacob vestibus Esau, & ejusdem exprimens manus coram cœco apparet patre, præparatam opponens coctionem. Interroganti Isaac quis esset? instructus benè Jacob se primogenitum ejus Esau esse respondit. Obstupescenti tam citò inventam venationem, voluntatis fuisse divinæ, sancta replicavit simplicitate. Hoc duplici

accepto responso, prævioque manuum contactu, Isaac illi benedictionem impertiit, manſitque benedictio Jacob cum primogenitura & domo paterna: Esau verò, cum eo quod gestabat in cingulo. Daturne hujusmodi dolus, fictio, crudelitas hi agendi vincendique sunt modi. Ad surripiendam domum ei cujus erat, septem dolos fixit Rebecca: finxit nomen Jacob, cum Esau dicendo: finxit ætatem, vocando primogenitum: finxit vestes, erant enim fratris: finxit manus, pellis enim & pili hædorum erant: finxit pulmentum, quod erat ex ovium grege, & non ex agris: finxit industriam, quia venatum non exierat: & ne suprema veritas extra figmentum remaneret, divinæ finxit fuisse voluntatis. Cumque duplex esset Rebeccæ voluntas, una quâ volebat, volebat Jacob: altera quâ nolebat, nolebat Esau. Et ficto nomine, ficta ætate, fictis vestibus, fictis manibus, fictis operibus & servitiis, & ad ipsum quoque Deum figmento, jus, justitia, bona, honor, successio sublata sunt ei, cui nativitas dederat semel; & meritum frequenter.

Nonne hæc magna & enormis videtur vobis injustitia? rationabilis vobis ad hoc suffragatur causa. Hæc autem Tragœdia semel tantùm in Hebron practicata quoties in nostra reiteratur & repræsentatur aula? quoties nominibus suppositis, meritis fictis, laudibus falsis benemerito subducuntur præmia, quibus gloriatur indignus? Quoties Jacob sua magis prodest Rebeccæ, quàm Esau suus arcus? quoties plus Jacob manibus lucratur superinductis, quàm Esau armatis? si plus in pacis otio quàm belli acquireretur laboribus, quis non solis militi, vè æstus cum horum parietum umbris commutaret? nunquid hoc expertus est David, injusto quamvis & inimico serviens Regi? servivit David in bello; servivit in Palatio. In Palatio, cytharâ, in bello, fundâ. Ubinam verò ipsi fuit melius? in Palatio tam modicum acquisivit, ut à cythara ad pastoralem baculum fuerit reversus: In bello tantùm ut à funda ascenderit ad coronam. Si David plus crescere visus fuisset ad parietum Palatii umbram, quàm ad Solis æstum in campo: si plus comparâsse visus fuisset Regis aures demulcendo cytharâ, quàm eundem defendendo & honorando fundâ: si plus visus fuisset meritus blandiendo Micholi quàm serviendo Sauli, nonne magna hæc foret injustitia, & scandalum enorme? hoc patiuntur Esauitæ, in præferentiis Jacobotum.

Verùm enim verò ego non tantùm de Jacob & Rebecca hujusce fabricatoribus doli, quàm de Isaac conqueror; quod cognitum non annullaverit dolum, Esau patiatur, Jacob possideat, Rebecca triumphet, Isaac dissimulet! tam potens benedictiones surripiendi sit ars, ut Jacob eam ex sæculo Esau eruat non solùm illi promissam & decretam, sed etiam per Cancellariam confirmatam! Tanta sit patientia Isaac, ut benedictionem non mutet in maledictionem! ipse hoc timuit Jacob. Quando mater illum hisce involutura erat dolis, dixit, Patrem animadversurum, benedictioniſque loco ipsi maledictionem inducturum. *Timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione*, nulla hujus habitâ ratione à Rebecca, quæ alienum noverat ab omni cholera Isaac cum, proindeque nihil in hoc casu sinistrum ab eo timendum; quod si Isaac choleræ fuisset obnoxius, Esau recepisset bene- Genes. v. 12.

benedictionem, Rebecca luisset figmentum ; Jacob acerbum sibi proprium sensisset dolum. Sed Isaac, nec erat Pater pro tali Jacob, nec maritus pro tali Rebecca: Esau semper suâ manebit privatus primogenitura. Nec Rebecca auferens, nec Jacob accipiens, nec pater consentiens, de hoc casu sibi faciant scrupulum ! sunt Doctores qui damnant, sunt alii qui excusant : Ego nec damno, nec excuso, admitor cum turbis, *Et admirata sunt turbæ.*

§. IX.

Quando? Hæc ultima examinis nostri est circumstantia: quando finem attingerem, si illud *quando* prosequi vellem? quando ministri faciunt facienda? quando faciunt, quod faciunt? quando respondent? quando deferunt? quando expediunt? quando audiunt? ità ut pro una audientia, multa sint quando necessaria. Hodie fieri, quod debebat fieri: cras fieri, quod debuisset hodie: infinitorum in uno Regno materia existit scrupulorum. Illa sic dilata, non observata, tam infinita *Quando* quantùm necessariò conscientiam inquietant, habentium conscientiam!

In Republica quondam Hæbraica, multisque aliis, Tribunalia erecta erant & exercebantur in portis : id innuunt Proverbia Salamonis: *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ:* ad qualificandam mulieris fortis, mariti nobilitatem : sedisse eum dicit in portis cum Senatoribus Consiliarisque terræ; ad quod etiam ipse Christus alludisse videtur, quando de Ecclesia sua in S. Petro fundata dixit : *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam* : per portas inferni intelligendo consilia inferni. Consiliarii enim, ministri, tribunalia, omnia consueverant stare in portis civitatis. Quamnam verò Legislatores isti, locum istum tribunalibus conferendi & consecrandi, justitiæque ministros in portis constituendi habuêre rationem? varias Historici quidem & Politici hujusce adducunt rationes: potior verò, & in qua passim omnes conveniunt, erat expeditionum celeritas. Accedebat agricola, miles, peregrinus, suo cum negotio, prætensione, petitione, nec opus habens ingredi civitatem, eodem die domum repedabat: tam prompti erant ministri, ut nec in civitate essent, nec sollicitantes haberent molestiam, expensis essent liberi : nec civitatem ingredi compulsi. Nesciant nunc sollicitantes, æræ illius cum moderna nostra distantiam: ne indignatione urgeantur & dolore : olim ministri stabant in portis civitatis : nunc ad portas ministrorum stant civitates. Tot rhedæ, gestatoriæ sellæ, equi (omittendo pedestres quorum infinitus est, nec æstimatur numerus) portæ, atria, plateæ hominibus impleta: & minister imploratur absque eò quod nesciatur utrum domi sit aut foris : ut magno constet labore à famulo tantùm expiscari hujus revelationem mysterii. Alii pulsant, alii pulsare trepidant: omnes exspectant omnes desperant. Prodit tandem minister, quartâ post solis ortum horâ comparet, huc illucve cursitando disparet. Sollicitantes respiciunt in cœlum, aliusque respicit alium : discedit dissolviturque civitas non consolata, quæ exspectaverat collecta. Et quando erit alterum Quando? quod vivant & tam inhumanè agant nunc fideles homines, & confiteantur, cùm tam rationabiliter procedebant homines sine fide & sacramentis! Ministri illi, etiam malè expediendo tres sollici-

Prov. 31. v. 23.

Matth. 16. v. 18

tantibus præstabant gratias. Parcebant illis tempori, sumptibus & passibus: Ministri nostri, etiam expediendo benè tria vobis inferunt damna: temporis, expensarum, & passuum. Hos passus, has expensas, hoc tempus quis vobis restituet! Quis jam absumptam restituet pecuniam? Quis jam factos restituet passus? O pretiosum & sic inaniter elapsum tempus! Judex octo mensibus differt, octo dierum spatio determinabilem litem: minister octo annis remoratur petitionem octo horis expediendam. Et militis sanguis, orphani lachrymæ, viduæ paupertas, afflictio, confusio, tot miserorum desperatio *Quid*? Christus sibi fieri asseruit quod illis sit; & in nullo meliùs quàm in illo tertibiles unius dilationis effectus videri possunt.

Tribus horis oravit Christus in horto, quibus eâdem super propositione ternas fecit petitiones, ad nullam earum accepto responso. Et quomodo hoc sensit, quidve illi propterea accidit? tantus illum invasit dolor, tristitia, agonia, ut omnibus ex venis sanguinem sudârit: *Factus est sudor ejus sicut gutta sanguinis decurrentis in terram.* Tota Christi triginta trium annorum vita continuum fuit heroicæ patientiæ exercitium: sed nec labor ullus, nec dolor ipsi sanguinis guttas expressit, nisi tertio iterata petitio sine responso. Quod si trium horarum petitio sine responso sanguinem exprimit homini Deo: quid in Homine homine tot orationum repulsarumque anni efficient, eóque amplius, quò magis est homo? Petitio Christi (*Pater si possibile est*) præsuppositio patris decreto, ipsiusque præscientiâ Christi de objecto erat impossibili. Et, si, non responsum fuisse ad impossibile unum, tanti constat, non responderi (quod quandoque contingit) ad quippiam ex omnibus, quantum affliget? Quod sentiendum vel maximè in eorum negligentiis, quibus ex officio respondere incumbis: & consequentia inde damna sunt publica. Nonne Reipublicæ utilius foret sanguinem fundi in bello, qui sudatur in petendo? quod ipsum hoc evenit casu. Si Christus sanguinem non sudâsset in horto, plus effundere habuisset in Calvario: effundendus enim illi fuisset effusus, & ultra etiam in horto sudatus. Si venæ sanguine suo evacuarentur sollicitando, cuinam remaneret sanguis pro conflictu? nec sanguis remanet nec animus, nec alacritas: perduntur omnia. Christus orare cœpit & petere in horto, simulque cœpit, quid? *Cœpit pavere, tædere, contristari, & mœstus esse.* Idem generosissimo Capitaneo, animosissimo militi contingit in aula. Miles vadit ad bellum, secum ferens tria, alacritatem scilicet, animum, & affectum; Ex bello redeunti ad petendum, præfata tria vertuntur in contrarium: alacritas in tædium, *Tædere*. Animus in pavorem, *Pavere*. Affectus in mœrorem, *& mœstus esse*. Et cuinam hujusce tam damnosæ metamorphoseos culpa imputanda? Dilationibus, suspensionibus, irresolutionibus, hodie, cras, perendie, & vestris nunquam venientibus. *Quando*. Et facitne sibi conscientiam de damnis istis quispiam eorum qui causa existunt? Sciant tamen [quamvis hoc scire nolint] agnoscantque veritatem (quamvis decipi parati) non unam sibi sed geminam incumbere restitutionem; unam particulari, & alteram Reipublicæ debitam

Luc. 22. v. 44.

Matth. 26. v. 39.

Marc. 14. v. 33. Matth. 26. v. 38.

Par-

Particulari, quia servivit : Reipublicæ, quia deinceps non erit, qui servire velit. Dicetis forsan, ad expediendos tot & tantos non suppetere media : Hanc prætensam exspectabam excusationem. Ast replicant illi, suppetere pro quibus vultis, at deficere pro quibus non vultis habere. Ego hoc non dico : quia non credo. Sed si non est unde, quare non dicitis non esse? quare illos suspenditis, quare consumitis, & à seipsis consumi patimini ? Vacat responso hæc quæstio: quamvis enim non affligendi prætendentes videatur esse medium, gravius ipsos affligit dilatio & suspensio, quàm afflictura foret veritas. Eodem hoc habemus loco.

Christum maxima petitionis suæ afflictione constitutum è cœlo confortavit Angelus: *Apparuit illi Angelus de cœlo confortans eum.* In quonam verò hæc consistit confortatio, si responsum fuit ut biberet Calicem, quem Christus transferri orabat? In hoc ipso fuit confortatio. Quamvis enim non responderit expediendo, respondit tamen veritatem dicendo. Ecce quantum præstat veritatem hominibus ostendere : quàm differre & suspendere. Dilatio & suspensio agonia fuit Christo : veritas verò confortatio. Dilatio sine expeditione duplex est malum : veritas sine dilatione, malum est temperatum bono. Nam si non datis mihi quod peto, liberatis me ab eo quod patior : liberatis me à suspensione, sollicitudine, deceptione, domus meæ absentiâ, aulâ & expensis : liberatis me à nomine & indignitatibus sollicitantis, vestro tribunali, vestris gradibus, vestris appatitoribus; denique à vobismetipsis. Hoccine videtur parum ? Si itaque unâ veritate suo tempore datâ homines nulli remanent querulosi, regimen evadit honoratius, Rex magis amatus, regnumque rectiùs administratum : quare pauperi prætendenti veritas involvatur, qui quò diutiùs differtur eò magis depauperatur? deficientibus mediis pro expeditione, nunquid sufficit unum *Non* trium literarum pro insinuanda veritate ? Eritne meliùs ipsum experiri veritatem, jam perditum, vestramque fraudem perditionis ipsius esse causam? Vultisne ipsum spe falsâ & exspectatione sustentare, quia plus prosunt exspectantes, quàm veritatem scientes ? si quod negatis, illi dare nequitis, quis illi restituet quod illi perditis? Heu restitutiones ! heu conscientiæ! heu anima ! heu examina! heu confessiones ! Hæc ultima sit admiratio : nec enim laudo nec condemno, sed tantùm admiror cum turbis : *Et admiratæ sunt turbæ.*

Luc. 22. v. 43.

§. X.

Ex toto hoc discursu evidenter (ni fallor) colligitur, multos in mundo dari scrupulos, de quibus aut nullus aut rarus fit scrupulus : Dari confessiones in quibus loquitur mutus, nec tamen exit diabolus. Suppositâque peccata omnia confitendi obligatione, ipsas etiam confiteri oportere confessiones. Grande malum est remediis non curari : eisdem verò infirmari, longè majus malum est. Et si infirmamur remediis, quid tandem remedii restat? Remedium est, ut ab ipsis homo curetur remediis, sicuti curatur ab infirmitatibus. In hoc versamur casu. Peccati remedium est confessio ; sed si confessiones meæ (pro eò ut me à peccatis liberent) pro infelicitate

meâ iisdem me magis gravent, non aliud restat remedium, quàm duplicare remedium, ipsas confessiones veluti peccata confiteri. De relapsis inquit Tertullianus quod pœniterent de pœnitentia : & de contritione contrerentur. Si mali contreruntur de contritionibus, qui boni esse debent & volunt, quare non confiteantur confessiones? Hisce illud faciendum pro certitudine; aliis propter dubium : cunctisque pro majore securitate est consultum.

Ut hæc confessionum confessio sit talis, ne iterare sit opus : in omnibus præsens hoc Christi in dæmoni muti ejectione exemplum venit imitandum. Primò, *erat ejiciens*. Omnia alia miracula Christus fecit in instanti; ejectionem dæmonis morosè & per temporis successum peregit. Sic primò requiritur competens omnibusque aliis negotiis curisve vacuum tempus, ut huic gravissima omnium negotiorum negotio vacet totus, *Cum accepero tempus ego justitias judicabo*. Quod si Deus ad examinandas dijudicandasque gubernatorum conscientias tempus se acceptu-rum inquiat, quomodo ipsi rerum administratores conscientias suas excutere, examinaque sua nisi ad hoc accepto congruo tempore dijudicare queunt? dicit aliquis sic se occupatum ut nihil sibi temporis superfluum. Audiat quæso hujusmodi, quid dicam. Sufficit tibi tempus pro lusu? suppetit tibi tempus exspatiandi ad villam? ad conversandum animi ergò cum aliis? Suppetunt tibi denique tempus & tempora pro tam exigui momenti oblectatiunculis? & ritè disponendæ & instituendæ confessioni deest tempus? Si nullum aliud tibi supperat tempus, ipsum officii, tribunalis, consilii, huic negotio consecretur : tempus quod meliorando officio impenditur eidem non subtrahitur. Sed abbreviando rationes quæro : casu quo jam febri corriperemini malignâ (quod omninò possibile) nunquid præscindenda forent omnia ad succurrendum animæ? Ità plane. Quod ergò faceret febris, cur hoc ratio non facit? Quod in infirmitate faceret metus & falsa contritio, quare hoc in sanitate sincera non facit confessio?

Accepto jam (quacunque vi aut pretio accepto) tempore sequitur Confessarii electio. Operatus hoc miraculum fuit Christus, *Erat Jesus ejiciens dæmonium*, Confessarius vices agit Christi : & futurum Dei hominis vicarium oportet multum esse hominem, multumque habere Dei. *Non confundaris peccata tua confiteri : & ne subjicias te omni homini pro peccato* inquit Spiritus Sanctus : nolite erubescere vestra confiteri peccata : sed attendite, ne ea confitendo vos cuilibet subjiciatis homini. Si corporis sanitatem (quæ caduca tandem & temporanea) non cuilibet credatis medico : animæ salutem ex qua dependet æternitas quare cuilibet credere-tis Confessario? Indocto, nullatenus est committenda : sed tamen, nec solummodò esse doctum sufficit : sed & timoratum esse oportet, qui sciat animam dirigere vestram, timeatque perdere suam. Judas Principibus Sacerdotum suum confessus est peccatum, *Peccavi tradens sanguinem justum*. Et quid illi responsum? *Quid ad nos? Tu videris*. Ecce quales Sacerdotes, qui nec suam nec confitentis sibi pœnitentis attendebant animam! eligendus vobis est confessarius, qui tantum de vestra quantum de sua sollicitus sit conscientia. Sufficitne doctum esse & timoratum?

Non.

Luc. 11. *v.* 14.

Eccl. 4. *v.* 35.

Matth. 27. *v.* 4.

Luc. 11. *v.* 14.

Psal. 74. *v.* 3.

Non. Oportet insuper esse cordatum. Ea est mentis humanæ pusillanimitas!, ut etiam in tribunali Christi Magnates tanquam Magnates attendant; respiciantque conditionem : ubi adulari nulla cogit necessitas. Philippus Secundus Hispaniarum Rex in venatione constitutus extemporali indigebat sectione venæ : deficiente alio, chirurgus ex proximo vocatur pago. Interrogatus à Rege, sciretne cuinam venam esset secaturus? Respondit Homini : Magnus ille Rex hominem æstimans pro merito, eum deinceps suo mancipavit servitio. Ab hujusmodi hominibus curandi sunt Magnates in anima & corpore, ab hominibus scilicet, qui Regem minuunt ut hominem. Ad hujus hominis, proindeque ad Dei pedes positus mutus loquatur tam veracitèr, tam integrè, tam distinctè quod confessus aut non confessus est : de propositis factis vel non factis : de satisfactione impletâ vel neglectâ &c. ut simul & semel dæmon exeat foras. Et hoc fiat cum adeò seria omnium præteritorum peccatorum detestatione : cum tam firmo emendandi proposito : cum tam vero & cordali intimo ob Deum infinitè amabilem & super omnia amatum offensum dolore : ut non solùm dæmon exeat pro semper nunquam reversurus sed jam ejectus sit ex anima quando loquitur mutus, *Et cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus.* Amen.

SERMO

DE

Sanctissimo SACRAMENTO Expositio in Ecclesia S. Laurentii in Damaso, Romæ in Bacchanalibus Anno 1674.

Tentat vos Dominus Deus vester : ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non? Deut. 13.

§. I.

MAjus, ô Tiberis, in splendidis littorum tuorum habitaculis, hisce diebus spectaculum conspicis: quam olim tentante Christum diabolo, Jordanis in deserti sui solitudine vidit. Ibi enim Deus visus fuit tentatus: hîc verò Deus videtur tentans: *Tentat vos Dominus Deus vester.* Majus ô Roma, hisce diebus in tuis foris, templis, & palatiis conspicis spectaculum; quàm olim in tuo cruento vidisti amphitheatro quando feris objecti fuêre NeoChristi-

ni. Ibi enim tormentis mortibusque probabatur fides: hîc verò ludos inter & oblectamenta probatur amor. *Ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non.*

Terribiles dies isti, & terribilis temporis concursus. Aliis temporibus, totiusque curriculo anni, tres sunt tentatores hominum: hisce diebus dantur quatuor, quartusque major & potentior omnibus. Tempore alio tentat mundus, caro, & diabolus: hisce diebus non solùm tentat mundus, caro, & diabolus, & quidem fortiùs quàm unquam aliàs, verùm etiam nos tentat Deus: *Tentat vos Dominus Deus vester.* Quamnam quæso ob causam putatis Deum suis egredi sacrariis, nisi ut ipse etiã publicarum tentationum tempore tentet? Tres tentatores semper quidem, ut inimici, sed non semper ut inimici aperti tentant: hisce verò diebus, dum monstrosis adeò faciem obtegunt larvis, mundus, caro, atque diabolus facie tentant retecta; hinc eodem tempore se Deus palàm, ad publicè etiam tentandum ostendit. Quo verò fine? non ut tentando nostros adjuvet inimicos: sed amicos suos probet & manifestet, *Ut palàm fiat utrum diligatis eum, an non.* Hæc propositorum verborum naturalis est proprietas: hæc non minus propria erit discursus mei materia. Deus tentator, Roma tentata: amantes Deum aut non amantes, publicè cogniti. Tria sunt puncta, quæ tamen brevitatis studio ad unum reducemus. Exordiamur.

§. II.

TEntat vos Dominus Deus vester, Deus nostentat? Deus tentator? verbum stupendum, tremendum, nec non indignum superficie tenùs & indecens! Deum verò tentarem non tantoperè miror: sed esse tentatorum in sanctissimo Sacramento? hîc perplexitas, hic stupor. Nonne sanctissimum Sacramentum est thorax ille validissimus, quo nos contra tentationes Deus obarmat? Nonne consecrata hostia geminum, humanum simul & divinnm est scutum, quo Ecclesia propugnatur? Et nos sine pietatis scandalo dicere audeamus, Deum nos tendandi hoc velut instrumento uti? *Tentat vos Dominus Deus vester!* Hisce diebus sic est.

Tumultuabatur populus contra Moysen in diserto, tumultusque erat bacchinalitius, *Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium!* Ægyptus, gentilitatis memoria, gustus atque appetitus depravatus, gulæ intemperies, denique caro. Sed andæ rebellioni, & refrænandæ brutalis appetitus inordinationi, ecce quid fecit Deus? *Dixit autem Dominus ad Moysen, ego pluam vobis panes de cœlo*, q.d. Moyses, non est bonum ut populus meus recordetur Ægypti, & eorum quæ habebat vel quibus delectabatur quando vivebat inter gentiles: ego dabo: illi panem de cœlo. Ità ut prima origo Mannæ, & prima institutio Sacramenti in figura, fuerit ad tollendum appetitus & consuetudines quas vocatis Bacchanalia; & ad eradicandum è suo populo memorias reliquiasque Gentilismi, quæ hodiedum adhuc inter Christianos hisce diebus continuantur. Benè. Sed, aliumne adhuc Deus populo suo manna ministrando finem habuit & scopum? Imò verò. Non solùm dedit illi manna ad abstrahendum ab illo vitio: verum etiam ad illum tentandum. *Ego pluam vobis panes de cælo egrediatur populus & colligat: ut tentem eum, utrum in lege mea ambulet, an non?* Hic dati populo Manna, fuit Deo secundarius scopus

Exod. 16. *v.* 3.

Exod. 16. *v.* 4.

pus & finis. Primus pro redio : secundus pro tentatione. Primus ad populum suum à prophanis Ægypti consuetudinibus abstrahendum : secundus ad eundem populum tentandum & probandum utrum obediret & amaret Deum, an non. *Ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea an non*, qui in propriis terminis verborum nostrorum est finis ; *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non.*

Habemus nunc Deum tentatorem, tentatorem in Bachanalibus, & tentatorem in Sacramento : nec non finem tentandi nos hoc tempore, & hoc quidem mysterio, non esse alium quàm nostrum probare amorem. In quonam verò consistit hujusce tentationis energia, hujusce dubii examen, & hujus denique probationis verificatio ? in hoc ut cognoscatur palamque fiat, utrum in nobis plus valeat vides quàm *Visus* : utrum delectationem visi, non visi amore relinquamus. Eandem prosequendo historiam, ad desertum revertamur.

Non multis post diebus malè assuetus & rebellis Populus, in eandem seditionem relapsus, ollarum Ægypti vilissimorumque esculentorum quæ delitias reputabat recordatus, præ fastidii magnitudine dicebat, *Anima nostra nauseat super cibo isto levissimo* Hic est locus unus, è sacræ scripturæ locis intellectu difficillimis : Manna etenim (ipsâ attestante Scripturâ) omnium escarum in se continebat saporem, *deserviens uniuscujusque voluntati*, inquit Scripturâ, & David, *omnem escam abominata est anima eorum*. Quod si manna omnes in se continebat sapores, quomodo generare poterat fastidium ? fastidium illud non ex nimia ciborum ingestione, nec ex famis, orexisve comedendi oriebatur defectu ; eodem etenim tempore ollas suspirabant Ægypti. Si ergò manna, non solùm de disco in discum, verùm etiam de bolo in bolum variare poterat sapores, Hebræique comedentes abuntantiori, magisque exquisitè, quàm illa Pharaonis, instructæ assidebant mensæ, & simul omnium aquatilium, volatilium, ac in terra nascentium & viventium sapores habebant conjunctos, quomodo non abigebant nauseam unius, commutatione & varietate alterius ? Casu quo quis mihi diceret, præstantis adeò edulii delicias, tam grosso paulò ante servilis populi palato non convenisse, proindeque ingeminâsse, *in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porri, & cepæ & alia* : agrestium horum ruraliumque aliorum quorumcunque victualium sapores etiam manna continebat ; Unde ergò hujusce fastidium & nausea ? Docti utique multas hujus dubii legerint resolutiones : sed me vobis literalem & veram daturum spero. Dico ergò, mannæ fastidium non fuisse in palato, sed oculis. Quod Judæi gustabant totum erat quod appetebant : sed quod videbant & aspiciebant solummodò erat manna. Manna in prandio, manna in cœna, manna hodie, manna cras, manna semper : & quia varietas ac diversitas tota erat pro palato solo, & non pro oculis : hinc oculi fastidiebant. Non est hæc expositio mea, sed propria oris eorum confessio. dicunt enim illo ipso textu, *Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man*. Et quoniam nihil videbant præter manna : idcircò illis stomachum movebat & nauseam, & in Ægyptum revertendi excitabat desiderium.

O divinum manna, & panis verè cœlestis ! omnes sapores, animæque nostræ delit-

Num. 21. *v.* 5.

Num. 11. *v.* 5.

Num. 11. *v.* 16.

Sap. 16. *v.* 21.

Psal. 106. *v.* 18.

delitias hisce accidentibus contineri, credimus & confitemur, sed *Anima nostra nauseat super cibo isto: quia nihil respiciunt oculi nostri nisi Man.* Hæc quondam fuit tentatio, quâ Deus populum Israëliticum in manna tentavit, *ut tentem eum*: hæc hodie est tentatio, qua Deus populum Catholicum tentat in Sacramento. *Tentat vos Dominus Deus vester.* Hebræos [solo Moyse pauciſque aſſeclis exceptis) Chriſtianos (Moyse altero, & paucis genuinis ejuſdem aſſeclis exceptis) omnes tentatione victos cernimus: omnes etenim profanis menſis & abominationibus Ægypti magis, quàm hoc cœleſti pane delectantur. Hujus tantæ injuriæ in his & aliis cauſa eſt eadem. In Hebræis, quia non videbant niſi manna: In Chriſtianis, quia non apparent niſi candida iſta accidentia. *Nihil reſpiciunt oculi noſtri niſi Man.* O fidei imbecillitas! ô cœcitas! ô tyrannis humanorum oculorum! hiſce diebus tentat Deus, tentat mundus: utraque tentatio laqueum prætendit oculis: illa verò Dei oculis clauſis: hæc autem mundi oculis apertis. Deus, ſua præſentia velata: mundus verò tentat publicis repræſentationibus & ſpectaculis, quemadmodum verò iſtæ repræſentationes *oculis* palàm objectæ, hæc autem præſentia oculos fugit: loco ejus, ut firmitas fidei de oblectamentis & deceptionibus viſus triumphet, triumphat tyrannis viſus de obligationibus fidei. Quod ſi Chriſtus velamen quo tegitur retraheret, ſubitò in hac Eccleſia appareret transfiguratio Thabor, totaque Petri civitas cum eodem exclamaret, *Bonum eſt nos hic eſſe.* Aſt Chriſtus æqualibus mundum armis debellare dotrectat: prodit in campum oculis noſtris inaſpectabilis: fidem etenim & amorem noſtrum probaturus venit. *Ut palàm ſiat, utrum diligatis eum, an non.*

NB. Card. Barberinus eſt hujus devotionis inſtitutor, & alter Moyſes.

§. III.

NOtatu planè dignum, quod exclamante Petro, *Bonum eſt nos hic eſſe*, Evangeliſtæ ipſum extra ſe fuiſſe aſſerant: *neſciens quid diceret.* Semper cum Chriſto eſſe deſiderat, & eſt extra ſe? Ego potiùs affirmarem ipſum nunquam fuiſſe magis intra ſe, quàm quando cum Chriſto eſſe deſideravit. Ut quid ergò fervor & amor Petri talem meruit cenſuram? Quia cum Chriſto ſe futurum dicebat, ipſius gloriæ clarè intuitus ſplendorem: cum dicendum hoc fuiſſet, ipſo nube tecto. In theatro Thabor duæ diverſæ planè, ſucceſſivè exhibitæ ſunt ſcenæ. In prima, ſolis inſtar ſplendentis radiiſque coronati Chriſti majeſtas manifeſta apparuit, *Reſplenduit facies ejus ſicut Sol*: In ſecunda, nubes deſcendens totam iſtam obſcuravit gloriam, Apoſtolorumque oculos perſtrixit. *Nubes obumbravit eos.* Quid nunc Petrus? Nihil. Jam tempus aderat dicendi; *Bonum eſt nos hic eſſe.* Velle enim eſſe cum Chriſto, cum plena ſua gloria apparente, nec fides, nec amor eſt, nec capite Eccleſiæ digna cogitatio: hinc eadem illa nubes quæ viſus obvelaverat ſenſum, eidem mox fidei ſenſum retexit, nam ſequitur; *Et ecce vox de nube dicens: ipſum audite.* Veræ fidei probatio, & veri amoris excellentia non eſt, ſequi ſolem omni ſuo ſplendore radiorumque ſuorum pompâ coruſcantem: ſed oculis ſeſe ſubducentem, obſcurum, & nubibus opertum. Ecce idipſum in ſpeculo naturæ. Flos ille, cui ſolis ſphæra impoſuit nomen à Græcis vocatus Heliotropium, cum perpetuo motu immobilis, amicum ſibi Planetam ſequi nunquam deſinit & comi-

Matth. 17. v. 2.

Matth. 7. v. 5.

comitari. Sole otto, veluti salutabundus inclinat, cum ascendente se erigit, in suo Zenith existentem contemplatur erectus, cum descendente sese rursum demittit: vergenti denique ad occasum veluti valefacturus denuò profundè inclinat. Ingens sanè naturæ portentum! ingens amoris excellentia! in quonam verò consistit maxima vis hujus excellentiæ? illud expendit Plinius, & cum tam admiranda, sicut ipsamet ejusdem est floris, reflexione detexit; Heliotropii miraculum, sæpiùs diximus cum Sole se circumagentis, etiam nubilo die: tantus sideris amor est. Miraculum est & prodigiosa excellentia, quod flos ille Solis amans, sine motu locali, illum veluti in rota, cursum comitando sequatur: maximum verò miraculi hujus admirabile, & excellentissimum hujus excellentiæ est (inquit Plinius) quod non tantùm Solem clare rutilantem, verùm etiam nubibus opertum sequatur & comitetur, *etiam nubilo die: tantus sideris amor est.* Sed à schola naturæ, transeamus ad scholam gratiæ, visuri num similis flos ibidem detur. Moyses actus desiderio videndi Deum, faciem sibi ostendi petebat, *ostende mihi faciem tuam*: responsum accepit, illud esse impossibile in hac vita, *Non videbit me homo & vivet.* Quid Moysen facturum fuisse putatis auditâ hac veritate? ipse quidem hoc non commemorat in sua historia, sed illius vice S. Paulus gravissimè insinuat: *invisibilem tanquam videns sustinuit.* Moyses credendo Deum invisibilem illius fuit præstantiæ, ut illud faceret non videndo, quod facturus fuisset illo viso Quid ergò, viso Deo, Moysi fuisset faciendum directis, defixisque in eum oculis, absque omni deflexione standum fuisset. Quod ergò faciendum fuisset videndo, idipsum præstitit non viso, *invisibilem tanquam videns sustinuit.*

Plinius.

Exod. 33. v 18. ibid. v. 20.

Heb. 11. v. 27.

Hoc modo Moyses suum probavit amorem: vultque Deus nos hisce diebus ut amorem nostrum similiter ostendamus: *Ut palàm fiat, utrum diligatis eum.* Divinus ille Sol nube se tegente se ostendit invisibilem, ad probandum, utrum tantundem in nobis valeat fides, quantùm visus: & utrumnam sic adhæreamus & comitemur non visum, ac si videremus. Qui sic fecerint, naturalem Heliotropii, supernaturalemque Moysis excellentiam pro amoris sui symbolo jure sibi poterunt vindicare: eritque corporis ac animæ æqualiter discreta intentio. Corpus Heliotropium Soli nubilo obversum: Anima verò ad literam S. Pauli *invisibilem tanquam videns.* Nemo se Christum amare arbitretur, qui invisibilem ejus præsentiam omni viso visibilique in mundo non anteponit: ibi ad videndum, hic ad non videndum invitamur. Veri etenim amoris probatio non in visum, sed non visum amando consistit: amare & videre beatitudo est; amare & non videre Amor est, quod ipse mundus confitetur. Quisnam totus amoris ornatus? Vos illum nudum pingitis sicut veritatem, talem quippe oportet esse si amor est: quis igitur omnis ejus ornatus? nihil aliud quam velamen: *velatus & nudus.* Ubi oculorum deficit usus; amor sese detegit. *Ut palàm fiat, utrum diligatis eum.*

Nunc licentiam à vobis peto, examinandi quendam Isaiæ locum quotidie ex pulpito resonantem, mihi verò occultum & novum. Prout omnes nôrunt Isaias vidit illos Seraphim, & quod meum effugit captum, est, quod isti Seraphim

assistentes Deo, Deum non videbant. Assistebant Deo, nam stabant ante Thronum Dei. *Seraphim stabant super illud.* Non videbant Deum, alarum enim interpositione oculos proprios, & ipsius Dei faciem velabant: *Et velabant faciem ejus.* Hîc perplexitatis meæ cardo vertitur; cupereмque à doctis discere, quinam sint illi Seraphim Deo assistentes, nec tamen Deum videntes. Certum est, & de Fide, quod Angelici spiritus faciem Dei semper contemplentur, *Angeli eorum semper vident faciem Patris qui in cœlis est.* Seraphim non solùm sunt Angeli; verúmetiam supremæ Hierarchiæ Angeli supremi: Ergo etiam certum est, Seraphinos omnes visione sublimiore, magisque immediatâ, quàm omnes Angelos reliquos Deum intueri. Quales sunt ergò Seraphini isti, qui Deo assistentes, Deum non vident? Auditores mei: Seraphini isti non intuentur Deum: ast ego istos contueor Seraphinos: Dicite mihi, omnes quotquot in hanc Ecclesiam ad adorandum & comitandum Christum in hoc Sacramento velatum confluxistis, assistitisne Deo in hoc throno? Ita. Videtisne Deum? Non. Isti itaque sunt Seraphini, qui Deo assistunt, & Deum non vident: non sunt Seraphini cœlestes, sed Seraphini terrestres: non sunt Seraphini Angeli: sunt Seraphini homines. Quia verò isti Seraphini non ad videndum sed assistendum veniunt: hinc ipsæ alæ; quibus feruntur, ipsos sistunt simulque velant, *volabant, stabant, velabant.* Hoc modo hanc Isaiæ visionem interpretantur ex PP. Græcis S. Cyrillus: & è Latinis S. Hieronymus; ast ego nullum alium Expositorem volo, quàm ipsum textum. Dico visionem illam non fuisse in cœlo, sed in terra: juxta quod textus illud asserit; *Plena est omnis terra gloriâ ejus.* Dico, locum terræ esse Ecclesiam, dicente textu; *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* Dico, in hoc templo visum oculorumque usum fuisse impeditum, attestante textu, *Et domus repleta est fumo.*

Isaiæ 6. v. 2. *Ibid.* *Matt. 18. v. 10.* *Isaiæ 6. v. 3.* *Isaiæ 6. v. 1.* *ibid. v. 4.*

Verùm enim verò si hi vocati Seraphini in hac terra, in hac Ecclesia, in hac Dei invisibilitate assistentes, sunt homines: quare Isaias eos non tales, nec Angelos, nec Archangelos, nec Cherubim, sed Seraphim appellat? propter idipsum: Deo enim assistunt, Deum non videntes. Seraphini sunt illi spiritus ardentes, quibus amor Dei nomen imposuit: inter omnes etenim, & super omnes Hierarchias plus cæteris omnibus Deum amant: Quia verò amare Deum, eique assistere absque intuendi circumstantiâ evidentissima est probatio, maxima excellentia, & gradus sublimissimus quem amor potest assequi: hinc illos Propheta nuncupat Seraphinos, sed oculis velatos.

Ignoscite mihi cœlestes Seraphini. Vos ibi habetis nomen, & hic est amor: vos ibi assistitis & amatis, sed videntes: non hic assistimus, amamus, & non videmus. Unica ista est gloria terræ, Deoque propria. Propria terræ, *Plena est omnis terra*: amare etenim non videndo Deum, est gloria, quæ in cœlo nec est, nec fuit, nec unquam erit: Propria Deo: *Gloria ejus.* In cœlo enim Deus gloriam donat, hic illam recipit, hæc est vis. *Ejus.* In cœlo Deus impertit gloriam Beatis: in terris, vos illi assistentes gloriam datis Deo. In cœlo Deus gloriam impertit Beatis, nam se præbendo aspectabilem & ad amorem provocando Beatos facit glorioſos; vos in terra, gloriam

riam datis Deo: amando etenim non videntes, illum glorificatis. In cœlo Deus est Glorificator, Beatique glorificati: In terra vos estis glorificatores, Deus Glorificatus & Glorioſus. *Plena est omnis terra gloria ejus,* Tantum inter amandum non vivendo, & amandum videndo intercedit diſcrimen.

Quandoquidem hiſce diebus, Chriſti est intentio tentare amorem noſtrum & probare, *tentat vos Dominus, utrum diligatis eum, an non*: idcircò noſtræ ſeſe fidei & non noſtris ſe oſtendit oculis; non majeſtate & gloriâ conſpicuum, ſed inviſibilitate armatum. Generoſus ille Heros David conſuluerat Deo, ut ſi omnia vellet vincere & ad ſe attrahere, ſuo ſe decore & pulchritudine indueret, & faciei ipſius ſplendor gladii vices ageret, *accingere gladio tuo ſuper femur tuum potentiſſime: Specie tuâ & pulchritudine tuâ intende, proſperè procede, & regna.* Sed quemadmodum David non accepit arma Saulis: ſic nec Chriſtus arma Davidis. Mundus nobis illiciendis publicum ſplendidumque exhibet theatrum, omnibus quæ novitas ingeniumque adinvenire ſufficiunt gratis & delectabilibus inſtructum: Ille è contrario iſtis ſub velaminibus omnes pulchritudinis ſuæ theſauros abſcondit, confidens de fide noſtrâ & amore, inviſibilem ſeſe à nobis adorandum, & non viſo aſſiſtendum, latentem & opertum non tectè amandum: *Ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non.*

§. IV.

HÆc Auditores est tentatio, quâ nos tentat Deus, generoſitate, magnificentiâ, & amoroſo tam ſupremi tentatoris pectore digna. *Tentat vos Dominus Deus veſter.* Noſtrâ nunc intereſt, vel reſiſtere tentationemque vincere, vel ſuccumbere, vel ex vulgi eſſe multitudine qui ex fragilitate vel abjectione animi ſequitur mundum: vel de generoſo & verè Chriſtiano eorum numero, qui ſuas mundo relinquentes ſtultitias, ſequuntur & aſſiſtunt Chriſto & palàm hiſce diebus faciunt ſe amantium numero jure accenſendos; *Ut palàm fiat, utrum diligatis eum, an non.* Tota tentandi, vincendique ratio conſiſtit in uno Ita, vel Non; vel videre vel non videre: vel amare, vel non amare. Hucuſque *Utrum diligatis eum, an non,* est problema: Vos & oculi veſtri id ſolvetis. Prolixè quidem & libenter pro una alterave parte diſputarem: ſed quia temporis anguſtia id non patitur, jam diſputatum & in ſcriptura diſſolutum, nec non prodigioſè repræſentatum vobis proponam; ad ripas igitur Jordanis revertamur.

Arca teſtamenti Jordanem idgreſſa, mox fluminis aquæ in duas partes ſunt diviſæ. Pars ſuperior velut extatica, & ad præſentiam arcæ attonita, retrogreſſa ſubſtitit, hoc modo remanens immobilis. Pars inferior, inclinatione naturali & fluminis agitata impetu non ſubſiſtens, in mare defluxit. Famoſa hæc hiſtoria, hiſce diebus revertentibus annis Romæ repræſentatur. Arca teſtamenti, quâ magnificentia majeſtasque Dei continebatur, est diviniſſimum Sacramentum; Jordanis diviſus, non est Tiberis, ſed Tiberis civitas ſuos ſimiliter torrentes habens & diviſiones. Pars ſuperior reverenter ad arcæ ſubſiſtens præſentiam, ſunt qui aſſiſtunt illumque Dominum comitantur: Pars inferior quæ ad mare re-

recipit, sunt qui non comitantur sed deserunt, & quasi cum torrente, quâ Mundus invitat, abripiuntur. Hujus notatu dignæ differentiæ intuitu, David flumen alloquitur dicens: *Quid est tibi mare quod fugisti, & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?* Jordanis quietus, Jordanis fugitivus. Quænam est ista divisio, quæve tam diversa resolutio? Quæ stas, quare stas? & Tu fugitiva, quem fugis? Quod si eadem est causa, fluvius idem, eadem utriusque natura, quare tam contrarii sunt motus? Pro parte superiore & subsistente Jordanis, respondet David, quod Urbanitatis officiique ergò substiterit; quia recognoscens præsentiam Dei Jacob, reverentiam exhibuit arcæ. *A facie Domini, à facie Dei Jacob.* Arca vocabatur faciesDei, ob specialem præsentiam, quâ Deus invisibiliter in eâ residebat. Unde similiter sequitur, hunc Davidis Versum (prout nos intelligimus (de tranfitu Jordanis venire intelligendum: nam in transitu Maris rubri non aderat Arca. Sed si dicere sufficiebat, Jordanem à facie Dei substitisse, quare Propheta adjungit nominatim, Deum istum fuisse Jacob, *à facie Dei Jacob*? fueritne fortè factum differentiæ ergò inter Deum verum) qualis erat Deus Jacob)& Deos fictitios & fabulosos quos variis sub figuris illo tempore adorabant Gentiles? Verè, Auditores, qui hîc præsens venerabundus huic non assistit Arcæ: vel non credit ibi adesse Deum, vel habet alios Deos falsos & turpes, quos magis amat & adorat. Sed hoc non solum est mysterium: nec sola hæc Jordanis fuit Præstantia. Notat glossa in hoc Textu, Prophetâ non dixisse, *à facie Dei Israël, sed à facie Dei Jacob.* Hic Patriarcha duo habebat nomina, unum scilicet Jacob ab hominibus impositum: alterum à Deo datum, scilicet Israël. Quare nunc, hoc casu, se Deus non vocat Deum Israël, sed Deum Jacob? Magno hoc non vacat Mysterio. Jacob, id est, luctator: Israël, Deum videns: Quia verò Deus invisibiliter erat in Arca, Jordanisque Deo substitit invisibili: hinc Deus non se vocat Deum se videntis, Deum Israël: fuit etenim honoratus non visus. Cum majori itaque mysterio, majoreque Emphasi, Deus Jacob, id est Deus luctatoris vocatur: Jordanis etenim moli resistendo aquarum, impetumque refrenando turrentis, contra præcipitem propriæ naturæ inclinationem fortiter luctatus eam gloriosè devicit: ità ut in hoc Jordanis miraculo duæ concurrerint circumstantiæ, quas necessariò oportet concurrere in illis, qui Christo hisce diebus, in Sacramento assistunt. Prima, instar Jacob luctari, & naturalis inclinationis trahentem ad sequendum torrentem vincere impetum; Secunda hic sistere & assistere immobiliter Deo: sed non viso tanquam Deo Israël: sed Deo invisibili, tanquam Deo Jacob.

In hunc modum respondit David pro superiore Jordanis parte, quæ arcam reverita, substitit. Pro parte verò inferiore, quæ ad mare fugiens ipsi tergum obvertit, quia tam irrationabilis, tam præceps, tamque fœda fuit actio, cum stupore & indignatione; quare Deum fugeret, reprehendit & improbavit, *Quid est tibi mare quod fugisti?* Sed si erat flumen, quare illud appellat mare? Et si erat Jordanis, quare non vocat Jordanem? Nomen illi sublatum & datum, utrumque censuræ, quam merebatur, fuit declaratio. Flumen in mare decurrens suum vadit quæsitum interitum: ibi & nomen perdit & esse,

Psalm. 103. v. 6.

Psalm. 103. v. 7.

Glossa.

esse, non enim jam est flumen, sed mare: ità irreverens pars Jordanis, tergum arcæ obvertens, suum naufragium quæsivit & pœnam. Posito hanc sufficere rationem, cur Propheta ipsi Jordanis nomen negaverit: illud nihilominùs magno fecit mysterio, luculentissimo documento, nec non reprehensione eorum, qui illum hisce diebus imitantur. Jordanis, tantundem est, ac fluvius judicii: Et quâ ratione illius pars una tali poterat esse nomine digna, tam præceps, tam furiosa, & sine judicio ad sequendum naturæ impetum ac consuetudinem, ut coram arcâ Dei subsistere detrectârit fugiens à facie ejus? Doctos semodò discretosque glorientur, ab eadem se separantes & fugitivi præsentiâ, ad videndum & suâ præsentiâ approbandum horum dierum stultitias, quibus mundus magis quàm unquam suum perdit judicium. Etsi clariùs intueri desideratis, quàm à judicio ista remota sit resolutio, eam mecum sub aliâ ejusdem fluvii considerate allegoriâ, ipsiusmet Prophetæ verbis me loquentem audite: *Quid est tibi mare quod fugisti?* O fluvie præceps & infelix, à furia Torrentis abripi te posse, & ab arcæ præsentia fugitive, edicito, à quo fugis, & quare? & quid tibi mali Dominus à quo fugis irrogavit quod ipsum fugias? à Deo qui te quærit, qui ad sanctificandum te personaliter venit: qui (cùm sis ex Amorrhæis) te suum facere cupit; qui à gentilitatis servitute in libertatem vendicare intendit, qui se totum intrà te collocat, ab hoc tam amabili Deo tu fugis? Edicito mihi (quamvis profugum te video) *Quid est tibi?* quem fructum, quem profectum ex fugiendo, & te à Deo elongando speras? Quod si inveterata tui te torrentis consuetudo trahit, nonne vides meliùs saniusque esse consilium malas emendare consuetudines, antequam in mare mortuum te deducant, quò tu properas? quod si inclinatione impetuve abriperis naturæ, nunquid non alteram tui ipsius partem ejusdem, tecum indolis consortem retrorsum conversam intueris? si illa tuo nullatenus movetur exemplo, cur illam non sequeris? quod si ad hoc non induceris virtute? reverentiæ ergò saltem faciendum est. Nunquid hunc Jordanem ad arcæ præsentiam subsistentem, quantò magis quiescit, tantò magis intumescere, altiúsque insurgere contemplaris? Nunquid non ipsum miraculosum, honoratum, laudatum, & sanctum vocatum consideras? quò igitur duceris? ecquid quæris? quorsùm tantoperè festinas? *Quid est tibi mare, quod fugisti?*

§. V.

IN illo verbo *Mare*, totum habemus *quid est*: & totum, *Quare*, admirationis Prophetæ; & idipsum pro admiratione tantum & stupore, ut vix sine indecentia dici queat: sed magnum non est, dici; quia videtur. Mare illud, quo fugitiva pars Jordanis decurrit, & quod hodie vocamus mortuum, & illo tempore *Vallis salinarum* dicebatur, quia cum piscibus & omni viventi careret, Sal ex eo tantummodò hauriebatur; ad currendum igitur ad *Vallem salinarum*, relinquetne reverentiam & præsentiam arcæ? ad currendum ad *Vallem salinarum*, fugiendum erit à Deo? Ita fit: ad deveniendum ad salis vallem; salisque plus satis quandoque mordacis & urentis. Quotquot horum dierum oblectamenta exeunt spectatum, quæ, quidnam sunt aliud quæso, quam quod Roma antiqua, *Sales*, moderna verò *Sali* vocat?

Joci, facetiæ, nugæ; vestium metamorphoses, æquivoca personarum, sexuum specieique transfigurationes, lepidæ machinæ, inventiones ridiculæ, aliaque id genus quæ ingenium, curiositas, & otiositas movendo tantùm risui potest excogitare; Quænam Catonis vestri hæc intuentis desuper foret censura? fora, plateæ, & theatra ridiculis, & ad ridendum, repleta conspiciuntur. In summâ, cum tam levis & ridicula sit tentatio, mundus nihilominus de nobis & consequenter de ipso Deo triumphet! Domine, Domine, ad meum hac super re testandum dolorem, pro majore divinæ tuæ Majestatis reverentiâ ad Sancta Sanctorum confugere, quàm hisce diebus in publico compareret præstare. Risus sit Risus: sed non irrisio tui. Rideant homines quod vident & faciunt: sed non videantur irridere, tam exiguam tuæ præsentiæ habentes rationem. Noverint itaque ita Deum relinquentes, & illum tam vili commutantes aut vendentes pretio, quod teste S. Paulo: *Deus non irridetur.* ibidemque pro isto risu unum Væ justitiæ divinæ reservetur. *Va vobis qui redetis, quia plorabitis.*

Psal. 6. v. 8.

Luc. 6. v. 25.

Ista Auditores, vestri problematis, *Utrum diligatis eum, an non*, in historia Jordanis disputari, & diversimodè sicut promisi, per binas ejusdem partes, unam ad arcæ præsentiam reverentèr subsistentem, alteram obverso tergo ad mare decurrentem, resoluti est repræsentatio: Quilibet nunc videat utrumne harum sequi eligat partium. Et quia tota, aut amandi, aut non amandi Deum, hisce diebus tentatio resumenda venit in eo, quod à religione vel vanitate, videlicet, à non sacrificando aut sacrificando risum assumitur, animosè nos ad sacrificium ac cingamus; in exemplar nobis ob oculos ponentes famosum illum similis tentationis, Deique tentationis (sicuti est nostra) victorem.

Tentavit Deus Abraham. Tentatio fuit, ut dilectum suum illi sacrificaret Isaac. S. Paulus istam Abrahami tentationem & Isaaci immolationem parabolam nuncupat: *Unde eum in parabolum accepit.* Sed quomodo parabola, si vera fuit historia? Apostolus non intendit dicere, non esse veram historiam; sed historiam fuisse, simul & parabolam. Historia, per hoc quod erat: Parabola, per hoc, quod significabat. Sciemusne jam, quod Isaac ejusque sacrificium significat? Isaac risum significat, quamvis risus materia videatur. Risus iste in significatione Dei tota est tentationis materia: quemque Deus à nobis sibi sacrificari mandat. Hinc S. Bernardus, *Dicitur tibi, ut immoles Isaac tuum:* Isaac enim Risus interpretatur. Nôstis (inquit Bernardus) quid Deus sibi velit à nobis sacrificari, quando Isaac jubet immolari? risum sibi sacrificemus mandat. Abraham igitur Isaac suum immolare mandans, filium suum immolare præcepit, & hæc fuit historia; nostrum ut sibi sacrificemus Isaac mandans, risum sibi sacrificari postulat, & hæc est parabola: *Eum in parabolam accepit.* Omnes instar Abrahami à Deo tentati sumus: *Tentat vos Dominus Deus vester.* Omnes eodem fine, nostro videlicet probando amori: *Ut palam fiat, utrum diligatis eum an non.* Si est, qui suum non vereatur sacrificare Isaac, exemplo Abrahami conscendat intrepidè montem, generosique illius cordis & brachii benè contempletur inclementiam. *O formidabile spectaculum! amor in prolem. Deique dilectio judicio contenditur: & Judex ensifer*

Gen. 22. v. 1.

Hebr. 11. v. 19.

S. Bernard.

Basil. de Seleuc.

ensifer instat Abrahamus, & gladio jus dicit, inquit Basil. de Seleuc. In pectore Abrahami duo litigabant amores, ambo fortes, ambo magni, ambo difficiles superatu : Dei scilicet & Isaac. Pro parte Dei patrocinabatur Fides : pro Isaac tota obluctabatur natura : & in medio horum affectuum judex constitutus gladioque dicturus sententiam erat Abraham. Hujusmodi controversiam, Christiane, in hoc articulo habes decidendam, *Utrum diligatis eum, an non*. Si verè amas Deum, moriendum est Isaaco : Si Isaac vivit, non amas Deum. Cœlum ex parte Dei : Terra ex parte mundi suspensa tuam expectat resolutionem. Tu es Judex ; ferto sententiam. Quid dicis ? ita, vel non ? Eheu ! fideles Christi amatores, quilibet vestrûm videtur mihi Abraham brachio extento, stricto gladio, ad caput, non innocenti sed reo, non legitimo, sed adulterino ; non vitâ sed morte undequaque & perpetua dinissimo Isaaco amputandum, moriatur, moriatur Isaac : vivat Christus, & divinissimum vivat Sacramentum. Sed quid video ? non Angelum è cœlo, velut illum Abrahami : sed ex inferno, qui ex parte mundi & sensus vobis clamans brachium retinet, gladiumque excutit. Ea fidei nostræ est imbecillitas : tantus cordium nostrorum tepor. Hoc demùm erit anno, sicut & reliquis, parabolaque integrè complebitur ; Vivat Isaac, & sacrificium erit Agnus. Tu Domine relictus eris ; mundeusque quæsitus assectis gaudebit. Tu eris hîc quasi solitarius : & Roma in Corso & Theatris.

Idem S. Basilius notavit (sicut jam ante notaverat Josephus) quod Abraham illum casum habuerit secretum : nec quando mandatum accepit, nec quando ad exequendum se accinxit & ad sacrificium perrexit, Saræ revelavit. Ratio fuit (inquit Sanctus) nam quamvis Abraham veneraretur & magni faceret fidem, devotionem ac pietatem Saræ : considerato nihilominus muliebri genio, timuit ne velut mulieri & matri insacrificium consentiendi animus deesset : *Ego quidem ejus animum suspicio, sed geniumvereor*. Cognovit animum, sed timuit genium ; qui etiam meæ est causa diffidentiæ, *suspicio, sed vereor* Abraham erat Pater ; Sara mater credentium. Credentium Pater promptum ad sacrificandum habuit animum ; mater credentium non item, Et quænam omnium credentium mater, nisi tu ô Roma ?

§. VI.

ROma, nec suppetit mihi facultas, nec fiducia, nec lingua ad dicendum tibi, quod in hoc casu sentio, sed audi quid æquali authoritate & eloquentiâ præcipuus tuus Doctor Hieronymus tibi dicat. Eodem tempore, quo S. Damasus hanc ipsam, in qua congregati sumus Ecclesiam extruxit, scripsit S. Hieronymus Urbi Romæ maximâ ex parte deceptæ dissolutionibus & luxibus congruentioribus cultoribus Jovis à quo habebant nomen, quàm veris Christi adoratoribus, quæ omnia impius approbabat Jovinianus, hunc in modum : *Urbs potens, Urbs orbis Domina, Urbs Apostoli voce laudata, interpretare tuum vocabulum : Te alloquor, interpretare tuum vocabulum. Roma, aut fortitudinis nomen apud Græcos, aut celsitudinis juxta Hebræos. Serva quod diceris : Virtus te excelsam faciat, non voluptas humilem.* Græcus dicens Romam, vult dicere fortem : Hebræus dicens Romam, vult dicere Excelsam (addamus

S. Hier. contra Jovinian.

damus nos) Christianus dicens Romam, vult dicere Sanctam. Eritne igitur decorum, quod Roma fortis, tam levi non resistat tentationi? Eritne dignum, quod Roma excelsa, ad tam ludrica & abjecta se demittat? Eritne excusabile, quod Roma sancta, ipso sanctitatis fonte derelicto, torrentem sequatur vanitatis? Ridebit sanè Græcus, ridebit & irridebit Hebræus, lugebit & erubescet Christianus. Itaque mea Roma (inquit Hieronymus) *Serva quod diceris*: Si te vocas Romam, esto Roma; si te vocas fortem, esto fortis, si excelsam, esto excelsa, si sanctam, esto sancta. Et vos Domini Romani, generosi illius *magnarum Alarum Aquilæ filii*, recordamini verborum, quæ vobis primo loco, omnibusque pro matre & capite sanctam hanc civitatem agnoscentibus, de vestra confisus pietate Dominus hic præsens dixit: *Ubicunque fuerit Corpus, ibi congregabuntur & Aquilæ.* S. Ambrosius inquit, *Corpus in altari, Aquilæ vos estis.* Non sese aquilam æstimet (de quibus enim hucusque locutus sum, sunt vulgus) non se veram & genuinam æstimet aquilam, qui huc non venerit acuti visus & amoris excellentis specimen editurus. Aquila naturalis, ad splendentis Solis radios, suos genuinos examinat filios: Aquila verò divina, filios suos in Solis obscuri probat umbra; cum hâc nobilissimâ circumstantiâ oculi vestri Deo totum sacrificent, quicquid hisce diebus videre detractabunt. Quod ubi feceritis (prout de vestra generositate præsumendum) cum hac circumstantia vestrum sacrificium Deo longè præstantius gratiusque reddetis, illo sacrificio Abrahami. Notate. Deus Abrahamo Isaac filium suum immolare præcipiens, dixit: *Vade in terram visionis, atque ibi offeres*: quasi diceret, vade in terram visionis; in terram ubi me vidisti & vides; & ibi sacrificium offeres. In differentia de *Ibi* ad *Ibi* sacrificii prærogativa consistit, Sacrificare Deo in loco ubi videtur; nihil habet miri: Sacrificare Deo in loco, ubi non videtur, admirabile est & excellens; eritque gloria vestri sacrificii. Si non videre Deum præsentem, est tentatio qua vos tentat, *Tentat vos Dominus Deus vester*: illum non videre & amare, non videre, & assistere, non videre & semper comitari, sit vestri amoris manifesta protestatio, & probatio publica, *Ut palam fiat, Utrum diligatis eum, an non. Amen.*

Matth. 24. v. 28. *S. Ambr. ibidem.* *Gen. 22. v. 2.*



SERMO

SERMO

PRO

Feriâ Quartâ post Dominicam Quartam Quadragesimæ, Ulyssip: pone in Misericordia. Anno 1669.

Vidit hominem Cœcum. Joann. 9.

§. I.

UNus cœcus, & multi cœci: Unus cœcus curatus, & multi cœci incurabiles: Unus cœcus sine oculis videns, multique cœci habentes oculos & non videntes: est resumpta substantia totius hujus prolixi Evangelii. Christus dedit in Jerusalem miraculosè visum uni cœco à nativitate, Scribæ & Pharisæi, casum tanquam aliquid ad id usque temporis non visum vel auditum examinârunt: sed loco ejus quod tanti miraculi operatorem, Dei filium, promissumque in lege Messiam (exemplo cœci) agnoscere & venerari debuissent, invidiâ cœci, perfidiâ obstinati, & ipsi omnipotentiæ increduli & rebelles, Christum negârunt, blasphemârunt, & condemnârunt. Ità ut ipsa eadem manifesta lux Divinitatis uni dederit visum, aliis abstulerit: uni fuerit splendor, aliis fulgur: unum illuminârit, aliis tenebras offuderit, unum sanârit, alios infirmârit? Denique cœco dederit visum, & habentes visum excœcarit. Hæc non est consideratio mea, nec alicujus authoritatis humanæ, sed tota ipsiusmet Christi. Thaumaturgus Dominus Jesus Christus, cernens tam contrarios hujus sui miraculi effectus, conclusit in hunc modum? *Ego in hunc mundum veni, ut qui non vident videant: & qui vident cæci fiant;* non quod is fuerit scopus sui adventus, sed hi illius fuerint effectus. Cœci viderunt, siquidem cœcus accepit visum: habentes verò oculos sunt obcœcati: Scribæ etenim & Pharisæi remanserunt cœci. *Joan. 9. v. 39.*

Suppositis hisce binis Evangelii partibus: transiliendo primam, tractabo duntaxat secundam. Homo qui carens oculis nihilominùs vidit, jam est curatus: habentes oculos, & tamen non videntes, adhuc remedio indigent, & ad hos totus præsens discursus spectat. *Vidit hominem cœcum.* Christus unum vidit cœcum sine oculis: nos multos videbimus homines cœcos cum oculis. Christus vidit unum hominem sine oculis qui non videbat, & mox vidit: non videbimus multos homines qui habent oculos & non vident; & videre possent si vellent. Novit Deus hoc assumptum me elegisse,

ad explorandum utrum aliqua cœcitas hodie curari queat. Probè scio, me huic negotio minus idoneum esse instrumentum : nihilominus ipsum miraculum à Christo patratum & spem & animum mihi addit. Inclinans se Jesus ad terram, modicum quid luti ex sputo confecti oculis imposuit cœci, quò dum magis videbantur obducendi & excœcandi, lumen acceperunt : proinde si Christus mediante luto ad visum, quis quæso cœcus adeò excœcatus, quodve instrumentum erit adeò ineptum, ut ab omnipotenti gratiæ ejus ope, oratione & efficaci similes non speret effectus? Prosternentes nos cum cœco ad divinos ejus pedes, petamus oculis nostris vel unicum lucis hujus radium, per intercessionem Matris misericordiæ, in cujus domo stamus. Ave Maria.

§. II.

Vidit hominem cœcum.

CÆcus quem hodie vidit Christus, unam duntaxat patiebatur cœcitatem ; cœci quos visuri sumus nos, quamvis variis multiplicibusque cœcitatibus laborent, non tamen eas patiuntur invitI, imò illis delectantur, ab eis vivunt & alimentantur, pro eis & cum eis moriuntur; hasce cœcitates, adjuvante gratiâ Dei, præsens noster discursus aperiet.

Maxima naturæ inordinatio, & potissima malitiæ circumstantia à Christo considerata in Scribarum & Pharisæorum cœcitate (quæ erit triste prototypon nostræ) fuit cœcias hominum habentium oculos apertos, *Ut videntes cœci fiant.* Scribæ & Pharisæi erant sapientes & legisdoctores, scrutatores scripturarum, & Prophetarum interpretes, & hinc ad agnoscendum Messiam præ ceteris obligati & nunquam magis quàm in casu præsenti. Isaias de divinitate Messiæ, ejusdemque adventu in mundum vaticinans, ait cap. 35. (quem locum increduli benè auscultent) *Deus ipse veniet, & salvabit vos: tunc aperientur oculi cœcorum.* Idem alibi dixerat c. 29. *De tenebris & caligine oculi cœcorum videbunt.* Idem repetivit cap. 42. *Dedi te in fœdis populi, in lucem gentium, ut aperires oculos cœcorum.* Unde quando Baptista misit interrogatum Christum, utrum esset Messias. *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus ?* Christus operibus potiùs quàm verbis respondere volens, primum miraculum quod patravit coram legatis Joannis, fuit cœcis dare visum, *Renunciate Joanni quæ audistis & vidistis : cœci vident.* Si igitur primum & evidentissimum adventus Messiæ indicium : si potissima & manifestissima divinitatis ejus & omnipotentiæ probatio, est cœcorum illuminatio : & si inter omnes cœcos quibus Christus visum impertiit nullus magis cœcus isto, nullusque visus magis miraculosus eò quod cœcus esset à nativitate, proindeque visus ei non restitutus sed primitùs creatus, quomodo Scribæ & Pharisæi eatenus fuêre hallucinati, ut videntes miraculum, miraculi operatorem nec viderent nec agnoscerent? Hic istorum hominum licebit videre cœcitatem. Cœcitas claudens oculos tantum, non est maxima ; cœcitas apertos excœcans oculos, illa pejor est omnibus ; & talis Scribarum erat & Pharisæorum. Erant homines apertis oculis & cœci, oculis inquam apertis, nam veluti Doctores

Isai. 35. v. 5.
Isai. 29. v. 18.
Isai. 42. v. 7.
Matt. 11. v. 3.

ctores legebant & scrutabantur Scripturas, nec non interpretabantur Prophetas: & cœci videntes enim Prophetias impletas ? non videbant nec agnoscebant Prophetarum.

Cœcorum istorum Doctorum unus erat Saulus necdum Paulus : & ecce quomodo indice cœlo suam cognoverit cœcitatem ; instructus mandatis Pontificum, iráque incensus in Discipulos Christi proficiscebatur Damascum : & appropinquans civitati à Christo è cœlo fulmine tactus, ex equo decidit in terram, stupefactus, attonitus & subito cœcus; sed quonam modo? *Apertis oculis nihil videbat*, inquit textus Actor. 9. v. 7. Civitas, muri, turres, plateæ, campi, & viæ comites erant ante oculos & Saulus oculis apertis nihil horum, nec seipsum quidem vidit : in hoc hujus cœcitatis mirabile totum consistit, si fulgur illi oculos aut ademisset aut clausisset, nihil miri, si non vidisset; sed nihil apertis oculis videre, *apertis oculis nihil videbat*: hujusmodi fuit cœcitas Sauli Christum adhuc persequentis, talis quoque Scribarum & Pharisæorum in ipsum non credentium : & talis est nostra, imò adhuc pejor, postquam in illum credidimus. Magis obstupescenda est nostra cœcitas, quàm cœci Evangelici visus. Cœcus ille oculis carens nihil videbat, acceptisque oculis vidit ; nos oculis præditi non videmus. In illo fuit cœcitas & visus successivè : in nobis utraque sunt simul, cœcutimus enim oculis apertis, ideoque omnibus sumus cœciores. Quod si oculos nostros circumtulerimus per orbem universum, eundem nonnisi à cœcis quodammodo inhabitari videbimus, gentilis cœcus, Judæus cœcus, Hæreticus cœcus : & Catholicus (quod non deberet esse) similiter cœcus. Ex omnibus istis cœcis quinam quæso vobis videntur cœciores ? Nullus dubito, quin nos Catholici : alii etenim clausis, nos verò apertis oculis cœcutimus. Quod Gentilia effrenis sequatur impetum & impulsum carnis, necnon naturæ corruptæ depravatas leges, est quidem cœcitas, sed oculis clausis, quos ipsi fides non aperuit : sed quod Christianus fide imbutus, Deum, cœlum, infernum, æternitatem agnoscens instar Gentilis vivat ; est cœcitas oculis apertis; ideóque ipso Gentili est cœcior. Quod Judæus patiatur scandalum ex cruce, & ne confiteatur se Deum crucifixisse, Deum Crucifixum adorare detrectet, cœcitas est manifesta, sed oculis clausis ; unde & læsi à serpentibus in deserto, Mosaycum illum serpentem intuentes sanabantur, reliquis illum non aspicientibus, morte extinctis : verùm quod Christianus (sicut valdè deplorabat S. Paulus) *sit inimicus crucis Christi*, & adorando sanctissima Crucifixi vulnera non sanetur à suis, est cœcitas apertis oculis; ideóque Judæo cœcior. Quod Hæreticus, cùm sit baptizatus, & nomine Christiani gaudens, legi Christi se non conformet, & mandatorum ipsius observantiam despiciat; est cœcitas, sed similiter oculis clausis. Erroneè credit ad salutem sufficere profusum sanguinem Christi, sed opera propria non esse necessaria : sed quod Catholicus credens, lumineque fidei & rationis cognoscens mortuam sine operibus fidem, & neminem sine bonis operibus ac virtuosâ vitâ salvandum, more Lutheri & Calvini vitam transigat : est cœcitas oculis apertis : proindeque ipso

Act 9. v. 7.

Num. 21. v. 8.

Ad Phil. 3. v. 18.

Hære-

Hæretico est cæcior. Ergò sumus Nos, qui præ cœcis omnibus ampliùs cæcutimus.

Verùm enim verò, si cui forsan in exaggeranda Catholicorum, præ Gentilium, Judæorum, Hæreticorumque cæcitate, modum excedere videar : Quid videretur, si inter omnes prætactas cœcitates, solummodò cœcitatem nostram esse cœcitatem, & inter omnes præfatos cœcos solummodò nos cœcos esse asseruissem ? hoc itaque nunc dico, & ità reverà est, in majorem nostri confusionem & horrorem, ipsum auscultate Deum per os Isaiæ ingeminantem : *Quis cœcus, nisi servus meus ? Quis cœcus, nisi qui venundatus est ? Quis cœcus, nisi servus Domini ?* Deus loquitur cum populo Israëliticoqui isto tempore solus (sicut nos modò) veri Dei fidem & cultum profitebatur : eum tamen solùm, inter omnes mundi nationes, cœcum, non semel, sed tertio pronuntiat. Non considero hic populum Israëliticum cœcum, sed absolutè solum. Quod enim iste populus fuerit cœcus tempore Isaiæ, ipse & alii Prophetæ omnes lamentantur ; siquidem soli Deo debitum honorem, servitia, & adorationem, in Idola transferebant. Sed ab hac cœcitate, & ab hac eadem Idololatria sequitur, quod non solùm Hebræi, sed universi temporis ejusdem in orbe terrarum Populi fuerint cœci. Cœci & Idololatræ isto ævo erant Assirii, Babylonii, Ægyptii, Æthiopes, Moabitæ, Idumæi, Arabes, Tyrii, quibus omnibus Idololatriæ ergò, Isaias vindictam & punitionem divinam vaticinando denunciavit. Si igitur Idololatria erat cœcitas, & non solùm Hebræi, sed omnes circumquaque, & in circuitu ipsorum etiam remotissimæ nationes erant Idololatræ, quomodò Deus solum electum sibi populum Israëliticum cœcum ingeminat: *Quis cœcus, quis cœcus, quis cœcus, nisi servus Domini* ? Omnibus aliis simul cœcis, num solus populus Israëliticus est cœcus ? Ita planè : omnes enim alii populi cæcutiebant oculis clausis : solus populus Israëliticus oculis cæcutiebat apertis, idem Propheta illud sequenti Capitulo confirmat: *Populum cœcum & oculos habentem.* Reliqui populi Idola falsosque Deos adorabant veri Dei notitia destituti proinde ignorantes magis quàm cœci appellandi ; solus verò populus Israëliticus, vera fide verique Dei cognitione gaudebat, *Notus in Judæa Deus.* Et quod populus fide sanâ verique Dei cognitione imbutus adoraret Idola falsosque Deos : non ignorantiæ, sed cœcitati veniebat imputandum, atque hinc ille solus cœcus ; *Quis cœcus nisi servus Domini* ? nunc, pace vestra, eandem, seu easdem tres quæstiones huic nostro ævo sæculoque proponam. *Quis cœcus* ? num Gentilis ? Non. *Quis cœcus* ? an Judæus ? Non. *Quis cœcus* ? an Hæreticus ? Non Quis itaque hodie cœcus censendus, cœci nomine dignus ? triste quidem & flebile effatu ; extorquet tamen necessaria consequentia dicere, quod simus nos Catholici, Gentilis quippe, Judæus & Hæreticus sine fide oculis clausis, & soli nos Catholici fide instructi apertis oculis cæcutimus. *Populum cœcum, & oculos habentem.* Magna miseria & confusio omnium in gremio Ecclesiæ unicam veramque fidem Catholicam profitentium.

David Psalmo 113. explodendo Gentium Idola, principaliter tangit, quod ha-

Isai. 42. v. 19.

Isai. ut suprà.

Isai. 43. v. 8.

Psal. 75. v. 1.

Psal. 113. v. 5. habentia oculos non videant: *oculos habent & non videbunt*. Veraciter dicere potuisset oculis carere: nam fictitii illi oculi aperti, sive sculpti in petra, sive fusi in metallo, sive colore obducti in pictura, verè non sunt oculi. Similiter & compendiosius ista Idola cœca vocare potuisset: sed considerate magis & emphaticè asseruit, quod habentia oculos non viderent; nam magnæ cœcitatis exaggeratio non consistit in non habendo oculos & non videndo: sed in habendo oculos & tamen non videndo, *oculos habent, & non videbunt*. Quo facto, Propheta ad fabricatores & adoratores dictorum Idolorum dexterè se convertens, benedictionem illis impertit, seu maledictionem illis imprecatur, scilicet, ut similes illis fiant qui ea faciunt, *Similes illis fiant, qui faciunt ea*. Quemadmodum major desiderabiliorque benedictio veri Dei cultoribus impertiri nequit, quàm ut Creatori suo similes evadant: sic è contrario falsorum Deorum cultoribus detestabilior maledictio supervenire nequit, quàm ut à se fabricatis Diis fiant similes, *Similes illis fiant, qui faciunt ea*. Agedum nunc dicite mihi. Nonne foret multò major infelicitas, nonne summa miseria & ignominia inaudita, si ista eadem maledictio non jam falsorum Deorum adoratoribus sed unius veri Dei fidem cultumque profitentibus superveniret? hæc nobis reipsa accidit. Quid quæso maxima ex parte sunt Christiani, nisi mortuæ Christianitatis statuæ, & vivæ Idolorum Gentilitatis figuræ, oculis apertis & cœcis, *oculos habent, & non videbunt*? Miseria magna est, quod similes sint Idolis qui faciunt ea: sed multò major est miseria, & multò magis admiranda, quod similes sint Idolis illi, qui ea destruunt, & hi sumus nos; repeto, hi sumus nos Christiani & Catholici præcipuè Lusitani. At quid Deus in hoc mundo Lusitaniæ erexit Monarchiam, nisi ad Idola destruenda, Idololatras convertendos, & Idololatrias proscribendas? ita fecimus & facimus cum singulari nominis Christiani gloria in Asia, Africa & Ametica; sed eadem Idola de nobis quasi vindictam sumere videntes; nos illorum prosternimus statuas: & illa suas nobis infigunt cœcitates, sumus cœci, & apertis oculis veluti Idola, *oculos habent, & non videbunt*. Cœci, & patentibus oculis sicut Israëlitæ, *populum cœcum, & oculos habentem*. Cœci, oculisque apertis instar Sauli, *apertis oculis nihil videbat*. Denique cœci, & patentibus oculis, ut Scribæ & Pharisæi. *Ut videntes, cœci fiant*.

§. III.

Dictum est in genere, quantum sufficit: nunc pro majore distinctione & claritate ad particularia descendamus. Illa ipsa cœcitas oculorum apertorum, dividitur in tres species, vel loquendo physicè; in cœcitatem primæ, secundæ, & tertiæ speciei. Prima est, Cœcorum videntium simul & non videntium: secunda, Cœcorum aliud pro alio videntium: Tertia, Cœcorum, qui videntes reliqua suam non vident cœcitatem; omnes hæ cœcitates in Scribis & Pharisæis hodiè deprehensæ sunt: & omnes (æquali aut majore infelicitate) inveniuntur in nobis. Progrediamur discurrendo per singulas, & in nostro visu multa videbimus, quæ non videmus.

Incipiendo à primæ speciei cœcitate dico; apertos Scribarum Pharisæorumque oculos fuisse videntes. & simul non videntes. Quare? Non quia videndo miraculum, non videbant ejus patratorem,

ſicut diximus, ſed quia videntes miraculum non videbant miraculum; & quia videntes miraculi patratorem, non videbant mira operantem; miraculum videbant in oculis cœci, illius patratorem in propria intuebantur perſona, & multo magis in ſuis operibus (qui videndi modus ab omni deceptione eſt remotiſſimus) nihilominus nec miraculum videbant, nec mira patrantem: miraculum non videbant, quia nolebant: patrantem non videbant, quia non poterant. Probè novi, quod videre, & non videre, implicet contradictionem Cœcitas verò Scribarum & Phariſæorum tam erat denſa, ut utramque hujus contradictionis partem reciperet. Philoſophi aſſerunt, contradictionem non cadere intra ſphræram poſſibilium: Ego aſſere cadere intra ſphæram oculorum; hoc aſſererem non præſumerem, niſi prima & ſumma veritas ſuffragaretur. Chriſtus de illis ipſis hominibus loquens, hoc aſtruit, cap. 4. S. Marci, *Ut videntes videant & non videant*. Modò fortaſſis ſperabatis me exclamaturum inſtar admirabundi ſingulari Echo: Si videbant, quomodo non videbant! & ſi non videbant, quomodo videbant! Tantam authoritatem vocare velle in dubium, foret impudentiæ & ſummæ irreventiæ: Chriſtus hoc dixit, & iſtud ſufficit. Non tamen propterea me excuſatum volo à reddenda ratione ejus, quod adeò videtur impoſſibile; priuſquàm verò modum hunc diſſolvere aggrediamur, ipſam videndi & non videndi implicationem in duobus famoſis S. Scripturæ caſibus practicatam contemplemur,

Marc. 4. v. 12.

Rex Syriæ educto exercitu contra Regem Iſraël, molituſque inſidias & ſtratagemata, quicquid cum ſuis Ducibus concluſerat, Regi Iſraël mox innotuiſſe deprehendit. Principio quidem quempiam ſuorum Conſiliariorum & Belliducum ſuſpectum habuit: intellexit tamen poſtea à Militibus & Ducibus locorum terræ illius gnaris, ſolum Prophetam Eliſæum Regi ſuo omnia revelare & detegere. O ſi Reges latus ſuum ſtipantes haberent Prophetas! morabatur eo tempore Eliſæus in urbe Dothan; concluſit itaque Rex & mandavit circumdari civitatem: movente autem, diluculò & ſilentèr, exercitu ut illum caperent, ecce ipſe Eliſæus obviam procedens hoſtibus ait; illam viam non ducere in Dothan, deducitque illos ad munitiſſimam civitatem Samariam: introductos concludit muris, obſerantur portæ, & omnes attinebantur perditi & captivi. Extra controverſiam eſt, hos Regis Syriæ milites non ignorâſſe vias ducentes in Dothan & Samariam, & multis ipſorum etiam de facie notum fuiſſe Prophetam Eliſæum: Scientes igitur omnia, videnteſque civitates, vias & ipſum Prophetam quem capere volebant, quare contra ſuum propoſitum ſeduci ſinebant? quare Eliſæum jam manibus concluſum non tenebant? Quare ab Eliſæo intra muros & hoſtium gladios ſe concludi permiſerunt? Sacer textus totam hanc comœdiam adſcribit precibus Eliſæi petentis, ut Deus Populum iſtum excœcaret, *Percute, oro, gentem hanc cœcitate*. Iſta cœcitas fuit tam nova, tam inaudita, tam extraordinaria & admirabilis, ut ſimul viderent & non viderent. Videbant Eliſæum & non videbant: Videbant Samariam, & non videbant: Videbant vias, & non videbant: Videbant omnia, & non videbant. Quænam quæſo dari poteſt cœcitas magis implicata & magis cœca in hominibus oculis apertis? talis per voluntatem Dei fuit illa cœcitas iſtorum

4. Reg. 6. v. 13.

4. Reg. 6. v. 18.

rum Barbarorum : & talis, invito Deo, est nostra Christianorum. Elisæus, interpretatur salus Dei : Samaria, carcer adamantinus. Quid est salus Dei, nisi Salvatio ? & quid est carcer adamantinus, nisi infernus ? Porrò sicut Syri inquirentes Elisæum conclusos se viderunt in Samaria : pari modo & nos quærentes salvationem, nos invenimus in inferno. Inquirentibus nobis causam hujus erroris & cœcitatis, occurrit hæc : quod illi & nos, videmus & non videmus. Nonne vides Christiane, istam viam ducere ad infernum ? Omninò. Nonne vides alteram esse viam salutis ? Etiam. Cur igitur per viam perditionis salutem quæris ? Quia videmus & non videmus vias. Videmus ubi finiunt, & idem ubi non videmus. Tanta est nostra cœcitas oculis apertis, *Percute gentem hanc cœcate,*

Casus secundus, & gravior. Misit Deus duos Angelos ad civitatem Sodomam ad ad salvandum Loth, reliquos verò incolas igne de Cœlo concremandos : & in tantum exustionem erant promeriti, ut Angeli necesse habuerint defendere domum ubi morabantur. Sed quonam modo eam defenderunt ? Sacer text. inquit. modum non fuisse alium ad defendendū domum; quàm quod incolas à majore usque ad minimum percusserint cœcitate. *Percusserunt eos cœcitate à maximo usque ad minorem.* Dum legi Angelos excœcasse omnes, arbitratus fui clausos ipsis fuisse oculos, mansisseque totaliter cœcos sine visu : & quod non solùm solos excœcarint viros & adultos, verum etiam parvulos : hujus fuisse causam judicavi, ne hi parvuli ducatum præstare possent senibus. Sed non ita contigit : omnes oculis remanserunt apertis & integris ut ante. Videbant Civitatem, plateas, domos ; solam verò domum portamque Loth quam inquirebant, invenire nequiverunt : In Civitate inquirebant plateam Loth ; videbant illam, & tamen non inveniebant. In platea quærebant domum Loth : videbant illam, & non inveniebant. Quærebant in domo Loth ostium sive portam : videbant ostium, & tamen non inveniebant, *ità ut ostium invenire non possent*, inquit textus. Et ne nimiùm hunc prodigiosum casum miremur : quod in illorum oculis effecerunt Angeli boni ; hoc in nostris faciunt Angeli mali. Degimus in Quadragesima velut tempore rigidæ pœnitentiæ, cumque vera pœnitentia sit recta semita quâ in Cœlum tenditur, *Arcta est via, quæ ducit ad vitam*: plateam cernimus, nec tamen invenimus. Nunc visitamus & frequentamus sæpiùs Ecclesias, pedes nostros super ista sepulchra ponimus, & cùm sepulchrum sit domus quam semper inhabituri sumus, *Sepulchra eorum domus illorum in æternum*; videmus domum, & tamen non invenimus. Conscenduntconcionatores pulpitum seu ambonem, ponunt nobis ante oculos oblivionem & despectum legis divinæ : cumque lex Dei sit ostium & porta, per quam duntaxat ad vitam beatam datur ingredi : *Hæc porta Domini justi intrabunt in eam*: videmus hanc portam, & non invenimus, *ita ut ostium invenire non posset.*

Gen. 19 v. 11.

Matth. 7. v. 14.

Psal. 48. v. 12.

Psal. 117. v. 20.

Sistamus ad hanc portam, & inde contemplemur omnia à summo ad imum usque. Homines vagantur per aulas, regna pererrant, peragrant mundum, pro suis quisque negotiis tractandis, pro suisquisque appetitibus & desideriis adimplendis : mutuò sese offendunt, patent oculi porta in conspectu est, quam tamen nemo invenit. Quæritis honores oculis

lynceis; cumque nonnisi una porta sit, quæ ad honores admittat, scilicet virtus, nullus hanc invenit. Inhiatis divitiis pluribus quàm Argi oculis, eumque securissima divitiarum porta, non bonorum accumulatio, sed cupiditatis sit imminutio; nullus hanc portam invenit. Desudatis pro acquirenda commoda vita: cumque vera ad beatam vitam ducens porta non sit alia, quàm bonam vitam agere, nemo quoque hanc invenit. Lassamini ad fruendum quiete; cumque nec sit nec inveniri possit pro quiete vera & secura alia porta quàm voluntatis suæ cum divina in omnibus conformitas absoluta, attamen non est, qui inveniat. Daturne talis stultitia! talis cœcitas! sed nemo videt idipsum quod videt: omnes enim à majore usque ad minimum istis cœcis sumus similes: *Percusserunt eos cœcitate, à majore usque adminimum.*

Hisce binis tam notabilibus historiis subjungatur nunc ratio, quam exspectatis. Quod possibile sit videre, simul & non videre jam audistis: dicetisque quod sic, sed per miraculum. Ego verò dico, quod etiam sine miraculo, sine labore, & valdè naturaliter. Nonne quandoque alicui vestrûm contingit, quod alicui rei intentos habendo oculos, simul aliâ cogitatione vel conversatione, curâ vel sollicitudine distentus non crediderit ei quod viderat? hic igitur modus est & ratio, quod sine miraculo & naturaliter videre possimus & non videre simul. Videmus res quia videmus: & non videmus, quia aliis simul intendimus

Aristot. Pol. 10.

Luc. 24. Ibant in Emmaus duo Discipuli, miscentes tristia valdè colloquia de morte sui magistri: & fuit res mira, quod apparentem sibi, simulque ambulantem & confabulantem Dominum non agnoverint. Nonnullis dicere placuit, erroris hujus & cœcitatis causam fuisse, quod faciem imò vocem & loquelam immutâsset. Sed ista expositio (uti optimè notavit S. Augustinus) textus proprietati contrariatur, qui dicit errorem & ludificationem istam non contigisse ex parte objecti, sed potentiæ: non ex parte visi, sed ipsius visus, *oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent.* Quomodo igitur possibile est non cognovisse quem tam benè noverant, & non vidisse quem præsentem intuebantur? Solutio consistit in verbo *Tenebantur.* Evangelista asserit ipsos Dominum quem videbant non cognovisse, eò quòd illorum oculi detinerentur, hoc insinuat verbum illud *Tenebantur*; simili que phrasi utitur Evangelista loquens de captivitate Christi: *Ipse est, tenete eum. Tenuerunt eum. Non me tenuistis.* Sed si oculi detinebantur, quomodo videbant? Et si videbant, quomodo detinebantur? detinebantur non quoad visum, sed advertentiam. Incedebant discipuli suis intenti confabulationibus, multòque ampliùs mœrore occupati: *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem, & estis tristes?* Ista cogitationum agitatio, oculorum advertentiam detinebat. Libero visu Christum videbant: detentâ advertentiâ, non cognoscebant quod ipse esset. Hoc modo liberi simulque capti discipulorum oculi, constituebant quoddam compositum visus & cœcitatis: Visus, quo videbant: & cœcitatis, quo non videbant. Ecce quantam vim habeat cogitatio oculos divertendi; Oculi erant in via cum Christo vivo; Cogitatio verò in sepulchro cum Christo mortuo; & in tantum vis cogitationum prævaluit; ut idem Christus absens & cogitatu, illos diverteret ab eodem Christo viso & præsente,

S. Aug.

Luc. 24. v. 16.

Matt. 26. v. 48. 50. 55.

Luc. 24. v. 17.

sente. Tantùm interest inter videre advertentur & attentè; & videre obiter & distractè.

Thren. 1. v. 12. Unde Jeremias clamabat; *Attendite & videte*, non solùm exigit visum; sed & attentionem, & hanc quidem priùs illo: videre etenim sine attentione, est videre & non videre. Et hic videndi modus & non videndi; magis propriùs est, illo, quo videbant & non videbant illi cœci, tam cœci in ambobus miraculosis casibus quos retulimus: Illi non videbant quod videbant; quia Deus illis species confûdit: Nos absque specierum confusione & varietate, non videmus hoc quod videmus; solummodò per inadvertentiam & distractionem visus. Nunc utique intelligetis mysteriosam disertamque emphasim; quâ Propheta Isaias nobis

Isa. 41. v. 18. præcipit: *Intuemini ad videndum.* Quis quæso intuetur, nisi ad videndum? & quis videt, nisi ad intuendum? ut quid ergò Propheta tanquam singulare quoddam documentum inculcans ait, *intuemini ad videndum?* Quia sicut multi sunt qui vident ut cœcentur, scilicet qui vident sine modo; ità multi sunt qui vident absque quod videant: quia vident sine attentione. Non sufficit videre ad videndum: necesse est intueri quod videtur. Visa non videmus, quia cum reflectione ea non intuemur; conspicimus ea sine advertentiâ & attentione; & eadem incuria est cœcitas nostri visus. Attentionem nobis avocant cogitationes, eandem suspendunt curæ, rapiunt desideria, & nobis surripiunt affectus; hinc visam mundi vanitatem, illam tanquam solidum quid esset sequimur: videntes spei decepribnem, tanquam certæ illi innitimur: visæ fragilitati vitæ, turres & castella, tanquam firmissimo fundo inædificamus; visâ fortunæ inconstantiâ, ipsius promissis velut infallibilibus fidem adhibemus: Denique viso errore omniû rerum humanarum illis nihilominus tanquam certis credimus. Quid, si affectus attentionem visus nobis divertentes, de eorum forent genere, qui hodie attentionem & advertentiam Scribarum ac Pharisæorum tantum averterunt & perturbarunt? avertebat eam odium; perturbabat eam invidia, suspendebat eam ambitio, furabatur eam proprium interesse; auferebat eam superbia, distinabat eam authoritas & ostentatio propria: & quia tam multipliciter distracta, occupata, impedita, & rapta erat attentio, ideò non videbant hoc quod videbant: *ut videntes cœci fiant.*

§. IV.

SEcundæ speciei cœcitas, vel secunda cœcitatis species Scribarum ac Pharisæorum erat, quod eorum oculi essent tales, qui non viderent res rectas, sed inversas: non videbant objecta ut erant, sed uti non erant. Oculos miraculosè sanatos videbant & deceptionem esse dicebant: videbant virtutem supernaturalem, & criminabantur esse peccatum. Videbant opus quod tantùm esse poterat opus brachii Dei & dicebant quod non esset à Deo, sed contra Deum. *Non est hic homò à Deo.* Ità ut non solùm non viderent res sicut erant, sed viderent sicuti non erant: ideòque cœciores quàm si eas omninò non vidissent. Joan. 9. v. 16.

In Bethsaida civitate curavit Christus quoque alium cœcum, sicut istum in Jerusalem, sed non eodem modo: eædem quippe infirmitates pro diversitate infirmorum differentem curationem requi-

runt. Imposuit Christus manum oculis cœci, & interrogavit numquid videret? vidit, & respondit: *Video homines velut arbores ambulantes.* Christus impositionem manus iterat, aitque textus, hâc secundâ vice hominem incepisse videre: *iterum imposuit manus supra oculos ejus, & cœpit videre.* Istud *cœpit videre* singulariter considero, mihique videtur consideratione dignum. Certum est, post primam manuum Christi impositionem hominem videre cœpisse, siquidem eò usque nihil viderat; extunc videre cœpit homines velut arbores. Porrò si cœcus mox primâ vice cœpit videre homines sicut arbores, quomodo Evangelista post secundam manus Christi impositionem eum videre cœpisse asserit? *Iterum imposuit manus super oculos ejus, & cœpit videre?* Quia primâ vice videbat res uti non erant: secundâ vice quales erant. Primâ vice videbat homines velut arbores: secundâ vice arbores ut arbores: & homines ut homines. Videre objecta, uti in se sunt, est videre: sed illa videre uti non sunt, est non videre, cœcitatisque argumentum.

Marc. 8, v. 24.

Ità se res habet. Sed si homo iste erat cœcus dum adhuc nihil videbat, & similiter si erat cœcus dum objecta videbat uti non erant: quo tempore erat cœcior, num quando ea videbat vel quando non videbat? videns erat multò cœcior; nihil quippe videns visu privatus erat, videns res inversas in visu errabat: & multò major cœcitas est error, quàm privatio visus. Privatio erat defectus inculpabilis, non mentiens, nec decipiens: Error erat mendacium, sub apparentiâ & specie viri: erat deceptio cum imagine certi, erat testimonium falsum cum assignatione visus. Si quò minus: procedamus ad casum fundamentaliter. Philo Hebræus sustinet, oculos non solummodò colorem, sed & figuram & motum videre: in omnibus hisce tribus, privati hominis erravit intuitus, repræsentando homines velut arbores. Erravit in colore, arbores enim sunt virides: quilibet homo proprium faciei & vestis suæ habet colorem. Erravit in figura, arbores enim unum habent pedem, & homines habent duos: homo brachia duo habet, arbor verò multa. Erravit in motu, homines enim moventur procedendo de loco in locum: arbores verò uni loco infixæ à vento moventur sine mutatione loci. Ecce quot errores, deceptiones, & cœcitates, prima illa visio involvat. Unde Evangelista inquit, videntem hoc modo cœcum nondum incœpisse videre: videre enim aliud pro alio, non est visio, sed cœcitas; & plus quàm cœcitas.

In hoc mundo homines primi, fuêre maximè cœci. Deus illis locutus est non per tertiam personam, sed per semetipsum; non per ænigmata aut metaphoras, sed claris & expressis verbis dixit, illum prohibitæ arboris fructum ipsis fore venenosum & valdè pernitiosum; nam quacunque die inde essent comesturi, innocentiam & justitiam originalem, in quâ fuerant creati, non sibi solis, sed omnibus posteris ex se nascituris essent perdituri: nihilominus tamen comederunt. Estne homo tam cœcus, qui in sui necem lethiferum venenum scienter sumat? Daturne homo adeò excœcatus, qui scienter suis filiis venenum propinet, ut se vidente mortui corruant? Tales fuerunt nostri primi parentes, quorum cœcitas non fuit oculo-

ram

rum ſemiclauſorum, uti memorari cœci: ſed oculorum ex integro apertorum, omnia enim iſta illi viderunt multò clariùs & evidentius, quam nos illa videamus & admiremur: quomodo igitur corruerunt in talem extremam cœcitatem? Quomodo fuerunt aut eſſe potuerunt adeò cœci? Non fuerunt cœci ex eo quod non viderent; cuncta quippe ſuis oculis luſtrabant: ſed inde fuêre cœci, quia unum pro alio videbant, hoc dicit ipſe textus; *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Mulier cœca, cœca quando vidiſti, & quia vidiſti? intuere quod vides, & non intuearis quod non vides; ita fieri oportuiſſet: ſed Eva apertis oculis erat tam cœca, ut non intueretur id quod videbat, ſed hoc quod non videbat. Fructus vetitus erat malus ad comedendum, & bonus ad non edendum: malus ad veſcendum, quia comeſtus inficiebat & perimebat: bonus ad non edendum, quia non comeſtus vitam & immortalitatem relinquebat; ítáque ſi fructus ad non edendum tantum erat bonus; ad veſcendum verò non bonus ſed valdè malus: quomodo Eva eum vidit bonum ad edendum, *Vidit quod bonum eſſet ad veſcendum?* Quia adeò excœcatus erat ei viſus tamque erronea cœcitas, ut intuendo fructum non videret quod erat, ſed quod non erat: non videbat ipſum malum eſſe ad veſcendum, uti reverà erat, ſed quod bonus eſſet ad edendum quod nullatenus erat: *vidit, quod bonum eſſet.*

Gen. 3. v. 6.

Iſta fuit cœcitas Evæ, & hæc eſt Filiorum ejus. *Va, qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* Intrà nos æquivocantur malum cum bono, & bonum cum malo, non defectu oculorum, ſed deceptione viſus. In Paradiſo una tantum prohibita fuit arbor; in mundo innumeræ. Omnia à lege naturali, divinâ, & humanâ prohibitâ; omnia à ratione vetita, & ab experientiâ improbata & reprehenſa, ſunt arbores & prohibiti fructus: & hujuſmodi eſt deceptio & illuſio noſtri viſus æquivocantis in coloribus quibus venenum veſtitur, ut pro eò, quod par eſſet videre malum certum ad fugiendum, intueamur bonum, quod non eſt, ad appetendum: *Vidit, quod bonum eſſet.* Proinde à viſu Evæ originaliter quaſi naſcitur ruina mundi, non ſolùm in privatorum animabus & conſcientiis: ſed univerſaliter omnium omninò ſtatuum & rerumpublicarum. Jam collapſa eſt florentiſſima illa optimèque inſtituta & ab ipſo Deo gubernata, protecta & defenſa Hebræorum Reſpublica. Et quæ vobis videtur fuiſſe primaria & originalis ruinæ hujus cauſa? non alia, quam cœcitas eorum, quos ex officio vigilantes reipublicæ oculos eſſe oportebat: & non, quia oculi eorum tali modo erant excœcati ut omninò non viderent: ſed quia aliud pro alio videbant, & pro eo ut viderent hoc quod erat, videbant illud quod non erat. Idipſum multis deploravit lachrymis Jeremias tempore Babylonicæ captivitatis, propter devaſtationem & excidium civitatis Jeruſalem; *Prophetæ tui viderunt tibi falſa.* Reipublicæ iſtius oculi, quorum officium erat non ſolùm præſentia videre, verum etiam futura proſpicere, erant Prophetæ, qui idcircò vocabantur *videntes*; & deceptam nunc ſerò agnoſcentem veritatem Jeruſalem civitatem Jeremias alloquendo dicit, Prophetas ipſi vidiſſe falſa; *Prophetæ tui, viderunt tibi falſa.* Notate benè verbum *viderunt*, Quod ſi dixiſſet pro-

Iſai. 5. v. 20.

Thren. 2. v. 14.

propherizarunt, vaticinati sunt, consuluerunt, vel locuti sunt falsa, posset transire : sed dicere, viderunt, *viderunt tibi* ! Si res erant falsæ, non erant : & si non erant, quomodo eas videbant ? Ista erat afflictæ reipublicæ cœcitas oculorum : oculi non videntes quod erat, & videntes hoc quod non erat, nec futurum erat. Veri Prophetæ videbant quod erat; falsi hoc quod non erat. Et quoniam cœca respublica ab ejusmodi oculis sese gubernari permisit, hinc interiit. Verus Propheta Jeremias suadebat, ut Nabuchodonosori sese dederent & subjicerent, quod ni facerent, ipsum venturum secundâ vice, & civitatem Jerusalem funditùs eversurum : cui contrarium vaticinando promittebat Hananias Propheta falsus, Nabuchodonosorem non reversurum, sed potiùs à se ablata templi vasa restituturum ; & quia ista oracula falsa, velut magis plausibilia, fuerunt credita, Jerusalem funditùs fuit eversa & destructa, necnon reliquiæ populi & ruinæ in Babylonem abductæ. Verus Prophetæ Michæas de bello in Ramoth Galaad requisitus, respondit se vidisse exercitum Israëliticum sicut oves sine Pastore dispersum : è contrario Pseudo-propheta Sedecias cum quadringentis sibi æqualibus promotionem belli sub pollicitatione victoriæ suadebant ; & quia Rex Achab magis approbavit, & potiùs sequi voluit multorum Pseudo-Prophetarum adulatoriam falsitatem, quàm unius veri Prophetæ veritatem cognitam & probatam; posito, quod pugnam ingressus sine regio habitu & coronâ ne agnosceretur, ecce unius tantummodò sagittæ cuspide tactus occumbens exercitu prostituto, hostibus victoriam & triumphum detulit. Sic Michæas & Jeremias futura prævideranr & prædixerant : reliqui verò viderant quod non fuit, nec factum est. Apertis igitur oculis, Principes arbitrentur oculos quorum se ductui credunt ; paucorum videntium res uti sunt, & non, multorum & cœcorum unum pro altero intuentium oculos sequantur, *viderunt tibi falsa*.

Jer. 28 per tot.

3. Reg. 22. per tot.

Sed quomodo possibile (ut æquè rationem demus hujus cœcitatis secundæ, sicut dedimus primæ) quomodo inquam est possibile, dari homines adeò cœcos, qui oculis apertis res non videant sicuti sunt ? Respondebit aliquis, hanc deceptionem visus ptocedere ab ignorantia, Rusticus, tanquam ignorans, videndo Lunam omnibus stellis arbitratur esse majorem : Philosophus qui sapiens & intelligens, quantitas demetitur per distantias, & videt ac cognoscit stellas Lunâ longè majores esse. Rusticus quia Rudis & Idiota, videt cœlum esse cæruleum ; Philosophus quia doctus, discernendo verum ab apparente, videt quod hoc quod videtur cœlum cœruleum, nec cœruleum sit nec cœlum. Rusticus quia ignorans, magnam colorum varietatem in Iride videt : Philosophus qui eruditus & cognoscit ipsam quoque lucem decipere (quando duplicatur) videt & perspicit ibidem non esse colores, sed tantùm coloratas deceptiones, visusque illusiones. Si ergò ignorantia tantùm aberrat suspiciendo & videndo cœlum, quid fiet, si viderit & respexerit terram ? Ego ignorantiæ suos non negabo errores : sed quos de cœlo plerumque oculi patiuntur humani [quibusque multis pati faciunt) non de ignorantia, sed passione nasci dico. Passio est quæ errat, passio decipit, passio oculos perturbat speciesque immutat

mutat, ut aliud pro alio videant: Ista tantæ cœcitatis vera est ratio, oculi vident mediante corde: & veluti qui per vitra diversorum colorum videt, omnia illi videntur ejusdem cum vitro coloris esse: ita quoque visus & aspectus iisdem tinguntur humoribus, quibus affecta sunt corda.

Moabitæ, positis castris ex adverso Josaphat & Joram Regum Israël & Juda, videntes primò manè inter ipsos decurrentem torrentem solaribus radiis rubricatum, aquam putabant esse sanguinem: suspicati itaque sibique persuadentes hosce ambos amicos Reges ex subortâ fortassis rixa & discordia in mutua vulnera conver-
4. Reg. 3. v. 23. tisse arma, *Dixerunt Sanguis gladii est, pugnaverunt Reges contra se, & cæsi sunt mutuò.* Aman Aulæ Regis Assueri primus, sui Domini incurrit offensam: ex qua condemnatus ad mortem, ad pedes Reginæ Esther in solio residentis prostratus, supplex pro venia & misericordia interpellavit; Rex Assuerus in simili situ eum contemplans, adeò dissonum Regiæ suæ Majestati formavit judicium, ut vix decenter exprimi possit; *Etiam Reginam vult opprimere, me præsente.* In mari Tyberiadis S. Pe-
Esther. 7. v. 8. tri periclitabatur navis, ventorum furiis agitata, undarumque pondere obruta: & ecce inambulans mari Christus, ad succurrendum accelerabat gressus; viderunt hoc Apostoli, certum verò naufragium sub oculis habentes: desperata jam salute, judicabant (inquit text.) esse aliquod Phan-
Marc. 6. v. 49. tasma quod videbant, *ut averunt phantasma esse.* Resumamus hos tres casus adeò notabiles: ut tot errorum visus, causâ cognoscamus. Apostoli, Assuerus, Moabitæ, omnes apertos habebant oculos, omnes videbant hoc quod intuebantur; & omnes unum pro altero judicabant. Quare itaque Apostoli, si Christum videbant, eundem phantasma esse putabant? si Assuerus vidit Aman in actu supplicationis & situ supplicis pro misericordia, quomodo illum attentati adulterii insimulat? Si Moabitæ videbant in torrente aquam, quomodo sanguinem esse existimabant? quia oculi passione aliqua præoccupati, sic species visus mutant & confundunt. Apostoli erant perturbati passione timoris: Assuerus, passione iracundiæ: Moabitæ, passione odii & vindictæ. Idcirco quia Moabitæ hostilium castrorum sanguinem sitiebant: aqua ipsis sanguis esse videbatur; Assuerus Amano machinabatur mortem: contritio & pœnitentia ipsi videbatur delictum; Apostoli timore perterriti ob periculum Remigii: ex hoc ipsum Christum phantasma esse putabant. Fidite nunc oculis, qui passione præoccupati vident!

Cordis humani Passiones juxta numerum & computum Aristotelis sunt undecim: quæ tamen omnes ad duas Capitales, Amorem scilicet & Odium reducuntur. Hi duo adeò cœci affectus, sunt duo Poli, in quibus Mundus volvitur: unde etiam tam malè regitur. Hi merita ponderant, & actiones qualificant: hi beneficia æstimant, & fortunas dispensant: Hi objecta formant, eademque deturpant: hi creant, simulq; annihilant: hi objecta depingunt, simulque delent, & subtractis aut superinductis pro arbitrio coloribus dant figuram & mensuram, & ipsum esse & substantiam, sine alio discrimine & judicio; quàm quod Amor suggerit aut Odium & horror. Oculis videntibus cum amore, Corvus est albus: si cum odio, Cygnus est niger, cum amore Diabolus est formosus: cum odio Angelus est deformis. Cum amore Pigmæus est Gigas: cum

odio Gigas est Pigmæus. Cum amore non ens habet esse: cum odio, ens, quod esse bonum est, non est, nec erit unquam. Ideoque cum perpetuo gemitu Justitiæ nullo honore digni videntur evecti; & dignissimi quique neglecti. Industria in otio, & incapacitas in regimine: stupiditas graduata, & scientia suppressa. Vecordia cum sceptro; & generositas in angulo. Vitium in altaribus: Virtutes verò in latebris.

Miracula accusata & reprobata; & ea patrantes rei & peccatores. Quodnam majus esse potest scandalum naturæ? Quænam quæso major rationi inferri potest violentia? Quænam denique major esse potest reipublicæ ruina? Hoc totum operatur passio oculorum hominum: cœci clausi, & cœci aperti: cœci amando, cœci odiendo: cœci approbando, cœci reprehendendo & condemnando: denique cœci non videndo, & multò cœciores videndo; *Ut videntes cœci fiant.*

§. V.

PErvenimus nunc, tardiùs licèt, ad tertiæ speciei cœcitatem, in quâ Scribæ & Pharisæi erant obfirmati. Cùm etenim tam essent cœci (ut vidimus) nihilominus tamen suam propriam cœcitatem nec videbant, nec cognoscebant. Cœcus suam agnoscens cœcitatem, non est totaliter cœcus; ultimum extremum cœcitatis est, esse cœcum, & idipsum non sentire. Talis erat conditio cœcorum, de quibus acutè dixit Origenes, quod cœcitatis perdidissent sensum; *Orig.* *Cœcitatis sensu carentes.* Natura quando tollit sensum visus, relinquit sensum cœcitatis, ut ab alienis oculis auxilium quærat cœcus: Scribæ verò & Pharisæi tales sibi in suis oculis videbantur, taliterque erant excœcati: ut non tantùm visus, sed & ipsius cœcitatis sensum perdiderint. Sensum visus, quia non videbant: sensum cœcitatis, quia ipsum nec videbant, nec sentiebant. Christus idcircò illos hodie tacitè reprehendit: & illi verborum Christi energiam advertentes, interrogabant, *Nunquid & nos cœci sumus?* *Joan. 9. v. 40.* quasi dicerent: alii quidem sunt cœci, sed nos qui sumus oculi reipublicæ, qui custodes sumus domus Dei, nos qui ex officio Religionis & legis observantiæ tenemur invigilare, nos soli illuminati gaudemus visu, nos soli videmus. Sed hoc ipso ipsorum cœcitas omnibus cœcitatibus erat major: & ipsi præ reliquis omnibus cœcis magis cœcutiebant: major enim cœcitas dari nequit, quàm hominem esse cœcum, & talem se esse ignorare.

Christus in aliqua parabola introducit cœcum, qui alii cœco ducatum præstat. *Si cœcus cœcum ducat*, ductus & ductor ambo pariter erant cœci, sed uter eorum vobis videtur fuisse cœcior, ductor an ductus? Ego cœciorem fuisse assero ductorem cœcus quippe ducatum admittens, se cœcum cognoscebat: ductor verò alterius tam longè aberat à visu & cognitione suæ cœcitatis, ut suos quoque oculos posse commodare arbitraretur. Primus erat cœcus simpliciter: alter dupliciter. Primus simpliciter, quia erat cœcus: secundus dupliciter, semel quia cœcus erat; & iterum, quia se talem esse non cognoscebat, S. Joannes Evangelista scribit Epistolam invectivam ad Episcopum Laodicensem, inferens sequentia: *Nescis quia miser es, & miserabilis & cœcus?* hic expendo & considero, *miser & miserabilis.* *Matth. 15. v. 14.*

Appel-

Appellando ipsum miserum, eò quod erat cœcus, manifesta est miseria: sed cur non semel, sed iteratò ipsum asserit miserum, *miser & miserabilis*? Quia dupliciter erat cœcus; primò quia talis erat: secundò quia talem se esse ignorabat. Idem Evangelista istud dixit & testatur his verbis præfatis, *Nescis, quia miser es, & miserabilis, & cœcus*? Notate istud *nescis*; erat semel cœcus, id est simpliciter, quia cœcus erat: erat iterum cœcus, id est dupliciter, quia istud ignorabat: *Nescis*. Hinc quia cœcus erat dupliciter, dupliciter quoque erat miser, *miser & miserabilis*. Cœcum esse erat miseria, quia cœcitas: sed esse cœcum, & hoc ignorare, erat miseria duplex, quia duplex erat cœcitas. Prima cœcitas fraudabat illum objectorum visu & aspectu: secunda ipsum privabat suæ cœcitatis sensu, & hinc erat, *miser & miserabilis & cœcus*.

Heu quot miseri, miserabiles, & cœci (velut iste) dantur in hoc mundo! Seneca refert casum notatu dignum, qui in sua accidit familia. Discipulo Lucilio narraturum se inquit rem incredibilem sed veram: *Incredibilem tibi rem narro, sed verã.* Habebat ancillam nomine Harpasten, quæ cum à nativitate esset fatua, subitò perdidit visum, *Hac fatua subitò desiit videre*. Et quid vobis videtur feciisse Harpasten fatuam & cœcam; hic sequitur res incredibilis, *Nescit se esse cœcam*: cœca erat, & nesciebat. *Pædagogum suum rogat ut migret*: quo porrigente manum suam ut eam deduceret, respuit admittere dicens: *domum tenebrosam esse*, opus esse aperiri fenestras: sed fenestræ clausæ non erant domus, sed suorum oculorum. Darine potest cœcitas magis fatua, risuque digna? Itaque scire debes Lucili (inquit Seneca) quod ejusmodi sumus omnes: cœci & fatui. Cœci quia non videmus: & fatui, quia propriam cœcitatem ignoramus. *Hoc quod in ea videmus, omnibus nobis accidere licueat tibi.* Nunquid non cœcitas est superbia, invidia, avaritia, ambitio, pompa & luxus? Nunquid non cœcitas est mendacium, adulatio? vel maximè. Sed nostra fatuitas est talis, ut istius Harpastis sit similis: nam cum cœcitas & obscuritas sit nostra: nos illam attribuimus domui, dicentes, non aliter vivi posse in mundo, nedùm in aulis: *Nemo aliter Romæ potest vivere*. Si cœci sumus, quare hoc non cognoscimus? cœcus erat Isaac, sed cœcitatem suam agnoscens tangebat manus Jacob, ut defectui visus succurreret tactus. Mendicus ille Jerechuntinus erat cœcus, seque talem agnoscendo non aliam à Christo petiit eleëmosynam quàm visum, *Domine ut videam*. Quomodo cœcitates nostras poterimus excutere, remediumque quærere, si ipsas non cognoscamus?

Seneca.

Luc. 18. *v.* 41.

Certum est nobis non deesse experientias valde claras, & palpabiles ad eas cognoscendas, nisi plùs quam cœci essemus: intuemini vestros lapsus, & agnoscetis vestras cœcitates. Tobias audiens appropinquantem filium, de cujus reditu & vita quasi desperabat, tanto fuit perfusus gaudio, ut surgens in occursum ad eum amplexandum celeriùs festinaret. Sed, siste gradum Senicule, ignorasne te cœcum, & ne quidem ambulare posse, nedùm currere? non advertis te posse cadere lapsumque talem esse posse, qui diei hujus lætitiam turbet,

gaudium tuum & tuæ domus in luctum convertat? aliquatenus & ex parte hoc factum est, cum post paucos titubantes minusque cautos passus offendens in terram corruit, *Consurgens cœcus Pater ejus, cœpit offendens pedibus currere: & prolapsus est*, inquit Textus Græcus. Alienis igitur manibus erectus, jam minùs cœcus famulo porrexit manum, quo duce sine novo periculo filium amplectendo recepit, *Et datâ manu puero, occurrit filio suo*; ità ut gaudium, subita lætitia, & amor tali modo Tobiam cœcârint, ut suam cœcitatem nec senserit nec considerârit, postquam verò fuit lapsus, ipse lapsus ipsi revocavit in memoriam quod esset cœcus, & ut velut cœcus alienis se manibus & fulciendum & ducendum committeret. Omnia videntur oculis apertis, sola verò cœcitas propria videri potest clausis: sed quando illa tam cœca est ut non videat seipsam, lapsus illi oculos aperiunt ut se videat. Lapsi sunt tam cœcè nostri Protoplasti, uti vidimus; & quando illis oculi sunt aperti ad videndum suamcœcitatem? post lapsûm, *Et aperti sunt oculi amborum*: appetitus illos excœcavit, lapsus verò illuminavit. Ecquis filiorum Adam non est cœcus? Et quis cœcus, qui non semel sed sæpius est lapsus? & tamen tot lapsus & relapsus non sufficiunt ad cognoscendam nostram cœcitatem? si in tot incidis laqueos, quot sunt stultitiæ & vanitates mundi: quare non declinas & caves id, in quo cœcutiendo laberis, nec sublevantem te aut ductorem requiris? Hoc autem vos monitos volo, ut si hunc in finem cuidam famulo manum porrexeritis veluti Tobias, ut hic famulus sit tam securus & visu sanus, ut sciat ubi gressus ponat, & vos deducere ac sustenstare queat: & quamvis hoc modo manum ipsi porrexeritis, cavete ne tam prodiga sit ut ipse quoque excæcetur vestrâ gratiâ; & vos deducat in periculosiora præcipitia. Sed jam adest tempus, ut rationem demus hujus ultimæ quoque cœcitatis, sicut cæterarum dedimus.

Tob. 11. v. 10.

Gen. 3. v. 10.

Impossibile videtur & incredibile hominem cœcum non cognoscere suam cœcitatem: sed quia jam vidimus plures hujus speciei dari cœcos, superest hujus extremæ tamque cœcæ cœcitatis causam indagare. Si cœcus dari posset, qui se cœcum non cognosceret, talis esset noster cœcus Evangelicus: erat quippe cœcus à nativitate: Et quia non cognocebat visum, parum est, quod non cognosceret cœcitatem: nihilominus certum est, ipsum hanc cognovisse: & nos loquimur de cœcis oculis apertis & patentibus, qui nôrunt atque sciunt quid sit videre, & non videre. Quænam igitur aut est, aut esse potest ratio & causa, cur isti cœci sua cœcitate sic obscurentur, ut eam ignorent & non cognoscant? Alii alias dabunt causas (ad errandum enim multæ sunt) quam ego verò arbitror certam & infallibilem, est ipsorum cœcorum magna præsumptio. Primæ cœcitatis causa (ut vidimus) est inadvertentia: secundæ, passio: tertiæ hujus omniumque maximæ, est præsumptio: hujus probationem habemus in ipsis Scribis & Pharisæis. De his loquitur Christus ad suos discipulos alia occasione, dicens: *Sinite eos, cœci sunt, & duces cœcorum*, propter quod bonum est, ut modò ab iis non recedamus. At si

Mat. 15. v. 14.

erant

erant cœci & non videbant, quomodo se cœcorum duces constituebant! quia tanta, uti hæc, eorum erat præsumptio. Ut cœcos ducat, necesse est ut habeat duas cognitiones contrarias. Primam, quâ alios cœcos tanquam tales agnoscat: secundam, quâ credat se videre & se non æstimet esse cœcum. Talis erat præsumptio Scribarum & Pharisæorum: in aliis cœcitatem judicabant cœcitatem, & suam existimabant esse visum; hinc pro eo ut sibi ducem inquirerent, aliis se duces offerebant & ut tales venditabant. Si quis cœcus voce stentoriâ venales offerret oculos, quo quæso risu à populo & ipsâ natura exploderetur: Hanc scenam in tribunali Jerosolymitano repræsentabat cœcitas & præsumptio horum gravissimorum ministrorum, & hunc sublimissimum de suis oculis formaverant contemptum Talpæ cum lyncea præsumptione.

Neque hic adhuc stitit ista in hodierno casu præsumptio. Cœcus à Christo illuminatus, jam erat visu Lynx: & Talpæ præsumunt ducere lyncem. Quod cœcus cœcum, & talpa velit ducere talpam, est cœcitas præsumptuosa: sed quod talpæ volunt ducere lyncem, & quod cœci in visu volunt instruere habentem oculos & quidem miraculosos? hæc in omni cœcitatum genere fuit præsumptio stolidissima. Tota hodie Scribarum & Pharisæorum intentio, omnes eorum conatus & instantiæ, quibus cœcum illuminatum persequebantur, & quibus illi volebant persuadere, quod modò magis cœcus esset quàm anteà, eò tendebant, ut illum à luce & cognitione Christi avellerent, & in suam pristinam & erraticam opinionem retraherent. Ajebat hic: *Scimus, quia peccatores Deus non audit.* Replicabant illi: *Nos scimus, quia hic homo peccator est*; & sic contrariantibus sibi binis hisce propositionibus, non alia erat causa dissonantiæ, ex qua cœci condemnando scientiam, suam justificabant, præterquâ, *Nos scimus.* Istud *Nos* adeò præsumptuosum, totiesque in hoc processu repititum, unicum & totum ipsorum censuræ erat fundamentum, *Nos* hoc dicimus, quod supereſt ignorantia est & error. *Nos*, quasi cœcitate carentes & quasi non esset verum quod ante intulerant, *Nunquid & nos cœci sumus?* Homo miraculosè illuminatus ipsos confutabat, confundebat illos & convincebat; & nescientes quid argumentis oppositis responderent, ad argumentantem se vertebant, & in suo, *Nos*, tantummodò fundati tumoreque superbiæ inflati, inquiebant, *Et tu doces nos?* Ego hosce inflatos litteratos interrogarem. Quinam estis vos, ut ab illo instructionem recipere abnuatis? Ille argumentatur clarè: vos dictorum vestrorum nullam affertis rationem; Ille asserta sua probat: vos profertis tantùm verba ventosa sine omni probatione; Ille ex miraculo Christum sanctum esse convincit: Vos ipsum peccatorem blasphematis; Ille patratorem miraculi Christum esse demonstrat: vos falsos testes quæritis, qui allum esse affirment; Ille est Aquila visum intendens Soli: vos noctuæ cœcutientes ad lucem; Denique ipse est lynx: vos talpæ, & tamen tam vani & præsumptuosi, ut vestra cœcitate vos plus arbitremini videre, quàm ille suis oculis. Similisne unquam visa est, tam cœca præsumptio? In scripturis unicam tantùm similem reperio, & quidem etiam in Jerusalem: siquidem in hac sola Regione ubi Christus crucifigetur, hæc monstra vivere & tolerari possunt.

Joan. 9. v. 31. *Ibidem v. 34.* *Ibidem v. 34.*

Custodes Calvariæ milites crucifixorum vitam abrumpere jussi, videntes Christum jam mortuum, transierunt: *ut viderunt jam eum mortuum? non fregerunt ejus crura.* Hoc fecerunt milites oculos habentes: Longinus verò cœcus quid fecit? percussit Christum lanceâ: Cœco in manus dans lanceam, illam in Christi latus mitti desiderat. Si igitur hi oculos habentes Christum jam mortuum viderunt, Quare cœcus illum tanquam vivum voluit occidere? quia cum esset cœcus & adeò cœcus: eatènus tamen de visu præsumebat, ut putaret se melius videre oculis clausis, quàm alii apertis. Heu quot hodie tales in mundo reperiuntur Longini, tam longi, tam extensi, & præsumptuosi! Verùm hæc non tam eorum, quam generalium est culpa. Si longinus erat cœcus, Quomodo erat miles? si Veteranus, de alio officio ipsi erat providendum: sed sine oculis lanceam tenens manu? & sine visu in excubiis? & quidni de suis præsumeret oculis, qui cum esset cœcus non reducebatur? Ipse fuit præsumptuosus: sed Præsumptio pro eo faciebat; auscultate Isaiam eandem Hierosolymitanam Rempublicam alloquentem: *Speculatores tui cœci omnes.* Urbs erat benè munita, triplici murorum ordine circumdata: Excubiarum verò stationes & speculæ adeò neglectæ, ut in qualibet earum tantum quidam cœcus vigilaret. Porro cœcus in Propugnaculo & Turri se collocatum considerans, quidni præsumat & superbiat de Visu? non immeritò quidem præsumebant de Visu: præsumptio nihilominus & locus cœcitatem non imminuebant. Loca plerúmque non solent visum dare, sed perturbare, eoque magis quò sublimiora sunt: unde & Scribis & Phariſæis visus & lumen oculorum defecit; Cœci ex præsumptione officii, & ex incumbenti sibi videndi officio cœciores: *Ut videntes cœci fiant.*

Joan. 19 v. 13.

Isai. 56. v. 10.

§. VI.

HÆc erat quidem ultima cœcitas Scribarum & Phariſæorum: quænam verò est nostra? Illi quidem erant plus cœci, quia suas cœcitates non videbant: an nos forsan videmus uostras? Quod si ipsis quærimus remedium, nos eas videre certum est: sin autem, nos eas ignorare, est certissimum. Videre, & remedium non adhibere: est non videre. Apparuit Deus Moysi in Rubo, simul indicans quis esset & ad quid venisset? & verba quibus Divina Majestas se manifestavit fuêre hæc: *Vidi afflictionem Populi mei in Ægypto: & sciens dolorem ejus, descendi, ut liberem eum.* Domine, tanto jam tempore à populo tuo toleratam afflictionem nunc demum vides? Ego novi, te jam ante creationem hujusce Populi, ejusdem fundatoris Avo prædixisse, quod quadringentis annis peregrinus & advena futurus esset in terra aliena, & variis modis affligendus; Dixerat & prædixerat hoc Deus Abrahamo multo tempore ante nativitatem Jacob, qui harum duodecim tribuum, totiusque populi Ægyptiacâ servitute oppressi Patriarcha fuit. *Scito prænoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua: & subjiciens servituti & affligent eos quadringentis annis.* Age. Si Deus ante quadringentos annos ipsam revelavit & prædixit: si illam statim ab exordio, imò ab omni æternitate vidit, quomodo se jam afflictionem populi sui vidisse asserit? *Vidi afflictionem populi mei?* vidisse se asserit, quia jam ad liberandum

Exod. 3. v. 7.

Gen. 15. v. 13.

festi-

festinat: *vidi, & descendi, ut libarem eum:* Quod sine remedii applicatione videtur, licet hoc quadringentis annis & ampliùs, imò per totam æternitatem videatur: vel non videtur, vel quasi non videtur. Unde & Anna Mater Samuelis pro afflictionis ejusdem remedio ipsi Deo supplicando dixit: *Si respiciens videris afflictionem meam.* Quid quæso significat, *si respiciens videris?* vult dicere, si remedium adhibueris: nam videre absque remedii adhibitione, non est respicientem videre, sed absque visu. Quisnam dubitabit Christum eodem die in compitis Hierosolymorum plurimos alios vidisse claudos, debiles, cœcos: eleëmosynam petentes? nulla tamen ab Evangelistis fit mentio illos à Christo visos, quia nullum remedium ipsis impendit; meminerunt solummodò hunc cœcum visum, propterimpertitum ipsi beneficium, ideoque Christum vidisse eum affirmant: *Vidit hominem cœcum.*

1. *Reg.* 1. *v.* 11.

Eheu, quis mihi totum collectum in hoc auditorio sistet mundum! Quis mihi dabit, ut tota me nunc audiat Hispania, tota Gallia, tota Germania, ipsa quoque Roma! Principes, Reges, Imperatores, Monarchæ mundi: videtisne regnorum vestrorum ruinas, vasallorum vestrorum miserias; videtisne violentias, oppressiones, captivitates, omniumque desolationem? vel videtis, vel non videtis. Si videtis, quare remedium non adhibetis? & si remedium adhibere negligitis, quomodo videtis? de cœcitate convicti estis. Ecclesiæ Principes seu Præsides, inferiores, superiores, supremi, vosque ô Prælati eorum officium administrantes, videtisne universales & particulares Ecclesiæ calamitates, Fidei defectum Religionis ruinam, Legum Divinarum contemptum & neglectum? videtisne sacrorum locorum despectum & inhonorationem? videtisne morum corruptelam, peccata publica, scandala, simonias, sacrilegia, sanæ doctrinæ adulterationem? videtisne tot in- & extrà orbem Christianum animarum exitium & damnationem? vel videtis, vel non videtis; Si hoc videtis, quomodo opportunum remedium adhibere tardatis? si cum remedio tardatis, quomodo videtis? Cœci estis. Et vos Reip. justitiæ, militiæ, status, maris terræque administratores & gubernatores, videtisne vestræ sollicitudini incumbentes obligationes? videtisne vestris conscientiis imminens grave onus? videtisne regiminis incurias, injustitias, furta, rapinas, dilationes & remoras, corruptelas: respectus? videtisne respiciendo magnos, minorum vexas? videtisne lachrymas & fletus pauperum. ejulatus & gemitus omnium? vel hoc videtis, vel non videtis. Si videtis quare (ut par est) remedium non affertis? & si remedium non affertis, quomodò videtis? cœci estis. Et vos adeste patresfamilias, qui domum, uxorem, filios, & alios domesticos habetis: videtis disordinationem, aut familiæ confusionē; uxoris vanitatem, filiorum incompositionem, laxamque disciplinam, & consortia prava? videtis protreviam & inverecundiam famulorum, eorum vitam, actus & conatus dum sæpè ex vestra dissimulatione & consensu sub umbra vestræ potentiæ præsumunt? aut hoc videtis, aut non videtis; si videtis hoc aut scitis, quare non invigilatis? si non invigilatis, quomodo videtis aut scitis? Et vos cœci estis. Tandem ad te ô Christiane cujuscunq; demū aut status aut conditionis: fidem cernis, & impressum

tibi

ribi in Baptismo characterem : legis obligationem non ignoras, quam profiteris : statum nosti, in quo tam jam annis degis ; conscientiæ tuæ gravamina vides ; debitas à te restitutiones memoriâ tenes, certam occasionem non declinas, animæ salutisque tuæ periculum vides ; in statu peccati mortalis actualiter te agere cognoscis, simulque te damnandum, casu quo in tali statu sine prævio remedio moreris, & damnatum, te in inferno Dei beatificâ visione privatum, ac quamdiu Deus erit Deus, in æternum arsurum credis. Heus Christiane, omnia hæc aut videmus aut non ? Si non videmus, quomodo tam cœci sumus? aut si videmus, quomodo omnia nostra istum in finem pro salute nostra ritè non disponimus ? nunquid tandem efficax emendationis propositum concipiemus ? Nullum, ego certè, tam impium, barbarum, salutisque suæ incurium crediderim, qui respondeat, Non. Quod igitur quandoque practicare meditamur : quando tandem hoc faciemus ? in mortis articulo, in decrepita senectute ? sic ratiocinati fuerunt quondam ij qui jam inferni claustris æternùm detinentur inclusi. Consultumne videtur similiter ratiocinari, eorumque vestigiis insistere? minimè gentium : absit, absit tantum malum animæ nostræ inducere. Quod igitur quandoque futurum est, si quandoque oculos sumus aperturi, si tandem propositum quoddam serium concipiemus, quare non hodie ?

Ah Domine JESU Christe, cùm nec hominibus, nec mihi quidem ipsi (quandoquidem adeò sumus cœci) persuadere sufficiam : ad te me converto. Nostras, quæso Domine, cœcitates ne respicias, recordare oculorum tuorum, illiusque quod hodie in Jerusalem sunt operati, unicus, ut minimum, cœcus hodie ex hoc loco exeat illuminatus : oculos tuos piissimos, istos misericordes & omnipotentes, in nos converte ? quorum virtute penetrando emolli duritiam cordium, illustra oculorum istorum cœcitatem : ut miserabilem animarum suarum statum cognoscant : videant quantum isti tuæ Cruci & vulneribus debeant. ob redundantem inde in nos meritorum copiam ; utque omnes postrati ad tuos pedes contriti cum firmissimo emendandæ vitæ proposito, cum hodierno cœco, hîc gratiæ tuæ lumine, & æternæ beatificæ visionis tuæ digni reddamur gloriâ, Quam mihi & vobis &c.



SERMO

SERMO
DE
BEATISSIMA VIRGINE MARIA
de Rupe Franciæ,

In ejus Eccleſia, & Conventu, Ordinis S. AUGUSTINI, Ulyſſippone primo die tridui ejus Feſti, expoſito Sanctiſſimo Sacramento Anno 1652.

Liber Generationis JESU CHRISTI Filii David, Filii Abraham. Matth. 1.

§. I.

DOmine JESU Chriſte; conſideratâ, ut oportet, divinâ tuâ Sapientiâ; ad reſpondendum, ex congruo & pro virili, tuo in nos amore, ecce junctos hodie (ſicut olim junxit Salomon) duos duarum Majeſtatum thronos: hunc ſanctiſſimæ tuæ Matris in hanc Rupem ſublatum, illum tuum ad hanc Rupem collocatum, *In arduis* (id eſt, inquit Job, in Rupe) *Ponet nidum ſuum Aquila: in Petris manet & in acceſſis Rupibus: inde contemplatur eſcam, & ubicunque fuerit cadaver, ſtatim adeſt.* Quæ aquila, quæ rupes, & quodnam mortuum iſtud corpus eſt, niſi totum hoc quod coram videmus. Aquila, eſt ſanctiſſima Maria: Rupes, Rupes Franciæ: Corpus mortuum, tuum ſacratiſſimum Corpus in Sacramento: vivum, ſed in ſpecie mortui. Iſta aquila, juxta viſionem Ezechielis, eſt, quæ te ex æterni Patris tui viſceribus extractum, in ſua tranſtulit: illa eadem, quæ tuam divinitatem hoc corpore veſtivit: & ille qui reciprocè ſuâ reali præſentiâ nunc adeſt, honoraturus ac ſanctificaturus præſentem Matris ſuæ celebritatem, & diem hunc ſolemnem redditurus ſolemniorem.

Corn. de Lap. hic & alii.

Ut ego in abditiſſimis hujus myſterii arcanis, & aliis, quæ aqualibus tenebris Evangelium involvit, noſtræ obligationis & gratiarum actionis motiva, ritè detegere poſſim, necnon gratias tam continuas & prodigioſas, quas in cunctis Terræ, Maris totiuſque univerſi partibus ſupremo huic propitiatorio, ſub glorioſo nomine Rupis Franciæ Luſitania debet, aliquatenùs pro merito expendendi facultatem impetrem: per ejuſdem Beatiſſimæ Virginis interceſſionem, peto, & ab eadem tuæ Divinæ & humanæ Majeſtatis præſentiâ tantam gratiæ aſſiſtentiam ſpero, quantam aſſumpti magnitudo requirit, Ave Maria.

3. Reg. 2. v. 19.

Job. 39. v. 28.

Ezech. 17. v. 3.

§. II.

Matt. 1. v. 1. *Liber generationis Jesu Christi Filii David, Filii Abraham.* Primum Evangelistæ verbum, & primum thematis oblatum, est primum & unicum quod mihi hodie deest: *Liber.* Quando me sacrum hoc aſceterium, ad hunc conſcendendum ſuggeſtum invitavit: quando mihi recommendavit, ac potiùs mandavit ſermonis hujus officium in me ſuſcipere: ſicuti materia pro omnibus eſt tam ardua, & pro me; præterhoc tam nova, ut acquirerem majora quàm ſuppeditabat fama, documenta & notitias ab hoc famoſiſſimo ſanctuario hiſtoriarum ejus & miraculorum petii librum. Et quid reſponſi me accepiſſe putatis? ſperaveram quidem integram mox ad futuram Bibliothecam: ſed nullum extare deſuper librum fuit reſponſum. Non extat igitur liber hiſtoriæ & miraculorum Dominæ noſtræ de Rupe Franciæ? hæc igitur ſermonis noſtri ſit materia: cùm aliam non acceperim. Sic dixi: ſicque exequi ſtatui. Sermones alii ſtudiosè deſumuntur ex libris: præſens autem Sermo fiet quidem ſine libris, ſed non ſine ſtudio.

Quod ſi hic caſus accidiſſe alibi: incuria potuiſſet videri. Sed in Religione Patriarcharum Patris S. Auguſtini tam accuratâ, tam circumſpectâ & diſciplinatâ, tam benè ordinatâ, quæ quaſi ordinem & regulam cunctis ordinibus mundi præſcripſit, incuriam non fuiſſe clarum eſt. Si hic caſus accidiſſet alibi, exiguæ devotioni imputandus videretur: ſed in Seraphini terreſtris Auguſtini, qui flammivomum amoris Dei cor manibus geſtans, illud in hæreditatem Filiis ſuis reliquit, & inter amorem JESU & MARIÆ conſtitutus, cum devotâ indifferentiâ exclamat: *Quò me vertam neſcio*, devotionis non interveniſſe defectum: extra controverſiam eſt. Si alibi accidiſſet, inſufficienti fortè ſcientiæ tribuendum videretur: aſt in religione Doctorum aquilæ S. Auguſtini, è cujus alis ſumpſit Eccleſia per omnia ſæcula calamos optimos, quibus illuſtratur: ſubtiliſſimos, quibus purificatur: doctiſſimos ſimul & copioſiſſimos, quibus dilatatur: omninò planum eſt, inſufficienti ſcientiæ non eſſe adſcribendum. Si igitur, nec inſufficientia doctrinæ, nec defectus devotionis, nec incuria in cauſa eſt: Quare Hiſtoriæ & miraculorum Rupis Franciæ hujus nominis, templi, imaginis prodigii mundi, quàm meritò publicum & maximum omnipotentiæ theatrum appellare licet, non invenitur liber? Scitis quare? De illo quod non capiunt codices, nequit fieri codex. *S. Aug.*

Sanctus Matthæus vitam & opera Chriſti conſcripturus, ſuum ſcribit Evangelium, ejuſdem exemplo S. Marcus ſuum; Duo hæc Evangelia, & quædam alia eodem tempore divulgata, non tamen ab Eccleſia recepta, devenerunt ad manus S. Lucæ: cumque hæc omnia nimis parùm dixiſſe viderentur; reſolvit adjungere tertium, & in exordio alloquitur Theophilum, cui Evangelium ſuum dedicavit? *Quoniam multi conati ſunt ordinare narrationem, quæ in nobis completæ ſunt rerum.* q. d. ne mireris Theophile, quod Evangelium ſcribere exorſus ſum, quod conſcribam hiſtoriam & miracula Chriſti: quotquot enim ſcripſerunt, licet talia & tanta, viras & conatum ſuum non exceſſerunt, *Quoniam multi conati* *Luc. 1. v. 1.*

ſunt,

sunt; suum tandem Sanctus Lucas Evangelium adjunxit. Hic Evangeliorum ternio cum ad manus Sancti Joannis perveniſſet, ipſi viſa ſunt deeſſe plurima, uti revera deerant, enarratione digna: ideoque dilectus ille diſcipulus ad quartum Evangelium compilandum ſe accinxit, calamumque exacuit: hocque opus ipſius fuit ultimum, etiam poſt conſcriptam Apocalypſin. Sed quidnam accidiſſe videtur S. Joanni cum ſuo Evangelio? jam exaratum legis, & idem illi cum ſuo, quod cum aliis acciderat, evenit: nimis parùm ſcripſiſſe ſibi viſus eſt, comparatione iſtorum quæ reſtabant. Reſumpto calamo duas tantùm lineas annectit, ſcilicet, *Sunt & alia multa, quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libros.* In quonam igitur ſanctus Joannes plus dixit, in hiſce duabus lineis, an in toto ſuo Evangelio? Hæc quæſtio videtur habere multum temeritatis. Nullus ſaltem interpretum eam hucuſque movit: verùm tacitè & admirabiliter ad eam reſpondet, opinione meâ ſingularis & omnium interpretum doctiſſimus Maldonatus, *Quod dum dicit, & ſe excuſat, res Chriſti magis quodammodò, quàm ſi eas conſcripſiſſet, amplificat.* Solutio notatu digna. Eſtne poſſibile, S. Joannem in ultimis ſuis duabus lineis plus dixiſſe, quàm in toto ſuo Evangelio, tantáque librorum copiâ, quos mundus capere non poſſet ſi eoſdem ſcripſiſſet? ita eſt in toto enim iſto Evangelio, & libris univerſis S. Joannes conſcripſiſſet Chriſti miracula: duabus hiſce lineis fatetur conſcribi non poſſe, multoque major laus & exaggeratio rerum eſt, fateri ſcribi non poſſe, quàm exarare. Quod conſcribitur cadit in pennam, quantumque vaſtum ſit: quod conſcribere nullus ſufficit, majus eſt omni eo, quod ſub pennam cadit. Quod ſcribitur, conſtat numero & fine: quod verò ſcribi nequit, innumerabile & infinitum eſt. Proindè ſanctus Joannes multò plùs dixit in eo, quod non ſcripſit, quàm in his quæ ſcripſit. In ſcriptis ſanctus Joannes enarravit multa miracula Chriſti, ſed non omnia; in non ſcriptis, omnia complevit, tanta enim fuiſſe inſinuat, ut conſcribi non poſſent. In ſcriptis tres alios ſuperavit Evangeliſtas, plura enim illis omnibus enarravit: in non ſcriptis vicit ſeipſum, multò enim plus dixit, quàm ſcripſerat.

Joan. 21. v. 25.

Maldonatus.

Hinc nobis aliquod è Textu Ezechielis patebit dubium; à plurihus quidem notatum, ſed nullius adhuc ingenio penetratum. Vidit Ezechiel myſticum illum Currum, quem trahebant quatuor animalia, ſcilicet Homo, Leo, Aquila, Bos. Cuncta erant alata: ſed aquila, inquit Textus, volabat ſuper omnia quatuor. *Deſuper ipſorum quatuor.* Difficilis & implexa propoſitio: ſi dixiſſet Aquilam deſuper tria volâſſe, obſcuritate careret, & ſic naturaliter eſſe oportebat. Alæ enim aliis erant appoſitæ. Aquilæ verò connatæ. Ecce nunc bos alatus, quomodo volabit? at quia ſæpè bos cum Aquila idem jugum trahit, hinc talis currus tam lentè, & parùm promovetur. Alæ in homine & leone (quamvis videamus tot homines tantùm volare) ſunt quaſi idem: ità ut mirum non ſit Aquilam volare ſuper iſta tria. Sed quod Propheta aſſerit ſuper omnia quatuor animalia, quorum ipſa erat unam, Aquilam volaſſe, quomodo hoc fieri potuit? Ratio noſtra magnum hoc myſterium revelavit. Hæc

Ezech. 1. v. 4.

quatuor Animalia (juxta unanimem Doctorum Sententiam) erant quatuor Evangelistæ: Alæ eorum erant pennæ, quibus scripserunt: Aquila erat S. Joannes. Et Propheta inquit eum volâsse non solùm super tria alia, sed super omnia quatuor, *Desuper ipsorum quatuor*, sic enim fuit. S. Joannes suum conscribendo Evangelium super tres tantùm volavit Evangelistas, quia multò plura dixit quàm illi; sed in fine istas duas addendo lineas, quibus protestatus est miracula Christi non posse conscribi, volavit super omnes quatuor, volavit enim super semetipsum, & dixit multò plus quàm dixerat: ità ut ista Aquila multò altiùs volârit pennas colligendo quàm illas explicando. Explicando pennas ad describenda Christi gesta, super tres volavit Evangelistas; pennas verò colligendo & confitendo ea conscribi non posse, volavit super omnes quatuor, siquidem volavit etiam super seipsum, *Desuper ipsorum quatuor*. Transeamus nunc de aquila ad aquilam, similiter in sensu literali: nam quemadmodum S. Joannes est Aquila inter Evangelistas: pari ratione S. Augustinus est aquila inter Doctores.

Si pennæ S. Augustini se distendissent, si eædem ad conscribendum historiam & miracula Beatæ Virginis Mariæ de Rupe Franciæ se applicâssent, plurima pro more scripsissent & notâssent; sed hæ pennæ sese colligendo, & confitendo thaumaturgæ illius mundi Dominæ esse tam innumera ut conscribi nequeant, extra dubium est, quin multò plùs dicant, *Dum se excusat, magis res Mariæ, quàm si eas perscripsisset, amplificat.* In magnis gravidisque materiis præsumere scribere, est magnificare pennam: non præsumere, est magnificare materiam. Si pennæ aquilæ S. Augustini tantum præsumpsissent molimen, quantum erat compilare innumerabilem miraculorum thaumaturgæ hujus Virginis seriem, plurimum fuissent magnificatæ, at non attentando tam arduum assumptum, suamque agnoscendo, protanto negotio, insufficientiam, plurimum hæ pennæ magnificârunt Beatissimam Virginem. De muliere ista Sole vestita, stellisque coronata, quam in sua Apocalypsi vidit S. Joannes, inquit textus: *Datæ sunt mulieri alæ tuæ Aquilæ magnæ ut volaret.* Apoc. 12 v. 14. Quænam est sole vestita stellisque coronata mulier, nisi Beatissima Virgo? Et quæ hujus aquilæ magnæ sunt alæ, nisi pennæ, id est Scriptores ordinis S. Augustini? in aliis casibus dantur huic Virgini pennæ hujus aquilæ, quibus valdè elevatur, in hoc casu eædem ipsi negantur ut volet sublimius, & sic se res habet; magnificentia & majestas hujus Virginis multò plus extollitur, dum hæ pennæ se colligendo ejusdem miracula conscribere non præsumunt quàm si totas sese huic operi applicâssent. Hæc sublimis fuit consideratio discretissimaque cautela, cur liber Historiæ miraculorumque Beatæ Virginis de Rupe Franciæ non fuerit conscriptus: eò quod silentium eloquentius sit & elegantius quàm innumerabilium conscriptio librorum.

§. III.

QUænam sit ratio, ob quam non necessarius sit Liber dicam modò: & hæc tam clara est & evidens, ut se ipsâ sit perspicua. Inventorum librorum finis fuit ad conservandam præteritorum memoriam contra tyrannidem temporum, & oblivionem hominum, quæ tyranni-

Gilbert. ſerm. 47. in Cant. S. Maxi. in præfat. ad miſtagogum Eccleſ.

tyrannide pejor eſt. Hinc Gilbertus, libros, memoriæ reparatores appellavit. *Scriptura memoriæ reparatrix eſt oblivionis medicamentum.* Quemadmodũ libri inventi fuerunt pro rerum præteritarũ conſervatione: ſic miracula B. Virg. de Rupe Franciæ libris non indigent: quia non prætereunt. Hæc eſt excellentia, quâ Virgo MARIA hujuſce domus ſuæ Privilegia, præ omnibus miraculoſis totius mundi & urbis hujus locis reddere voluit ſingulariora. Relictis nunc variis hujus mundi locis, ſiquidem noſter diſcurſus nimium extenderetur, Ulliſſipponenſis urbis loca perſcrutemur. Floruit Ulyſſipponæ miraculoſa Domus Beatiſſimæ Virginis de Nativitate: ſed tranſiêre jam miracula Nativitatis: Fuit miraculoſa Domus Beatiſſimæ Virginis de Refugio: ſed & refugii miracula prætiêre. Fuit itidem miraculoſa Domus B. Virg. de Exilio: ſed & tranſierunt miracula Exilii. Fuit denique ibidem miraculoſa Domus B. Virg. de Luce; ſed hujus quoque miracula ceſſant. Sola miraculoſa Domus Beatiſſimæ Virginis de Rupe Franciæ, fuit, eſt, & manebit miraculoſa, nam hujus miracula nunquam tranſeunt: & quæ non tranſeunt neque deficiunt, quæ ſemper manent, libris non indigent. Deus, binas leges in hoc mundo condidit: una fuit Moyſis, altera Chriſti. Lex Moyſis fuit ſcripta, unde, & vocatur Lex ſcripta: Lex Chriſti non fuit ſcripta. Et quare non? Nonne Lex Chriſti eſt purior, ſanctior, dignior, Deoque gratior Lege Moyſis? vel maximè. Quod ſi igitur Lex Moyſis ſcribitur? quare lex CHRISTI non ſcribitur? Quia lex Moyſis erat tranſitoria, Lex Chriſti æternaliter permanſura: & tranſitoria ſcribuntur: permanentia verò ſcriptione non indigent. Scribuntur miracula de patrocinio Nativitatis, Refugii, Exilii, Lucis, ne tempus eorum memoriam aboleat, ſicut jam ipſa abolevit miracula? Miracula B. V. de Rupe Franciæ fide ſcripturarum non indigent, quia in ſeipſis fidem habent. Qui noſſe cupit miracula B. V. de Rupe Franciæ, ſuperfluum eſt ea legere in charta, veniat oculis intuiturus: hujus domus miracula non ſunt conſignata chartis, nec indigent probationibus; ſiquidem non tranſeunt. Flumina continuò fluunt nec deficiunt, pari modo miracula de Rupe Franciæ ſunt fluviis miraculorum: Vultis hunc cernere fluvium, hanc contemplari Rupem? Imaginemini vobis, vos conſiſtere in deſertis Ægypti, cum filiis Iſraël proficiſcentibus in terram Promiſſionis. Intolerabili ibidem ſiti ingens affligebatur exercitus, ideoque mandavit Deus Moyſi, ut alloquendo petram juberet dare aquam, *loquimini ad petram.* Moyſes mandatum tranſgreſſus, percuſſit petram virgâ, quam tranſgreſſionem tam acerbè luit Moyſes, adeóque ſeverè caſtigavit Deus, ut terram Promiſſionis ingredi non fuerit permiſſus. Ut Rupes miraculosè populi ſuccurreret neceſſitati, verbo ipſi intimare ſufficiebat, *loquere*: nolebat Deus miraculum procedere de virga, ſed notorium volebat eſſe miraculum & procedere de rupe: & ſic fuit. Exivit aqua miraculoſa tam copioſè & conſtanter, ut S. Paulus dixerit, *Bibebant de conſequente eos petra*, id eſt, Rupe quæ eos ſequebatur. Quomodò verò rupes eos ſequebatur? non ſequebatur eos motu locali; ſed miraculoſo ex ſe omiſſo fluvio comitabatur exercitum omnes ejuſdem infirmitates

1. Cor. 10. v. 4.

Ps. 104. v. 37. sanans: *Non erat in tribubus eorum infirmus.* E rupe scaturiebat fons perennis; & de fonte promanabat fluvius, currens incessanter, & omnibus succurrens. Quibus S. Paulus mox subjunxit, hoc futurorum fuisse figuram: & jam liquidò cernimus. In hoc altari est Rupes, è Francia in Castellam, & de Castella hûc in Lusitaniam translata, è qua rupe scaturit fons, qui est miraculosa Imago B. V. Mariæ: ex hoc fonte miraculorum & beneficiorum ejus promanat fluvius, qui sisti nunquam nec cessare potest, sed perenniter currens omnibus mundi necessitatibus subvenit, sic inquit S. Joannes Damascenus de B. Virgine Maria loquens, *Petra quæsitientibus vitam tribuit, fons universo Orbi medicinam offerens.* Idem de se ipsa dixerat & promiserat eadem Beata Virgo Maria Proverb. 8. *Qui me inveniret, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*: non inquit, recipiet; sed hauriet salutem, hauriet enim & bibet de flumine miraculorum, & fonte salutis ab hac Rupe manantis.

S. Joan. Damas.

Prov. 8. v. 36.

Sed respondere mihi videntur in sacra Scriptura versatissimi: antiquæ istius Rupis miracula, non úno tantùm, sed multis esse conscripta codicibus, & quidem tribus illustrissimis utriusque Testamenti pennis: scilicet, Moysis, Davidis, & Pauli. Quemadmodum igitur historia & miracula Rupis Israëliticæ tot libris extant consignata, nonne pari ratione justum est historiam miraculaque Rupis Franciæ conscribi? Nullatenus: multùm enim inter rupem & rupem interest; multùm interest inter fluvium & fluvium: inter miracula & miracula. Illa rupes jam corruit: ille fluvius jam exaruit: illa miracula jam expirârunt: & ubi res tempore pereunt, bonum est librorum memoriâ eas perennari, in hâc verò nostra Rupe Franciæ accidit contrarium: Rupes semper manet eadem; fluvius incessanter currit: miracula nunquam cessant; & miracula à temporis tyrannide exempta, non indigent remedio contra tempus; sed sui ipsorum sunt scriptura, sunt annales, & diaria.

Deus septendii spatio, hanc pulcherrimam totius universi machinam creavit, distinxit, & ornavit. Mirâ & exactâ punctualitate Moyses ex die in diem creaturas & unius cujusque opera descripsit: *Divisit lucem â tenebris & factus est dies unus. Fiat firmamentum in medio aquarum: & factus est dies secundus. Germinet terra herbam virentem, & factus est dies tertius*: & similiter de reliquis. Ità ut Moyses omnium operum creationis exactissimum fecerit diarium. Opera conservationis, scilicet, Providentiæ, quibus deus universum conservat & gubernat, operibus creationis quod potentiam, sapientiam, majestatem, & magnitudinem nullatenùs inferiora sunt, Quod si igitur Moyses opera creationis scribendo tam exactum eorundem composuit diarium, quare nec ille nec alius quisquam sacrorum scriptorum opera conservationis conscripsit, cum tantus in illis causarum constet concursus, cum tanta varietate effectuum: tanta contrarietas cum tanta harmonia: tanta mutuatio cum tanta stabilitate, tanta confusio cum tanto ordine: tot denique aliæ circumstantiæ sapientiæ, potentiæ, providentiæ, tam

Gen. 1. v. 4.

novæ tamque stupendæ? Ratio est, quia
Gen. 2. v. 3. opera creationis stiterunt & cessârunt die septimo: *Requievit die septimo, & cessavit ab omni opere quod patrârat*; Econtra opera conservationis à primo sui exordio continuantur, & ad finem usque mundi durabunt; *Pater meus usquemodo*
Joan. 5. v. 19. *operatur, & ego operor.* Et præteritorum & cessantium operum, historiam, imò diarium conscribi erat bonum: sed quæ non terminantur, quæ perseverant, quorum alterum alteri incessanter succedit, nec historiâ nec memoriâ indigent nec scripturâ: nam eadem ipsa perpetua sui sunt historia, continuumque sui diarium. Quàm benè hoc expressit
Ps. 18. v. 1. & 2. David? *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum: Dies diei eructat verbum.* Ista Cœlorum revolutio, iste Planetarum cursus, ordo & dispositio firmamenti, quidnam aliud faciunt, quàm quod incessanter mirabilia Dei mundo annuntient? Et qui isti succedentes sibi invicem dies, nisi Historici muti, & propriorum operum suorum, quæ non per Annales seu diaria publicantur diligentissimi Chronographi? *Dies diei eructat Verbum.* Talia Rupis Franciæ sunt miracula, quæ si transeundo cessâssent, & Sabbathum aliquod sicut illud creationis esset, in quo cessando quievissent, rectè scriberentur: sed quia nec quiescunt, nec cessant (prout hîc patet, & singulis Sabbathis constat, quibus miracula hebdomadim resumuntur) necesse non est scribi, historiisve mandari: sed eorundem historia est continuatio, & eorundem diarium, ipsi sunt dies, *Dies diei eructat Verbum.* Hodiernæ diei miracula authenticum sunt testimonium diei hesternæ; uti & crastinæ diei miracula, sunt hodiernæ diei miraculorum attestatum: & sicut sibi succedunt dies; pari modo sibi testimonium perhibent sine scripturâ legendo oculis, quod mediante scripturâ credere debebant memoriæ Græci in quodam suo Hymno cum elogio singulari, B. V. Mariam divinæ omnipotentiæ diarium appellant, *Diarium unicum Domini Creaturarum*: sed nulli loco, nulli Throno quotquot B. Virgini in toto mundo sunt consecrati, hic titulus rationabilius quàm hujus Rupis pedi meretur insculpi. *Diarium*, quia ejus miracula sunt quotidiana; *Unicum*, quia illa duntaxat à tempore tyrannide sunt exempta. *Apud Theoph. Rayn.*

Sed quod videtur vobis maximum Rupis Franciæ miraculum? Est hoc, quod ejus miracula ab imperio temporis sint exempta. Nihil in hoc mundo potentius est tempore, cuncta suæ subjicit ditioni, omnia mutat & finit: non solummodò dominatur Naturæ, sed ad ipsa quoque supernaturalia suam extendit potestatem, quod summoperè miror. Miracula sunt supernaturalia, sed neque ex hoc quod naturæ sphæram transcendant, à temporis dominio eximuntur. Magna Serpentis istius in deserto fuêre miracula: quotquot erant infirmi ignitorum serpentum morsibus percussi, hunc aspiciendo serpentem, statim sanabantur: processit tempus, finita sunt miracula: imò & ipse serpens. Stupenda fuêre miracula virgæ Mosaicæ, quâ velut instrumento tanta coram Pharaone in Ægypto edita sunt prodigia: successit tempus, finita sunt miracula: & simul vir-

virga. Ingentia pariter Pallii Eliæ fuêre miracula, cujus virtute Eliſæus ſuſtentabat vivos; ſanabat infirmos, vitæ reſtituebat mortuos: tranſiiit tempus finem acceperunt miracula, ſimul & pallium, Admiranda fuêre miracula Arcæ Teſtamenti, in cujus conſpectu retrogreſſi ſunt fluvii, corruerunt muri, comminuta ſunt Idola, & ſubitanea morte extinguebantur præſumptuoſi: tranſiit tempus finita ſunt miracula ſimul cum Arca. Ingentia denique & obſtupeſcenda primitivæ Eccleſiæ fuerunt prodigia & ſigna, in qua, primi fideles & Chriſti Diſcipuli omnium loquebantur linguis; omnis generis infirmos curabant, dæmones ejiciebant, ſerpentes calcabant, ſine læſione venena hauriebant: tranſiit tempus; adolevit Eccleſia, & quia firmandæ fidei non amplius erant neceſſaria, ceſſârunt miracula, ita ut omnia dominio Temporis ſint ſubjecta, ſolaque Rupis Franciæ prodigia ab illius juriſdictione ſint exempta. Ingens miraculum! cætera cum tempore deficiunt, Rupis Franciæ miracula cum tempore increſcunt. Maxima temporis excellentia eſt quod Rupibus dominetur: maxima vero hujus Rupis prærogativa eſt, quod tempori prævaleat. Et ſi libri ſint remedium contra tempus: qui temporis non ſubeſt legibus, non indiget libris.

§. IV.

HÆ ſunt rationes, cur putaverim non eſſe librum Hiſtoriæ & miraculorum B. V. de Rupe Franciæ, nec neceſſarium ut eſſet, ſuppoſito reſponſo dato, talem non extare. Sed bona veſtrâ, & omnium venia, ego hoc non ſuppono, nec taliter, ſed contrarium ſentiendo, dico, non extare unum librum, ſed mûltos hiſtoriæ, & miraculorum hujus Domus, Et quis eſt iſte liber, vel quales ſunt libri? jam audietis. Primus Rupis Franciæ liber, eſt lectum Evangelium, *Liber generationis Jeſu Chriſti, filii David, filii Abraham.* Ergône liber generationis Jeſu Chriſti filii David, & Abraham, eſt liber hiſtoricus miraculorum Rupis Franciæ? planè eſt. Totum hoc Evangelium S. Matthæi, ab exordio uſque ad finem conſtat iſta varietate & multitudine nominum quæ audiſtis: Abraham, Iſaac Jacob, Jeſſe, David, Salomon &c. Commentando in hæc nomina inquit Chryſoſtomus: *Causâ quidem & ratione, providentiâque Dei, poſita ſunt hæc nomina: quâ autem cauſa & ratione poſita ſunt, verè ipſi ſciverunt qui poſuerunt, & Deus cujus providentia ponebantur: Nos verò, quid intelligere poſſumus in omnibus, ipſis hoc loquimur* Iſtud dicit S. Chryſoſtomus, cui conſentit S. Anſelmus & alii PP. ità ut quodlibet nomen hujus Evangelii duplicem habeat ſignificationem, hiſtoricam unam: alteram myſticam. Significatio literalis ſeu hiſtorica, indicat perſonas: ſed myſticus intellectus inſinuat cauſas. Hiſtoria nobis notificat B. Virginis Progenitores: myſticè nobis inſinuatæ cauſæ, ſunt gratiæ ejuſdem Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Progenitores hoc produnt quod Beatiſſima Virgo ab hominibus accepit, ſcilicet, ſanguinem & nobilitatem à Patriarchis: Gratiæ hoc aperiunt, quod homines à Beatiſſima Virgine receperunt, ſcilicet favores & beneficia quibus totum humanum genus cumulatur. Proinde Spiritus Sanctus primum iſtud S. Matthæi Capitulum ſub tali myſterio & tali dictavit artificio, ut lectum quidem ſuperficie tenûs

Matth. 1. v. 1.

S. Chryſoſt. ibi.

& ad

& ad literam, quoad nomina sit Chronologia Patrum & Avorum, *Liber generationis*: constructum verò ad intra, & quoad significationem mysticam, sit liber gratiarum, favorum, beneficiorum, & remediorum, &c.

Mirificè idipsum B. Virgo de seipsâ asseruit his Ecclesiastici verbis; quæ ab Ecclesia ipsi accommodantur; *In me est omnis gratia viæ & virtutis: venite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini.* Verba notatu digna; digniorq; notatu consequentia. In me sunt omnes gratiæ: venite ad me, meisque vos generationibus implebo? quænam est hæc consequentia valdè gravida respectu hujus libri. Cunctos gratias ipsius desiderantes à generationibus suis impleri asserit: nam ipsius gratiæ, in ejusdem generationibus continentur. Generationes Beatissimæ Virginis, sunt omnes ejus Progenitores in hoc libro enumerati, *Liber generationis*, Abraham est una generatio, *Abraham genuit Isaac*: altera, *Isaac genuit Jacob*, & sic de reliquis. Et quemadmodum sub qualibet harum generationum, & sub quolibet horum Primogenitorum nomine, singularis virtus & gratia continetur specialis, quâ eadem Beatiss. Virgo nobis succurrit: hinc graviter omnes qui suas gratias desiderant invitat, ut ad implendum se generationibus suis accedant, *In me est omnis gratia: venite ad me, & generationibus meis implemini.* Glossa interlinealis hujus effectus modum cum primis propriâ explicat comparatione. *Hic liber est Apotheca gratiarum in qua omnis anima, quicquid necesse habet, inveniet.* Comparatio quidem magis alta: sed magis propria dari nequit. Quid est, quod Apotheca habet intus, & foris ostendit? de foris nonnisi quasdam inscriptiones & nomina seu græca seu arabica specierum ostendit; intrà ipsas pixides species & specierũ confectiones continet, quibus omnis generis infirmitates curantur. Pari modo hic Liber generationis S. Matthæi, cortice tenus, nonnisi nomina Patriarcharum, horum Hebræorum, illorum Syrorum ostentat, sed sub illis mystica latet significatio, prodigiosa continens remedia: quibus Beatissima Virgo Maria omnibus humani generis malis succurrendo medetur. Nunc festinimus totam Historiam miracula Beatissimæ Virginis de Rupe Franciæ in hoc Libro scripta intueri.

Eccl. 24. v. 26.

Matth. 1. v. 2.

Glossa.

Decidistis in lectum infirmitatis, adhibuistis artis medicæ remedia, sed frustra: confugistis ad B. Virg. de Rupe Franciæ, nuncupando illi votum, integræ sanitati mox vos sensistis restitutos? Quidnam hoc fuid aliud, quàm Sanctissimæ hujus Virginis miraculum? Legite hoc in Libro miraculorum ejus, *Genuit Josiam: Josias, id est, Salus Domini.* Fuit tua infirmitas ad mortem, à medicis desperata, sacro viatico jam præmunitus Beatissimam Virginem de Rupe Franciæ non invocasti eò quod non poteras; sed alii tibi assistentes hoc fecerunt & interceserunt qui Cereum in manu tua tenebant: subitò cœpisti habere melius, à portis mortis revocando gradum perfectam recuperasti sanitatem, quâ causâ; beneficio & miraculo hujus B. Virginis; Legite hoc in libro miraculorum ejus, *genuit Eliacim: Eliacim, id est, Dei resurrectio,* scilicet resurrectio à Deo pro ecta. Tactus eras Apoplexiâ, omnium membrorum officio destitutus, nec movere te, nec ad passum pedis incedere potens, ad hanc domum alienis humeris delatus, humiliter & confidenter à Beatissima Virgine

Matth. 1. v. 10.

Matth. 1. v. 15.

gine Rupis Franciæ misericordiam & opem postulasti, & propriis mox pedibus domum remeasti, in memoriam accepti beneficii grallis ibidem ex pariete suspensis. Legite hoc scriptum in libro, *Matth. 1. v. 9.* *genuit Ezechiam : Ezechias, id est, confortatio Domini.* Benedixit vobis Dominus in temporalibus bonis, in tantum ut honestæ familiæ substentationi necessaria supperant, sed conservandæ familiæ negavit hæredem : confugistis ad Beatissimam Virginem de Rupe Franciæ, novem dierum devotionem exorsi, quibus expletis, diebus, nondum novem mensibus evolutis familiæ vestræ successorem & hæredem obtinuistis. Cujusnam beneficio ? Hujus Beatissimæ Virginis; Legite hoc in libro scriptum, *Matth. 1. v. 1.* *Filii Abraham : Abraham, id est, Pater multarum Gentium* vel innumerabilis descendentiæ. Plurimorum sibi succedentium annorum spatio tanquam viduæ, & vestri filii velut Orphani vixistis, marito & Patre, commerciorum ergò peregrè profectò, de cujus aut vita, aut morte nihil innotuit : ex devotione diebus Sabbathinis Beatissimam Virginem de Rupe Franciæ visitastis, seu ejus Rosarium intra secretos domus vestræ parietes (quæ devotio quandoque solet esse securior) recitastis, dumque minimè suspicabamini, vestrum maritum, & orphanorum vestrorum Patrem, salvum & incolumem reducem in limine domus vestræ gaudentes excepistis. Quidnam est hoc ? miraculum hujus Beatissimæ Virginis : legite hoc in libro, *genuit Abiam : Abias, idem est, quod Pater veniens hic.* *Matth. 1. v. 7.* Redacti estis ad extremam inopiam, gravati prolibus, & carentes victualibus, nulli interim pepercistis labori, nulli industriæ, sed infructuosè, magnâ tandem conceptâ fiduciâ, ad hujusce domus umbram confugistis, cujus largitate tot & tanti vestiuntur & sustentantur Inopes : & ignari quâ viâ aut modo remedium refocillationemque inveniistis Sed unde ? fuit miraculum hujus Virginis Beatissimæ. Legite hoc in libro scriptum, *Genuit Naasson; Naasson, refectio & requies Domini.* *Matth. 1. v. 4.* Rebus advertis, & mediantibus litibus deveniistis ad incitas, vestri inimici processibus, calumniis, falsis testimoniis & violentiis bonis vestris insidiabantur ; multis annis fatigati & illusi tribunalibus, jus vestrum mansit intricatum : rebus tandem desperatis ad tribunal Rupis Franciæ appellastis, & justitiam vobis tribuit Deus, quam homines negabant. Undenam hoc ; miraculum fuit hujus Virginis. Legite illud in hoc libro, *genuit Josaphat : Josaphat, idem est, quod Deus Judex.* *Matth. 1. v. 8.* Juvenili & floridâ ætate excœcati, labyrinthoque mundani amoris irretiti, arbitrii libertate abusi voluntariè abripiebamini in infernum, immemores mortis, famæ & salutis. O Deus quot hic miraculis erat opus ut ex hoc miserrimo reduceremini statu ! opus erat occasionem fugere, quia erat proxima : opus erat oblivisci, memoria namque erat continua : opus erat oculis videre, tenebantur enim amore excœcati : necesse erat abhorrere, appetitus etenim erat inescatus ; necessarium erat confiteri, gravata enim erat conscientia : denique necessarium erat perseverare, ne periculosior committeretur recidiva. Hæc omnia requirebantur miracula, siquidem degentibus in tali statu hæc omnia sunt necessaria ; quem propterea tam rari evadunt. Devotè tandem requisistis

Bea-

Beatissimam Virginem de Rupe Franciæ, offerentes ei cor cereum & marmoreum, siquidem tale erat vestrum: marmoreum quo ad Deum; cereum quo ad mundum; & desperata jam mutabilitate & futurâ immutatione, de repentè marmor sensistis emollitum, ceram induratam, & cor penitùs immutatum. Undenam hæc? fuere miracula hujus B. Virginis: legite hæc in libro miraculorum ejus. Opus erat separari? *Genuit Phares: Phares*, id est, *divisio*. Opus erat oblivisci? *Genuit Manassen: Manasses*, idem est, *quod oblivio*. Opus erat videre? *Genuit Obed ex Ruth: Ruth*, id est, *videns*. Opus erat abhorrere? *Genuit Zaram de Thamar: Thamar* idem est, *quod amaritudo*. Opus fuit confiteri? *Genuit Judam: Judas*, idem est, *quod confessio*. Necesse erat perseverare? *Genuit Achaz: Achaz*, id est, *Firmamentum Dei*, Firmitas à Deo data.

Matth. 1. *v.* 3. *Matth.* 1. *v.* 10. *Matth.* 1. *v.* 5. *Matth.* 1. *v.* 3. *Matth.* 1. *v.* 2. *Matth.* 1. *v.* 9.

Universa denique miracula quæ à Beatissima V. patrantur (omnia nimirum quæ necessitas petit & desiderantur) scripta sunt in hoc libro. Angustiis aut afflictione aliqua præoccupati ad Beatis. V. Rupis Franciæ confugistis, & mox refrigerium ac levamen invenistis? *Jesse*, id est *refrigerium*. Ambulâstis tristes omni solatio destituti, plenâ spe & fiduciâ ad Beatis. Virginem Rupis Franciæ recurristis, repleti gaudio & consolatione regressi? *Isaac*, id est, *Risus*. Vixistis in magna perplexitate ignorantes quid ageretis, confugiendo ad B. V. Rupis Franciæ, quæ ab omni vos perplexitate eripuit? *Zorobabel*, id est, *alienus à confusione*. Vixistis in rixis & discordiis: assumpsistis Beatis. Virginem de Rupe Franciæ mediatricem, quæ vos concordavit? *Salomon*, id est, *pacificus* Habebatis hostes, à quibus quomodo vobis caveretis ignari, accepto à Beatis. Virgine Rupis Franciæ salvo conductu omnia pericula evasistis? *Esron*, id est, *jaculum videns*. Gravi aliquâ præoccupati tentatione, Beatis. Virginis de Rupe Franciæ opem sedulò implorâstis, quæ mox animosè adversus tartareum hostem dimicandi vires ministravit? *Jacob*, id est, *Luctator*. Estis milites; in conflictu à Beatis. Virgine Rupis Franciæ auxilium implorâstis, & ipsa vobis animos & vires ad prævalendum addidit? *Booz*, id est, *prævalens*. Estis Consiliarii, recurristis ad B. V. Rupis Franciæ, & ipsa vobis lumen & prudentiam ad discernendum impertivit? *Salomon id est, omnia discernens*. Estis mercatores, mercesque vestras & mercimonia Beatissimæ Virgini de Rupe Franciæ commendâstis, & mercando benè lucrati bona vestra auxistis? *Joseph*, id est, *augmentum*. Estis Navarchi cum procellis & tempestatibus colluctati, Beatissimam Virginem de Rupe Franciæ piè invocâstis & aquæ sanctissimi hujus nominis sentiendo virtutem quievere? *Maria*, id est, *Domina maris*. Primus itaque liber historiæ & miraculorum Beatissimæ Virginis de Rupe Franciæ, est nostrum Evangelium: *Liber generationis*.

Matth. 1. *v.* 7. *Matth.* 1. *v.* 8. *Matth.* 1. *v.* 2. *Matth.* 1. *v.* 5. *Matth* 1. *v.* 4. *Matth.* 1. *v.* 16.

§. V.

QUænam vobis esse videtur Historiæ & miraculorum B. V. de Rupe Franciæ liber secundus? hunc similiter extra domum quære opus non est: est enim sanctissimum Altaris Sacramentum, proindè rectè dixi, miracula hujus Domus non libro, sed libris esse consignata. Ezechieli Prophetæ brachium manu tenens librum

librum apparuit, simulque vox insonuit, *Comede Volumen istud*, Ezechiel aperto ore suo librum comedit: & quid accidit? immittendo in os suum unum tantùm percepit saporem: eo verò jam diglutito percepit saporem alterum. Admirabilis Liber! mirabilior esca, quia nec esca videtur, nec liber; non liber: nam libri non comeduntur; & hic est comestus. Non cibus; nam cibus unum solùm habet saporem & hunc in ore: hic verò duplicem habebat saporem, unum exteriorem ori immissus; alterum interiorem jam deglutius & in pectus transmissus. Quisnam igitur ille cibus geminum habens saporem, cibus qui sumptus ore comeditur & corde, cibus aliter sensibus & aliter interiori Animæ sapiens, quis, inquam, hic cibus est alius, quàm sanctissimum Sacramentum? hinc Propheta accepto comedendi mandato, non illum propriis manibus, ut cibum communem, sed aperto ore cum magnâ reverentiâ de alterius manibus quasi communicando accepit. Ceremonia, modus, effectus, cuncta sunt Venerabilis Sacramenti, quod negari non potest: at figura illud esse non videtur, *Comede volumen istud.* Quæ comparatio libri cum Sacramento Eucharistiæ? hoc jam videbitis. Liber est perfectissima imago sui Authoris, tam expressa, ut ab eo nihil differat, neque aliud nomen habeat; liber ab extrà nihil indicat, ab intrà mysteriis scatet. Dum imprimitur, multiplicantur exemplaria, & unum complectitur tantum quantum omniâ, nec plus nec minus: neque omnia continent plus quàm unum. Liber ille simul est Romæ, in Indiis & alibi, & ubique est idem: cumque idem sit pro omnibus, hi multùm, alii parùm, aliqui nihil ex eo colligunt: quilibet pro suâ capacitate. Liber est mutus loquens, surdus respondens, dux cœcus, mortuus vivens, & cùm nullam in seipso habeat actionem, movet animos & mirabiles causat effectus. Ecquis in omnibus hisce proprietatibus non agnoscat Sanctissimum Sacramentum? Liber est, & valdè propriè, *Comede volumen istud.*

Ezech. 3. v. 1.

Quænam verò est materia hujus libri? clarè hoc expressit David: *Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se.* Nôstis qualis liber est ista divina esca, quam Deus dat timentibus se? Est liber memoriarum mirabilium misericordiæ Dei. Et quænam sunt (interrogo nunc ego) mirabilia misericoridiæ Dei, nisi ea quæ in hac domo operantur? Quisnam reperitur locus in toto mundo, ubi Deus se misericordem magis exhibet, & ubi ejus misericordia sit mirabilior, quàm in hoc loco? alibi mirabilia & miracula latent occulta; hîc autem patent manifesta. Quidnam esse arbitramini domum B. V. de Rupe Franciæ, cum suis miraculis? Est Eucharistiæ Sacramentum velamine remoto. Si Deus retraheret velum de hoc Sanctissimo mysterio, & nobis hunc divinum aperiret librum: ibidem utique legeremus, quod hîc cernimus. Alibi miracula Rupis Franciæ sunt abscondita: hîc miracula Sacramenti sunt publica: alibi miracula operiuntur parietibus: hîc parietes operiuntur miraculis. Ista miracula & inscriptiones, quibus ordinariè parietes illustrantur, quidnam putatis esse? sunt folia nondûm compacta hujus libri. Sanctus Joannes in sua Apocalypsi vidit librum

Psal. 111. v. 4.

Apoc. 5. v. 1.

librum, & nullum inventum qui illum aperire posset, præter Christum. Pari modo lioer iste divinissimi hujus Sacramenti, tot centenis annis clausus mansit: donec eum B. Virgo Rupis Franciæ aperiret. Quod ibi legitur, idem hîc videtur: quod ibi credimus: idem hîc experimur. In cæteris Ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ est mysterium fidei; hic verò est veritas & experimentum sensuum. Quod si sensûs hic tot experiuntur miracula, quid mirum quod fides alibi tot miracula credat? in aliis Ecclesiis cantatur, *Præstet fides supplementum sensuum defectui*, In Ecclesia Rupis Franciæ cantatur contrarium: *Præstent sensus supplementum fidei defectui*: Si sensus miracula vident, quare de ipsis dubitaret fides, & insuper infidelitas?

Miraculum in quo magis hallucinatur infidelitas in hoc divino Sacramento, est quod Christus, cum sit unus, præsens sit in diversis locis. Quot sunt homines in mundo, qui propriis oculis hoc miraculum attestari possunt in Beatissima Virgine de Rupe Franciæ? cernitis per hanc portam ingressum hominem catenis compedibusque gravatum, easdem ad pedes hujus altaris deferre: interrogatus quare? utique respondebit, quòd tum fuisset in vinculis Argellæ, aut Tituani, eadem Beatissima Virgo de Rupe Franciæ sibi apparuisset, cui se ex animo recommendâsset; hinc ingrati animi liberationisque acceptæ argumentum eadem ipsi anathematizaturus advenerit. Videbitis itidem per hujus Domus portam ingredientem ex India reversum, pretiosa huic Ecclesiæ offerentem ornamenta; præliando enim contra Acheos & Rumes invocavit Beatissimam Virginem Rupis Franciæ, quâ in fronte nostri Exercitûs ab hostibus conspectâ, eorundem glandes ad nostrorum pedes, absque ullius læsione deciderunt: & sagittæ conversæ sunt retrorsum. Aspicietis per hasce portas ingredientem turbam hominum excalceatorum, mortuis potiùs quàm viventibus similiorem, protestantem se venire supplicem ad hanc Beatissimam Virginem, in præsentissimo namque submersionis periculo ex profundo maris emersos ad hanc Beatissimam Virginem Rupis Franciæ clamâsse; moxque ipsâ, in Antenna navis conspectâ, tempestatem quievisse; & maximam tranquillitatem factam; ita ut Beatissima Virgo Rupis Franciæ, sub accidentibus glorioli hujus nominis, amore nostri, quasi sacramentaliter præsto sit: siquidem cum una sit & unica duntaxat, est nihilominus Ulyssipponæ simul & Argellæ, est in Indiis cunctisque Terræ Marisque partibus, ubi invocatur. Quo casu mihi incidit, quod verba invocationis hujus Beatissimæ Virginis, eandem habent, vel participant virtutem cum verbis consecrationis. Virtus verborum consecrationis tam potens est & efficax, ut vix pronuntiata, eodem loco Christum exhibeant præsentem: similis est vis verborum Invocationis; audite desuper Isaiam: *Invocabis, & Dominus exaudiet, Clamabis, & dicet, ecce adsum.* Idem B. V. omnibus in quacunq; mundi parte se invocantibus præstat. Christus vi verborum, quibus Sacerdos Hostiam consecrat, in omni loco est præsens; B. & piissima V. Maria, vi verborum, quibus in necessitatibus interpellatur, in omni loco adest. S. Greg. Thaumaturgus hanc Virginem appellat, *Miraculorum omnium officinam*. Et quia hi duo miracu-

Isai. 58. v. 9.

Greg. Thaum.

lorum libri in eadem officina fuerunt impressi, mirum non est iisdem characteribus sibi esse persimiles : hac solum cum differentia (non dicam præcellentia) quod in venerabili Sacramento est officina & liber clausus : in Rupe verò Franciæ, eum officina simul liber est apertus, præeminendo in hac parte libro generato. *Liber generationis.*

§. VI.

AGedum Auditores, cum præsentes adsimus in domo Miraculorum, & in hac die præ cæteris B. V. de Rupe Franciæ, liberaliorum se nobis in favoribus & misericordiis exhibere fas est : expedit proinde nobis, & Deus nec non ipsa B. Virgo volunt, ut nullus nostrûm sine aliquo ejus miraculo, ex hac Ecclesia recedat, nullus nostrûm adeo perfectè sanus est, quin aliquâ aut aliquibus infirmitatibus gravetur : quot quæso hodiè in præsenti Ecclesia sunt claudi, cœci, surdi, aliisque corporis defectibus obnoxii, & quod pejus est, quot mortui? vultus hosce noviſse claudos ? audite Eliam. *Usquequo claudicatis in duas partes* quousque populo stulte in errore perseverans claudicas in duas partes adorando Deum simul & Baal ? quot inveniuntur sub nomine Christiani curvantes unum genu Deo, & alterum idolo ? hujus experimentum ab obscœnis vestris adorationibus capessite. Vultis scire quinam sint cœci ? non sunt illi, qui vi visiva oculorum carent ; sed qui oculis apertis cœcorum adinstar operantur. *Excœca cor populi hujus* (ait Isaias) *ut videntes non videant.* Cernimus universum mundum non esse nisi vanitatem, vitam somnium, omnia transitoria, & nos præ cæteris transituros : vivimus autem tanquam essemus immortales ; aut nulla supe esset æternitas. Libet noviſse surdos ? sunt de quibus ait David. *Aures habent & non audient* ; non audire sine auribus non est tanta miseria : sed habere aures ad non audiendum maxima omnium & communis est infirmitas. Nihil me magis conturbat & affligit, quàm quod videam me audire : intellectus magna attentione, satisfactione, & majori, quàm merentur, applausu, audita percipit, voluntas autem à qua fructus maximè dependet, nullum interiori auditui aut auditum, aut gustum præbet. Prô quantum vereor hoc esse evidens reprobationis indicium ! *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* Denique vultis noſse, qui sint mortui ? sunt de quibus S. Joannes scripsit, *Nomen habes quod vivas & mortuus es :* & de quibus Christus, *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* Mortui sunt qui in statu peccati mortalis degunt. Erit ne similium mortuorum aliquis aut aliqua, nunc præsens in hac Ecclesia ? quod pejus est vereor ne adsint quam plurimi. Ecce quantò pejor est ipsa morte, mortalis culpa ! Homines triplicem habent vitam : corporalem, spiritualem, & æternam. Mors tantùm vitam tollit corporalem : Peccatum vitam tollit spiritualem & æternam, simulque corporalem ; de peccato quippe mors est nata. *Per peccatum mors.* Omnes mortes quotquot demùm earundem sunt, fuerunt, aut erunt genera, ab unico Adami peccato traxerunt originem : cumque omnes solvendo debito essent impares, necesse fuit, ut ad satisfaciendum pro eo, Filius Dei mortem oppeteret. Mors mortale perimit corpus :

pec-

3. Reg. 18. v. 21

Isai 6. v. 10.

Psal. 113. v. 6.

Joan. 8. v. 47.

Apoc. 3. v. 1.

Matt. 8. v. 22.

Rom 5. v. 12.

peccatum verò immortalem occidit animam : & ecce mors quæ occidit immortale quam horrenda ! illatam corpori stragem, paucis diebus consumit terra : stragem illatam animæ à peccato, nec ipsa quidem æternitas, ab igne consumi, potest facere, & quantò magis excessus nullam admittit comparationem, tantò magis timenda mors animæ quàm corporis : pluriſque facienda & diligenda vita spiritualis & æterna, quàm corporalis & momentanea. Quodnam fidei rationisve sanæ est argumentum, pro vita saluteque corporis tam extraordinaria adhibere extrema, & de vita saluteque animæ omnem prorsus abjicere curam?

Verè auditores, considerans ea quæ hîc video, nihil magis timeo in hoc mundo, quam ipsam hujusce Domus frequentiam & devotionem : nec non ipsa miracula. O si clamores horum parietum nostræ perciperent conscientiæ! conqueruntur de nobis cum DEO ; conqueruntur de nobis nobiscum ipsis. Et quodlibet votum, quodlibet in parietibus apparens miraculum, tanquam vox & cœlestis tuba increpat nostram incuriam. Estne possibile (clamant hi parietes) estne possibile Deum tanta operari miracula ad dandam nobis vitam & salutem temporalem ; & homines negligere quæ Deus præcipit, adeò facilia ad obtinendam vitam spiritualem salutemque æternam? Estne possibile, Deum totam suam omnipotentiam impendere ad dandam vobis salutem corporis, vosque è contra omnes impendere potentias vestras in perniciem animæ? Nunc mihi respondete, cuinam rei vestram impenditis memoriam, intellectum, voluntatem, & omnes sensus nisi iis quæ à salute vos impediunt? Estne possibile (iteratò repetunt & clamant hi parietes, & nobiscum contra eos argumentantur) Estne possibile nos tanta agere & molliri pro salute & vita temporanea, & pro salute animæ vitæque æternæ vel minimum detrectare laborem ? quando in infirmitate aut vitæ discrimine estis constituti, toties hic visitantur altaria, multiplicantur vota & Missæ Sacrificia, Supplicationes, Novenæ & Oblationes, impensatum & suumptuum, quantorumcunque etiam, nullâ habitâ ratione : & pro salute animæ vitâque æterna, quasi non esset, nec crederetur, minus nihilo agitur ; audite S. Augustin. *Si tantùm, ut aliquantò plus vivatur, quantò magis ut semper vivatur* ! Agnoscite itaque veritatem ; licet alteram vitam nihili faciatis, durabit tamen æternaliter : & quanticunque demùm æstimetis vitam præsentem, finietur tamen & quidem brevi temporis spatio. Semel fortasse miraculo B. Virginis de Rupe Franciæ mortem evadetis, & in anathema funebrem amictum suspendetis : sed aderit tandem dies, quo mors minimè parcet, nec tunc funeralem amictum suspendetis ad parietem ; sed ille comitabitur vos in sepulchrum : Lazarus ad intercessionem Sororis suæ Mariæ resuscitatus semel, denuò mortuus est ut cæteri. S. Aug.

Hæc est omnium rerum summa, seriò tractare de vitâ semper duraturâ ; providere animæ sanitati, si est infirma : & super omnia eandem resuscitate, si est mortua. Christus ad resurgendum, ele-

*Marc.*15. *v.* 46. elegit ſibi in Rupe monumentum : *In monumento, quod erat excisum in petra*,, & reſurrexit tertiâ die ; omnia habemus hic aggregata ; Petram ſive Rupem , tres dies , & Reſuſcitatorem , *Ego ſum Reſurrectio & vita* , nunc cum anima eſt mortua , ſepeliatur in hac Rupe, ut reſurgat. O anima infeliciter mortua, & feliciter ſepulta , ſi in hoc præſenti loco ſemel pro ſemper ſepelires hoc quod te interimit ! reſuſcitata reſurges , ſi volueris , hoc ipſo momento. O quæ felicitas noſtra , & B. hujus Virginis, ejuſdemque latentis in Sacramento Filii gloria, ſi, quotquot in hanc Rupem hodie intrârunt mortui , egrederentur reſuſcitati ! non amat Filium , nec devotus eſt Matri, qui hoc non faciet. Non exſpectemus Reſurrectionem in diem tertium, nec in craſtinum , quia neſcimus diem neque horam. Chriſtus reſurrexit tertiâ die , ut mortem ſuam verificaret : mortui verò , cum illo reſurgentes , reſurrexerunt ſtatim , & primo quidem tertiæ diei momento , ad Chriſti reſurgentis potentiam probandam. In hac materia perire non debent momenta : contingere quippe poteſt , hanc ultimam eſſe reſpirationem, ultimumque momentum ex quo pendet æternitas. Has de cœlo voces audiant , qui advenerunt Surdi : ad has voces oculos aperiant videantque ſuum periculum qui advenerunt cœci : regrediantur per aliam viam , aliiſque paſſibus qui advenerunt claudi & manci. Denique omnes vivas & reſuſcitatas referant animas, quas intulerunt mortuas : & in hujus diei memoriam , quilibet amictum ſuum funebrem , in Rupe Franciæ relinquat. Hæc ſplendidiſſima ſunt anathemata , quibus prodigioſi iſti parietes hodie poſſunt exornati : & hic eſt *Finis* , quo pro majori gloriâ Dei , ſanctiſſimæque ejus Matris , conſignare & claudere debemus utrumque librum ; eſt enim finis , quo ſolo deducimur ad vitam ſine fine. Amen.



SERMO

SERMO

IN

Sabbathum post Dominicam Tertiam Quadragesimæ, Ulyssippone Anno 1652.

Hoc autem dicebant, tentantes eum, ut possent eum accusare. Joan. 8.

§. I.

EN alterâ vice (quis sibi tale imaginaretur) alterâ vice tentatum habemus CHRISTUM. Victoriis non est confidendum : maximè stabilita Pax, sunt induciæ. Cessantibus bellis, fabricantur machinæ, Machina tentationis, quam habemus hodie, mira fuit & formidabilis : nec machinator, nec tentator fuit diabolus : fuerunt homines. De hisce tentationibus & tentatoribus hodie mihi agendum. Audiamus primò casum.

Die quâdam aut nocte huic simili, ait S. Joannes Christum exivisse ad montem Oliveti ut oraret ; noverat se tentandum : hinc oratione ad pugnam se armavit & præmunivit. Hoc in Christo fuit exemplum : in nobis est necessitas. Armis destituitur humana imbecillitas : nisi à Deo illa petat. Hucusque nihil fuit periculi. De monte, & valdè manè, consueto sibi more, prædicaturus venit in templum : & Evangelista inquit, omnem concurrisse populum ad illum audiendum, *Et omnis populus venit ad eum.* Tantus concursus, divine Prædicator ? nunc timeo ne tenteris. Venit omnis populus illâ horâ ; qui enim non sunt è populo, tam maturè se de strato non proripiunt. Occumbit illis Sol mediâ nocte : & exoritur meridie. Christus, inquit textus, erat docens in templo, quando adveniebant Scribæ & Pharisæi casum quendam proposituri. Pauperem quandam adducebant mulierculam, dicentes : *Magister, hac mulier modo deprehensa est in adulterio.* Hæc mulier ! & complex ubi ? duo fuêre peccatores, & una tantùm accusata ? justitia semper inferiorem ferit. Moyses, inquiunt, adulteros lapidare, in lege mandat : & tu Magister, quid dicis ? Scribæ & Pharisæi eo tempore Doctores erant. Quando docti & præsumptuosi interrogant, videtur mihi fieri non ad sciendum sed tentandum : quod Evangelista propositis verbis testatur, *Hoc autem dicebant, tentantes eum.* In quonam constitit tentatio, & ubinam positus fuit laqueus ; dicemus posteà. Quid autem respondit Christus ? ex cathedra surgens, nullo facto verbo, sese inclinavit : *Inclinans se.* Benè veneris peccatrix : absterge lachry-

Joann. 8. v. 2.

Ibid. 4.

mas. Christus inchoat ab inclinatione? tu exibis absoluta: illius enim inclinatio non est condemnatio. Deus ab inclinatis nos liberet judicibus, si non sunt Deus: nam inclinationem sequitur sententia. Christus noluit respondere verbis, quæ fortè mutâssent: respondit scripto: *Digito scribebat in terra.* Noli mirare in templo marmore strato fuisse terram. Literaliter; quia magnus erat concursus, & modica cura. Moraliter; quia non est locus adeò sacer & sanctus, in quo non detur terra. Quidnam Christus scripserit, non certò constat: PP. censent passim, fuisse peccata accusantium. Homicida, homicidam: latro, latronem: adulter, adulteram accusat? accusa te ô Homo: ecce quando alterius accusas peccata, condemnas te in propriis. Ità accidit, postquàm enim Christus scripsit processum, non de accusatâ, sed de accusatoribus, sese erexit, nec aliud, quàm hæc verba dixit: *Qui sine peccato est vestrûm: primus in illam lapidem mittat* Hic mihi occurrunt lapides S. Hieronymi, allatos contra reum lapides, quilibet in suum pectus convertebat: & qui tam zelosi fuerant ingressi, cœperunt egredi confusi, *exierunt*; propriam enim conscientiam fuerant ingressi. Et Evangelista notat, primos exiisse ex senioribus; *incipientes à senioribus.* Misera humanæ vitæ conditio! quo plures anni vitæ; eò plures quoque culpæ. Omnes de suis oportet peccatis pœnitere: sed multò magis eos & velociùs, qui reddendis rationibus sunt viciniores. Christus mansit solus & rea: id est misericordia, & miseria. Interrogavit illam Christus, *Ubi sunt qui te accusarunt? nemo te condemnavit? Nemo Domine*, respondit illa: & dixit Jesus, *nec ego te condemnabo: vade, & jam amplius noli peccare.* Hic finis fuit historiæ: admirabilis in justitia, admirabilis in misericordia, admirabilis in sapientia, & admirabilis in omnipotentia. Lex mansit inviolata, accusatores confusi; res absoluta: & Christus à tentatoribus expeditus. Hæc tentatio erit materia nostri discursus. Petamus gratiam à tam facilè largiente, etiam non merentibus. Ave Maria.

Ibidem. *v. 6.*

Ibid. v. 7.

Ibid. v. 6.

Ibid. v. 11.

§. II.

Hoc autem dicebant, tentantes eum. Quod homines pejores inimici sint quàm dæmones, pro veritate habeo indubitatâ: quilibet hujus rei exempla in seipso requirens obviè inveniet. Pro nunc nobis omnibus sufficiet illud Christi. Exactis triginta silentii aut latebrarum annis, ad tractandum & conversandum cum hominibus prodiit: quia verò scientia non sufficit sine experientia: nec victoria datur sine pugna, nec benè confligitur sine exercitio: ante hujus periculosæ Palæstræ ingressum, cum aliis adversariis prævie luctari, seseque exercere voluit. Christus baptizatus secedit in desertum & inquit S. Marcus, *Eratque cum bestiis*: ibidem transactis jejunio quadraginta diebus, diaboli tentationes subsecutæ sunt, *& accedens tentator.* Christus tentatus in eodem deserto, tentatus in templo, tentatus in monte: hisque duobus experimentis præviis tandem prodiens innotuit mundo cœpitque agere cum hominibus: *Exinde cœpit prædicare.* Nescio, num recte exercitationum istarum ordinem observaveritis. Videtur Christus primò se exercere debuisse cum hominibus tanquam ratione præditis: deinde cum feris tanquam

Marc. 1. v. 13.

Matth. 4. v. 3.

Ibid. v. 17.

quam ratione destitutis & indomitis : & denique cum dæmonibus tanquam adeò infensis hominibus & horribilibus. Nunc autem contrarium factum esse constat : Primò cum feris ; deinde cum dæmonibus : & ultimò cum hominibus. Quare ? quia probam & exercitationem, à minore ad majorem adversarium fieri oportet, & homines non solùm ipsis feris sunt ferociores inimici ; sed magis diabolici quàm ipsi diaboli. Experimentaliter hoc videte. Ecquid Christo cum feris, cum diabolo, & cum hominibus accidit? feræ nec nocuêre, nec voluerunt nocere ; diabolus malum ipsi intentavit, sed sine effectu. Homines malum intentârunt & intulerunt. Istam respicite crucem : feræ illum non devorârunt, diabolus illi membra non dilaniavit ; qui vitam ipsi sustulerunt fuerunt homines. Nunc judicate, si homines non pejores sint inimici quàm diabolus. Contrà diabolum defenditis vos cruce : homines in crucem agunt. Itaque ut nullum relinquatur dubium, homines pejores inimicos esse quàm dæmones : hodie dubito num pejores sint tentatores, *Hoc autem dicebant tentantes eum.* Dæmones tentant : homines tentant. Dæmon tentavit Christum : homines tentârunt Christum. Utri verò majores sint tentatores, quæstio sublimis est & utilis : & ne tempus conclusionis exspectatione perdamus, dico : quod collata (ut oportet) astutiâ cum astutia, pertinaciâ cum pertinacia, tentatione cum tentatione, pejores tentatores sint homines quàm dæmones. Exordiamur cum Evangelio : cum eodem prosequamur, & finiamus.

§. III.

Hoc autem dicebant tentantes eum. Scribæ & Pharisæi (ut diximus) venerunt in templum : nam contra invidiam & odium hominum, nec locus sacer quicquam valet etiam ipsi innocentiæ. Obtulerunt Christo deprehensam in flagranti adulteram, allegantes textum Levit. cap. 20. in quo lex adulteram mandavit lapidari. *Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* Agedùm, si lex erat expressa, & delictum notorium : si in casu nec facti, nec juris ullum erat dubium, quare legem non exequuntur? Si rea convicta, puniant illam : si pœna quam meruit est pœna mortis, occidant illam : si genus supplicii sunt lapides, lapident : educant illam extra civitatem & in campum, & non in templum : & si exspectant sententiam, requirant illam à judicibus, & non à Christo : hoc justitia, zelus & ratio exigebat. Sed ità non fecerunt, inquit Evangelista, nam illorum scopus & intentio non erat punire ream : sed accusare Christum, *Ut possent accusare eum.* Adducebant accusationem unam ad provocandam alteram. En malitiam plus quàm infernalem, & astutiam plus quàm diabolicam ! In Judicio universali & particulari, & me & vos accusabit diabolus ad condemnandum : ast tentatores isti non solùm accusabant unum, ad condemnandum alterum ; sed accusabant peccatricem ad condemnandum justum : accusabant ream, ut condemnare possent innocentem.

Levit. 20. v. 10. Deut. 22. v. 20. Dan. 13. v. 62.

Sed quonam hoc pacto fieri, aut perfectum volebant? quomodo talem sunt exorsi? ubinam positus est laqueus? ubinam tentatio abscondita? S. Augustinus

S. Aug. admirabiliter illam detexit inquiens, *Ut si diceret, non lapidetur adultera, injustus convinceretur: si diceret, lapidetur, mansuetus non videretur*, Et vel deesset justitiæ, vel misericordiæ: consequenter concluderent quod ipse non esset Messias.

Christus (quâ Deus & homo factus) ipsa erat mansuetudo, benignitas & misericordia: ejus intima, & ejus opera erant benefacere, curare, consolari, & condonare, nec non omnes liberare; hinc omnes eum amabant, venerabantur, applaudebant & sequebantur: quod Scribas & Pharisæos maximè affligebat. Huic accedebat, quod idem Dominus de se de Spiritu Sancto: & de causis sui in mundum adventus differebat. Volentibus discipulis, ut ignis de cœlo in Samaritanos descenderet, dixit: *Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* In ipso insuper templo Christum scripturam aperiendo publicè docuit, celebrem istum in Isaia locum, de se venire intelligendum, *ad annunciandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, ut consolarer omnes lugentes.* Propheta videtur habuisse quasi ob oculos sibi posita omnia, quæ in miseræ hujus mulierculæ concurrerunt statu & fortuna. Obtulerunt eam Christo captam, afflictam, angustiatam, & suam miseriam irremediabilibus lachrymis deplorantem; & hinc ex lege magis armata veniebat tentatio. Si dicit; non lapidetur adultera; transgressor est legis. Si dicit (quod non dicet) ut lapidetur: misericordis admittit opinionem populique famam: & quod excedit omnia, scripturis contraveniet de Messia, quas de se interpretatur: sibique contradicet. Sive igitur dicat, lex impleatur, vel non impleatur: rea lapidetur: vel non lapidetur, irretitus utrimque tenetur. Vix etenim unum laqueum evadet; quin incidat in alterum.

Luc. 9. v. 56.

Isa. 61. v. 2.

Hunc argumentandi modum, qui validus est & stringens, Dialectici, *Dilemma*, sive argumentum cornutum vocant: nam in alterutro tam artificiosa bicepsque est deceptio & contradictio, ut si unius evadatur acies, in alterius necessariò cadatur. Hoc modo Scribæ & Pharisæi Christum cum Moyse aggressi sunt. De Moyse inquit Scriptura, *Quod facies ejus esset cornuta*: & sic eum contra Christum producunt in campum. *Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* Et ut lex captiloris sui videretur similis, in duas disposita & divisa erat acies adeò acutas, ut Christus dicens ita, vel non, evadendo unam, impingeret in alteram: proinde lapides quibus instructi veniebant Scribæ & Pharisæi non erant ad adulteram destinati lapidandam, sed ut Christus ad illos offendens, & cespitans in præparatum sibi incideret laqueum. Hujusmodi laqueorum eleganter meminit Isaias, *Et erit in lapidem offensionis, & in Petram scandali, in laqueum, & in ruinam. Et offendent & cadent, & conterentur & irretientur, & capientur.* Propheta videtur alludere ad praxin & consuetudinem istius temporis Venatorum, qui suis retibus & laqueis circumponebant lapides, ut incauta fera irretita & illaqueata cadens caperetur. Talis erat laqueus, quem Scribæ & Pharisæi tensum, legisque lapidibus tectum afferebant: *Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* Ut Christus ad hos offenderet lapides, cadensque caperetur.

Exod. 34. v. 29.

Isai. 8. v. 14. & 15.

Recordabimini utique, similiter Chri-

Christo tensum fuisse laqueum à Diabolo in deserto, & templi pinnaculo lapidibus opertum. In deserto: *Dic ut lapides isti panes fiant.* In pinnaculo templi: *Ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum*, sed cum laqui & tentationes adeò videantur sibi similes: ecce quantò astutiores tentatores fuerunt homines, quàm diabolus, à prima tentatione Christus se facilè expedivit uno *non*. *Non in solo pane vivit Homo*, à secunda, altero *non*: *Non tentabis Dominum Deum tuum*; ad expediendum verò se à tentatione ab hominibus sibi hodiè structa non sufficiebat unum *Non*: sive enim dixisset non, sive ita; laqueo comprehensus tenebatur, vel Christus dicere debuisset ita, lapidate: vel non, non lapidate. Si dixisset, Non, contra justitiam; si dixisset, Ita, contra misericordiam peccâsset; si dixisset, non, fuisset contrarius Legi: si dixisset, ita, sibimetipsi. Si dixisset non, Magistratum: Si ita, populum offendisset. Proinde palos lapidesve illi tali posuerunt formâ: ut sive observando sive non observando legem, reus teneretur. Exhibendo se rigidum deest Misericordiæ: exhibendo se misericordem derogat Justitiæ: & si alterutri desit: non est Messias.

Matth. 4. *v.* 3. *ibid. v.* 6. *Ibid.* 4. *Ibid. v.* 7.

Aliam similem Scribi & Pharisæi, super Cæsaris tributo, Christo struxerunt tentationem, quando illis dixit; *Quid me tentatis?* binas simul misêre scholas, suam & Herodianorum: prævioque longo falsorum Encomiorum syrmate, hanc proposuêre quæstionem: *Licet censum dare Cæsari an non?* Notate prementem verborum emphasin. Unum ita, vel non, petebant. Estne licitum, vel non; Et quare tam formaliter & nervosè? innuit hoc ipsum Evangelista, *ut caperent eum in sermone*: Ex qualibet enim harum responsionum sive, ita dixisset, sive non, semper tenebatur captus. Si dixisset non, regalibus Cæsaris fuisset contrarius: si dixisset ita, immunitati & libertati gentis contradixisset. Si, non, crucifixisset eum Cæsar; si, ita, populus eum lapidâsset. Quocunque demum modo (ajebant illi) perditus est, & tenemus illum confusum & comprehensum. Hoc in impio, iniquo & tyrannico illo tractatum & conclusum est concilio, *Consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.* Fuitne aliquando diabolus talem exorsus tentationem, ut talibus telis hominem intricaret? Diabolus talis nec unquam fuit, nec esse potest: nam nec est nec esse potest tentatio diaboli, à quâ vos non facilè uno, *Ita* aut *non*, expedire possitis. Agedum, nunc videte.

Mat. 22. *v.* 19. *Ibidem v.* 17.

Diabolus semper suos laqueos ad mandatorum collocat pedem: ibi etenim solummodò ponitur tentatio, quia ibidem solummodò potest esse peccatum: *Virtus peccati lex.* Omnia mandata vel affirmativa sunt, vel negativa. Si me diabolus in affirmativis tentet, defensioni sufficit unum, Ita: si in negativis, sufficit mihi unum, *non*. Exempli gratia. Mandata affirmativa sunt [sicut scitis] diliges Deum: observabis festa: honorabis parentes &c. Negativa, non jurabis, non occides, non furtum facies, non dices falsum testimonium &c. Nunc ad rem. Si me diabolus in affirmativis tentat: dicit mihi: non diligas Deum, Sabbathum non sanctifices, parentes non honores: & si ego resolutè respondero: ita, amabo, servabo, honorabo, istud ita sufficit ut tentatio sit irrita: tentatorque diabolus confusus sit & frustratus. Simili modo in mandatis negativis suggerit diabolus, ut jurem, ut

1. Cor. 15 *v.* 56.

occidam, ut furer, ut falsum dicam testimonium. Dicente me, non jurabo, non occidam, non furabor, non pejerabo: istud non, sufficit ut tentatio evanescat, & tentator succumbat. Itaque sufficit unum *Ita* vel *Non*, ut quis contra diaboli tentationes maneat securus: verùm contra tentationes hominum (sicut jam dictæ) unum Ita, vel Non, minimè sufficit; tali etenim armatæ dolo, tali compositæ arte, talibusque contextæ involucris accedunt, ut sive ita, sive non dicatis, illa queati manearis. Si dixeritis, lapidetur adultera, tributum solvatur, incurretis odium populi; & lapidabimini. Si dixeritis, ut nec lapidetur, nec tributum pendatur Cæsari: crimen incurretis legis, indignationem Cæsaris: & in crucem agemini. Et quamvis, tentatus, sit ipse Jesus Christus, nihilominùs semper tentatores habebunt, in quo suam tentationem fundent, & tentatum capiant: *Ut possent accusare eum.*

Videor me interrogari à vobis. Quid remedii, Pater, tales evadendi tentatores, tamque periculosas tentationes? *Rem difficilem postulâsti.* Nullus Scholasticus, Theologus aut Ascæticus remedium dedit: ego quod occurrit communico. Dico, non aliud esse remedium, quàm unum investigare ita, æquivocum, quod, Ita, & simul, Non, significet: vel unum non, quod simul sit, Non, & Ita. Ad probandum hoc quod dico, inferiorem authorem non habeo, quàm ipsum Apostolorum Principem S. Petrum. Et notate, quando S. Petrus hanc subtilitatem invenit, adhuc erat in Jerusalem in Judæa: ne quis eam Politiæ fuisse Romanæ arbitretur. Exactores tributi ab Augusto impositi (quo duæ capitatim drachmæ exigebantur à singulis) venerunt ad S. Petrum interrogantes: *Magister vester non solvit didragma?* Magister vester non solvit tributum? Perplexus S. Petrus & consternatus, Magistri sui mentem in tantæ consequentiæ puncto ignorabat: respondit itaque *Etiam*, sive, *Ita*. Interrogo nunc. Istud, *Etiam*, sive *Ita* S. Petri, quid significabat? significabat ita, & non. Construite illud cum interrogatione, & videbitis num planè utrumque faciat sensum. Magister vester non solvit tributum? Ita: Sic est! non solvit. Magister vester non solvit tributum? Ita: solvit. Ita ut idem Ita, æquivaleret Ita & Non. Uno modo intellectum erat, Ita: significabat enim Ita, solvit: altero modo intellectum erat, Non, significabat enim non solvit: sic æquivocando S. Petrus à tributorum exactoribus se expediebat, quousque Magister suus resolveret: apertam & clausam relinquendo portam, illudque Ita, dispositum & indifferens ad æquivalendum ita & non, Christo resolvendum. Christus S. Petrum & omnes suos Discipulos docuerat, suum Ita esse Ita, & suum Non esse Non; *sit sermo vester, est, est: non, non.* Interrogatus verò Petrus, & in tentatione positus, necesse habebat unum, Ita, dicere, quod simul esset, ita, & non, ut se expediret ab hominibus.

Hoc fecit S. Petrus hâc occasione; & quid fecit Christus in hoc nostro casu magis intricato? funes, quibus ligatam adducebant adulteram, vidit esse laqueos quibus ipsum ligare prætendebant: vidit legis allegatæ lapides intus esse ignitos, & ad quemlibet responsi sui ictum, non solùm in scintillas, sed in calumniarum incendium erupturos. Vidit, suppositâ

4. *Reg.* 2. *v.* 10.

Matth. 17. *v.* 23.

ten-

tentatorum intentione & astutiâ, æquè condemnando quàm absolvendo, se damnatum iri, alterutrumque inevitabile discrimen sibi impendere. Quid hic consilii? nec ita, nec non, dicere, erat consultum, & tamen unum è duobus necessarium: ipsa etiam infinita Sapientia à similibus tentationibus sese nequit expedire in propriis terminis respondendo. Quia verò inter ita & non, non datur medium: quid medii sumeret Christus, ut à tali tentatione se liberaret? hoc nunc videbimus.

§. IV.

Magister divinus, non responso verbo, surrexit ex cathedra; non alia aderat charta quàm terra, inclinando se in illa incipit scribere: *Digito scribebat in terrâ.* Hæ sunt unicæ vices, quarum scriptura meminit quod Christus digito scripserit in terra; sed quamdiù Christus scribit, istique tentatores exspectant, ad desertum & tentationes Diaboli revertamur. Tentantem prima vice diabolum, Christus repulit his verbis Deuteromii; *non in solo pane vivit homo.* Tentans secunda vice rejectus & hisce formalibus ibidem: *Non tentabis Dominum Deum tuum.* Tertia vice tentando aggressus; tertiò à Christo aliis ejusdem capituli verbis est repulsus, *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* Quis non prima statim fronte hasce tres admiretur tentationes, & præsentem? isti homines professione erant literati, & docti, in scripturis versati, & actualiter Textum Legis Moysis allegantes. Quod si igitur Christus à tentationibus Diaboli sese defendit Scripturis sacris, textibus ejusdem legis, quare non similiter contra hos tentatores se defendit iisdem Scripturis? & quod amplius: occurrendo Diabolo à tribus se expedivit tentationibus unico tantum scripturæ libro, & duobus ejusdem tantummodò Capitulis. Scripturæ, quæ tunc vigebant veteris Testamenti, triginta & novem continebat libros, & ultrà mille capitula. Christus tot armis, tam potentibus, tam diversis, tam idoneis instructus, quare illis contra hanc se non defendit tentationem? hinc colligetis, quantò terribiliores Tentatores sint homines, quàm dæmones. Ad rejiciendas tres tentationes diaboli, Christo sufficiebat Scripturæ liber unus: ad repellendam unicam tentationem hominum, quotquot scripturæ erant; non sufficiebant: necesse habebat facere scripturam novam, *Digito scribebat in terra.* Sacræ Scripturæ (prout notavit S. Gregorius) sunt armatura Dei: de quibus Salomon illas comparando Turri Davidis Patris sui, inquit, *mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium;* Et sunt tales, tam novæ, tam exquisitæ, & nunquam à diabolo excogitatæ astutiæ & machinæ, quas adveniunt homines ad tentandum, ut in omnibus Dei armamentariis, non sint reperta arma idonea ad illis resistendum; & necesse habuit Incarnata Dei Sapientia formare nova: seseque accingere ad componendum & scribendum contra tentatores istos: *Digito scribebat in terra.*

Deut. 8. v. 3. *Ibid. 6. v. 16.* *Ibi. v. 13.* *S. Greg.* *Cant. 4. v. 4.*

Qualis autem hujus scripturæ fuit effectus? Jam tandem intelligetis, quantò durior sit pertinacia tentantium hominum, quàm dæmonum. Scripsit, & scribebat manus omnipotens: & tentatores, quamvis scriptura ipsorum oculis opposita, non se submittunt, nec desistunt; nec illam nec scribentis manum

quic-

quicquam reveriti, adhuc instant & urgent ad interrogata responsum. *Cum perseverarent interrogantes.* O Scriptura! O Balthasar! O Babylonia! apparuerunt tres digiti in pariete sine manu, sine brachio, sine corpore, *Digiti quasi hominis scribentis* & ad tria verba scripta, ignorata quamvis significatione, Balthasar manibus pedibusque incipit contremiscere; colore immutato, deficiente corde & respiratione. Potentissimus Monarcha mundi tremit! & quatuor humunciones nulla alia potentia quàm malitia armati, non tremant! Videbant digitos, scribentis intuebantur brachium, sciebant scireque tenebantur, ex miraculis quæ operabatur, & de quibus contabescebant, esse hominem simul & Deum: & conspicientes prolixam manus ipsius scripturam qua sibi formabatur processus, nec tremunt nec moventur; sed obstinati potius in interrogando & tentando perseverant, *Cum perseverarent!* Dicant nunc Scribæ & Pharisæi, utrum Balthasar Gentilis sit, an ipsi ast mea non est intentio homines comparare cum hominibus: sed homines cum diabolo. Tres speciales circumstantias in hoc actu notavit Evangelista: scilicet, quis scriberet; quo instrumento: & quo loco scriberet, *Digito scribebat in terra.* Christus scribebat, scribebat digito: scribebat in terra. Et in his omnibus circumstantiis homines tentandi pertinacia diabolum vicerunt.

Jerem. 8. *v.* 7.

Dan. 5. *v.* 5.

Primò scribebat: & quare? quæ Christus scribebat, verbotenùs & facilius dicere poterat. Cur ergò illa non voce? sed calamo voluit intimare? quia ipsa verba divina, ad superandas tentationes, majorem vim habent scripta, quam dicta. In morte Christi, diabolus discipulos in fide resurrectionis tentavit, & omnes aut fuêre prostrati, ut in tentatione vacillantes, prout ipsemet Dominus illis prædixerat. Titubationis hujus rationem reddens S. Joannes inquit: quia resurrectionis scripturã adhuc ignorabant; *Nondum sciebant scripturas, quia oportebat eum à mortuis resurgere*: sed contra, sancte Evangelista. Christus sæpius prædixerat se resurrecturum, & in specie S.S. Joanni, Petro & Jacobo in monte Thabor: *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis, à mortuis resurgat.* Quare igitur Evangelista tentationibus resistendi imbecilitatem ignorantia excusat? Ratio est, quia licet verba divina, sive ore prolata, sive scripta eandem habent authoritatem: scripta nihilominus magis movent, majoremque resistendi tentationibus habent efficaciam; Ecce hoc in modo, quo Christus in omnibus suis diabolo restitit. In omnibus tribus tentationibus Christus verbo divino se contra diabolum defendit; sed nescio, num observaveritis, quod in omnibus & singulis notarit verbum fuisse scriptum. In prima: *Scriptum est: Non in solo pane vivit homo.* In secunda, *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* In tertia *Scriptum est*: *Dominum Deum tuum timebis.* Videtur sufficisse ad resistendum tentationi & diabolum repellendum, sententias & verba sacra citare: Quare igitur Christus addit, eorumque cuilibet præmittit quod fuerint scripta, Prima, Secunda, Tertia vice: *Scriptum est: Scriptum est: Scriptum est?* Ratio est, quia cum essent verba Dei & scripta, non solummodò verborum, sed & litterarum virtutem ac efficaciam continebant. Quemadmodum igitur in cantandis superandisque hominibus, incantationis efficaciam diabolus in certis collocat

Joan. 20. *v.* 9.

Mat. 17 *v.* 9.

cat characteribus pari modo Deus ille incantando & ligando, majorem indidit efficaciam non tantum verbis sacris; verùm ipsis etiam quibus scripta sunt characteribus. Proinde Christus, in hoc casu, tam validè se ab hominibus tentatum conspiciens, se defendere voluit non loquendo sed scribendo: *Scribebat.*

Sed si tanta vis & potentia inest uni *Scriptum est*: & Christus hodie *Scribebat*: scribentem & scripturam tentatores videbant & legebant: quare adhuc persistunt, & in tentando perseverant, *Cum perseverarent?* Diabolus non persistit, & persistunt homines? ita planè. Diabolus enim est diabolus; & homines sunt homines: ideoque magis obstinati & pertinaces tentatores. Proinde notatu valde digna hujus Christi scriptionis differentia, ad Scripturas quibus repulit diabolum. Allegatæ à Christo scripturæ contra diabolum erant generales, alioque fine factæ: hodierna Christi scriptura erat particularis, & tantummodo contra tentantes exarata: & ad singulorum cor & conscientiam directa. Diabolus replicare poterat, scripturas Deuteronomii non prosè factas sed pro hominibus: sed sufficit, fuisse scripturas Dei, pro diabolo, ut timeret & revertetur, quanquam illi non loquerentur. Econtra homines, ipsis omnibus, aut singulis ipsorum loquente scripturâ Christi, nec reverentia refrenantur, nec efficaciâ constringuntur, nec conscientiâ percelluntur, nec certitudine, quâ se vulneratos vident, vincuntur: continuant, instant obstinatique perseverant, *Cùm perseverarent.* Quid ultra?

Digito. Christus scribebat digito. Scripturæ, quibus Christus tentantem repulit diabolum, non erant scriptæ digito Dei; duas tantùm Legis Tabulas Deus digito scripsit: *Tabulas scriptas digito Dei*: reliqui citati textus à Moyse humanâ manu erant exarati: sufficit autem, scripturas esse sacras & canonicas: ut diabolus illis resistere non auderet. Videte num hodie sperandum fuisset, ut tentatores Christi, ipsius scripturis cedendo se submitterent, cùm non solùm essent divinæ, sed ipsiusmet Dei digito conscriptæ? *Digito scribebat.* Planum omninò est, quod sese submittere oportuisset, si fuissent Dæmones: sed non cessêre, quia erant homines. Magi Pharaonis opera virgæ Mosaicæ contemplantes exclamarunt: *Digitus Dei est hic*: & mox cesserunt, ac victos se dediderunt. Ast quomodo sic? Ars magica nunquid est ars diabolica? Magi Ægyptii nunquid erant ministri & instrumenta diaboli? ut quid igitur tam promptè se submittunt, digito Dei resistere non ausi? propter idipsum. Quod si eorum artes fuissent humanæ, ipsique ut homines operati, obstinatos oportuisset resistere: sed quia artes erant diabolicæ, & ipsi ut ministri diaboli operati: nec ipsi, nec diaboli, potentiæ digiti Dei ausi fuere resistere. Hodie nihilominùs videmus resisti digito Dei, quamvis non invisibili virgâque tecto: sed visibili, vivo, & animato. Artes enim, quibus Scribæ & Pharisæi instructi, tentando nitebantur comprendere Christum, non erant diabolicæ, sed humanæ: nec illi dæmones, sed homines. De dæmonibus inquiebat Christus, *In digito Dei ejicio Dæmonia*: sed idem ipse digitus Dei qui è corporibus ejiciebat dæmones, modò non sufficiebat à se rejicere homines. Dæmones ad minimum impulsum digiti Dei fugiebant: Homines, contra

Deut. 9. v. 10.

Exod. 8. v. 19.

tantos tamque frequentes ejusdem digiti impulsus, quantascunque formabat literas, nullatenùs movebantur. Dæmones deserebant homines : homines Christum non deserebant. Dæmones subsistere nequibant : homines immoti persistebant. Dæmones cessabant : homines perseverabant : *Cùm perseverarent.* Quid ultra?

In terra. Notat denique Evangelista, quod Christus scribebat in terra; quare in terra? Ut qui propriæ fragilitatis immemores, in sexu infirmiore tam rigidè fragilitatem quandamaccusabant, considerarent, & in mentem reducerent: & illam & se esse terram. Ista consideratio huic casui tam propria est & naturalis, ut de scriptis à Christo verbis Carthusianus inquiat: *Terra terram judicat* : id est, terra, terram accusat. Si accusatores essent cœlum : nihil miri quod accusarent terram. Sed terra accusat terram! & aliquid adhuc ampliùs illi faciebant. Tentatores isti terra, accusabant terram, ad condemnandum cœlum : accusabant enim adulteram : ut condemnarent Christum. Si igitur terra muta, & à seipsa contra eosdem de terra formatos clamabat accusatores; jam cùm non est muta, cur verbis vocibusque sibi inscriptis & impressis illos non confudit & convincit? tædet me, & fatigor repetere; quia erant homines. Et si non ita est, redeamus, ad tentationem istam, cum illa diaboli comparandam. Quemadmodum elementum hominis est terra, sic elementum dæmonis est aër : in hoc dæmones habitant, versantur, & nos tentant; hinc Apost. Paulus illos nominat aëris potestates : *Secundum principem potestatis aëris hujus.* Verba quibus Christus se contra diabolum defendit, pronunciata sunt in aëre scriptionis incapace : verba, quibus se ab hisce tentatoribus voluit expedire, fuêre scripta & terræ inarata. Verba ore prolata transeunt : scripta, permanent: Prolata intrant per aures : scripta, per oculos. Et cùm illa tantùm prolata, & hæc scripta : illa transitoria, & hæc permanentia : illa audita, & hæc visa : illa brevia & pauca, & hæc multa & prolixa, illud etenim insinuare videtur, *scribebat* : verba illia in aëre formata, sufficiebant ad superandas aëris potestates : hæc verò terræ impressa, minimè sufficiebant ad vincendos homines de terra formatos. *Digito scribebat in terra.*

Carthus. ibid.

Ad Ephes. 2. v. 2.

§. V.

CHristo tam pertinacem resistentiam passo, & sic vilipensâ, nedum injuriatâ manus ejusque scripturæ potentiâ, quodnam novum medium, omnipotens ejus sapientia, à tam pertinacibus sese expediendi tentatoribus adinveniret? Quemadmodum illi perseverarunt in tentando; sic Christus perseveravit in scribendo. Pertinacia etenim tentationis tantùm resistendi constantiâ superatur : & proportionata mutare remedia, est illa destruere. Christus rursus se inclinans, altera vice in terra scribit : *Iterum inclinans se, digito scribebat in terra.* Et talis hujus secundæ scriptionis fuit efficacia, ut hac tandem victis, qui adeò restiterant primæ, unus post alterum exiret : quamvis verò à Christo confuti exierunt ; arte nihilominùs, tentandique pertinaciâ diabolum superârunt. Etiam cum desistunt, nequiores tentatores sunt homines, quàm Dæmones. Diabolus ter tentavit Christum; sed notate quod cuilibet tentationi-

tioni una ſcriptura reſpondente Chriſto: diabolus nunquam exſpectavit ſecundam. Diabolus unam audiendo Scripturam conticeſcebat, deſiſtebat, non reſiſtebat nec replicabat: tentationem quantocyus mutabat & locum; à Chriſto victus & ſuperatus, adhuc præſumebat ac vincere ſperabat: una confutatus Scripturâ, nunquam reſiſtere alteramque exſpectare eſt auſus. Et homines! attendite illos. Homines nihilominus pertinaciores, impudentiores, duriores, & tentatores ipſis dæmonibus contumaciores, Chriſtum ſemel ſcribere intuentes nequicquam moventur: videntes & intelligentes Scripturam minime cedunt. Divina ſapientia ſcripturis addere ſcripturam, ſcriptum interare compellitur, *iterum ſcribebat*: non jam ad tentatoribus perſuadendum, ſed ſemetipſum defendendum, & ab eorum tentationibus liberandum.

In noviſſima & validiſſima tentatione quam inſtante morte Chriſti ejus diſcipuli ſuſtinuerunt, divinus Magiſter dixit, adeſſe tempus, quo armis opus foret. Quibus reſpondentibus duos ſe habere gladios, *Ecce duo gladii hic*: Proviſione hac contentus Chriſtus inquit ſufficere, *Satis eſt*. Omnes PP. & Expoſitores Chriſtum in hoc caſu allegoricè & metaphoricè locutum fuiſſe intelligunt; & gladios quibus Apoſtoli ſe defendere debebant, fuiſſe ſcripturas ſacras. *Et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus; increpationes in populis*. Cum itaque iſte ſit ſenſus & verborum Chriſti intentio, conſideratione omnino dignum eſt, in hoc tanto conflictu, unum tantùm ſtrictum fuiſſe gladium, qui fuit S. Petri: cæteroſque diſcipulos altero uſuros, quando dixerunt, *Si percutimus gladio?* à Chriſto fuiſſe prohibitos. Proinde ſi gladii erant duo: & utrique à Chriſto approbati neceſſariique judicati, quare gladii ſecundi uſum prohibendo, unius tantùm in hac tentatione permiſit? cauſam ipſe innuit: *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*. Iſta tentatio, velut illa, in qua tota infernalis conſpiravit poteſtas, erat tentatio diaboli: quamvis etiam homines veluti miniſtri & inſtrumenta ejuſdem diaboli & inferni concurrerint; & pro tentamentis diaboli, quantumcunque validis unus tantùm ſufficit gladius; id eſt, una ſolùm ſcriptura; duæ non ſunt neceſſariæ. Hoc modo una ſolùm ſcriptura contra tentationem in deſerto, item in templo, & Monte ſufficiebat. Et quemadmodum tunc non erat opus Chriſto manum mittere ad gladium ſecundum, eandem ob cauſam in illo conflictu, ejus uſum diſcipulis prohibebat: nam licet adeò fortis & extrema eſſet tentatio; non erat tamen niſi diabolica; *Hæc eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum*.

Luc. 22. v. 38.

Pſal. 149. v. 6. & 7.

Luc. 22. v. 49.

Ibid. v. 53.

Ergóne ſecundus gladius, à Chriſto evaginari prohibitus ſuperfluus erat & inutilis? Non: reſervatus enim manſit pro tentationibus hominum. In hodierna tentatione ita hoc expertus fuit Chriſtus, in qua, non una contra tentatorum ſuorum pertinaciam ſufficiente ſcriptura, ſecunda uti, alteraque vice ſcribere fuit compulſus: *Iterum ſcribebat*: & quia hic ſecundus gladius, veluti neceſſarius; ſic etiam abſolvendo luctamini fuit ſufficiens. Hinc Chriſtus eodem ſub myſterio, Diſcipulis binos ſe habere gladios dicentibus, reſpondit ſufficere: *Satis eſt*; quamvis enim contra homines, una tantùm ſcriptura non ſufficeret, ſicut contrà

diabolum sufficit & suffecit : duæ nihilominus sufficient, sicut tandem suffecerunt. Quemadmodum characteres successivè formabantur ; ita tentatores unus post alterum exibant : *Unus post unum exibant.* Quod una scriptura non potuit vincere ; duæ evicerunt: *Iterum scribebat.*

Joan. 8. v. 9.

Sed, quid dicam in hoc casu, jam à Synagogæ Ministris oculos avocatos, conjiciendo in multos nomine tenùs Christianos? nulla mihi nunc de Scribis & Pharisæis querela ; nec Christo tanta est conquerendi causa : tales etenim in mundum venire oportebat, qui suâ pertinaciâ illos minus duros ; & suis tentationibus, illos minores Tentatores essent ostensuri. Scribæ & Pharisæi ad primam digiti scriptionem non cedentes, ad secundam saltem lapides abjecerunt, Hæretici, sub nomine Christianorum, nec ad scripturam primam, nec ad secundam sese submittunt, imò ex ipsis adulteratis scripturis (secum enim adducunt adulteram) conjiciendos in Christum lapides conficiunt. S. Augustinus, sicut & *S.* Ambrosius asserunt, Christum scripsisse duabus vicibus : ut se utriusque scripturæ authorem, & novi ac veteris Testamenti legislatorem demonstraret : & scripturas primas fuisse lapidi insculptas, quia futuræ essent steriles ; secundas inaratas terræ : quia futuræ fertiles & fructum daturæ, qualem dederunt hodie.

S. Aug. tract. 3. in Joan. S. Ambr. epist. 76 ad stud.

Sed mi Domine Jesu Christe : video terram in qua scribis, & scripsisti, bis manu tua ad aratam, & tuo verbo bis seminatam, loco fructuum, spinas productura. Ista fuit maledictio inducta super Adam : quæ non tantùm completa fuit seque extendit : sed crevit & semper crescet in ejus filiis. Scribæ & Pharisæi pejores fuerunt diabolo : venient homines Scribis & Pharisæis futuri pejores. Diabolus cessit uni ; Scribæ & Pharisæi cessêre scripturis duabus : venient homines non cessuri utrisque & contra utrumque testamentum obstinatè moturi bellum. Concede dolori meo aliquid eorum repetere, quæ tua prævidit Sapientia.

In utroque Testamento scripsisti veritatem & fidem tuæ Divinitatis, tam expressam in novo, & in veteri per temetipsum tam evictam ; & veniet unus Ebron, unus Cerinthus, unus Paulus Samosatenus, unus Photinus, qui te fuisse, & esse Deum, negent. In utroque Testamento scripsisti (& non erat necesse scribere) veritatem humanitatis tuæ per omnia similis nostræ : & veniet unus Manichæus, unus Priscillianus, unus Valentinus, qui contra attestationem oculorum qui illam viderunt, & manuum quæ illam contrectaverunt ; dicant carnem tuam non fuisse veram, sed phantasticam. Scripsisti in utroque Testamento Personæ tuæ unitatem, in duabus naturis, humanâ & divinâ, unam : & veniet unus Nestorius, qui duas agnoscendo naturas, etiam duas in te fuisse pertinaciter asseveret Personas : & unus Eutiches & Dioscorus, qui tuam confitentes humanitatem & divinitatem, & ambabus unam formatam, aut transformatam asserant, unâ in alteram conversâ. In utroque testamento scripsisti perfectionem, & integritatem humanæ tuæ substantiæ, ex anima & corpore compositæ : & veniet unus Arrius & Appollinaris dicentes, te tantùm habuisse corpus hominis : cujus anima ipsa fuerit divinitas. In utroque Testamento scripsisti, & futuram nostram communemque omnium hominum resurrectionem

dæmon-

demonstrâsti : & venit unus Simon Magus, unus Basilides, unus Hymenæus unus Philetus, qui velut bruta æterna digni morte, Resurrectioni spem & fidem negent. In utroque testamento (sola sufficiente experientia) veritatem & absolutum libri arbitrii humani dominium scripsisti : & veniet unus Bardisanes, unus Petrus Abaylardus, & nunc unus Oecolampadius & Melanchton, qui libertatem tuam inauditam astruentes, ipsam libertatem negent. Scripsisti in utroque Testamento, sine gratia non esse meritum : & de tuæ gratiæ nostrique arbitrii concursu, meritoria, & hæc sola vitâ æternâ digna proceedere opera : & veniet unus Pelagius, unus Cælestinus, unus Julianus, qui totum illud posse impotenter libero tribuant arbitrio ; primi Creationis beneficii vires extollentes, ad ingratissimè majori & secundo justificationis beneficio derogandum. In utroque testamento meritum & necessitatem bonorum operum expressisti ; & veniet unus Lutherus, qui non solùm opera bona ad salutem esse necessaria neget : sed insuper omnia opera bona esse peccata affirmare ausit (& addere posset) peccata, quæ nunquam patravit Lutherus. Sic dogmatizârunt Lutherus & Calvinus (illa duo plusquam infernalia monstra nostri sæculi) ut orationem, jejunium, eleëmosynam, castitatem pœnitentiam, suffragia & sacramenta de mundo tollerent ; prædicando contra quod Christus prædicavit, & scribendo contra quod Christus scripsit ; & ex ipsis scripturis quibus se Christus contra tentationes defendit, novas contra ipsum tentationes conflando : ut hinc appareat, quantum in arte tentandi progressi sint homines ; quantoque post se intervallo reliquerint dæmones.

Diabolus, in prima tentatione Christum scripturâ se defendentem cernens, successivè alia eum scriptura fuit aggressus in secunda. Sed admiratione dignum est, & ad reverentiam facit ; quod nec contra primum, nec contra secundum, nec contra tertium allegatum à Christo textum, diabolus arguerit aut vel verbulum reposuerit. Diabolus doctior, major Theologus & Philosophus, nec non acutior & perspicacior est omnibus hominibus. Ergò si homines, & tot homines, tantum & tot modis contra unam Christi scripturam arguerunt, imò illâ ipsa Christo bellum indicere sunt ausi, eandem scripturam in ipsum retorquendo, & in sensu non solùm falso, sed planè contrario interpretando, quare illud similiter non fecit diabolus ? quia erat diabolus & non homo ; quia erat diabolus, tentavit velut sapiens : quia non erat homo, non tentavit velut insipiens & impudens. Tentare, argumentari, resistere contra cognitam scripturarum veritatem, est insolentia, quæ non in diaboli, sed hominis invenitur malitia : proinde nunc emphasim utique intelligetis, qua in zizaniorum parabola paterfamilias dixit : *Inimicus homo hoc fecit*. Seminatum ab ipso triticum, est pura & sana sacrarum literarum doctrina : superseminatum ipsi zizanium, falsæ sunt interpretationes ; quibus verus ipsarum pervertitur sensus. Quis verò est aut fuit istius malitiæ tamque perniciosæ sementi Christi deceptionis author ? *Inimicus homo*. Notate ; suffeciisse videri poterat, dicere *inimicus* : addidit verò, istum inimicum fuisse hominem ; ut inimicum hominem, ab inimico discerneret diabolo. Diabolus inimicus est, & quidem magnus inimicus ; nihilominus nunquam fuit tam

Matth. 13. v. 28.

diabolicus & inimicus, ut scripturas quas pro se contra Christum allegabat, auderet depravare, quemadmodum in tribus tentationibus jam vidimus : sed quod nunquam inimicus fecit diabolus ; hoc fecerunt & faciunt inimici homines. *Inimicus homo quod fecit.* Scio equidem nonnullos Sanctorum per ly *Inimicus homo* intellexisse diabolum : & si illorum sensus sit verus ; hic videbitis, quales sint homines. Nos, hominis volentes exaggerare malitiam ; ipsum nuncupamus diabolum, Deus exaggerare volens malitiam diaboli ; ipsum vocat hominem, *Inimicus homo.* Ego, ut minimum, si eligere deberem tentatorem, à diabolo potiùs, quàm ab hominibus tentari præoptarem. *Matth. 4. v. 1.* Christus à Spiritu S. ductus elegit tentatorem, *ductus est à spiritu ut tentaretur:* & qualem elegit tentatorem? *ut tentaretur à diabolo* : elegit tentatorem diabolum, & non hominem. Certum est quod tentantem se diabolum quæsierit Christus : sed tentantes hodie Christum homines, quæsierunt ipsum; *Tentantes eum, ut possent accusare eum.*

§. VI.

SUppositò nunc, auditores mei, quod homines majores & pejores sint tentatores, quàm diabolus : quidnam agendum nobis restat ? non multi temporis consultatione resolutioneve opus est. Christus ipse resolvit, nobisq; expressum, & singulariter, tanquam rem magni momenti, hoc recommendatum reliquit, *Cavete ab hominibus.* *Matt. 10. v. 17.* Si prædicarem anchoretis in Eremo, suaderem cavere à diabolo, sed quia in populo & aulicis loquor, dico; cavete ab invicem. Diabolus nunc non tentat in populo, neque opus habet : homines enim ejus officium in se assumptum multò meliùs ipso exercent. Christus (ut paulò ante diximus) tentari volens à diabolo, quæsivit eum in deserto. Domine, si tentari vis à diabolo, quare non quæris illum in civitate vel in aula ? quia in civitatibus & aulis jam non sunt dæmones; & non expulsi sunt vel exierunt vi exorcismorum: sed quia eorum talentum ibi non habet exercitium. Extraneis quibusdam ingeniosioribus artificibus aulam civitatemque ingressis, artifices indigenæ exire jussi, fiunt agricolæ. Idem evenit diabolo, ejus ars & officium, erat tentare ; sed quia magis in hoc industrii, versuti & subtiles, magisque in hac parte versati supervenêre homines, ipse otiosus remansit & superfluus. Quod si se ipso tentat, hoc in loco facit solitario, ubi Eremita quispiam, & non adest alius ; ideò ambulat per loca deserta, ubi illum Christus quæsivit. Non dico, ne caveatis à diabolo : sed ut magis caveatis ab hominibus ; & ecce num aliquâ ratione nitar. *Simile.*

Jam Ingressâ in animam Saulis invidiâ (labe Rege indignâ) mox etiam corpus Diabolus intravit. Causa invidiæ fuerat Davidis funda ; nec aliud contra hoc dæmonium inveniebatur remedium, quàm ejusdem cythara. David in præsentia Saulis manu cytharam tangebat : & dæmon fugiebat. Hoc quâdam vice fecit David ; & egresso dæmone, Saul arreptâ lanceâ nitebatur David configere cum pariete. Regem quempiam, contra Vasallum, cui honorem debebat & coronam, tantum ingrati animi commit-

mittere probum non miror : hoc etenim modo ſolvuntur ſervitia omne præmium excedentia. Quod ſemper fui admiratus, quodque graviter expendit S. Baſilius de Seleucia, eſt : quod Saul iſtam perfidiam & tam atrox facinus non attentârit, quando erat actualiter & corporaliter à diabolo obſeſſus, ſed jam liberatus. Saul à diabolo corporaliter exagitatus moderabatur invidiam, odium, furiam; ad liberatus tam atrox & enorme modo itur facinus? Ita : jam. Saul etenim jam eſt in ſe : anteà dæmonium erat in illo : anteà operabatur velut dæmoniacus, nunc ut homo. Si Saul tàm indignum & atrox facinus actualiter à diabolo obſeſſus attentâſſet; diabolum hoc in ipſo operatum fuiſſe diceremus : Sed divina ſapientia hocce, nonniſi à jam liberato fieri voluit; ut conſtaret ipſum operari tanquam hominem : & caveremus plùs ab hominibus quàm à dæmonibus. O *novum injuriumque facinus* (exclamat S. Baſilius) *Dæmon pellitur, & dæmone liberatus arma capiebat : dæmon vincebatur, & hominis mores plùs ſumebant audaciæ.* Pejor erat Saul dæmone liber, quàm ab illo obſeſſus : obſeſſus etenim per diaboli operabatur impulſus, liber, ex ſuo proprio, & hominis operabatur impulſu, *& hominis mores plus ſumebant audaciæ.* Propterea diabolus tam turpiter & indignè diſpoſitum Saulem advertens exivit foras rubore ſuffuſus : quod Mundus cogitare poſſet hanc ſuam eſſe tentationem. O quàm benè fieret mundo, ſi diabolus in quoſdam intraret homines, ut minus fierent mali, minoreſque tentatores! compatior Davidi generoſo & fideli; ſed ſua ab amore & cum ſuo principe decepto. O David, ſi cuinam ſervias ignoras; Regem tuum in tuæ cytharæ ſpeculo contemplare : ſi ſapis, ne tangas; & chordas potius confundas, ipſamque frangas : qamdiu Saul à diabolo exagitabitur, eris ſecurus; ipſo ſibi reſtituto cave tibi. Saul non eſt homo, qui ſibi conjunctum ferat hominem tantum.

S. Baſil.

Terribili hoc exemplo benè probatum puto, plus nobis ab hominibus cavendum, quàm à dæmonibus. Sed ut puto, audio vos dicentes; Saulem fuiſſe Davidis capitalem hoſtem : & ab hominibus inimicis omni nobis cura cavendum, ſed non ab amicis. Suntne illi homines? & quamvis ſint amici; credite mihi, attendite & cavete ab illis, amici etenim ſimiliter & ptopiùs tentant : & ubi vos tentabunt, ad os ſternendos, poterunt & efficient plùs quàm ipſe diabolus. Diabolus cum omnibus ſuis artibus, nunquam majorem habuit poteſtatem, quàm dum Job tentaret. Tentavit Job in bonis, in momento omnia aufferendo : tentavit illum in filiis, uno ictu & ſimul omnes perimendo : tentavit illum in propria carne, illi lepram, impetiginem, cancrum &c. inducendo, & totum ſicut unum vulnus efficiendo. Quid autem fecit vel dixit Job? *Dominus dedit, Dominus abſtulit; ſit nomen Domini benedictum.* Eluceſſit patientia, humilitas, in divinam voluntatem reſignatio, vox reſonat laudis majoriſque gratiarum actionis Dei : ipsâ atteſtante Scripturâ, quod ex ipſius ore verbum aliud elicere nequiverit, quàm quod hominem valdè conſtantem, rectum, pium, timoratum, & ſanctum

Job. 1. *v.* 21.

ani-

animum ostenteret: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neq; stultum aliquid locutus est contra Deum.* In hoc miserabili & virtuoso statu venerunt ejus amici ipsum invisuri & consolaturi. Amici erant numero tres, omnes Principes, omnes sapientes, & cum Job arctam omnes necessitudinem restabantur. Primo septendio muti, postmodum locuti, & multum locuti. Quid verò Job cum fatis evenit amicis? hoc, quod diabolus omni suarum tentationem vi efficere nequivit. Fecerunt illum inflectere constantiam, patientiam, voluntatis suæ cum divina conformitatem, imò ipsam perdere conscientiam: sic eum argumentando aggressi, disputando & opponendo reprehendentes, ut Job desierit esse Job: non solùm vitæ & fortunæ suæ maledicens, verum etiam respectu divinæ justitiæ & providentiæ, multa sapiente indigna, & à sancti hominis pietate protulerit aliena; quorum ergò à Deo fuit reprehensus: quæ Job postmodum confessus, ex dolo is magnitudine pœnitentiam egit opertus cinere: *Insipienter locutus sum, idcircò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla & cinere.* Ecce, quàm obscuratum, ex manibus hominum exiit patientiæ speculum: postquam è tentationibus dæmonis, victori, glorioſus & triumphans exiisset Diabolus, erat diabolus & inimicus; homines erant amici, sed homines: & suffecit fuisse homines, ad tentandum Jobum fortiùs, quàm diabolus. Tentamenta diaboli, illi fuerunt corona: amicorum consolationes non tantummodò fuerunt tentamenta, sed & ruinæ. Quod si hoc faciunt amici, literati, honoris Dei & suæ animæ zelores (quales erant illi) in suis illum miseriis consolatum venientes: Quid facient amici perditi & fatui, non vos, sed semetipsos quærentes, majoris vestram fortunam facientes quam animam, & qui de illa tam exiguam, quàm de propriâ curam gerunt!

Ibid. v. 22.

Job. 42. v. 3. & 6.

Restatne præterea adhuc homo, à quo oporteat caveri? restat. Tentatorum: omnium maximus. Et quis iste? Quilibet ipse sibi. Homo, à quo nobis maximè cavendum est, sum Ego & Vos: mihi à me, vobis à vobis: *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus.* Scitis (inquit sanctus Jacobus) quis vos tentet? quis labifaciat? vos, vos: quilibet seipsum, *unusquisque tentatur.* Nos velut filii Evæ semper dicimus; *Serpens me decepit*; Tentavit me diabolus, decepit me diabolus: & vos estis qui vos tentatis & decipitis; quia decipi amatis. Vester diabolus estis vos, vester appetitus, vestra vanitas, ambitio, vestra Dei, cœli, inferni, animæque oblivio. Attendite vos à vobis, si turi esse vultis.

Jacob. 1. v. 14.

Deus posuit Adamum in terrestri Paradiso: ipsumque in loco tam amœno deliciisque affluenti positum fuisse putamus, utiis se tantùm oblectando quasi ingurgitaret, omni aliâ sollicitudine semotâ. Sed ecce quid dicit Scriptura? *Posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Hoc ultimum verbum semper seriò expendi; *Ut custodiret illum.* Interrogo, à quonam, Adamo custodiendus erat Paradisus? ab animalibus? Non, omnia illi subdita parebant. Ab hominibus? Non; nam non erant homines. Si igitur custodire non habebat ab hominibus, neq; animalibus, à quonam igitur? à semetipso. Caveat sibi Adam ab Adam: & custodiret Paradisum: Es homo? ab hoc homine te custodi:

Gen. 2. v. 15.

ab

ab hujus ingenio, quo te decipiet: ab hujus voluntate, qua te prodet: ab oculis, ab auribus, cunctisque ejus sensibus, quibus te tradet, caveto. David custodivit se à Saule: & lapsus est, quia non custodivit se à Davide. Samson custodivit se à Philistæis: seque perdidit, quia non sibi à Samsone cavit; David sibi à Davide: & à Samsone sibi caveat Samson; quilibet sibi caveat à semetipso. Ab omnibus nobis cavendum est hominibus, quia omnes tentant; sed ab hoc homine maximè, quia maximus est tentator. Propterea S. Augustinus velut sanctus, doctus & expertus inquiebat: *Liberet te Deus à teipso.* Christus se hodie à tentatoribus liberavit hominibus: sed hi à semet-non liberârunt seipsos: venientes enim ad tentandum, tentatione jam erant præoccupati; venientes ad Christum illaqueandum, erant laqueo comprehensi. Et sibi, & Christo homines: & hinc contra se & Christum tentatores; *Tentantes eum.*

S. Aug.

§. VII.

NEmo mihi inficias ire poterit, hanc doctrinam veram esse & certã: sed videor nihilominùs mihi ipse inficiari non posse, esse tetricam, & omnis solatii expertem. Homo est animal sociale, in quo à brutis discernimur? & cùm homo necesse habeat cum hominibus conversari, durissimum videtur ab omnibus sibi cavere. Non ergò ullus erit homo, cum quo alius sine timore, sine periculo, & cautelæ necessitate agere possit? Imò verò. Et quis iste? Homo ille, quem hodie tentatum accessêre homines: homo ille, qui simul Deus est & homo: homo ille, in quo solo refugium & remedium miserabilis illa muliercula invenit, quam non commiserati accusarunt homines. Subtiliter hic argumentatur S. Augustinus. Mulier illa ab accusatoribus se liberam cernens, à Christo fugere debuisse videtur. Ratio patet: Christus enim in sua sententia pronuntiaverat, quod qui peccatum non haberet, primus in illam lapidem mitteret. Ergo à solo Christo sibi timere poterat, qui solus peccato carebat; sed quia ille solus peccato vacabat, à tali homine sibi non timuit & propter idipsum huic solùm homini fidere & confidere debebat. Christus in sua sententia seipsum exceperat, dicens: *Qui sine peccato est vestrûm*: id est, qui ex vobis non habet peccatum, lapides jaciat. Non dixit, qui, absolutè, sed qui vestrûm, ut se exciperet, qui ab omnibus hominibus est exceptus: & Christum carere peccato, erat maxima securitas peccatricis.

In hoc casu, duæ in Christo concurrerunt conditiones ad compatiendum & illi miseræ misericordiam exhibendum. Prima & universalis erat, exemptum esse à peccato: cum in illo solo verificetur illud, *Qui sine peccato est vestrùm*; secunda & particularis, hac occasione tentatum esse ab hominibus, *tentantes eum.* Velut tentatus non poterat non compati: tanquam à peccato liber & immunis, non poterat non condonare, Tentatio ipsum compatientem: & immunitas à peccato faciebat misericordem. Totum illud S. Paulus mirabiliter asseruit de Christo dicens: *Non enim habemus Pontificem: qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato: adeamus ergò cum fiducia ad Thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.* Heb. 4. v. 15. & 16. Singula notate verba & specialiter illa; *tentatum* & *absque peccato.* Tanquam tentatus, non poterat non compati: *qui*

non possit compati; tanquam à peccato liber & immunis, *absq; peccato* non poterat non esse misericors, *Adeamus ergò cum fiducia ut misericordiam consequamur*. In veritate hujus *Ergò*, S. Pauli, tota consistit fiducia delinquentis : ideoque fugere noluit, quasi Christi sententiam interpretando diceret, si solus immunis à peccato lapides in me jacere debeat, nemo audet præter ipsum. Pharisæi, non, quia peccatum habent: Christus similiter non, quia non habet peccatum; qui non habet peccatum, lapides non mittat. Sic fuit, & sic illud *Joan. 8. v. 11.* Christus dixit: *Nemo te condemnavit mulier? neque ego te condemnabo* Illi te condemnârunt, quia peccatum habebant: Ego te condemnabo, quia non habeo. Ecce quare hic homo sic ab omnibus aliis hominibus distat. Homines habentes peccata, tentabant, accusabant, persequebantur : Homo peccato carens, excusabat, defendebat, compatiebatur, remittebat, & absolvebat; & hoc modo condemnavit peccatum ut absolveret peccatricem, *Vade, & noli amplius peccare*.

Claudamus Auditores mei. Quoniam homines pejores sunt tentatores quàm dæmones: custodiamus nos ab hominibus. Et quia inter reliquos homines non datur homo alius cui fidere possimus, nisi homo iste qui simul Deus est: de hoc homine hoc tractemus solummodò, & cum eo familiarissimè agamus. Omnis felicitas tam miserabilis creaturæ constitit in adductione ad talem hominem & prima ipsi collata gratia, fuit, quod ab aliis hominibus illam liberârit. At quid putatis Deum factum hominem? non ob redimendos tantum homines, sed ut hominem haberent homines, cui tutò fidere, ad quem confugere, & quocum sine timore & cautelæ necessitate securè agere possent. In hoc solo homine invenitur vera amicitia: in hoc solùm homine invenitur verum remedium. Et nos quærimus, & acquirere laboramus homines quibus confidamus? *Maledictus homo: qui confidit in homine*; Et benedictus homo, qui in hoc homine confidit; & in hoc homine solum; soluſque acum hoc solo, de utilibus ad salutem tractat. Hoc unicum vobiscum domum afferte punctum; nec alium sermonis mei requiro fructum. *Jerem. 7. v. 5.*

Egressis jam illis hominibus malis (sufficiebat autem esse homines quamvis non tam mali) inquit Evangelista, quod Christus remansit solus, & felix jam peccatrix stans ante illum: *Remansit Jesus solus: & mulier in medio stans*. Hæc hujus animæ fuit maxima felicitas: hæc optima hujus diei hora: modicum illud tempus, quo sola cum solo Christo egit. Brevissimo isto spatio, præterito remedium invenit & futuro. Præterito: *Neq; ego te condemnabo*. Futuro: *Noli amplius peccare*. Proindecum tantam nobis diei partem surripiant homines, accipiamus singulis diebus temporis breve spatium, quo nostra anima se cum Deo & secum recolligat; ut sola agat cum Christo & isto homine. O si sic faceremus, quàm verè nos ad illum converteremus! *Joan. 8. v. 9.*

Veniens Christus ad fontem Sichar: mandavit omnibus Discipulis, ut ingrederentur civitatem empturi victui necessaria erat enim (inquit Evangelista) tempus prandii, quo advenientem Samaritanam convertit. Reverentibus Apostolis & quod emerant apponentibus, comedere recusavit, Locus hic duo continet notabilia dubia. Primum: quare Christus omnes Discipulos in civitatem jussit abire, cùm unus necessariis afferendis sufficerit? Secundum: *Joan. 4. v. 17.*

eundum : si illos miserit empturos cibum, hique allatum apposuerint, & prandii esset tempus, quare non comederit ? Primò, non comedit, quia jam comederat : sic suspicati fuêre Discipuli, invicem dicentes : *Nunquid attulit ei aliquis manducare ?* sed non intellexerunt ipsam Samaritanam esse, quæ desideratum ei attulerat cibum. Illa anima conversa non solum sapidissimum Christo fuit edulium, sed & pretiosissimum optimumque bellarium, quod ipsum cœlum, nedum terra ipsi potuisset ministrare. Simile huic illi apposuit cœlum hodie in conversione hujus peccatricis. Notate. Superatis in deserto diaboli tentamentis, victori Christo ex bellariis terrestribus Cœlum apparavit epulum : ast hodie, quia tentamenta fuêre graviora, majores tentatores, laboriosiorque victoria : majus similiter & præstantius fuit Epulum. Ibi Christo tentationes dæmonis superanti, Angeli
Matth. 4. v. 11. escas ministrârunt corporales, *& ecce Angeli ministrabant ei :* victis verò tentamentis hominum, hæc conversa ipsum lautiùs suâ refecit animâ : quæ ipsi gratissimum & pretiosissimum fuit ferculum, quod soli homines & non Angeli poterant apparare. Hanc ob causam dixit se comedisse.

Ratio verò, cur non aliquos, sed omnes ad civitatem amandârit Apostolos, fuit, quia ibidem Samaritanam convertere intendebat : & ut anima ad Christum verè convertatur, oportet esse solitarios, Christus solus, cum anima sola : & vice versa, anima sola, cum Christo solo : *Remansit Jesus solus, & mulier in medio stans* : Jesus & anima soli. Hæc est solitudo, quam Deus desiderat ad loquendum animæ & cordi. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* Non est solitudo eremorum sivè desertorum : sed in qua anima sola cum solo Jesu agit. In hac solitudine sola loquitur cum solo : sola auscultat solum. In hac, sola soli suas aperit miserias, earúmque postulat & obtinet remedium : imò sine prece, silentio tantùm & humili culparum suarum confessione impetrat : sicuti solitariæ huic evenit peccatrici. *Osee 2. v. 14.*

Agedùm Christiani, faciamus ita : Christi adeò hoc desiderantis, & animarum nostrarum periclitantium suique oblitarum agamus amore. Non dico, ut relicto mundo corporaliter petatis eremum ; sed tantùm dico, ut in ipso mundo vobis faciatis eremum, aliquid indies temporis, solitariè cum solo agendi Christo, se ligendo, & videbitis ejus fructum. Ibi homo Dei recordabitur & sui : ibi peccatorum & præteritæ transactæ vitæ fit rememoratio : & in futurum agendæ dispositio ; ibi non reversuri in memoriam vocantur anni, ibi nunquam finienda expenditur æternitas ; Ibi Christus animæ, & ipsa sibi dicit unum : *Nunquam amplius :* resolutum valdè & firmum, *Noli amplius peccare.* Ibi denique illa tam dubia supremi Judicis assecuratur sententia ; *Neque ego te condemnabo.* Hæc absolutionum est absolutio : hæc indulgentiarum indulgentia : hæc gratiarum est gratia : sine qua infallibilis est infernus, & cum qua gloria est certa. Amen.

(O)

SERMO

De Lachrymis Sancti PETRI.

Habitus Ulyssipponæ in Ecclesia Cathedrali Feria Secunda Hebdomadæ Sanctæ 1669.

Cantavit Gallus, & conversus Dominus respexit Petrum, & egressus foras flevit amarè. Luc. 22. v. 16.

§. I.

QUis Concionatorum, hodiernâ die, non capessat animum & fiduciam, de conversione loquendi peccatorum quis vestrûm Auditores Christiani, præsenti horâ me non auscultabit cum desiderio & proposito sua peccata deflendi? In cœna Bethaniæ, necnon in ultima cœna Agni (quâ utrâque occasione Christus suos Discipulos ultimò habebat congregatos (septem vicibus Judam allocutus, ad pœnitentiam & resipiscentiam fuit adhortatus ; ad hoc usus verbis omni amore, suavitate, & commiseratione redundantibus : aliis etiam terrore plenis, & fortassis adeò tremendis & penetrativis, ut piissimus Dominus nunquam his similia fuerit locutus : *Va homini illi, per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*; quibus licet auditis, Judas nihilominùs immotus permansit : siquidem nec amorosis verbis emollitus, nec compassivis contritus, nec terribilibus compunctus; obduratus & marpesiâ cautè immobilior perseveravit.

Matth. 26. v. 24.

Ipsa Passionis nocte S. Petrus Christum unâ, alterâ, & tertiâ vice negavit : & ad ultimam negationem mox gallus cantavit, *& statim gallus cantavit* ; eodemque momento S. Petrus contritus & conversus ex Caiphæ atrio exivit, *& egressus flevit amare.* Notabilis casus ! Christus septies loquatur Judæ, sed frustra, nec consequente conversionis fructu : cantet verò gallus semel, & mox convertatur Petrus ? sic. Quia tantum refert Christum videre ; vel non videre. Christus *respexit Petrum* : Judam non respexit. Christo quempiam respiciente, irrationalis unius galli vox ad convertendum sufficit : ipso verò non respiciente, aut oculos avertente, nec septem ipsiusmet Christi voces & sermones conversioni sufficient. *Non est sufficiens Concionatoris vox, nisi adsit simul Christi in peccatorem respectus*, graviter in hoc casu dixit sanctus Gregorius Papa : Prædicatori sunt tantummodò verba : ab oculis verò Christi tota dependet efficacia. Et si hodie Christi oculos habemus tam propitios, quis quæso Prædicatorum tam deses, quisve Auditorum erit tam durus, qui non magnos

Luc. 18. v. 27.

Luc. 22. v. 62.

Ibidem v. 61.

S. Greg. hic.

speret

ſperet fructus & effectus à clamore ſuæ vocis? Domine, oculi tui ſunt: ex quibus oculos noſtros oportet haurire lachrymas. Nobiliſſimæ ortu, quæ unquam in hoc mundo ſcaturierunt lachrymæ, fuêre ille S. Petri: ſiquidem ex oculis Chriſti ſuam traxêre originem. In oculis Chriſti natæ, ex oculis S. Petri emanârunt: in oculis Chriſti, quando vidit; *Reſpexit Petrum*: ex oculis Petri; quando flevit, *Flevit amarè*. Hodie, lachrymarum rivuli fuerunt lachrymæ S. Petri; ſed eorum fontes fuerunt oculi Chriſti. Olim in Nilo animadverſæ ſunt exundationes, quarum origo ignorabatur; tales hodie duo Rivuli aut Nili erant in oculis lachrymantis Petri; origo erat occulta, quia fons in Chriſti latebat oculis; exundationes verò manifeſtæ, quia de oculis S. Petri erumpebant. Pro diluvio univerſali (inquit ſacer Textus) *Aperta ſunt cataractæ cœli: rupti ſunt fontes abyſſi.* Ità quoque pro hoc diluvio (ſi totus mundus immergeretur, felix ſanè emergeret) apertæ ſunt cataractæ cœli, ſcilicet, oculi Chriſti: & rupti ſunt fontes abyſſi, ſcilicet, oculi S. Petri. Hoc modo immenſum illud inundavit diluvium; in quo poſt naufragium, ſalvatus eſt optimus Noë.

Gen. 7. v. 11.

Hæc eſt illa triſtis & glorioſa repræſentatio, quâ Eccleſia hodie feliciter incipit unam ſeptimanam vel hebdomadam, quæ deberet eſſe tam ſancta in compunctione, quàm ſancta eſt in nomine. In deſerto, deficiente aquâ populo Iſraëlitico, qui erat figura noſtri, Moyſes accedens Petram ſemel percuſſit virgâ, & non exivit aqua: percuſſa bis, largiſſimos emiſit rivos, *Egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Quænam eſt hæc duriſſima Petra: niſi cor meum, & veſtrum? Eccleſia primum intulit ictum in die lachrymarum S. Mariæ Magdalenæ, ſed è petris nullas elicuit aquas: hodie infert ſecundum in die lachrymarum S. Petri, & in die quo tam copiosè & amarè flevit Petrus, quomodo non aquas dabunt Petræ? ſed hi non ſunt ictus iſti, in quibus fiduciam pono. Ictus tuorum oculorum Domine, qui eduxerunt rivulos ex oculis Petri, ſunt illi, qui oculorum noſtrorum duritiem emollire ſufficiunt. Per lachrymas ejus Virginis, quæ nihil diluendum habuit, largire nobis hodie lachrymarum abundantiam: quibus multiplicia noſtra peccata dignè deploremus; porrò cum ipſa ſolùm fleverit pro nobis, & propter nos: ejus pietas nobis iſtam gratiam à benigniſſimis tuis oculis impetret. Ave Maria.

Num. 20. v. 11.

§. II.

Egreſſus foras, flevit amarè.

VAldè notabilis creatura ſunt oculi humani: naturæ inſtrumentum admirabile, & prodigioſum artificium Providentiæ! Hi ſunt primi origo culpæ: & primis fons gratiæ. Oculi, binæ in cavernis latentes ſunt viperæ, quibus tentatio propinat venenum; contritio verò theriacum. Oculi, binæ ſunt ſagitæ, quibus diabolus armatur ad nos vulnerandum & perdendum; & ſunt duo ſcuta, quibus nos Deus protegit, læſoſque reparat ad ſalutem. Cuncti ſenſus hominum unum duntaxat habent officium, exceptis oculis, qui funguntur duobus. Auditus audit, guſtus guſtat, olfactus olfacit, tactus palpat, ſoli oculi binis gaudent functionibus: quæ ſunt videre & flere. Hæc ſunt duo noſtri ſermonis Poli.

Nullus erit (ſi ſapit) qui ſcire non deſideret, cur natura in uno eodemque inſtru-

strumento lachrymas & visum conjunxerit, & in eâdem potentiâ, flendi scilicet & videndi officium combinârit. Videre, est actio jucundissima: flere verò tristissima. Sine visu, teste Tobia, non est gaudium:

Tob. 5. v. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* siquidem oblectamentorum omnium maximum est visus: Fletus econtrà est distillatio doloris, animæ sanguis, atra bilis cordis, fel vitæ, & liquidum sentimenti. Ut quid igitur natura duos tam contrarios sibi effectus in oculis conjunxit scilicet, videre & flere? Ratio & experientia hoc docet. Natura conjunxit visum & lachrymas, quia lachrymæ sunt consequentia visus: providentia conjunxit fletum & visum: nam visus est consequentia fletus. Scitisne quare fleant oculi? Quia vident. Flevit David cunctis diebus vitæ suæ, & flevit tam indesinenter: ut lachrymæ viderentur

Psal. 41. v. 4. alimentum ipsius vitæ. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte.* Et quare David

2. Reg. 12. v. 2. tam incessanter flevit? quia vidit: *Videt mulierum.* Flevit Sichem, flevit Jacob, flevit Samson: unus Princeps, alter Pastor, iste Miles: & quare hi homines fortunâ tam inæquales, hoc tributum lachrymarum solverunt tam æqualiter? Quia viderunt; Sichem vidit Dinam, Jacob Rachelem, Samson Dalilam. Fleverunt quoque qui suis lachrymis auxerunt aquas diluvii; & quare fleverunt? Quia sub

Gen. 6. v. 2. nomine Filiorum Dei, viderunt illas quæ vocantur filiæ hominum: *Videntes filii Dei filias hominum.* Sed quorsum exempla hæc particularia, in tam communi & universali oculorum causa? quotquot lachrymæ sunt profusæ, quotquod profunduntur, & ad finem usque mundi profundentur, Undenam suam habuêre scaturiginem? Ex una visione: *Vidit mulier lignum quod esset bonum ac vescendum*; vidit Eva pomum vetitum; & quemadmodum ista visio fuit causa originalis culpæ, ita quoque fuit principum & scaturigo lachrymarum omnium quas fundimus, etiam dum nascimur. Interrogent nunc Theologi, si homo in justitia originali in qua fuit conditus, perseverasset, forentne lachrymæ in mundo? nec lachrymæ, nec lachryma vel unica foret: neque flendo mundum ingrederemur, nec lachrymantes in eo viveremus, nec ex eo emigrantes deploraremur; infaustissimus ille Evæ visus, Paradisum deliciarum convertit in vallem lachrymarum; quem meritò deflemus omnes. Sed quodnam de hoc conceptu ferent judicium, qui hodie & hac die conficiunt lachrymarum panegyricum? Dicent, Deum tanti facere tusas pro peccatis lachrymas, quod lapsum & peccatum Adæ ideò permiserit, ut solummodò peccatores flentes cerneret. Dicent, Deum ex parte sua permisisse peccatum, ut homines, hominem Deum suum sanguinem profundere cernerent: & ex parte nostra, ut Deus nos lachrymas fundere videret. Sed non est mea intentio talia dicere. Quid refert similibus diebus multum laudare lachrymas, si oculi maneant sicci? Optimum lachrymarum elogium, est eas fundere.

Gen. 3. v. 6. Flevit Eva, quia vidit: flemus nos ejus filii quia videmus: veruntamen ego non miror nostros oculos flere, quia vident: sed eorundem stupiditatem, quod videat, ut plorent, satis admirari nequeo. Oculi rationales flent solummodò: & si rationis

nis effectus est flere quia viderunt : major insania dari nequit quàm videre ut ploremus. Spiritus Sanctus graviter de nostris conqueritur oculis: *nequius oculo quid creatum est?* In universis creatis, nihil pernicioſius & perversus oculis invenitur. Et quare? quia tales sunt (teste Spiritu Sancto) ut videant quod plorent: *ab omni facie sua lachrymabitur, cum viderit.* Ex una parte in alteram oculos convertimus, moxque flere incipimus ; quia videre præsumpsimus. Agedùm oculi cœci, irrationabiles, inimici domestici, si curiositas vestra lachrymis castigatur, si videtis ut ploretis, si fletis quia vidistis, ut quid ergò videtis ? Estne possibile, quod flere vos oporteat, quia vidistis, & videatis ut fleatis ? *Lachrymabitur cùm viderit* ; sic est. Tales sunt nostri oculi, flent quia vident ; & vident ut fleant. Fletus miserabilis finis est visus : & visus triste principium fletus. Lachrymatus est hodie S. Petrus, & quidem tam amarè, ut statim videbimus : & quænam istarum lachrymarum fuit scaturigo? Visus. In tragica illa Passionis Christi nocte, S. Petrus Caiphæ Pontificis atrium fuit ingressus, nec aliâ intentione aut fine quàm ut videret : *Ut videret finem.* Agè Petre ingredieris ad videndum, ergo egredieris ad flendum : voluisti videre finem ? Videbis finem visus: *Egressus flevit amarè.*

Eccl. 31. v. 15.

Ibid.

Matt. 26. v. 58.

§. III.

JAm dicta sufficiunt ad cognoscendam quod fletus sit effectus & consequentia visus. Sed quomodo ista sequitur consequentia ? sequitur mediante termino tersibili : qui se implicat cum visu & fletu, unius existendo cònsequens, & alterius antecedens ; Ex visu sequitur peccatum, ex peccato fletus : & hinc fletus est consequentia visus. Prævaricatis jam & in peccatum lapsis Adamo & Evâ, inquit textus, amborum oculos fuisse apertos, *aperti sunt oculi amborum.* Quæro, ante istam horam habebantne Adam & Eva oculos apertos ? omninò : viderunt enim Paradisum, viderunt serpentem, viderunt arborem, pomum, seipsos cæteraque omnia viderunt : Si ergò viderunt apertis oculis, ut quid textus dicit, quod modò amborum oculi sunt aperti ? aperti sunt ad flendum, siquidem eò usque non fleverunt ; *Aperti sunt oculi, ad quod antè non patebant,* dicit S. August. Deus creavit oculos humanos cum fenestris, visus, apertis, fletus verò, clausis : videndo peccârunt, & peccatum per visus fenestras ingressum, per portas fletus exivit. Hæ binæ oculorum fenestræ apertæ sunt, *aperti sunt oculi amborum* : Peccârunt quia viderunt : fleverunt quia peccârunt. Oculi luerunt quod oculi fecerunt, justumquippe erat, ut in oculis exequeretur pœna, cùm oculi delicti & peccati fuerint occasio & causa.

Gen. 3. v. 7.

S. Aug.

Dicetis forsan mihi : in Eva quidem ejusque peccato locum habuisse hanc consequentiam, secùs verò in nobis nostrisque oculis : saltem non in omnibus. Quod enim in Eva locum habuerit, inde est, quod prævaricatio ipsius ingressum habuerit per oculos, in nobis verò non item : licet enim quædam peccata per oculos, alia tamen aliâ intrant viâ. Respondeo, in omnibus delictis fletum esse consequentiam visus : neque aliam hujusce quæro probationem quàm ipsas lachrymas. Attendite.

Non

Non ſolùm conſideratione, verùm etiam admiratione dignum eſt, quod in ſatisfactionem pro omnibus delictis Deus lachrymas acceptet! quæ ingens eſt miſericordia, ſed talis quæ videtur injuſta. Quod oculi luant oculorumpiacula, quod luant flendo peccata commiſſa videndo, juſtiſſime eſt pœna æquiſſimaque juſtitia: ſed ſolos oculos omnium reliquarum potentiarum, ſenſuum, totiuſque corporis membrorum luere delicta, quænam quæſo aut juſtitiæ aut æquitatis eſt ſpecies? peccante homine per inceſſum luant pedes: peccatum perverſi operis luant manus: delicta oris luat lingua: iniquarum cogitationum peccata luat memoria: temerarii judicii errata luat intellectus: pravorum denique affectum & deſideriorum peccata luat voluntas. Quod verò miſeri miſerabilesque oculi jam enumeratas prævaricationes diluere & ſatisfaciendo expiare debeant; quænam juſtitiæ forma? convenientiſſima. Juſtum quippe eſt, ut omnium transgreſſionum inſtrumentum & cauſa, omnem earundem inſe transferens reatum, pro omnibus luat. Legite ſcripturas, eaſque evolvite omnes [minor enim lectio huic aſſumpto non ſufficit) & comperietis in omnibus tam Corporis quàm Animæ delictis complices eſſe oculos. Peccavit anima: rei tenentur oculi, *oculus meus depradatus eſt animam meam.* Peccavit corpus: rei ſunt oculi, *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit.* Univerſa hominum peccata, cordis, oris, & operis, immediatè ex corde proceduntj *de corde exeunt cogitationes malæ*: ecce hîc peccata cogitationum, *Homicidia, adulteria, furta*; ecce hîc operis. *Falſa teſtimonia, blaſphemiæ*: ecce hîc peccata oris ſive linguæ. In omnibus his, cujuſnam ducatum ſequitur cor? oculorum: *Si ſecutum eſt oculos meos cor meum.* Si mundana ſectamini, in cauſa ſunt oculi, ad vanitatem vos ſollicitantes, *averte oculos meos ne videant vanitatem.* Si inſatiabili divitiarum appetitu vexamini, hydropici oculi veſtri inextinguibili æſtuant ſiti: *nec ſatiantur oculi ejus divitiis.* Si obtinebrati animi perturbatione, phremeticorum more paſſionibus exagitamini: oculi veſtri ſequuntur affectus. *Turbatus eſt à furore oculus meus.* Si ſpiritu inflammati vindictæ offenſam nullatenus remittitis, oculique veſtri nonniſi iras minaſque ſpirant, *non parcet eis oculis tuus.* Si affectione pravâ illaqueati tenemini, oculi veſtri hos laqueos texuerunt, *capiatur laqueo oculorum ſuorum.* Si concupiſcentiis malis deſideriiſque pravis & appetitibus agimini, oculi veſtri ea excitârunt, *Deſideraverunt oculi mei*: item: *concupiſcentia oculorum ſuorum.* Contemptus æſtimabilium, horror & fuga amabilium, ab oculis naſcitur: *deſpixit oculus meus*, oculi quoque veſtri abominantur, *non rectis oculis aſpiciebat.* Infinita occurreret diſcurrendi materia, omnes & ſingulos vitioſos motus & peccaminoſos actus perſcrutaturo, in quibus complices ſunt oculi. Quia verò omnia peccata eorundemque ſpecies ad ſeptem reducuntur capita: in ſingulis capitalibus criminibus prævaricatores contemplemini oculos. Si ſuperbia intumeſcitis, ecce reos oculos: *oculos ſuperborum humiliabis.* Si opibus inhiatis: ecce oculos complices. *Inſatiabilis oculus cupidi.* Si luxuriæ ſordibus inquinamini; carnales ſpurcique veſtri culpantur oculi: *oculos eorum fornicantes.* Si irâ & furore exagitati delinquitis, in partem

Job. 31. v. 7.
Pſ. 118. v. 37.
Eccleſ. 4. v. 8.
Pſalm. 6. v. 8.
Deut. 7. v. 16.
Judith. v. 13.
Eccleſ. 2. v. 10.
Ezech. 23. v. 16.
Pſal. 53. v 9.
2. Reg. 18. v. 9.
Pſal. 17. v 28.
Eccleſ. 4. v. 9.
Ezech. 6. v. 9.
Thren. 3. v. 51.
Matth. 6. v. 23.
Matt. 15. v. 19.

tem delicti veniunt impatientes & vindicativi oculi : *Conturbatus est in ira oculus meus.* Si invidetis proximis, ecce vestri lividi oculi tenentur rei : *nequam est oculus lividi.* Si gulæ vitio estis dediti, inordinatus ille appetitus ciborum, & delectabilium ab oculis nascitur: *nihil respiciunt oculi nostri nisi Man.* Si acediâ torpescitis, in societatem hujus vitii, etiam veniunt vestri oculi: *oculi mei languerunt.* Quocunquedemùm peccato Deum offenditis ejusque legem transgredimini, rei tenentur vestri oculi: *offensiones oculorum suorum abjiciat.* Neque enim tam fœdum in mundo datur peccatum, tamque abominabilis malitia, cujus causa oculi non existant; *abominationes oculorum suorum.* Cùm igitur in omnibus & per omnia oculi delinquant videndo, quid mirum, si luant in omnibus, pro omnibus peccatis flendo?

Pſal. 30. *v.* 10. *Eccl.* 14. *v.* 8. *Num.* 11. *v.* 6. *Pſal.* 87. *v.* 10. *Ezech.* 20. *v.* 7.

Quemadmodum veraci sacræ Scripturæ testimonio evidenter demonstravimus causam culpæ : pari plenè ratione asserenda restat justitiapœnæ authoritate universæ Ecclesiæ : *Quo fonte manavit nefas, fluent perennes lachrymæ.* Nostis filii (inquit Ecclesia) cur Deus oculis imperet profluvium lachrymarum pro omnibus peccatis? in promptu causa est, quia omnium peccatorum fons & origo sunt oculi, *Quo fonte manavit nefas, fluent perennes lachrymæ* ; Flete igitur (ait Ecclesia] flete & jugiter flete : & quia vestri oculi origo fuêre peccati, sint quoque principium contritionis : & qui fuerunt fons culpæ, sint quoque fons pœnitentiæ : fontes extiterunt culpæ quatenus instrumenta visus : sint ergo etiam fontes pœnitentiæ, quatenus instrumenta fletus : Et quia peccârunt videndo ? luant flendo. Proinde nostri oculi (quod benè attendatur) sunt duo fontes quilibet eorum cum binis canalibus, totidemque episomiis ; unus canalis influens, aperto episomio visus : alter foras effluens, soluto exit episomio fletus ; cum canalibus influentibus, versisque episomiis ingreditur peccatum : cum canalibus effluentibus, apertisque episomiis currunt lachrymæ ; postquam verò torrentes peccatorum intraverunt per oculos videndo ; per eosdem quoque torrentes lachrymarum erumpere flendo, est justissimum.

Eccleſia.

Ecce quàm mysteriosè natura, justitia, ratio, gratia, in oculis posuerunt lachrymas ! Natura pro remedio : Justitia pro pœnâ : Ratio, pro contritione : Gratia, pro triumpho. Quemadmodum enim per oculos contrahitur peccati macula : sic in iisdem natura disposuit lachrymas, quibus tanquam undis maculæ eluerentur : sicuti mediantibus oculis admittitur culpa : ab eodem delicti loco exigit justitia supplicium per lahrymas, sicuti per oculos concipitur offensa, in iisdem lachrymas requirit ratio : ut ubi sedem fixerat ingratitudo, inde eam expelleret contritio, sicuti denique per oculos admittuntur hostes animæ, sic lachrymas in oculis posuit gratia : ut per quas ovantes irruperant scissuras, per easdem fugientes ejicerentur. Per os Balenæ Jonas intravit peccato: per idem mox egressus est contritus. Ratio igitur & justitia ; & non solùm gratia sed & Natura exigit, ut postquam oculi omnium delictorum extitêre universalis scaturigo ; lachrymarum quoque exitus deducendo pro omnibus satisfaciant & luant pro omnibus flendo : quia in omnibus deliquerunt videndo : *Quo fonte manavit nefas, fluent perennes lachrymæ.*

§. V.

CLariùs nunc patebit difficile dubium inter negationem S. Petri & ejuſdem lachrymas. Omnes negationes Petri fuêre peccata linguæ, lingua quippè in
Luc. 22. v. 59. prima negatione protulit: *Non ſum.* Eadem in ſecunda pronuntiavit: *Non novi*
Matt. 26. v. 72. *hominem.* In tertia negatione eadem proteſtata eſt, *Homo, neſcio quid dicis.* Si igitur
Luc. 22. v. 60. deliquid lingua, cur luunt oculi? quare S. Petrus linguam non condemnavit ad perpetuum ſilentium? ſed oculos potiùs ad lachrymas perennes? quia licet lingua pronuntiaverit verba, oculi tamen in crimine negationis præceſſerunt. Lingua fuit inſtrumentum: cauſam dederunt oculi.

In parabola vineæ, operarii fuêre vocati horis diverſis. Adveſperaſcente jam die, Paterfamilias ſingulis juſſit ſolvi denarium diurnum: ſed primi cernentes ſibi in mercede æquiparari noviſſimos:
Matt. 20. v. 11. *Murmurabant adverſus Patremfamilias.* Quod hîc noto (neſcio tamen, utrùm unquam notatum fuerit) eſt, quod murmuratores increpando, non eorum linguas, ſed oculos incuſârit: *An oculus tuus*
Ibid. v. 15. *nequam eſt, quia ego bonus ſum?* ſic allocutus redarguit eos Paterfamilias, ſed iſtius increpationis cauſam necdum pervideo. Increpatio fuit murmurationis: oculi murmurare nequeunt ſed lingua, cur igitur non invehitur in linguam, ſed in oculos? quia licet à lingua murmurationis proceſſerint verba; oculi tamen præbuerunt cauſam. Plurimi murmuratorum murmurant de re non viſâ: hi verò de eo quod viderunt. Viderant ſe la-
Ibid. v. 12. borâſſe totâ die: *Portavimus pondus diei & æſtus*: viderant alios veniſſe ſeriùs, *hi noviſſimi una hora fecerunt*: viderant inæqualitatem laboris, & æqualitatem mercedis; *Pares illos nobis feciſti*: proindè quamvis murmuratio immediatè proceſſerit à lingua, occaſionem tamen accepit ab oculis, hinc non lingua, ſed oculi fuerunt caſtigati: *An oculus tuus nequam eſt?* hoc modo Paterfamilias murmurantium judicavit oculos, ſimilique ſententiâ S. Petrus feriit ſuos: negationes ipſius immediatè proceſſerunt à lingua; ſed priùs accepta ab oculis occaſione & cauſa. Negavit, quia voluit videre: ſi videre noluiſſet, non negâſſet. Licet igitur lingua negationis fuerit inſtrumentum, oculi tamen puniuntur, quia præbuerunt anſam: niſi enim oculi fuiſſent curioſi ad videndum: fragilis lingua tam lubrica non fuiſſet ad negandum. Et quia oculi fuêre curioſi ad videndum: adduxerunt linguam in negandi occaſionem; luant itaque oculi pro ſe ſimul & pro lingua; ſcilicet pro hac, negationem, & pro ſe curioſitatem.

Si minus, quæro. Cur tam ſignanter dicunt Evangeliſtæ, quod ſanctus Petrus *Flevit amarè*, quod ſi ob lachrymarum copiam fletum Petri exaggerare voluerunt, dicant ipſius oculos fuiſſe converſos in perennes lachrymarum fontes: dicant, ex ipſius oculis erupiſſe torrentes, maria, imò diluvia. Quod ſi verò non tam per lachrymarum copiam, quàm doloris vehementiam fletum exaggerare intendunt, dicant ipſum fleviſſe cum intima cordis triſtitia, vivaciſſimo doloris ſenſu: dicant ipſum fleviſſe iremediabiliter, vel quærant alios terminos majoris triſtitiæ, majoris miſeriæ, vivacioris ſenſitivitatis, acerbioris pœnæ, vehementioris denique doloris ſignificativos,

tivos. Sed his omnibus præteritis, hoc unum & ſolum cum Emphaſi dicunt, *flevit amarè?* ſic eſt, & quidem non ſine graviſſima ratione : fletus namque oculis, amaritudo debetur linguæ. Et ſicut oculi Petri flebant pro ſua, & ſimul linguæ culpa, proinde juſtum erat, ut amaritudo à lingua tranſiret ad oculos; nec Petrus tantum fleret ſed amarè fleret, *flevit amarè.* Sicut culpa oculorum in videndo, ſocia fuit linguæ in negando: pari modo ſociata fuit pœna linguæ, quæ eſt amaritudo, cum pœna oculorum quæ ſunt lachrymæ: quo videlicet lachrymæ ſolverent curioſitatem, amaritudo ſolveret negationem, & oculi amarè flendo ſolverent totum : *flevit amarè.*

§. VI.

VErum enim verò, ſi viſus in Petro fuit occaſio negationis, & negatio cauſa fletus : quare non flevit Petrus mox ut negavit, ſed ut exivit, *Egreſſus foras flevit amarè?* Negavit ſemel oculis remanentibus ſiccis : negavit iterum, ſed ſine lachrymis : negavit tertiò, nec adhuc quidem ſtillantibus oculis : exivit tandem foras ; & poſtquam exivit, exierunt ſimul & lachrymæ : *Egreſſus foras flevit amarè.*

Si igitur flet quia negavit ; quare non flet quando negavit, vel poſtquam negavit : ſed quando exivit, *egreſſus foras?* Quia Petrus quouſque non exibat foras, in occaſione & deſiderio videndi perſiſtebat : oculi verò dum vident, flere non poſſunt. Videre & flere (ſicut diximus) ſunt quidem officia oculorum, ſed eodem inſtanti & ſimul incompatibilia : dum oculi vident flere nequeunt : & ut fleant, actio viſiva debet ceſſare. Exivit igitur Petrus foras, non ut fleret, ſed ut flere poſſet : ut enim oculi exercerent officium flendi : abſtinendum erat ab officio videndi.

Notabilis noſtrorum oculorum eſt Philoſophia : in flendo, & non flendo. Si flemus, anſam præbuit viſus ; ſin autem, viſus objicit impedimentum. Sicut noſtri oculi fletus & viſus ſunt feneſtræ, in eiſdem lachrymæ & viſiones ſibi occurrunt, hæ intrando, illæ exeundo : quia verò lachrymæ ſunt ſpiſſiores, viſiones autem ſubtiliores : hæ turmatim irrumpentes, illis egreſſum obturant, nec erumpere ſinunt. Nunquid aliquando vidiſtis in littore maris, quod refluendo cum impetu rivulorum offendat torrentes : quia verò oceani undæ exiſtunt, ſpiſſiores, hinc torrentes intrare non ſinant, ſed ſuâ ſpiſſitudine obicem ponant & ſiſtant? Similis ratio eſt cum oculis noſtris. Univerſa hujus maris magni videlicet orbis ſublunaris objecta, & vel maximè impenſiùs amata ; ſunt undæ cum impetu in oculos irruentes : & licet lachrymarum torrrentes ad ſe effundendum valdè urgeantur, quia tamen ſenſus viſus ſenſui prævalet fletus : hinc patet cur non fleamus dum oporteret : ſiquidem videre non ceſſamus. In oculis Davidis jam dicta examinemus, qui tam veracia de viſu teſtimonia ; & de fletu tanta reliquit exempla.

Occiſo miſerabiliter Principe Abner, ſtatim mandavit David Rex univerſo exercitui, ut lugubri aſſumpto habitu armiſque inverſis funus ad tumulum uſque deducerent Regis imitati exemplum: *Porrò David ſequebatur feretrum.* Hoc modo funebris pompa ad ipſum uſque tumulum ſine lachrymis eſt peracta : funere jam depoſito ex feretro necdum 2. *Reg.* 3. *v.* 31.

quispiam lachrymari est visus. Tandem demittitur in sepulchrum, operiturque lapide. Et ecce mox David & universi
Ibid. cum eo fleverunt fletu magno, *Cumque*
v. 32. *sepelissent Abner, levavit David vocem suam, & flevit super tumulum, flevit autem & omnis populus.* Quod si nec in sepultura, nec ante, David & ejus exercitus flevit: quare in ipso instanti, quo Abner conditus fuit & sepulchro clausus, cum toto suo exercitu flevit? Quia ante, & in sepultura præsentem adhuc videbant Abner, clauso verò jam sepulchro, oculis erat subtractus: quoniam verò actio fletus impeditur resistentiâ visus, quamdiu oculi viderunt, lachrymæ repressæ fuerunt, quæ quantocyùs objecto visui subtracto, largè profluere cœperunt; oculi quousque viderant flere nequierunt: videre cessantes in lachrymas sunt resoluti. Subserdiant profana sacris, audiamusque ingenium illud, quo nullum aptiùs doloris & naturæ exprimere scivit affectus, *Jamque*
Ovid. *oculis ereptus eras: tum denique flevit.* Esto
Epist. 10. historia hæc Fabula: nihilominus est vera Philosophia: Quousque Ariadne Theseum oculis potuit prosequi, ipsius lachrymæ suspensæ fuerunt & impeditæ per visum: sed illo jam visui sublato, *Jamque oculis ereptus eras*, obice subtracto ubertim manere cœperunt: *tum denique flevi.*

Hæc fuit ratio, quantumvis physica, propter quam Petrus de loco ubi videbat exivit, ut lachrymæ intrarent, *Egressus foras, flevit amarè.* Ingressus ut videret, exivit ut flevit. Quousq; visui in oculis patebat ingressus: lachrymæ fuerunt exclusæ. Utque ipsemet sanctu. Petrus hujus Philosophiæ evidentiam demonstraret, inquit S. Marcus in Textu græco (juxta interpretationem Theophylacti) S. Petrum facie coopertâ, ex atrio Pontificis egressum flevisse: *Cùm caput obvelâsset: flevit.* *Theophyl.* Ut posset flere, obvelat Petrus oculos ne videret, exivit ut non videret amplius quod viderat, velavitque oculos ne quædam objecta reciperent: jamque non videns & videndi impotens, potuit flere. *Flevit.*

§. VI.

HOc modo sanctus Petrus de loco suæ infelicitatis fuit egressus, sed quo? Nicephorus aliique Ecclesiastici Scriptores ejusdem ævi asserunt sanctum Petrum specum quandam inter Jerusalem & montem Sion sitam intrâsse. Promiserat se moriturum cum Christo, sed deficiente animo moriendi: se vivum sepeliendi successit propositum. In hac tristi, salitariâ & obscurâ sepulturâ, ubi oculi carebant luce ad videndum, majore gaudebant libertate ad flendum. In una tantùm comparatione dignosci poterit excessus lachrymarum sancti Petri. Duo pœnitentium exempla Deus proposuit mundo: unum in Legi veteri; alterum in Lege nova. Davidem scilicet & S. Petrum. David fuit Petrus, in Lege scripta: & S. Petrus fuit David in Lege gratiæ; & sicut sanctus Petrus ad indulgendum lachrymis sibi elegit locum solitarium: ita quoque David secretum petiit ut fletui vacaret. Uter verò horum videtur sibi elegisse locum ad hoc aptiorem? mox id patebit. *Niceph.*

David obscuræ noctis tempus lachrymis deputavit, *Per singulas noctes lachrymis* *Psal. 6.*
meis stratum meum rigabo: per diem tra- *v. 7.*
ctabat negotia Regni, nocte flebat. Di-

em

em regimini, noctem mancipabat fletui. Flores appropinquante nocte contrahuntur & quasi marcescunt; exurgente verò aurora, quasi suscitati vigorosè revivisc unt : similem in modum faciebat David singulis noctibus animam suam rigando lachrymis. *Per singulas noctes lachrymis meis stratum meum rigabo.* Sed revertamur ad motivum factæ electionis. Quam ob causam putamus à Davide pro lachrymis fundendis selectum fuisse obscurum tempus noctis ? Quia, mediante diei luce, vis visiva liberè suum exercet officium, & lachrymis ponit obicem : obscurâ verò nocte, vis visiva tenebris impedita, liberum fletui relinquit exercitium. Eandem rationem secutus est S. Petrus in electione suæ specus, sed majore libertate dolori indulgendi, & majore desiderio lachrymas excessivè effundendis; David eligendo tempus nocturnum, nocte tantùm flebat, & non de die : S. Petrus obscuram eligebat specum, in qua continuarum tenebrarum beneficio die & nocte sine interruptione ploraret. Oculi Davidis diem alternando cum nocte, visum quoque alternabant cum fletu : oculi verò S. Petri in continua quasi nocte positi nunquam videntes, & de die, & de nocte sine intermissione lachrymis fluebant.

In hac specu solus sanctus Petrus oculis suis invenit, quod quondam Jeremias solus suis oculis desideravit : *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte* ? Ecce quàm prudenter & instanter petebat Jeremias ; non solùm petebat lachrymas, sed lachrymarum postulabat fontes, *fontem lachrymarum.* Et quare fontes? Quia die nocteque desiderabat flere, *Plorabo die ac nocte* : nam fontes diem inter & noctem non discernunt, sed sine intercapedine scaturientes rivulos emittunt, & quia Jeremias die & nocte flere desiderabat, *Plorabo die ac nocte*, hinc postulabat lachrymarum fontes : vel lachrymas instar fontium, *Et oculis meis fontem lachrymarum.* Hujuscemodi erant S. Petri oculorum fontes in tenebrosa ista specu, nullum ibidem diei noctisve discrimen: quia nullum corruscabat lumen. Et sicut lumen ibi non interpolabat noctem, ità nec visus interrumpebat fletum, nocte perpetuò impediente visum, lachrymæ indesinenter decurrebant. Flebat amarè quia viderat : flebat incessanter, quia non videbat : extra Pontificis Palatium, ubi viderat, ut non videret; intra speluncam, ubi non videbat, plorabat, ut sine intermissione fleret : *Egressus foras, flevit amarè.*

Jerem. 9. v. 1.

§. VII.

HUcusque de oculis S. Petri disseruimus, nunc oculi nostri S. Petri discursum auscultent. *Neque taceat pupilla oculi tui,* inquit Jeremias. Et quid dicunt vel loquuntur oculi S. Petri ? Quid bini isti oratores oculis nostris insinuant? oculi, discite à nobis : nos vidimus, & quia vidimus ploramus; à nostro visu discite non videre : & à nostro fletu discite plorare. Eheu quàm graves sunt pro oculis nostris istæ ambæ lectiones !

Thren. 2. v. 8.

Si S. Petrus desiderio videndi Christum, eundem ter negavit : oculi creaturarum aspectu sese oblectantes, quoties Christum negabunt? si Petrus æstuans amore & desiderio videndi Christum, illum negat : quomodo illum non negabunt qui carnali amore correpti, quamcunque suis licentiam indulgent ? si is

qui Pontificis intravit domum, tragicam patientis Christi scenam spectaturus, tantam lachrymarum causam invenit : quem quæso curiositatis suæ fructum reportabunt illi, qui obscœnas comœdias ludosque profanos tam sedulò frequentant & oculis spectant ? Sanctus Leo asserit oculos S. Petri hodiè in suis lachrymis fuisse baptizatos : meritò oculi nostri iteratò tali indigerent baptismo, siquidem nihil bono Christiano dignum continet. Conferte atrium Caiphæ cum specu illa de Jerusalem : conferte visiones nostras, cum illâ sancti Petri ; non dico nec exigo, ut ad tenebrosas confugientes specus nostros oculos perpetuis tenebris condemnemus, similis enim spiritus jam exulat à mundo : sed ad minùs nostros oculos non componemus ? non ad minùs cum nostris oculis inibimus pactum quod Job cum suis ? *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* Job loquebatur in materia & peccato luxuriæ, in quo cumprimis complices sunt oculi, & ait ; se pactum iniisse cum oculis suis, non tantùm tale peccatum non admittendi ad consensum, sed ne ad vim imaginativam quidem. Istud fœdus non rectè videtur initum cum oculis, sed cum intellectu & voluntate pangi debuisse : consensus enim ad voluntatem, imaginatio verò pertinet ad intellectum ; pangatur itaque fœdus cum voluntate quæ consentit, & cum intellectu qui imagines recipit, & non cum oculis qui vident. Minimè, inquit Job, cum oculis pangi oportet, quia peccatum materialiter intrat per visum, à visu transit ad imaginativam ; & hinc ad consensum, ne igitur perveniat ad consensum, oculis adhibenda est cautela, ubi primum est periculum ; in oculis resistentiam, in oculis statuere oportet impedimentum. Optimè notavit Salmeron, quod hominibus in hujusce generis peccatis idem eveniat, quod S. Petro in suis negationibus accidit. In negationibus S. Petri duæ concurrerunt tentatrices, & unus tentator : Prima & secunda tentatrix binæ fuerunt ancillæ, & tentator tertius fuit miles de Caiphæ custodibus. Eodem modo se res habet cum negationibus nostris ; Prima tentatrix seu ancilla est visio ; Secunda ancilla seu tentatrix Imaginatio ; & tertius tentator est consensus peccatum consummans. Et quemadmodum in negationibus sancti Petri prima tentatrix fuit ancilla ostiaria ; ità in nostris negationibus primus tentator est visus ; qui tanquam ostiarius reliquarum potentiarum habet claves. Hinc Job pepigit fœdus cum suis oculis : quo videlicet hæ portæ semper remanerent clausæ.

S. Leo Papa.

Salmeron.

Job. 31. v. 1.

Et nos hasce periculosas animæ nostræ portas non claudemus, ad minùs ob reverentiam oculorum Christi ! Quo tempore sanctus Petrus negavit Christum, stabat Christus velatis oculis extremas sustinens injurias. Permisit Christus Dominus amore mei tam ignominiosè sibi oculos velari, & ego amore mei & Jesu Christi oculos non claudam ? Christus permisit sibi velari oculos ut me salvet, & ego aperiam meos ut me æternùm perdam !

Considera quæso ô Christiane, quàm seriò Salvator tuus hanc materiam pertractet, *Si oculus tuus scandalizat te*, inquit, *erue eum & projice abs te.* Quod si generosa adeò resolutio requiritur, ut quis, salutis ergò, sibi oculos eruat, ut hoc medio ad beatificam Dei visionem perveniat,

Matth. 18. v. 9.

cur

Jud. 14. *v.* 11. *Item.* 16. *v.* 21. *Gen.* 34. *v.* 2. 2. *Reg.* 13. *v.* 3. *Judith.* 10. *v.* 19. *Tertull.*

cur eos tantummodò claudere videbitur difficile? Samsoni oculos eruerunt Philistæi, quia eos jam ante captivos tradiderat Dalilæ. Nonne Samsoni consultiùs fuisset oculos clausisse ne viderent, quàm illos perdere quia viderant? Nonne meliùs fuisset Sichem, Dinam non vidisse! Nonne melius fuisset Amnoni, Thamar non vidisse? Nonne melius fuisset Holoferni, Judith non vidisse? Hi omnes oculorum suorum incuriâ perierunt. Democritus Philosophus Gentilis (ait Tertulianus) sponte sibi proprios eruit oculos, ut à minùs honestis cogitationibus maneret immunis. Ecquis non obstupescat generosam Gentilis in eruendo sibi oculos resolutionem amore castitatis, & quod Christianus non habeat animumoculos claudendi? Auditores Christiani, per amorem istorum oculorum, quos tam misericorditer Christus hodie convertit in Petrum, ut & in nos quoque eâdem benignitate illos quandoque convertere dignetur, obsecro vos, dum aut pœnitentiæ, aut alium quemcunque actum mortificationis, vel Christianæ exercitationis aggredi disponitis, illud sit amore Christi vestros oculos claudere & custodire. Palpebræ vestræ compressæ, sint quasi cilicium strictum pro velamine vestrorum oculorum. Nonne oculi sunt enormes illi peccatores, qui in omnibus & per omnia peccant? Ergò non tantùm modò; sed in perpetuum ad gestandum hoc cilicium damnentur.

§. VIII.

OCuli cùm fuerint clausi (istud est secundùm documentum oculorum S. Petri) oculi cùm non viderint, flebunt. Recordemur Auditores, nos degere in lachrymarum valle; recordemur, hanc vitam, non viventium sed flentium esse locum; *Locus flentium*; Isthæc vita, inquit Chrysostom. requirit, ut oculi nostri fleant, in alteta ut videant? nos in hac vita immutamus nostris oculis & tempora & loca, timendum profectò, ne etiam in alterâ illa inveniamus mutata. Oculi qui hîc in terra fleverunt, in cœlo videbunt: oculi qui hîc in terra curiosi fuerunt & incustoditi, in inferno flebunt, *Ibi erit fletus.* In ipso etiam inferno fluent lachrymæ, sed infructuosæ. Nonne consultiùs hîc flere pro nostro remedio, quàm postmodùm sine fructu in inferno? quid quæso concludimus? qualem quæso fides nostra cum vitâ ponit rationem? quomodo rationes disponunt, qui aliquando ad strictum Christi tribunal se sistendos sciunt & credunt? Ecce Auditores, quàm benignus Deus rationes ponit cum nostris lachrymis & nostris peccatis. Habetur in sacra Scriptura locus admirabilis, qui cum servire posset pro nostra magna consolatione, magnum terrorem nobis incutit.

Judic. 2. *v.* 5. *Matth.* 8. *v.* 12.

Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo Domine, inquid David. Et illæ lachrymæ in conspectu Dei positæ, ubi sunt? Illæ currunt, transeunt, arescunt, abstergunturr: ubi ergo sunt positæ istæ lachrymæ? istud admirabiliter declarat textus originalis ubi dicit, *Posuisti lachrymas meas in libro rationum tuarum*: Deus libris rationum suarum eas consignavit, in libris creditorum & debitorum eas annotavit; Hi sunt libri isti, quos S. Joannes indicat aperiendos in die judicii, *Et libri aperti sunt*, ità sentiunt & resolvunt omnes Theologi. Unus liber est creditorum: alter debitorum; unus est satisfactionum: alter rationum. In libris rationum continentur peccata;

Psal. 55. *v.* 9. *Text. orig.* *Apoc.* 20. *v.* 12.

cato: In libris verò ſatisfactionum lachrymæ. *In libro rationum tuarum.* Quilibet nunc diſponat ſuas rationes, nam juxta hos duos libros Deo reddendæ ſunt: Computet nunc quilibet numerum ſuorum peccatorum, que continentur in libris rationum, cum lachrymis quas habet in libris ſatisfactionum: conferat ea & videat, an pro quolibet peccato vel unam habeat lachrymam? O valdè deplorandi noſtri oculi? ô miſeræ noſtræ animæ! S. Petrus in libro debitorum habet tres negationes: & in libro creditorum habet innumerabiles lachrymas. Heu quod reperiuntur Chriſtiani, qui in libro debitorum innumera habent peccata, & in libro creditorum ne tres quidem lachrymas ex verè contrito corde deductas! Quo igitur animo ante ſtrictum Dei Tribunal comparebimus? quomodo cum rationibus noſtris coram iſto ſubſiſtemus? cumq; tantum Deo debeamus, quare non in præſenti imò hoc momento peccata noſtra deplorare decernimus, qui hucuſque non flevimus? S. Petrus ne quidem duarum horarum ſpatio in ſuo perſeverans peccato, totâ vitâ ſuâ ad extremum uſque halitum illud indeſinenter deflevit: & nos, qui totam vitam noſtram in peccatis conſumpſimus, quorum plurimi inſuper ad extremum vitæ terminum pervenerunt, nec non omnibus incertum eſt, quantum adhuc de præſenti vitæ ſupereſt, quando faciemus noſtrum computum ut fleamus? S. Petrus erat certus peccatum ſuum à Deo ſibi condonatum, nihilominùs plorare non ceſſabat: ſumusne nos certi de remiſſis nobis peccatis noſtris! Conſtat quidem nobis ſatis evidenter, toties & tam enormiter nos Deum offendiſſe, plurimi quoque certi ſunt ſua peccata ſibi nondum remiſſa, imò ſe actualiter in ſtatu peccati mortalis vivere, & tamen cum omni illa certitudine & evidentia nec hi, nec illi ullatenùs plorant.

Dicite mihi propter ſanctiſſima Chriſti vulnera, diſponitiſne vos ad ſalutem æternam conſequendam exemplo S. Petri? reſpondetis, imò verò: peccaſtis uti S. Petrus? multò graviùs & frequentiùs: Fleviſtis uti S. Petrus? neutiquam. Si igitur vos pecâſſe ſicut S. Petrus, imò multò enormiùs agnoſcitis, & necdum, ſicut ille, delicta vos defleviſſe ſcitis: quomodo quæſo rationes veſtras ad æternam ſalutem ad inſtar S. Petri diſponitis? Habebitne forſan Deus novam pro vobis legem; aliam juſtitiam, aliam miſericordiam? Chriſtus Petro remiſit, quia flevit: quod ſi non fleviſſet, inſtar Judæ traditoris miſericordiam non inveniſſet. Si igitur ſine lachrymis remiſſionem peccati non impetrâſſet S. Petrus: qua fronte, quave præſumptione nos ſine lachrymis veniam ſperamus? num gaudemus nos majore diſcipulatus Chriſti privilegio quàm S. Petrus? aut majore quàm S. Petrus apud Chriſtum valemus gratia? aut forſan majore Chriſto conjungimur amicitia quàm S. Petrus? aut à Chriſto ardentiùs dilecti quàm S. Petrus? num ſumus magis de domo, familia, & collegio Chriſti: ut majore amicitiæ, dilectionis, & æſtimationis prærogativa, apud Chriſtum gaudeamus quàm S. Petrus? minimè. Quam igitur cœca & diabolica eſt iſta noſtra præſumptio!

Domine Jeſu Chriſte, Proditor tui Judas non flevit, ex quo eum non reſpexiſti? flevit verò Petrus quia tuos in eum oculos miſericorditer convertiſti. Reſpice quæſo in nos miſertus noſtri: Reſpice

nos

nos pie Jesu ; intuere nos piissimis istis tuis oculis , quibus Petrum respexisti, Impenitrabilem illam cordium nostrorum emolli duritiam , obstinatissimam illam oculorum nostrorum illumina cœcitatem. Claude illos ne ultrà videant vanitatem & hujus mundi vesanias. Aperi eos ut resolvantur in lachrymas : quia toties te negârunt enormiterque offenderunt.

Sancte Petre divine Apostole , divine Pœnitens , & Pontifex divine ; memento hujus tuæ tam cœcæ & impœnitentis Ecclesiæ : memento harum tuarum ovium tuorumque filiorum , & tibi superfluas , nobis adeò necessarias in nos effunde lachrymas. Ab oculis illis, qui tam piè & benignè te respexerunt, similem tuæ nobis impetra contritionem , ut peccata nostra , sicut oportet , deflentes , condignam agamus pœnitentiam , Deum deinceps timeamus offendere : totoque corde & affectu vitam emendare incipiamus. Impertire nobis de sublimi Cœlorum Throno tuam benedictionem, & indulgentiam plenariam , quæ à cunctis reatibus nos absolvat concede : super omnia nobis impetra, in gratia, bonis propositis, dolore & contritione perseverantiam , ut ritè deflendo quod unicè deflere debemus, hoc tandem videamus, ad quod toto desiderio suspiramus , Deum Ter Optimum in æterna gloria, Amen.

SERMO

De Mandato

Romæ in Ecclesia S. ANTONII Lusitanorum Anno 1670.

Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos , qui erant in mundo , in finem dilexit eos.

Joan. 13.

§. I.

Hic salutifer ille suavissimusque est Textus, hoc mysterium illud vel magnum ænigma amoris toties in hac hora repetiti , toties torque modis exaggerati, toties tamque subtiliter interpretati : sed nunquam satis intellecti. S. Joannes Evangelista inquit , Christum nos amare & discedere : discedere , *Ut transeat ex hoc mundo :* nos amare , *in finem dilexit eos.* Sed si nos amat , quomodo discedit ? si nos amat , quare se absentat ? & aliquid adhuc ampliùs Evangelista innuit , non solùm dicens Christum nos amare & discedere , verùm illâ ipsâ discessus sui horâ eâdem ipsâ horâ suæ absentatio-

tionis, cùm semper sic amâsset alas, tunc vel maximè dilexisse : *Sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo : cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.*

Si quis Evangelistarum alius hoc diceret, non adeò miraret, sed Joannes Aquila intellectus, & amoris phœnix? Joannes, præ cæteris sciens amare meliùs, magisque amari meritus? Joannes Christi pectoris Secretarius mihi dicat Christum discedere, sese absentare, nos relinquere, & tamen nos amare? nos amare, discedendoque nos amplius amare? hoc non intelligo. Quod si mihi dixisset Christum discedisse quia tædebat eum nos amare : sese absentâsse, quia illos primos amoris sui excellus tempus omnia finiens finiisset: quod si dixisset mihi, ipsum, nostris exigentibus demeritis, coactum, ingratitudinibus lassatum, culpis offensum, modicæ fidei nostræ conscium nos jam veluti abhorrere, vel non diligere, ideoque mundum relinquere, suamque hominibus præsentiam sub trahere : si inquam, mihi hoc S. Joannes dixisset, apprehenderem valdè, sed illud ratio & consequentia agnosceret. Confiterer ego, confiteremurque omnes Christum fecisse & operatum qualis est : nosque tractare, quales sumus. Amavit nos immeritos, subtraxit se nobis id meritis : amor illum in mundum induxit, averso illum sustulit, hinc discessit & nos reliquit. Sed Evangelista constanter affirmat non aversionem esse sed amorem, & quando Christus à nobis se absentavit, tunc excellentissimè fuisse operatum, tunc summum attigisse apicem, & ultimum assecutum fuisse finem, quo amando poterat pertingere, *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.*

Genuinus amorosæ hujus implicationis sensus, nostri erit materia discursus : & ipsa dubitandi ratio, nobis dabit dubii solutionem. Consideratis omnibus legibus amoris obstupescendo videbimus, maximum Christi erga nos amoris fuisse extremum, à nobis sese absentare ; id verba textus insinuant : *Sciens quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo* : Ecce ejus à nobis discessum; *Cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos* ; Ecce maximum amoris sui extremum ; videtur paradoxon : sed est extremum Christus in tantum dilexit homines, ut illos recedendo reliquerit : videtur paradoxon : Christus in tantum amavit homines, ut eorundem amore ab ipsis recesserit : hoc est extremum, quod etiam dicit Evangelista. In hominibus, hora discessis finis est amoris : In Christo finis amoris fuit hora discessus, *Sciens quia venit hora ejus : in finem dilexit eos*, minus dicere, est descendere : ad ascendendum altiùs non datur unde. Et sicut punctum illud sublimissimum quò amor Christi pertingere potest : erit similiter punctum unicum, in quo sermo noster exordium finemque sortietur. Petamus ab amore ipso per merita cordis ejus quod solum condignè huic respondere novit, ut in hac sua hora, suâ nobis gratiâ assistere dignetur. Ave Maria.

§. II.

UT transeat ex hoc mundo in finem dilexit eos. In tantum Christus amavit homines, ut eorundem amore ab ipsis voluerit discedere : hoc meum est assumptum, maximumque fuisse dico amoris Christi extremum. Sed quid video?

deo? In sacro illo monumento, in mysterio sacrosancto (quod amoris est compendium, mortisque Christi memoriale) contra hoc meum assumptum, tres potentes in aciem prodeunt oppugnantes: *Sacramentum, Mors, & ipse Amor.* Amor inquit, non posse esse amorem, Christi à nobis separationem? Sacramentum inquit, manere nobiscum maximam esse amoris excellentiam: Mors inquit; mori pro nobis, summum omnium fuisse extremum. Hæc stupenda sunt illa, quibus magis heroica amoris Christi opera, quibusque ipsæ amoris leges sese hodie assumpti nostri opponunt novitati; quæ tamen ipsa discursum nostrum distribuent, ad sublimiusque in ipsum usque conscendendum apicem, vice graduum deservient.

Exordiamur ab amore. Amor essentialiter est unio quàm naturaliter quærit, quò trahit, quò vadit, & ubique solummodò sistit. Omnia sunt Platonis & S. Augustini verba. Si ergo amori naturale est unire, quomodo effectus ejus esse potest dividere? sic planè est, quando amor, extremus non est & excessivus. Causæ excessivè intensæ effectus producunt contrarios. Dolor facit exclamare; excessivus facit obtumescere. Lux facit videre; excessiva cœcat: lætitia pascit & vivificat: excessiva vero occidit. Hoc modo amor naturaliter unit; excessivus dividit. *Fortis est ut mors dilectio*, amor inquit Salomon est velut mors; *sicut mors*, Regum sapientissime? Ego dixissem sicut vita; amor animarum est unio: mors verò est animæ separatio. Si igitur amoris effectus est unire, mortis verò separare, quomodo amor morti similis esse potest? Ipse Salomon se explicat, non enim de qualicunq; sed de forti loquitur amore: *Fortis est ut mors dilectio.* Amor fortis, amor intensus, amor excessivus contrarios operatur effectus. Est unio, & operatur separationes: amor, instar Samsonis, se ligare novit & solvere: affectuosus ligari se permittit: fortis vincula rumpit. Amor semper est amans, sed quandoque amans & uniens: quandoq; amans & fortis. Quatenùs amans & uniens, maximè distantia conjungit extrema: quatenùs amans & fortis, maximè unita extrema dividit. Quænam in mundo maximè distantia & unita habentur extrema? Corpus nostrum & anima: maximè distantia; quia unum est caro, alterum spiritus; maximè unita: quia nunquam separantur, simul nascuntur, crescunt, vivunt, simul ambulant, sistunt, laborant, & simul quiescunt: nocte dieque dormiunt, vigilant: omni tempore, omni ætate & fortuna: semper amica, semper socia, amplexata & unita. Hanc tam naturalem, tamque arctam, quidnam dissolvit unionem? *Mors.* Talis est amor, *Fortis est ut mors dilectio.* Amor quatenùs unitivus, est vita: quatenùs fortis, est velut mors. Quatenùs unitivus, quantumcunque distantia conjungit extrema: quatenùs fortis, quantumcunque arctè unita extrema dividit.

Cant. 8. v. 6.

Ante incarnationem Verbi, quænam disjunctissima erant extrema! Deus, & Homo. Et quid fecit amor unitivus? attractum è cœlo Deum univit hominibus. Post incarnationem verò, quænam extrema magis fuêre conjuncta? Christus, & Homines. Quid verò fecit amor fortis? Hodie Christum in cœlum tollit, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*, Christumque ab hominibus avulsit,

Exivi à Patre, & veni in mundum, ecce hic amorem unitivum. *Iterum relinquo mundum & vado ad Patrem*, ecce hîc amorem fortem. Hoc est quod Evangelista dicit *Cùm dilexisset, dilexit.* Differentia quidem fuit temporis : sed non mutatio amoris. Christus hominibus unitus, amor, *cum dilexisset*; Christus ab hominibus separatus, similiter, amor, & intensior, *in finem dilexit eos.*

Demonstravimus jam de amore, amorem, & quidem intensum, esse posse ipsam separationem: ipse nunc amor oculos aperiat magis, & videat non solùm modo amorem, & magnum: sed maximum omnium, esse amorem *in finem*. Horâ quâdam hujus horæ repræsentativâ (prout S. Bernardus notavit) cum sponsa ageret in horto (qui similiter hujus horti figura fuit) à sponso cœlesti ad cantandam melos quoddam fuit invitata, quo audito amici recreatentur : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant; fac me audire vocem tuam.* Amici auscultantes sumus nos: sponsus Christus; sponsa est Ecclesia. Quale verò erit melos ? Sponsa carmine cantavit pastoritio : quod S Joannes prosâ dixit Evangelicâ. Illa, acceptâ in manum cytharâ tangendo chordas leniter cantavit. *Heu, fuge dilecte mi; & assimulare hinnulo cervorum, super montes aromatum*, q. d. discede velocis adinstar cervi relictisque terræ convallibus, ad cœlestes vade montes. Sponsa locuta, cytharâ confractâ semper obmutuit. Ita factum est : iste enim ultimus est versus, & finalis ultimi Capituli Canticorum conclusio.

Cant. 8. v. 13.

Novimus omnes, Canticorum Salomonis materiam, amoris seu amorem Christi cum sua sponsa Ecclesia esse historiam. Age ô sancta Sponsa, siccine tui Sponsi finis amorem ? vel mens tibi est, ipsius aut tuum, aut utriusque exaggerare amorem? Si ipsius, mandasne fugere? Si tuum, jubésne te deserere? Si utriusque, concludisne cum utriusq; ad invicem separatione ? Imò verò. Hic est finis ultimus, hoc ultimum extremum quò pertingere prævalet amor : ab amato se separare. Quousque ad illum nondum pertigit apicem, semper ampliùs, quod de amoris Christi extremis scriberet, sapientia Salomonis habuit : sed mox ut dixit *Heu! fuge* : mox ut dixit Christum mundum relicturum : mox ut dixit, quod amore hominum Christus sese esset ab hominibus separaturus, suspendit pennam Salomon : cytharam confregit sponsa : arcum confregit amor, hicque excellentiarum suarum historiæ imposuit coronidem. Usque hûc pervenire, nec ultrà ascendere prævalet amor. Salomon finivit librum : & S. Joannes posuit finem, *In finem dilexit eos.*

Quod si hoc aliter sehabere opinamur; finem hunc cum amoris principiis conferamus. In amoris principiis sponsi erant excellentiæ per montes & valles sponsam quærere : *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* In principiis amoris sponsæ erant excellentiæ, cum sponso semper degere, nec vel ad momentum ab ipso recedere : *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* Postquam verò amor inchoans in amorem transiit perfectum : postquam amor proficiens ad amorem pervenit consummatum : præsentiæ jam absentiis, commutantur; & cuncta amoris reducuntur extrema, *Ad quid?* ad unum *Heu!* & *fuge*, *Heu!* dolorem : *fuge*, significat separationem, *Heu!* violentiam : *fuge*, resolutionem,

Cant. 2. v. 8.

nem. *Heu!* affectum : *fuge*, sacrificium. *Heu!* denique amorem: *fuge*, excellentiam significat & extremum. *Heu!* & *fuge!* quàm contraria sunt extrema ! non optando loquitur ; inquit Beda. Sed ex his contrariis extremis, extremum Christi componebatur amoris : & horum duorum extremorum contrarietas & repugnantia tortores erant, cor illi in hac sui discessus horâ dividentes. Affectus, ipsum volebat manere: utilitas, urgebat abire, *Expedit vobis ut ego vadam*: Quia verò affectus erat ipsius, utilitas autem nostra : plus hæc valet quàmille. Prævaleat utilitas, quia vestra per hoc quod habet à vobis ; cedat affectus, quia meus, per hoc quod habet à me : hic finis sit ultimus, ultimumque amoris mei extremum ; *Heu ! fuge dilecte mi ; in finem dilexit eos.*

Beda.

§. III.

AD plenè satisfaciendum amori ; restat tantummodò ; ut altissimæ hujus Philosophiæ demus rationem : Quânam ratione Christus à nobis discedendo, amansque ab amato sese separando maximum fecit extremum ; ad quod amor pertingere valet ? quia amor amati, amore probatur relicti : nec amor plus relinquere potest ; quàm propter amatum ipsum relinquere amatum. Lapis lydius est amor cum amore. Deus Abrahæ probaturus amorem ; cum Isaaci confricuit amore ; quem ut filium amabat. David Jonathæ probaturus amorem ; cum Saulis collidebat amore : quem amabat ut Patrem. Ità plenè cognoscere cupiens valorem amoris, amorem amati, cum relicti collidat amore ; & mox ejus puritatem cognoscet. Hæc regula ab amore primo qui fuit in mundo ; confirmata perseverabit.

Eodem momento, quo Eva è manibus Dei fuit egressa, tam intensè amavit illam Adam, quàm ipsa pro se, suoque amari merebatur authore. Novus sponsus suum voluit extollere amorem, sed quia tunc alius in mundo deerat amor, aliusque qui amaretur, quid faceret Adam suo probando & extollendo amori ? Ecce artificium. *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem.* Adam nec patrem habebat nec matrem : erat homo, sed homo primus ; Ergo si Adam nec Patrem habet nec matrem ; quomodo amorem suum Patris matrisve probat amore, qui aliis hominibus pro suis sponsis sunt relinquendi ? Propter illud ipsum : Amor enim amati, amore probatur relicti : quia Adam alium non habebat quem deseret amorem, amorem quo sponsam suam deperibat ; Patris matrisque quos alii homines propter sponsas suas relinquere debebant, amore probabat ; *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem.* Adam, præsentem per futurum probavit amorem, & proprium per alienum : probavitque benè ; amor etenim Patris & matris qui nobis esse dederunt ; debitus est & naturalis : & quando amore sponsæ tantopere amatum relinquitur ; amor sponsæ probatur major quàm illius quod relinquitur ; hoc fecit dixitque Adam. Sed quantumvis scivit probare ; exaggerare tamen amorem suum nescivit ; vera etenim amoris extollentia non primo competebat Adamo ; sed erat rese vata secundo. Adamus suum sciens extollere amorem, quid dixisset ? Dicendum ei fuisset sic : O sponsa mea, ego nescio amorem meum erga te sufficienter testari, alium enim quem propter te relinquam, non habeo ; & licet Patrem Matremque charis-

Gen. 2. v. 24.

chariſſimos haberem (ſicuti habituri ſunt nepotes mei & deſcendentes) horum nihilominùs, amore tui, relicto inſufficiens foret mei erga te amoris argumentum: ſed ut mei erga te amoris magnitudinem cognoſcas, tanta eſt, ut te propter te relinquerem. Hoc neſcivit dicere Adam, & hoc fecit Chriſtus: reliquit enim nos propter nos. Amore ſponſæ relinquere Parentes, ſupremus fuit apex quem imaginari ſibi ſcivit amor Adami: Chriſtus verò præſtitit, quò ipſe imaginando non pervenit, reliquit enim ſponſam propter ſponſam, *Sacramentum hoc magnum eſt, in Chriſto, & in Eccleſia.* Sponſa Chriſti eſt Eccleſia, Eccleſia ſumus nos; & Chriſtus nos propter nos reliquit.

Ad Epheſ. 5. v. 32.

Chriſte veniente in mundum, amor divinus ſimilis fuit viſus amori humano ſponſæ etenim amore reliquit Patrem: ſed ipſo hodie è mundo exeunte, *ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem*, amor ejus non habuit cui aſſimilaretur: Sponſam enim propter ſponſam reliquit. Ad deſponſandam ſibi Rachelem Jacob ædibus paternis peregrinatum egreſſus & illo in itinere conſtitutus, conſpexit ſcalam ad cœlum uſque pertingentem; reduci in patriam cum Rachele, quamvis in ſecundo hoc itinere apparuerunt Angeli, non tamen ſcala. Omnibus vobis notum eſt, Jacob non ſolùm typum fuiſſe Chriſti, ſed expreſsè figuram fuiſſe Chriſti amantis. Quæro igitur, Si Jacob in primâ viſione primoque itinere conſpexit Scalam, quare non ſimiliter eandem vidit in regreſſu? Si vidit vadens, quare non vidit rediens? Quia iſta ſcala [juxta communem Patrum ſententiam] ſignificabat aſcenſum deſcenſumque Chriſti: diſcenſum, quando venit in mundum; aſcenſum, quando rediit ad Patrem; veniensque Jacob vidit Scalam, veniens enim Chriſtus ſimilis fuit Jacob: rediens verò Jacob ſcalam non vidit; reverſus enim Chriſtus illi ſimilis non fuit, nec alterum ſimilem habuit. Chriſtus veniens ſimilis fuit Jacob, quia ſicut Rachaelis amore Jacob reliquit parentes, ita Chriſtus amore ſponſæ reliquit Patrem: reverſus verò Chriſtus, Jacob non fuit ſimilis, quia hic Rachelem propter Rachelem non reliqui, & Chriſtus ità fecit, Rachelem ſuam propter ipſam reliquit, ſponſam ſuam reliquit propter amorem ejuſdem ſponſæ. Homines ſuos (*Cum dilexiſſet ſuos*) eorundem reliquit amore: hicque fuit ſupremus ſui amoris apex: eò etenim pertigit, ut amatos propter amatos relinqueret. *Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.*

Relinquens omnia propter amatum; omnia relinquit; ſed amatum propter ipſummet relinquens amatum relinquit ampliùs, relinquit enim illum, propter quem relinquit omnia. Veniens Chriſtus in mundum, cœlum amore hominum reliquit: ſed hodie relinquit ipſos homines, propter quos ante reliquerat cœlum; veniens in mundum, propter homines reliquit Angelos: ſed hodie ipſos relinquit homines, propter quos dimiſerat Angelos. Veniens in mundum, amore hominum dimiſit gloriam: ſed hodie ipſos dimittit homines, propter quos gloriam dimiſerat. Denique in mundum veniens, hominum amore reliquit Patrem: ſed hodie propter homines, ipſos relinquit homines; propter quos reliquerat Patrem. Et quidem hîc in mundo quid reliquit Chriſtus? Pauper natus, homi-

minum amore reliquit divitias; exul, patriam; laborans, quietem; se tradens, libertatem; contumeliam passus, honorem; moriens, vitam; in Sacramento amore hominum reliquit seipsum: sed hodie deserendo homines & ab eis discedendo. *Ut transeat ex hoc mundo*; plus quàm divitias, patriam, quietem, libertatem, honorem, vitam, & plus quàm seipsum reliquit: reliquit enim ipsos homines, propter quos reliquerat omnia. Ità ut Christus amore hominum, omnibus quæ habebat in cœlo (ad ipsum usque Patrem) omnibusque quæ habebat in terra vel habere poterat [usque ad seipsum] relictis; non habens jam aut in cœlo aut in terrâ, aut in se aut extra se, aliud quod amore hominum relinqueret; pervenerit ad *non plus ultra* amoris; & amore hominum ipsos reliquerit homines. *Ut transeat ex hoc mundo: in finem dilexit eos.*

§. IV.

ERitne adhuc, qui sese extremæ huic amoris opponat excellentiæ? Est. Adhuc sese opponit resistitque ipse Amor, Sacramenti scuto, mortisque gladio se defendens. Arma fortia! sed & hæc, tam valida licet & egregia, vincere debet amor.

Pro parte Sacramenti allegat amor constanterque defendit, majorem in Christo amoris fuisse excellentiam; manere nobiscum quàm nos deserere. Et quomodo hoc probat? casus unus utrumque demonstrat. Tres celebres in scriptura fuêre amicæ in terra Moab Noëmii, Ruth, & Orpha, quæ multo tempore velut amicæ familiarissimè sibi convixerunt, & affines quales erant, donec venit hora (sicut & ista hora) quâ ab invicem oportebat separari; mutuos inter amplexus amarè fleverunt, consuetis amori ceremoniis defunctis parentârunt: sed præsente jam præciso separationis momento: ecce differentiam notatu dignam, Orpha (inquit textus) discessit; ad patriam Deosque suos reversa est: Ruth verò adeò immutata, ut nullatenus quiverit Noëmi deserere societatem; sed totâ vitâ inseparabilis & individua ipsi adhæserit. Ecce quantum inter amare & amare, inter manere & discedere discrimen. Parum amans discedit: multum amans non admittit separationem. Orpha parum amans, recessit relinquens Noëmi: Ruth amans multùm, nec deserere, nec ab ea sese patitur divelli. Sunt termini nostri casus. *Sciens quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo*: sed in amorosa hac valedictione, in hac rigorosa separatione, quænam Orpha fuit discedens? quænam Ruth discedere recusans? utraque modo admirabili fuit humanitas Christi: hæc fuit eâdem horâ sese separans, hæc fuit eâdem illâ horâ separari nesciens, hæc fuit Orpha sese separans, ad patriam Deumque suum reversa, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*: & hæc fuit *Ruth* quæ discedere recusans, colligendo spicas in hoc sese Sacramento sub speciebus panis reliquit. Major ergo in Christo fuit amor, seipsum, quàm nos deserere: nobiscum manere, quàm à nobis recedere. O rudes hominum affectus, ad ponderandos æstimandosque amoris divini excessus! Quod si Christus velut Orpha sese separâsset, etiam ipsius adinstar Orphæ amor fuisset remissior: sed Christus velut Orpha discedendo ad instar Ruth amavit; multum amare, & nihilominus separari; longè excellentissimum est. Orpha, Noëmii

dea-

deserendo suæ indulsit commoditati: & Ruth separari recusans suæ indulsit inclinationi.

Condona mihi ô amor Sacramenti (sed condonare noli) quod Christus nobiscum permanserit in Sacramento, suo fuit indulgere amori, affectui, & inclinationi, suo fuit satisfacere desiderio. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum*, delitiæ, gaudium, satisfactio, quies commoditas fuerunt? Ita: ast non excessus & excellentia. Amor operatus est ut amor; sed non ut amor purus. Lapidem suum petere centrum: ad mare, decurrere fontem; ignem ferri ad suam sphæram; natura est, inclinatio est & quies; non excellentia. Et hoc est, quod Christus sese hominibus in Sacramento relinquat. Cor Christi in illo principii experte æternitatis principio nondum erat humanum; quænam verò tunc ipsius erant gaudia, recreationes & dilitiæ? esse in mundo cum hominibus, *Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Dictum notatu dignum! illo tempore ante omnia tempora, nec mundus erat nec homines. Si itaque nec mundus fuit nec homines, quomodo Verbi fuêre deliciæ, in mundo & cum hominibus esse? In hoc rationis meæ & consequentiæ energia consistit. Si nondum existentibus hominibus, nec mundo, deliciæ Christi erant in mundo & cum hominibus esse: quales postea ejus forent deliciæ cum existentibus in mundo hominibus, *suos qui erant in mundo*? Christum in mundo manere cum hominibus, esset quod suus amor quæreret delicias, & non excellentia: relinquendo mundum, ab hominibus se separare, fuit excellentia, *ut transeat ex hoc mundo*. Hoc quippe fuit vim inferre inclinationi, fuit sacrificare gaudium; fuit cruciare desiderium: fuit denique maximam in se & contra se repugnantiam superare.

Luc. 22. v. 15.

Prov. 8. v. 31.

Ut Christus à nobis discederet, simulque nobiscum maneret, semetipsum divisit. Grandis excessus! grande mirabile! est amor in hac prodigiosa separatione excellentiam & mirabile operatus, non fuit amor Christum mundo relinquens, sed auferens, *ut transeat ex hoc mundo*, ipsis hoc oculis contemplimini. Ad præstandum arcæ Domini transitum Jordanis, in semetipso divisus & à seipso est separatus: altera pars fluminis sic divisi ad mare decurrit, altera suspendendo torrentem, ad eum unde egressa fuerat, reversa est fontem. *Quid est tibi mare quod fugisti: & tu Jordanis, quare conversus es retrorsum*? Nunc mihi dicite: Utranam sic recedentis & à seipso divisi Jordanis pars hoc mirabile patravit? Utranam partium illarum excellentius operata? illane quæ ad mare cucurrit, an quæ conversa est retrorsum? Clarum est (inquit S. Augustinus) nec ipsum dicere necesse erat, partem ad fontem conversam excellentiam & mirabile fuisse operatam: Pars etenim ad mare delapsa, naturæ suæ secuta inclinationem suum quæsivit centrum: Pars verò conversa ad fontem, illatâ ipsi inclinationi violentiâ, rejecit confregitque impetum torrentis, & contra molem aquarum & naturam alterâ vice, unde descenderat, ascendere coëgit. Hinc (ut graviter notavit Lorinus) fluvio descendenti inquit David, *Quid est tibi*? ascendenti verò non dixit: ad mare etenim currere, fuit seipsum quærere, ad fontem verò reverti fuit contra seipsum ire. *Conversus es retrorsum*. Heus Jordanis

Lorin.

danis divine! (sic enim te graviter compellat Origines) hac hora te divisum à te ipso, contrariisque duobus torrentibus te scissum conspicio: uno torrente ad patrem vadis, qui (ut asserunt Theologi) fontale est principium, ex quo ex genitus, *ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*: Torrente altero immensum Sacramenti pelagus ingrediens, ubi verè præsens es & invisibilis, sicut fluvii in mare intrantes disparent, *Quid est tibi mare, quod fugisti?* Jordanis fugit à se: & tu fugisti à te. Videns te ab hominibus avulsum iri, fugisti à te ad nos; teque in hoc mysterio abscondisti. Sed qualisnam hîc fuit excellentia? quodnam hic fuit mirabile? Miraculum miraculorum. Quod Christus nobiscum manserit in Sacramento, miraculum fuit naturæ; fluvius quippe cucurrit ad mare, amor bucurrit ad centrum: Sed quod Christus à nobis sese separet, *ut transeat ex hoc mundo*, miraculum fuit contra & supra naturam: fuit etenim fluvii conversio ad fontem unde exierat; fuit inclinationis impetum perrumpere: fuit non solùm torrentem vincere: sed torrentes amoris confringere. Ità ut miraculum vel excellentia non fuerit quod Christus nobiscum maneret in Sacramento, sed à nobis se separando discederet. Quod si aliter se habere videatur, ipsum interrogemus Evangelistam, cur in tam gravibus suis, in amorem Christi reflexionibus, nullam aut amoris aut instituti Sacramenti fecerit mentionem? non in tam copiosa relatione quàm omnes alii Evangelistæ de hoc sacro mysterio habuêre: sed in illa, quàm S. Joannes facere noluit, fundo considerationem. Et ecce utrum ex proprio ipsius textu benè arguatur, *In finem dilexit eos: & cœna facta.* Extrema consideravit amoris, quo nos in finem dilexit: *In finem dilexit eos*: Cœnæ fecit mentionem, *& cœna facta*: de instituto verò in cœna Sacramento nullum verbum locutus est. Considerato itaque amoris extremo, cœnæ subjungens immediatè mentionem, quare sublimis adeò mysterii, tam admirabilis & amabilis, silentio præterit institutionem? quia Rhetorem imitatus divinum, qualis erat, & locutus est & tacuit; proposito suo congrua locutus est: non servientia subticuit. Sancti Joannis propositum non fuit in hoc Evangelio Christi probare amorem, sed ejusdem extremum excessum, *Cum dilexisset suos in finem dilexit eos*: & Sacramenti institutio quamvis amor fuit & amor intensus, in rigore tamen non erat excellentia: ideoque non dicit quod in Sacramento sese reliquerit, sed absentârit; non dicit quod nobiscum manserit; sed se separârit; non dicit ipsum in mundo mansisse, sed ex mundo abiisse, *Ut ex hoc mundo transeat*; positoque antecedente. *Ut transeat ex hoc mundo*, mox concludit, *in finem dilexit eos*; Etsi enim in Sacramento se relinquere, fuit amor, sese absentare amoris fuit excellentia: quamvis se relinquere fuit amor nos relinquere fuit extremum; quamvis nobiscum manere fuit amor, amor supremus fuit a nobis discedere, *Cum dilexisset dilexit*.

§. V.

BRachium vicimus scuti: mortis gladius tantum restat: huic multùm confidit amor, inscriptum gerit & insculptum, *Majorem hac charitatem nemo habet, ut animâ suam ponat quis pro amicis suis.* Noverint nihilminus Mors & amor (si fortè ignorant) quod ly *Nemo*, non complectitur Christum. *Nemo te condemnavit mulier neq; ego;* *Joan. 15. v. 13.* *Joan. 8. v. 10.*

ego; illud *Ego* singulare Christo, sub universali, *omnes*, non comprehenditur: *Nemo*: respectu filii, est, sicut *Omnes* respectu maris; nec *Omnes*, argumentum facit contra puritatem matris: nec *Nemo*, contra filii charitatem. Utque ipse oculorum (quibus mors & amor caret) intuitûs judicet, quantò major amoris Christi fuerit excellentia à nobis separari, quàm pro nobis mori; Hortum Gethsemani ex oppositoconstituamusCalvariæ: discessusquetheatrum cum theatro mortis conjungamus.

Ultimi discessus expeditionisque Christi theatrum fuit Gethsemani hortus, noctis umbris opertus, ubi omnia amorem, secretum, tristitiam, omnia denique spirabant salutem: ibidem amabilis Dominus à suis se separando Discipulis discessit; non ab omnibus simul, sed successivè ab his & aliis appropinquans etenim cordi jaculum, non simul sed successivè & per partes admisit. In hunc discessit modum. Sed
Luc. 22. v. 41. quid dico *discessit*? non rectè loquor, *avulsus est ab eis*, inquit S. Lucas: non discessit, nec se separavit: sed *avulsus est*. Violenter adeò Christus ab hominibus separatus est, ut ipsum separari fuerit avelli: adeò illis fuit infixus, illosque infixerat sibi, ut ne ab oculis eorum & brachiis separaretur, à cordibus eorum avulsus cor sibi evulserit, *avulsus est ab eis*.

Prodeat nunc *Mors* cum simili aliquâ (si habet) exaggeratione, ex omnibus quæ Christus illam patiendo patravit, dicatque de ipsâ quod narrant Evangelistæ. Dixitne fortè eorum aliquis Christum mortuum sibi animam evulsisse? nullatenus. Ex
Matt. 27. v. 50. omnibus Evangelistis plurimum dixit S. Matthæus: Et quid? *Emisit Spiritum*: ità Christus moriens emittit animã, discedens ab hominibus, avellitur; tam facilè illi fuit mori: & tam arduum separari. Nexus quo anima Christi corpori fuit illigata, est solutus: vincula, quibus ipse innodatus fuit hominibus, dissolvi nequiverunt: disrupta sunt, lacerata, discissa sunt: *avulsus est*. Quotquot erant homines in mundo, totidem inhærentes erant cordi Christi radices: radices erant triginta trium annorum, radices erant totius æternitatis, tam profundè amori immersæ, tantis irrigatæ lachrymis, tot laboribus & ærumnis induratæ: & omnes istæ tantæ, tamque fortes eadem horâ simul evellendæ, *Sciens quia venit hora ejus*? O dolorem! ô violentiam! ô tormentum! Quodlibet Evangelistæ verbum, est hujus violentiæ & repugnantiæ profunda consideratio. Estne possibile in mundo manere homines? in mundo remanere meos? *Suos quierant in mundo*! Estne possibile me semper separari ab hoc mundo, ubi illos quæsivi? *Ut transeat ex hoc mundo*? *ex hoc mundo*: O terribilem separationem! *Hora ejus*: ô terribilem horam! *in finem*: ô finem terribilem! *Ut transeat*: ô terribilem transitum!

Sic separatus, sic avulsus à suis Discipulis incepit Christus orare Patrem: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*. Revertamur nunc ad Calvariam, vel Calvaria revertatur ad hortum; Christus duro crucis acclavatus ligno, mortique vicinus, *Sciens quia omnia consummata sunt, dixit, Sitio*. Mi Domine, esne alius an idem? considero quod echo montis, non benè respondeant clamoribus vallis; In hortotantoperècalicem aversabaris, *Transeat à me calix iste*: & nunc in Calvario exhaustis jam omnibus amaritudinibus ejus, altis vocibus adhuc te sitire clamas, *Sitio*? sic; alius enim Calvariæ, & alius horti erat calix. Calix iste; iste; & non ille.

Modò

Modò attendite; S. Joannes Chryſoſtomus, S. Cyrillus, Euthymius aliique PP. de calice Paſſionis & mortis Chriſti, celebrem illum Pſalmi 74. intelligunt textum, *Calix in manu Domini: & inclinavit ex hoc, in hoc* Calix (inquid David) erat in manu Domini, & de uno inclinavit in alium. Si erat calix, *Calix in manu Domini*: erat unus. Effuſus ex uno in alterum, *inclinavit ex hoc, in hoc* erant duo. Quales igitur erant iſti calices in paſſione & morte Chriſti, ſic conjuncti ut unum efficerent? ſic effuſi, ut in duos dividerentur? Erat eadem mors Chriſti, ſed diverſimodè conſiderata: prout Chriſtus eam conſideravit in horto & Calvaria. Omnis mors, & ſimul ſeparatio & mors eſt, eſt mors: quia nobis tollit vitam: Eſt ſeparatio; quia à dilectis in mundo, in perpetuum nos ſeparat: & hi duo ſunt illi calices, quos Chriſtus diſcernebat in uno, inter mortem quatenus mortem; & mortem quatenus ſeparationem, magnum faciens diſcrimen. Quatenus mors, calix erat Calvariæ ubi poſuit vitam: quatenus ſeparatio, calix erat horti, ubi à ſuis ſeſe ſeparavit, Et hunc, non illum ejus recuſabat amor quando dixit: *Tranſeat à me calix iſte.* Vultisne probationem? Dabo, ſine hâc enim, & quidem forti, non præſumerem. Primò, S. Baſilius de Seleucia ſic intellexit quando dixit: *Ut aſcenſum præpediat Chriſtus, paſſionem ſubit illubens*: Aſt ego ex eodem textu illud probo; *Calix iſte*: Illud *iſte*, eſt diſtinctivum, demonſtrativum, & relativum: in quantum diſtinctivum, diſtinguit calicem unum ab altero: in quantum demonſtrativum, præſentem demonſtrat & non futurum: in quantum relativum, ad immediatè ante dictum refertur. Et quidnam immediatè præmittunt Evangeliſtæ? Omnes, pœnam ſenſumque Chriſti in illo tranſitu, nec non repugnantiam & exceſſivam, quâ à ſuis avulſus eſt Diſcipulis, violentiam, narrant. S. Lucas inquit: *Avulſus eſt ab eis, & poſitis genibus orabat dicens: Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum à me.* Sanctus Matthæus, *ſuſtinete hic, & vigilate mecum: & progreſſus puſillum, procidit in faciem ſuam orans & dicens; Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Ità ut actio, actualiſve ſenſus in quem cadebat illud, *tranſeat à me calix iſte*, eſſet dolor, difficultas, repugnantia, violentia, quâ Chriſtus ſe ſeparabat: ſeparationemve à ſuis diſcipulis probabat. Ipſa itaque ſeparatio, ejuſque tam præſens, tam viva, & acerba apprehenſio calix erat, quem amor ejus & cor tantoperè averſabatur, quod ex eodem textu admirabiliter confirmatur, conſtat enim ex eo, quod ternis, eodem tempore, eodemque in horto, vicibus à ſuis ſe Diſcipulis ſeparaverit, ſeparatuſque eandem tertiò iterârit orationem: ità hoc S. Matthæus expendit. Prima vice, in textu jam relato: Secundâ, ſecundò abiit & oravit dicens, *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire.* Tertia, *Iterum abiit, & oravit tertiò eundem ſermonem dicens.* In ſumma, ut ad ſingulos diſceſſus nova ſe offerret repugnantia; & ad quamlibet ſeparationem nova inſtantia: & ad quamlibet novam ſeparationem calicis iteraretur appellatio. Ergo hic erat, & non alius.

Pſal. 74. v. 9.

S. Baſil. orat. 32.

Luc. 22. v. 42.

Matth. 26. v. 39.

Verum enim verò, niſi ipſa eadem ſeparatio calix fuiſſet, nunquam eam tam particulatim minutimque Evangeliſtæ deſcripſiſſent. Illud ly, *Avulſus eſt ab eis*, S. Lucæ jam expendimus: illud,

progreſſus puſillum S. Matthæi; non minore conſideratione dignum eſt. Dicit Evangeliſta, quod Chriſtus *puſillum*; id eſt, parum per ſe ſeparaverit. En difficultatem, en perplexitatem: en timorem, quod *puſillum*, id eſt, parumper diſceſſerit. Non numerabat paſſus, ſed metiebatur & ponderabat indiviſibilia, in quolibet etenim dividebatur puſillum, id eſt, parumper, quaſi tangens calicem ad probandum, utrum ad exhauriendum ſufficeret: nec audens arripere, ſubſiſtens non progrediebatur, nam vel minima ſeparatio, piiſſimo cordi Chriſti tam erat violenta, ut ipſi impoſſibile videretur totaliter poſſe ſeparari: hinc ad impediendum poſſibilia attentans, humi proſtratus clamabat: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte.* Iſte, iſte, & non ille: iſte horti, & non ille Calvariæ: iſte ſeparationis; & non ille mortis & Paſſionis. Quemadmodum duo erant calices: ita quoque duplex erat ſitis, ſed omninò contraria. In cruce, ſitis pro nobis patiendi: in horto nobiſcum manendi, ſed quia mors illam ſitim poterat extinguere, & hæc altera cum morte invaleſcebat, hinc in Calvaria clamabat *Sitio*: in Horto verò Calicem recuſabat dicens: *Tranſeat à me Calix iſte.* Et quidnam extremam adeò repugnantiam, quidnam vehementem adeò violentiam fuit ſubſecutum *Et factus in agonia.* Chriſtus in agonia? Chriſtus agonizans in horto? caveat ſibi mors. Agonia & agonizare horrenda eſt actio, & terribile accidens morti proprium. Sed Chriſtus in morte non agonizavit: ecce quomodo placidè expiravit, *inclinato capite tradidit ſpiritum.* Age ſi Chriſtus non agonizat in Cruce, ſi non agonizat in Calvario, quomodo agonizant in horto? quia in cruce moriebatur: in Horto ſeparabatur, in Calvario à ſeipſo, in Horto ſeparabatur à nobis: hæcque ejus erat agonia; Undo in Calvario ſine agonizando ad mortis articulum tranſivit: in horto verò ad ſeparandi veniens neceſſitatem, agonizavit. *Et factus in agonia.* Mortuus eſt Chriſtus quatenus homo, abſentans ſe ut homo; ſed nec more hominum mortuus, nec hominum more ſe abſentavit, neque more hominum amavit. Mortuus eſt & abſentatus, ſed accidentibus mutatis; mortuus eſt, quaſi non agonizando ſeſe abſentaſſet: abſentavit ſe, quaſi mortuus fuiſſet agonizando. O qualis amor! O qualis excellentia! O quale extremum! ſeparatio agonizans & mors ſine agonia!

Luc. 22. v. 44.

Joan. 19.

Nunc intelligemus quid Chriſtus de calice in calicem miſerit, quando *inclinavit ex hoc in hoc.* Unus Calix (ut diximus) erat mortis: alter ſeparationis; & quoniam calix ſeparationis piiſſimo ipſius cordi erat multò amarulentior & horribilior calice mortis; ut hominibus conſtaret, quantò minùs pro illis moriendo quàm ſeſe ab illis ſeparando faceret, quid egit? omnes agonias & anguſtias in morte neceſſariò ſubeundas, ex calice mortis in calicem effudit ſeparationis. In morte (juxta vitæ amoris leges) tota illa pœnarum tormentorumque moles ſubeunda, totus ille anguſtiarum conflictus quem patiuntur agonizantes, maximè in ætate robuſta Chriſto fuit ſubeundus; quæ omnia à calice Calvariæ, ad calicem tranſiere horti: in horto enim ſeparatus eſt; quod atteſtantur Evangeliſtæ expreſsè de hac ultima ſeparatione loquentes. Quid patiuntur homines in tranſitu mortis? nunquid agonias? *Et*

fa-

Marc. 14. v. 33. *factus in agonia.* Nunquid triſtitias? *Triſtis eſt anima mea.* Tædia & timores? *Cœpit pavere & tædere.* Ita ut omnes anguſtias & cruciatus mortem comitantes ex calice mortis, in calicem transfuderit diſceſſus & ſeparationis. Et ſi cui fors difficile videbitur, quod calicem Calvariæ in horti calicem transfundendo, non aliqua ſimul facta fuerit ſanguinis permixtio, hæc fuit ſanguinis illæ guttæ, quas in ſudore plùs quàm mortuali horti, ipſius violentia agoniæ expreſſit, *Et factus eſt ſudor ejus, tanquam guttæ ſanguinis decurrentis interram.* Confiteatur itaque mors, propriorum teſtimonio ſpoliorum, acerbiùs fuiſſe Chriſto à nobis ſeparari, quàm pro nobis mori: & ſi mori, in hominibus eſt maxima amoris probatio: ab hominibus ſeparari maxima in Chriſto fuit excellentia. Et ne mors, nec alius pro illa habeat, quod contra hanc veritatem replicet authentica aliquâ ejusdem amoris Secrerarii qui intus & extra cor Chriſti omnibus adfuit præſens, confirmatione concludentes, unde incepimus finiamus. *Sciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo.* Hora de qua Evangeliſta loquitur, erat hora mortis: idem illud declaravit S. Joannes c. 7. de eâdem horâ loquens, *Nemo miſit in illum manum, quia nondum venerat hora ejus* & c. 8. idem confirmavit. *Et nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora ejus.* Si itaque hora iſta erat hora mortis Chriſti ponendique animam pro hominibus; quare non dicit, *Sciens* Jeſus quia venit hora mortis: ſed, ſciens Jeſus quia venit hora ejus tranſeundi? Si Evangeliſtæ propoſitum erat, à fine exaggerare amorem; *in finem dilexit eos*: per finem vitæ declaret finem amoris, & dicat, Chriſtum adeò amâſſe homines, ut pro eis mortem oppetierit. Sed ad amorem probandum & extollendum, tacito nomine mortis, nomen tranſitus & ſeparationis uſurpat? Ita: quia ſicut Joannes habebat claves cordis Chriſti, noverat locum quem duo iſti affectus in ipſo occupabant: ac pretium, quo utrumque æſtimabatur extremum; pretium mortis erat carum, quia appendebat vitam: ſeparationis verò erat multò cariùs; quia appendebat tantum, quantum illi pro quibus vita exponebatur, hinc dicit, quod quando venit hora diſceſſus, amavit & non quando venit hora mortis: eadem etenim cordi Chriſti fuit acerbior, quatenus ſeparationis; quàm quatenus hora mortis. Hora mortis, erat vitæ finis: hora ſeparationis erat finis amorem conſummans. *Ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem: in finem dilexit eos.*

Concluſum itaque habemus (non ad tædium, ſed beneplacitum Chriſti mortui, Chriſti in Sacramento, & Chriſti amantis) ejuſdem articulum ſeparationis ab hominibus amore hominum, altiſſimum fuiſſe extremum quo ſuos amavit; *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.*

Luc. 22. v. 44.

Joan. 7. v. 20.

Joan. 8. v. 20.

§ VI.

FIdeles: Diſcurſum meum abſolvi, ignorans utrum vos etiam concluſeritis veſtrum. Si me diſcurrentem audiſtis, ſi cum debita attentione me auſcultaſtis, eiſdem argumentis quibus ego amoris Chriſti exceſſum expendi, etiam vos oportuiſſet expendiſſe & cognoviſſe veſtri amoris obligationes. At quænam ſunt iſtæ? fortaſſis, quia amor Chriſti eòuſque devenit, ut nos noſtri amore deſereret, idem ille nos obligat ut Chriſti amore Chriſtum relinquamus? Quod ſi

alio tempore & loco prædicarem, facilè hoc inferrem & persuaderem. Maxima amoris probatio, quam pro Christo anima Pauli ostendit, fuit Christum amore Christi relinquere, *Cupio dissolvi & esse cum Christo : manere autem necessarium propter vos.* Ità fecerunt ex desertis egregiendo Arsenii; & non exeundo de civitatibus Martini; omnibusque sæculis imò adhuc nostro tot alii viri amoris zelique ardentissimi, quibus mitra erat onus, vita tormentum, mors votum; solusque Christus salus & desiderium.

Sed relicto excessu isto ad respondendum vix imitabili heroicis illis spiritibus: nostro cum tepore, ingratitudine, & nostras expendendi respondentias negligentiâ sermonem instituamus. Estne probabile, Christum tantoperè apprehendere separationem à nobis, & esse homines separationem sui à Christo nihili facientes, imò gaudium, vitam, felicitatemque æstimantes id quod ab eo facit divortium? Christiane ingrate & infelix, qui tot annis à Christo vivis separatus, quodnam tuum erit judicium in hac amoris ipsius judicii die? Christus tantoperè sentit divortium à te, abeundo in cœlum *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*: & tu tam parum sentis separari à Christo eundo in infernum? potiusne vis infernum sine Christo, quàm cum Christo cœlum & beatitudinem? Si quatenus Christianus, non recordaris Christi: quatenus homo, ad minùs recordare tui. Dicito mihi, dicito, subductisne rationibus quandoque proponis ea deserere quæ te à salvatione tui impediunt? quod si non concludis, nec ità facis quod tantopere facere debebas, non loquor tecum, quia nec Christianus es, nec homo ratione præditus aut fide. Si rationem inis, sicut te inire certum est: & si facis proposita, sicut te facere certum est quandoque te ad Christum convertendi, ad Christum tendendi, ab omni eo quod te à Christo separat divellendi, quandonam erit illa hora? Hæc est illa hora Christiane, hæc est hora; *Sciens quia venit hora ejus*, hæc est hora mundum deserendi: *Ut transeat ex hoc mundo*, hæc est hora maleficii illius (qualecunque sit) quod eò usque te captivum tenet & opprimit rumpendi catenas: Hæc est hora, deceptivum istum agnoscendi sistendique amorem: hæc est hora, huic cœco amori aperiendi oculos: hæc est hora, scandalosum istum amorem reformandi: hæc est hora impurum istum amorem purificandi, & totum in Christum transferendi, Christiani, utamur hac hora, alterius incerti: iterum dico & repeto, utamur hâc hora, alterius ignari. Ah Domine Jesu Christe, quomodo in alia se convertit hora, non conversus in hac tua? quomodo in alia hora te amabit, non amans in hac amoris tui horâ? pro reverentia hujus horæ, nec non ejus honore & gloriâ, amoris hujus amore horæ, potens amor tuus, de tanta cordium nostrorum duritiâ, hac hora triumphet! ne permittas Domine Jesu per pietatem tuam, ut in hac hora tua cor aliquod ex hoc cœnaculo exeat quod non sit tuum. Unus sufficit Judas, unus ingratus; unus inimicus: unus sufficit proditor. O anima misera! ô tristis & infelix anima ô anima cui melius fuisset non fuisse! quàm in hac hora Christi, amore non devinciri.

Amabilissime Jesu, omnes in hac hora tuo subjecti sumus amori omnes in-

in - & ab hac hora toto corde te amare volumus : Te solùm Domine Jesu Christe, Te solùm, solum te volumus amare, ut te nunquam ampliùs offendamus ; ut nunquam ampliùs tibi simus ingrati. Solum te amabimus, ne unquam nos ampliùs à te separemus : solum te amabimus, ut ab hac hora & deinceps in perpetuum ab omni nos abstrahamus, quod ab amore tuo nos posset separare. Istâ horâ, omnis amoris qui non est tuus, esto, finis, & principium te sine fine amandi, sicut tu nos sine fine amâsti. *In finem dilexit eos.*

SERMO

DE

Bullâ Cruciatâ

In Cathedrali Ecclesia Ulyssipponensi. 1647.

Unus militum lanceâ latus ejus aperuit : & continuò exivit sanguis & aqua.

§. I.

QUEMADMODUM ex latere Adam primi dormientis formata fuit Eva : ita ex latere Adam secundi mortui formata est Ecclesia. Ex illo vulnerato latere, prodierunt & profluxerunt Sacramenta : & ex illo latere aperto, effusi sunt thesauri gratiarum, quibus mundus, postquam redemptus, ditatur. Sed quamvis omnes Ecclesiæ gratiæ, in hujus mysterii historiâ admirabiliter repræsentatur : nihilominus ego omnes mysterii ejus circumstantias attentè considerans, adhuc magis propriè invenio in eo illas gratias Bullæ Cruciatæ, quæ hodiè conceduntur, & solemniter in Regno & Regnis Portugalliæ publicantur.

Istæ gratiæ, non ante, nec post de latere Christi profluxêre, quàm Cruci esset aclavatus : à cruce enim acceperunt vim & meritum, & ab ipsa cruce Bulla mutata est nomen, quæ idcircò vocata est cruciata. Prodierunt in specie sanguinis & aquæ ; *Exivit sanguis & aqua.* In specie aquæ, ad delendum quod erat scriptum : & in specie sanguinis, ad scribendum de quod in sacrâ illa charta legitur. S. Paulus inquit, Christum moriendo deleviſſe scripturam nostrorum peccatorum, sicque cruci affixisse deletam : *Delens quod contra nos erat chirographum, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci* ; Sed si Christus deletam tunc unam scripturam affixit crucì pro remedio, hodie alteram exarat eidem affigens cruci, pro effectu. Hoc significat illa crux ; & istud continet illa Scriptura : Omnia Gratia, & omnia gratiæ. *Ad Coloss. 2. v. 14.*

Vi-

Video nihilominùs omnes me interrogare, & rationabiliter : Si isti Thesauri & Gratiæ promanarunt de latere Christi aperto, quomodo illud non alius aperuit quàm miles, *Unus militum lanceâ latus ejus aperuit* ? Hæc est maxima historiæ circumstantia : mysteriique maximè viva energia. Principium & prima Bullæ Cruciatæ institutio fuit tempore Concilii Lateranensis, quando istæ gratiæ & Indulgentiæ omnibus istis sunt concessæ, qui crucis assumendo insignia ad recuperandam terram sanctam milites inscriberentur : & quia ille non aliis, quàm istius sacri finis propositique militibus fuerunt concessæ ; propterea non fuit alius quàm miles, qui Christi aperuit latus, *unus militum* ; Sed hîc non stitit mysterium ; sicuti nec hic stitêre gratiæ. Motivum quod habuit primò Gregorius Decimus tertius, postmodum ejus successores, & hodie Sanctissimus Papa Innocentius Decimus Dominus noster, ad easdem Indulgentias Bullæ Cruciatæ Regnis Portugalliæ concedendas, fuit, prout in ipsa Bulla continetur, subsidium nostrorum militum in Africa ; qui semper in armis & limitibus excubantes, Hispaniæ Christianitatisque portas contra Maurorum Invasiones defendunt. Et sicut milites in Africa propriè sunt milites de Lancea, & Equites ibidem militantes serviunt cum una aut multis lanceis : pro complemento mysteriique exaltatione in omni sua proprietate, miles, qui Christi latus aperuit & thesauros earundem gratiarum exire fecit, non solùm fuit, nec esse debebat, qualicunque modo, miles, sed miles de Lancea, & cum lancea : *Lancea latus ejus aperuit.*

Habemus Thema declaratum, & materiam propositam in communi. Nunc ad ejus particularia descendendo, & sacræ Bullæ gratias publicando, nec non singulos latentes in eis thesauros explanando successivè, ipsum Thema nobis formabit discursum : In quo toto non alium ordinem aut divisionem, quàm illam ipsorum verborum sequar. *Ave Maria.*

§. II.

Unus militum lanceâ Latus ejus aperuit.

PRima, quam in Bulla Cruciata reperio, Excellentia, est, esse *Unum* ; qui istos Christi thesauros aperuit, *Unus*. Si istæ gratiæ & Indulgentiæ dependerent à multis : meo judicio desinerent esse gratiæ. Hæc est ista magna differentia, quæ habetur inter gratias Regis cœlestis, & Regum terræ : terrenorum Regum gratiæ, cùm sint pro nostris meritis : à multis dependent ministris : cœlestis Regis gratiæ, cùm sint ex meritis ipsius, dependent ab uno tantùm, *Unus*.

Antequam David aggrederetur duellum cum Gigante, interrogavit quod præmium maneret illi qui è medio tolleret illud opprobrium Israëlis ? & accepit responsum, quod Rex propriam suam filiam ei daturus esset in conjugem : Progressus David in campum, occidit Philistæum : sed quando famosæ victoriæ applausum mox subsequi debere videbantur promissæ nuptiæ, Saul nihil minùs cogitabat ; Urgebat David impletionem regii promissi, non arbitrarium, sed certum pro tam egregio servitio postulabat præmium : post longum temporis intervallum (more consueto) loco responsi erant dilationes & frivola verba. Tandem Rex mandavit illi responderi : quod si efficacem promissi sibi facti expeteret

1. *Reg.* 7. *v.* 23.

1. *Reg.* 17. *v.* 25.

1. *Reg.* 18. *v.* 25.

im-

impletionem ; centum adhuc interficeret Philisthæos. Hîc servite, hîc periculum adite, in promissis & gratiis hominum confidentes : ità ut suffecerit Davidi ad promerendam gratiam unum sternere Philisthæum ; ut verò promissi consequeretur effectum, necesse habuerit sternere Philisthæos centum. Istud est, quod in promissis & expeditionibus terrenorum Regum vobis accidit : multò pluris constat præmii postulatio, quàm meritum. Pro merito sufficit cum uno confligere hoste : in præmii postulatione cum centum opus est pugnare ministris, sæpè non amicis. Sternendo Philisthæo sufficit Davidi unus lapis : ad istos vincendos Philisthæos, tam numerosos, tam tectos, tam armatos, non unus sufficit lapis, sed lapidum requiritur acervus : & si quidam horum vincantur lapidibus, hi non sunt de torrente ; & quamvis non forent tam potentes, sufficit esse tam numerosos.

Ista itaque est prima gratia, quam Deus nobis in Bulla Cruciata largitur. Tanta gratiarum abundantia, tanti misericordiarum & favorum thesauri impertiuntur per unum tantum ministrum, per unum confessarium. Pro terrenorum Regum gratiis quæ nullius sunt momenti, tantum chartæ opus & tot ministri requirendi : Pro cœlestis Regis gratiis maximi valoris, unum sufficit chartæ folium ; unus solus minister una Bulla, & unus Sacerdos. *Unus.*

Sed quia (ad tollendam omnem difficultatem & repugnantiam) non sufficit ministrum esse unum tantùm, si certus esset & determinatus : hinc Bulla vobis ulteriùs concedit, ut iste unus, sit pro arbitrio vestro quem elegeritis. Hæc est maxima circumstantia gratiæ, quæ huic gratiæ includitur.

Quando Christus sanavit leprosum Evangelicum, præcepit illi, secundùm textum S. Marci, ut se ostenderet Principi Sacerdotum *Vade, ostende te Principi Sacerdotum*, contra quod præceptum facit, quod lex universalis Levitici, leprosos solùm obligabat sese ostendere Sacerdoti cuicunque : ad quem pertinebat de lepra judicare. Si igitur quilibet Sacerdos ordinarius poterat dignoscere lepram, quare Christus huic leproso præcipit ut se præsentet Principi Sacerdotum nominatim ? Expositores docent, olim ità fuisse usitatum : sed generalem illam legem fuisse postmodum restrictam, & casum lepræ cognitioni & judicio Principis Sacerdotum reservatum : idcoque Christus leprosum non ad alium sacerdotem, sed ad Principem amandavit, *Principi Sacerdotum*. Idem hodie accidit in casibus reservatis, àquibus sacerdotes ordinarii absolvere non possunt : & absolutio solummodò pertinet ad totius diœcesis Præsulem, & quandoq; ad totius Ecclesiæ Principem supremum. Posito, hujusmodi reservationes esse justas & temeritati refrænandæ multum necessarias : dubium non est, quin etiam sint occasiones fragilitatem præcipitandi. Quod homo aliquis suam lepram ostendere, miseriamq; soli Deo notam, non solùm homini sibi simili, sed etiam determinatè tali detegere obligetur, grave onus est ; multòq; gravius, quando ob locorum distantiam accedit labor & expensæ, nec non ex personæ dignitate & magnificentiâ, horror crescit & repugnantia. Verum est salutis media de qualicunque manu, etiam quam aversamur procuranda esse & accipienda, juxta illud Lucæ. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium qui oderunt nos.* Prô dolor, talis enim est fragilitas humana

Marc. 1. v. 44.
Levitici. 31. v. 1.
Corn. l. ibid.
Luc. 2. v. 71.

mana & pusillanimitas, ut multi nunc ardeant in inferno, non quod sua peccata non sint confessi: sed quod non tali homini: non considerantes quod in die judicii omnia peccata omnibus hominibus erunt manifesta.

Hulc incongruo occurrit hodie divina misericordia, & summi Pastoris benignitas Bullæ Cruciatæ beneficio: omnibus illam assumentibus liberam faciendo facultatem, quemcunque Confessarium approbatum eligendi, qui magis placuerit & ipsi satisfacturus existimetur. Idcircò Minister qui Christi Latus aperuit in textu non nominatur, sed tantummodo dicitur, quod erat, *unus militum*, unus indeterminatè. Et posito quod ex historia Ecclesiastica constet fuisse Longinum, in illo ipso homine duæ concurrebant circumstantiæ, pro nostro casu consideratione dignæ. Longinus erat peregrinus & cœcus. Peregrinus: quia cum esset Romanus, Præsidiarius erat in Jerusalem. Cœcus; nam ut affirmat S. Greg. Nazianz. ambobus oculis non videbat. Et quare Christus sibi latus aperire, & harum gratiarum dispensatorem esse voluit peregrinum & cœcum? istud factum est ad tollendam omnem occasionem & excusationem formidini & repugnantiæ humanæ. Habetis fortè difficultatem, vestram miseriam manifestandi? Sentitis repugnantiam vestra peccata detegendi? Ecce, remedium subest vestræ electioni, quærite unum Peregrinum qui vos non noverit: quærite Cœcum qui vos non vincat. *Unus militum*. Transeamus ad verbum secundum. §. III.

Militum. In isto verbo Militum, primum quod occurrit, est stipendium: & si istud accuratè solvitur & totum inter nostros milites & Equites Africanos, de fide & Ecclesia tam benè meritos expenditur & distribuitur; hic finis est & scopus, quare Summi Pontifices Bullæ subsidium indulserunt. De puritate primarum manuum quibus excipitur, nunquam fuit nec esse potest dubium: sed quia per tot alias transit, & intermedia sunt tot maria & voragines, nescio utrum querela communis poterit justificari? certum est in Africæ scriptoribus (absque quod sint Tertulliani vel Augustini) hujus deviationis graves lamentationes legi; quod Bullæ pecunia hîc in minore pecunia collecta, illuc destinata non perveniat, aut aucta ibidem cum fœnore remittatur: & fames illuc delata, gravior itidem toleranda; sed desuper respondere relinquamus illis quorum est officii; mihi solummodò incumbit istum scrupulum solvere, omnesque Bullam amplectentes securos reddere; quod quamvis pecunia eleëmosynæ à recto itinere aberret, militesque Africani illam non recipiant, nihilominus concessas gratias cum infallibili certitudine lucrentur.

In die judicii dicet Christus; *Venite benedicti Patris mei: esurivi enim & dedistis mihi manducare*. Notate benè illud *enim*. Non dicit, comedi enim hoc quod mihi dedistis; sed quia mihi dedistis comedere. In hoc consistit operis essentia. Eleëmosynæ meritum non consistit in eo, ut comedatur ab illis pro quibus eam datis, sed quod vos eam illis ad comedendum largiamini; & hoc verificatur in eleëmosyna Bullæ casu qualicunque. Potest contingere illâ nec vesci, nec sustentari milites quibus est destinata: similiter evenire potest, ex parte tales non dari milites, loca enim dantur phantastica: sed quamvis & locus & miles sit imaginarius, eleëmosyna tamen pro ipsius sustentatione data, est semper verameritumque certum. Ecce exemplum. *Matth. 25. v. 35.*

Tres

Tres Angeli venerunt ad domum Abrahæ in peregrinorum ſpecie; & textus inquit, quod Abraham illos recepit hoſpitio, & poſitâ mensâ ſplendidè tractaverit. Interrogo igitur, illi Angeli verene comederint ab Abraham appoſita? clarum eſt, quod non: nam Angeli non comedunt & aſſumpta ab ipſis corpora, erant phantaſtica; nihilominùs idem inquit Textus, Deum Abrahamo iſtud opus benè & abundanter perſolviſſe, largiſque gratiis & benedictionibus compensâſſe, è quibus fuit ipſe Iſaac ejus filius & aliæ innumeræ; Itaque pro opere exhibito hominibus phantaſticis quales non dabantur in mundo, Deus tot gratias & mercedes refundit Abrahamo? Imò. Quamvis enim homines eſſent apparentes, eleëmoſyna erat vera & quamvis ab Abrahamo appoſita non comederint, Abraham ad comedendum propoſuit. Eleëmoſynam Bullæ quam pro militibus Africæ elargimini, contingere poteſt ipſos non comedere, vel quia pecunia hic manet; vel quia deſtinata illuc non pervenit, illi (ſicut dicitis) manent Angeli: ſed quia Deus ſolummodò meritum & finem eleëmoſynæ reſpicit, quamvis homines hanc intervertant: attamen ſolutio in illa Bulla vobis promiſſa, ſemper certa eſt & ſecura.

Gen. 8. *v.* 2.

Ibi. v. 15. *& 18.*

In hoc propoſito notavi ſingulare aliquid regiminis & providentiæ Chriſti, quod ſemper fui demiratus, & omnibus exiſtit admirandum. Chriſtus ejuſq; Diſcipuli quia nihil in hoc mundo poſſidebant, victitabant ex eleëmoſynis, quibus fidelium devotio ſanctiſſimo huic Collegio ſuccurrebat: hiſce recipiendis & diſpenſandis oportebat Chriſtum inter reliquos unum perficere, & quis non mirabitur cum ſtupore ad hoc fuiſſe electum & præfectum Judam? Domine Jeſu Chriſte, pace tuâ dixero, Nonne bellè nôſti Judam? novi; nunquid nôſti illum furem & furaturum? novi; nonne eleëmoſynæ quas ipſi credis & committis ſunt pro aliorum Diſcipulorum ſuſtentatione, quitibi ſerviunt & propriâ vitâ tuam fidem & Eccleſiam ſunt propugnaturi? Suntutique. Nunquid inſuper eleëmoſyna eſt opus charitatis à te tanti æſtimatum, cui tot præmia, tot mercedes, totgratias, ipſam denique beatitudinem promiſiſti? Ita eſt. Totum itaque illud tradis Judæ, ut ille fruatur ſolus, & alii patiantur? ille comedat & alii fame moriantur? Iſte non fuit finis Chriſti; Deus enim furibus non patrocinatur, quamvis illos tolleret: ſed inhoc caſu ſumma providentia permiſit, ut eleëmoſynæ in ſervientium ſibi ſuſtentationem datæ, per manus furaturi tranſirent, ut tunc & nunc toti ſuæ innoteſceret Eccleſiæ, quod quamvis eleëmoſynæ furto tollantur intervertantur, nec ad finem quo dantur, applicentur: earum tamen pretium & meritum, nec non præmium largienti repromiſſum, ſemper eſſe ſecurum. In hoc contractu duæ concurrunt ſolutiones: una, ſolutio militum pro quibus eleëmoſynam datis, currentem per manus hominum; & altera ejuſdem datæ eleëmoſynæ ſolutio, tranſeuntis per manus Dei. Tranſiens per manus hominum, deeſſe poteſt militibus: tranſiens per manus Dei, nunquam vobis deeſſe poteſt: & ſi militibus non ſolvatur, vobis nihilominus ſolvetur.

Joan. 12. *v.* 16.

Satisfacto ſcrupulo vulgari, reſpondeamus alii melius fundatæ objectioni, quo nos textus vocat.

§. IV.

Lanceâ. Sicuti lanceamilitis in Calvario Latus Chriſti aperuit: ita diximus noſtro-

strorum in Africa militum lanceas aperuisse & aperire thesauros Ecclesiæ, qui nobis in Bulla conceduntur : sed ista applicatio dicendive modus, contra ire videtur proprietati & veritati ejus quod in hoc puncto credimus. Est veritas Catholica nostræ sanctæ fidei Romanæ, claves quæ aperiunt vel aperire possunt spirituales Ecclesiæ thesauros, esse claves S. Petri, incongruè ergò illud nostrorum militum lanceis attribuimus. Dicam igitur; ad sacros istos thesauros reserandos necessariò concurrunt duo, ex parte concedentis (qui est Papa) potestas : & ex parte recipientis [qui sumus nos) justa causa. Sed ab hac justa causa ità dependent gratiæ concessæ, ut sine illa totaliter forent invalidæ, & nullius effectus. Cujus ratio est, quia innumeris decisum est canonibus, summum Pontificem non esse Dominum spiritualium bonorum Ecclesiæ, sed dispensatorem : & quâ talis, ista solùm dispensare potest rationabiliter & cum justa causa : aliàs spiritualis Monarchia Christi tam malè administraretur, sicut multorum Principum Monarchiæ temporales. Hinc videmus tantos thesauros dissipatos potiùs quàm ritè dispensatos : tantas gratias & immodicas mercedes sine ulla causa, & sæpè cum contraria concessas. Testentur hoc Regis Assueri erga malè intimum amicum suum Amanum prodigalitates. Illo ipso tempore fidelis Mardochæus, tot servitiis coronæ & Regiæ personæ exhibitis benemeritus, manè laudatus vesperique ad palatii fores locatus, ascendens & descendens gradus arduos & difficiles, hoc modo nullum habebat qui in illum oculos converteret, salvo eodem Amano ad illum deturbandum. Non sic sese res habet cum thesauris Monarchiæ Christi, quorum claves habet illius Vicarius : hic solus illos dispensare potest, sed solùm, cum justa causa. Et quia justa causa gratiarum in Bulla nobis concessarum, est defensio locorum & fortalitiorum in Africa, quæ nostri milites contra totius Barbariæ invasionem propugnant, hinc istarum gratiarum reseratio ipsorum lanceis attribuitur. Attendite num doctrinæ & legibus Christi, ipsius Ecclesiæ authoris, conformiter loquar.

Esther. 3. v. 1.

Quando Christus veniam indulgebat peccatorum, infirmis miraculosam conferebat sanitatem, omnia plerumque recipientium fidei tribuebat. Magdalenæ dixit : *Fides tua te salvam fecit.* Chananææ. O *mulier magna est fides tua.* Centurioni : *Sicut credidisti fiat tibi.* Parenti surdi & muti : *omnia possibilia sunt credenti,* & sic multis aliis. Sed ob quam causam ? Domine, omnia ista supernaturalia opera, extraordinariique favores & gratiæ, nonne sunt omnes Omnipotentiæ tuæ effectus ? Sunt. Quare ergò istos effectus non adscribis tuæ omnipotentiæ illos operantis, sed fidei recipientium ? Quia secundùm generalem Christi Providentiæ regulam volebat, ut exhibiti favores & gratiæ in recipientium merito fundaretur. Quia verò ad ipsas easdem gratias duæ concurrebant causæ, una efficiens quæ erat omnipotentia ; & altera meritoria, quæ erat fides : effectus tribuitur meritoriæ, & non efficienti : nam efficiens in illa suppositione à meritoria dependebat. Idem in nostro evenit casu. Potestas thesauros Ecclesiæ reserandi, consistit in clavibus S. Petri : sed quia isti sine justa causa validè aperiri non possunt, omnisque

Luc. 7. v. 50. Matth. 15. v. 28. Matth. 8. v. 13. Marc. 9. v. 22.

justa

justa gratiarum in Bulla nobis concessarum causa est Catholicorum locorum conservatio, quæ nostri milites suis lanceis in Africa propugnant: ideo sine potestatis clavium (quam recognoscimus) offensâ, earum effectus non tantùm ipsis clavibus, quantùm Lanceis attribuimus, *Lanceâ latus ejus aperuit.*

Sed videó vos eandem contra me intorquere Lanceam; meque meâ propriâ impetere ratione. Si indulgentiarum in Bulla concessarum causa, est locorum in Africa, illorumque Christianitatis antemuralium, quibus transitum infidelibus impedimus, exercituumque ipsorum superbiæ & furori frenos injicimus, est defensio: justa erit & justissima causa pro militibus & equitibus, qui armatis humeris de nocte excubantes dieque præliantes, sanguine & vitâ eadem antemuralia defendunt: sed pro nobis, qui in Lusitaniâ securi & quieti degimus, sine excubiis, sine armorum strepitu, sine tympanorum sonitu, sine Mauri aspectu, sine lanceæ arreptione pro tam tenuis eleëmosynæ contributione easdem lucrandi gratias, justamne habemus causam, hoc videtur non posse subsistere. Probatur limitum nostrorum experientiâ. Pro militibus in illis militantibus eosque defendentibus, omnes solvimus decimas, seu quando ad gratiarum mercedumque proceditur petitionem: milites tantùm & tribuni illas petunt & recipiunt: reliqui, quamvis suis illos tributis sustentent, nec mercedem recipiunt, nec petunt, nec aliquid exspectant. Nunquid ità sese res habet? Imò verò: & ita esse oporteret, si Deus esset velut homines, & Rex cœli sicut Reges terræ. In legibus mundi, dantur præmia militanti & servienti, sed non sustentanti: juxta leges cœli, militans & serviens, illumque sustentans idem reportant præmium; lex expressa est Evangelii, & à Christo promulgata, *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet: qui recipit justum, in nomine justi, mercedem justi accipiet.* Ego (inquit Christus) mitto meos Prædicatores, qui mei sunt milites, ad subjiciendum mundum & pugnandum contra infideles: sed quia ego nec sustentationem illis largior, nec stipendium quo eam comparare possint: noverint omnes, quod taxatam à me mercedem pro illis redditurus sum his, qui eos sustentabunt, *Mercedem Prophetæ, mercedem justi accipiet.* Potestne textus haberi clarior promissio certior? istud igitur est quo nobis promittitur in scriptura, in lege divinæ munificentiæ fundatâ. Milites & Equites Africani mare transfretant, clima mutant, & patriam deserunt: vos in illa manetis; illi excubant in tentoriis: vos dormitis in mollibus stratis; illi circumvallationem castrorum defendunt, in campum exeunt, suis lanceis frequenter cum Barbaris non sine vitæ justura confligunt, vos bonâ pace fruimini. Sufficit autem quod vestræ eleëmosynæ (licet adeò tenues) cum eorum concurrant sustentatione; ut in mercede & gratiis, vestrum otium eorum labori adæquetur. Quantum ad Reges, illi solùm merentur & lucrantur Commendas; quantum ad Deum, tantum lucratur vestra eleëmosyna, quantum illorum lancea; *Lanceâ.*

Matth. 10. v. 41.

§. V.

Latus ejus: Si illud secundum verbùm non limitaret vel ampliaret primum, magna in eo oppositio sese nobis offerret

contra omnia jam dicta & adhuc dicenda. Christus erat in cruce cum titulo & repræsentatione Regis, sed non universalis, sicut erat, totius mundi; sed Regis particularis, scilicet, unius nationis. *Rex Judæorum*: nec dantur gratiæ magis difficiles, & ad obtinendum arduæ, quàm quæ dependent è lateribus Regibus, *Latus ejus*. Contemplemur benè figuram istam exteriorem, & in illa videbimus naturalem imaginem ejus, quod vasalli inveniunt in Regibus; & quod patiuntur à lateribus. Primò: In statu quo Christus inveniebatur in cruce, quicquid pertinebat ad Regem, totum erat impletum: quod pertinebat ad latus, restabat implendum. Hoc quod faciendum Regi; erat orare & petere veniam pro inimicis: & jam petita erat. Erat Latroni pœnitenti dare Paradisum: & jam datus erat. Erat Discipulo committere Matrem, & Matri Discipulum: & jam factum erat. Erat fel bibere aut gustare: eratque jam gustatum; Et principale erat redimere mundum: & jam redemptus erat. Totum denique quod Regis erat, erat impletum *Consummatum est*. Ad latus pertinebat dare Sacramenta: & hoc solùm restabat faciendum. Rex patebat omnibus cum apertis quatuor portis: duabus pro inferioribus, in pedibus: & duabus pro sublimioribus, in manibus: Lateraque eodem tempore erant utrâque parte clausa, ut nec intrari nec penetrari possent; Totum corpus vulneribus conciſum erat, solaque latera sana & sine ulla læsione: nec enim eò flagellorum pervenerunt ictus, sicut ad dorsum: nec onerata fuerunt mole crucis, sicut humeri: nec illa laceravit vel confixit clavorum duritia, veluti manus & pedes: nec illa torsit distensio aut dissolutio membrorum, sicut nervos & ossa: nec illa extenuavit evacuatio & exhaustio sanguinis, sicut venas: nec veluti os, fel amaricavit: & quod super omnia, non illa confixerunt spinæ, sicut caput, tantum habens de corona. Quod denique excedit rationem & admirationem omnem, in lateribus conjunctum erat & collectum: quod Regi deerat, Christus in Calvario duarum rerum extremum passus est defectum: scilicet sanguinis & aquæ; Defuit illi Sanguis, quia illum ibi & tot aliis locis profuderat: defuit illi aqua, ab eodem enim defectu sanguinis, illa extraordinaria secuta est sitis, quæ illi extorsit illud *Sitio*. Nihilominus valdè notandum est, quod de latere aperto, exivit sanguis & aqua: *Exivit Sanguis & Aqua*. Nunc interrogo, si tunc Rex patiebatur tantùm sanguinis & aquæ defectum, quomodo nunc è latere illi exit sanguis, & insuper aqua? Ratio est, quia totum hoc quod deest Regibus, conjunctim & collectum est in lateribus. Utinam esset, non dico lancea vel ictus lanceæ, sed clavium magistra quæ ista latera aperiret: quàm certum est, quod in illis Reges invenirent vel omnia, vel maximam eorum partem quæ illis desunt, & uno eodemque actu duos justitiæ actus facientes sucurrere possent & juvare, imò multos ditare, illo quod non sufficit paucis.

Joan. 19. v. 30.

Talia sunt latera Regum: sed non tale latus Christi. De exteriori allegoriæ, transeamus ad internum realitatis, *Latus ejus*. Tota differentia lateris ad latera, consistit in limitatione *Ejus*, scilicet Christi. Latera Regum terræ differunt: non enim volunt facere. Latus Christi distulit: ut plus posset facere quàm factum erat.

La-

Latera Regum, toto corpore existente vulnerato, solummodò videntur sana: Latus Christi fuit sanum; ut magis vulneratum esset vulnus omnium. Regum latera clauduntur, nam sese communicare detrectant: Letus Christi clausum, exspectavit ut majore sese abundantiâ communicaret, semperque apertum maneret. Latera Regum colligunt in se, & pro se, quicquid deest Regibus: Latus Christi collegit in se, sed pro nobis, quicquid superfuit Christo. Notate bene.

Sanguis Christi, fuit pretium nostræ redemptionis; & quemadmodum illud pretium erat infinitum, unica etenim gutta sufficiebat mille redimendis mundis: Sic infinitum superfluum fuit mundo redempto: quàm infinitum erat mundo redimendo impensum. Et quid de pretio superfluo est factum? sicuti de impenso, soluta est redemptio: ità de superfluo factum est depositum; & hoc depositum pretii & valoris infiniti, constituit Ecclesiæ thesauros in Christi latere mysticè inclusos. Hinc intelligimus, cur Christus tanto ad mortem usque effuso sanguine, adhuc sanguinem reservârit in Latere; quem jam mortuus effunderet. Et cur: si in puncto mortis Christi mundus fuit redemptus? quia sanguis ad mortem usque effusus, necessarium redemptioni significabat pretium quod impensum est: & sanguis effusus post mortem superabundans significabat pretium quod superfuit. De pretio in Passione velut pro Redemptione impenso redemptus est mundus: de pretio in Latere superfluo, veluti de deposito formata & ditata est Ecclesia. *Dormiente Adamsit Eva de latere: mortuo Christo perforatur latus, ut supereffluant Sacramenta unde formetur Ecclesia.* Sicut de latere Adami (inquit S. Augustinus) formata fuit Eva, ità de Latere Christi prodierunt Sacramenta: ut de illis veluti materia superabundante formaretur Ecclesia. Hoc velut dicere illud verbum *supereffluant*: quod significat exire veluti causam superabundantiam, superfluam, & quæ supereſt, S. Augustinus est locutus tanquam tantum Theologiæ lumen; isti enim sunt proprii termini Theologis usitati quando loquuntur de Ecclesiæ thesauro, qui principaliter & ex infinita Sanguinis Christi satisfactione, superabundante & superfluo redemptionis pretio componitur. *Thesaurus satisfactionum Christi supereffluentium* inquit cum omnibus Doctoribus orthodoxis Cardinalis Bellarminus. Et hic est thesaurus, unde Ecclesia sumit Gratias & Indulgentias, quas concedit & applicat fidelibus, ut pro culpis vel pœnis debitis justitiæ divinæ satisfaciant.

S. Aug. in sent. 328.

Bellarmin. de indulg. l. 1. & 2.

Ephes. 5. v. 32.

Et si quis in similitudine S. Augustini (quæ etiam est S. Pauli) perfectam desideret proportionem Figuræ cum figurato: meque interroget, quomodo verificetur aut verificari possit de latere Adami formatam fuisse Evam, non tanquam de materia necessaria, sed superflua? Idipsum dicam, huic & alii magno satisfacturus dubio, Sacer textus inquit, Deum de latere Adami tulisse costam, & de illa formasse Evam: sed dubitant, & rationabiliter, Theologi, quænam illa fuerit costa Adami? Si etenim erat una istarum ex quibus corpus humanum naturaliter componitur, sequitur corpus Adæ defectuosum remansisse & imperfectum: quod admitti non debet, cùm Adamus fuerit homo primus, & omnium ho-

hominum ab ipso nascituroruṁ forma originalis. Et si corpus Adami fuit perfectum, imò perfectissimum (sicut esse oportebat) Quænam illius fuit costa, de qua formata fuit Eva ? Respondet S. Thomas, corpus Adami in creationis suæ origine in uno latere costam habuisse superfluam, quæ numerum costarum alterius, lateris excederet : & ex isto latere, & costa in eo superflua formatam fuisse Evam. Sicut igitur in latere Adami Deus creavit partem unam superabundantem & superfluam, de qua materiam creationi Evæ necessariam assumpsit: ità in Latere Christi aliam partem similiter superabundantem deposuit, necessariam ad formationem & reformationem Ecclesiæ, quæ fuit, quod de infinito redemptionis pretio erat superfluum. Et hi sunt thesauri Gratiarum, qui nobis hodie conceduntur, ex infinito & inexhausto depositi aperti Christi Lateris deprompti. *Latus ejus aperuit.*

D. Thom. part. 1. q. 92. art. 3.

§. VI.

Aperuit. Apertum est Latus Christi: sed quia plus minúsve aperiri poterat, ut cognoscamus aperturæ latitudinem, indeque nobis communicatorum thesaurorum immensitatem, videamus illos patentes, & non alio interprete: quàm ipsâ Bullâ declaratos. S. Joannes dicit in Exordio suæ Apocalypsis, se vidisse ante thronum Dei, membranam intus & exteriùs conscriptam, involutam, septemque sigillis clausam : Membranam istam vocat S. Joannes librum : tales enim erant vocabanturque Libri illo tempore. Veluti Propheta, scire desiderabat quid in illa sic clausa scriptura contineretur, & ait se multùm fleviſse quod non inveniretur qui aperiret : mox verò unus è viginti quatuor Senioribus qui throno Dei adstant accedens, eum consolatus est dicens : Leonem de Tribu Juda Scripturam istam aperiendi habere potestatem. Viditque S. Joannes Agnum stantem, velut mortuum, qui septem sigilla lacerando, membranam aperuit, extendit, notumque fecit, quod in ea erat scriptum. Magnum verè mysterium, verè magna & insignis repræsentatio seu figura Bullæ Cruciatæ ! Primò istud significant Sigilla, quæ Bullæ authoritatem addunt, & ab ipsis dependentibus Sigillis est quod continet, & unde nomen est sortita: nam Bulla, idem est ac dicere Sigillum. Membrana erat scripta intùs & extrà: gratiæ etenim in Bulla contentæ, non solùm ad bona pertinent interiora & spiritualia, sed & etiam ad exteriora & temporalia ; & non solùm ad vivos qui sumus in hoc mundo, sed etiam ad defunctos qui extrà illum sunt. Non inveniebatur qui aperiret quod ibi clausum & publicaret quod ibi erat scriptum : ista enim potestas solius est Dei ejusque Vicarii: hinc ille Senex S. Joannem consolatus (prout sentit Lyranus) fuit S. Petrus. Hic illi dixit, quod istam membranam aperturus esset Leo de Tribu Juda, qui est Christus: qui statim apparuit in figura Agni stantis, & velut mortui, *Agnum stantem, tanquam occisum*, omnia cum eodem mysterio. In figura *Agni*, nam cum opus istud sit ipsius potestatis, multò magis est ipsius benignitatis & misericordiæ. *Stantis & tanquam mortui*, Christus enim mortuus est in cruce, non jacens, sed stans: & à cruce accrevit Bullæ nomen Cruciatæ. Denique non mortui,

Apoc. 5. v. 1.

Apoc. 5. v. 6.

tui, ſed tanquam mortui. Currere enim Sanguinem è Latere Chriſti (quod ſolùm Vivis accidit] fuit actio vitalis & vivifica, prout profundè notavit S.Hyppolitus: *Ut ne ipſum corpus mortuum aliis ſimile appareat, nobis autem ea, quæ ſunt vitæ cauſa, poſſit profundere.* Cucurrit Sanguis ex Latere Chriſti mortui tanquam vivi [inquit antiquiſſimus ille Pater) ut intelligeremus, quod idem Latus quamvis mortuum haberet potentiam vivificandi? & ab illo manarent omnes gratiæ nobis vitam daturæ.

S. Hyppol. Epiſt. ad Regin.

Agedùm, in hoc ſacrum apertum Latus manum immittamus (non ſicut Thomas incredulus, ſed fidelis) & ſeptem Sigilla unum poſt alterum ſucceſſivè aperiendo, prout idem Agnus Crucifixus aperuit, videamus divinos theſauros gratiarum, quæ in illa extenſa ſcriptura nobis promittuntur & communicantur. In anima vel conſcientia intricata, generaliter concurrere poſſunt ſeptem impedimenta, ad ſalutis ſuæ media non facilè conſequenda: ſcilicet, Peccata reſervata, Excommunicationes, Interdicta, Vota, Infirmitates, Debita temporalia, hominibus: & ſpiritualia Deo. Et omnia iſta impedimenta [paucis exceptis quibus non poſſum immorari, & continentur in Bulla) per illam nobis ſubmoventur & redduntur faciliora. Deprehendit ſe veſtra anima gravatam non ſolùm peccatis, ſed & peccatis difficilis abſolutionis, qualia ſunt reſervata. Sumite Bullam Cruciatam, primum aperire Sigillum, *Aperuit*: & illa dat Confeſſario à vobis electo poteſtatem abſolvendi vos ab omnibus peccatis quantumlibet gravibus & enormibus: & non ſolum ordinariis Prælatis, ſed ipſi etiam Sedi Apoſtolicæ reſervatis. Eſtis innodati graviſſimâ cenſurâ excommunicationis, habetis (ſicut habere fas eſt) horrorem veſtri ipſorum, vos videntes à fidelium communione excluſos? Secundum aperite Sigillum, *Aperuit*: & ejuſdem Bullæ gratiâ & facultate ab excommunicatione, ſive à jure, ſive ab homine latâ, eritis abſoluti, & priſtino ſtatui reſtituti. Clauduntur vobis portæ Eccleſiæ, quod interdicta ſit Parochia, Civitas, Regnum in quo vivitis? in medio hujus luctus afflictioniſque publicæ, aperite Sigillum tertium, *Aperuit*: & vobis conceſſi ſub illo Sigillo Privilegii beneficio, non ſolum poteritis privatim divinis officiis aſſiſtere nec non Sacramenta recipere: ſed durante interdicto, ſi moriamini, gaudebitis Eccleſiaſticâ ſepulturâ. Feciſtis vota, quibus vos Deo & Sanctis obligâſtis, ultrà quàm tempus, negotia, & modica devotio permittunt? aperite Sigillum quartum, *Aperuit*: & Confeſſarius virtute Bullæ illa taliter vobis commutabit, ut facilè adimplere poſſitis. Eſtis infirmi, obſunt valetudini cibi Quadrageſimales; aperite Sigillum quintum, *Aperuit*: & de conſilio Medici & Confeſſarii, non ſolum in Quadrageſima, ſed etiam omnibus aliis prohibitis diebus licitè poteritis comedere, quod veſtræ debilitati judicaveritis convenire: Acquiſiviſtis & poſſidetis bona aliena, neſcitis cui illa reſtituere debeatis, quia vel acquiſita raptu, vel quia non comparet Dominus: nec poteſtis integrè reſtituere propter inopiam, vel non vultis propter avaritiam, ſicut probabilius eſt? aperite Sigillum ſextum, *Aperuit*: & ad omnia vobis Bulla tam facilè ſuppeditabit remedium; ut paucis expenſis multis ſatisfaciatis debitis. Denique debetis

Deo pœnas pro peccatis vestris quas debetis solvere in hac vita, vel altera, sicut illi qui detinentur in purgatorio, quibus vel sanguinis vel Christianitatis obligatione compatimini ? aperite Sigillum septimum, *Aperuit* : & tot gratiarum & indulgentiarum abundantiis vos locupletes invenietis, ut plenatiè, & plenissimè satisfacere possitis pro vobis & pro defunctis omnibus; ad quos vestra charitas sese extenderit.

O misericordia Lateris Christi! O Matris Ecclesiæ ab illo ditatæ thesauri! illud tam inexhaustum in concedendis, & hæc tam liberalis in dispensandis & in nos effundendis! Jam intelligetis illius Apocalypseos visionis clausulam. S. Joannes ait, quod aperiente Agno mysterioſæ illius scripturæ septem sigilla, ante thronum ejus prostrati infinitas dederint gratias, omnes quotquot in cœlo, & in terra & sub terra, in mari & sub mari erant, *Et omnem creaturam quæ in cœlo est & super terram, & sub terra & quæ sunt in mari & sub eo omnes audividicentes sedenti in throno & Agno: benedictio & honor, & gloria.* Et qui sunt isti, qui tantas, Deo & Agno, qui septem Sigilla aperuit, dabant gratias, non solùm in cœlo sed in terra & in mari: & non solùm in terra & in mari, sed etiam infrà terram & subtus mare ? Isti, sunt omnes illi, qui diversis modis beneficio Bullæ gaudent; qui in cœlo, sunt Beati: qui in terra & mari, sunt Vivi : qui subtus terram & mare ; sunt Defuncti. Et omnes dabant gratias Deo & Christo mortuo, pro reseratione septem Sigillorum Bullæ Cruciatæ : nam Beati, Vivi, & defuncti, omnes sunt debitores maximi illius beneficii; Beati; nam mediante Bullâ rectâ abierunt ad gloriam. Vivi; nam mediante Bullâ gratiæ sunt restituti. Defuncti, adhuc purgantes; quia mediante Bullâ liberantur à pœnis. Ecce quousque ascendunt, quàmque grandes & omnibus universales sunt illius Lateris & Scripturæ apertæ gratiæ! *Aperuit.*

Apoc. 5. v. 13.

§. VII.

ET *continuò*. Sed quia in materia gratiarum & mercedum non sufficit impetratas esse & concessas, nec sufficit vos in vestrâ capsâ habere litteras & provisiones; ne inter datum & efficiens, inter scripturam & facultatem, inter chartam & contentum variæ intercurrant perplexitates, longa spei imò desperationum intervalla: rationabiliter me interrogabitis, Istæ Gratiæ & tantæ Indulgentiæ, in Bulla nobis concessæ, quando obtinentur ? Eleëmosynam jam solvimus, jam nostrum nomen Bullæ est inscriptum, jam illam in nostra habemus potestate, sed effectus quando subsequetur ? Verbum consequens illud innuit : *Et continuò* ; statim, sine dilatione; statim, sine mora ; statim, verè statim : Et dico, verè, ne quis cogitet aut timeat illud statim Bullæ Cruciatæ, esse velut istud statim vestrorum tribunalium.

Non est verbum magis æquivocum, nec magis dubiæ significationis adverbium, quàm *Statim*, in expeditionum materia. Vix datur remissio, quæ non descendat cum uno Statim : & non est consilium, quod non ascendat cum duobus Statim, & aliquando cum tribus. Sed ista statim quàm longa sunt, quàm morosa, & quanto tempore durant! Dantur Statim, de duobus, de quatuor, de decem annis, & de tota vita. Destinati estis in Indiam,

vestræ

veſtræ Litteræ cum tribus Statim expediuntur: datur ſignum ad ſolvendas anchoras, explicantur vela, ingredimini naves: & quid vobis accidit? multo tempore ſubſtitiſtis in caloribus Guineæ, vela feciſtis & circuiſtis Portum Bonæ Spei, hyemâſtis in Mozambico, binâ vice tranſiiſtis lineam, tandem perveniſtis in Goa in fine totius & dimidii anni: & iſta Statim nondum impleta ſunt. Si ibi fueritis mortui, iſta Statim tranſierunt ad diem judicii: & ſi poſt octo decemve annos fueritis reverſi, iſta Statim adhuc vacant, vel non eſt memoria ubi ſint, illud eſt quod iſta Statim ſignificabant. Conſideravi ſæpiùs quid ſibi velit, vel quid ſignificet *Statim, Statim?* Si enim primum *Statim* ſignificat Statim, quænam eſt ſignificatio ſecundi? videtur unum Statim, alteri Statim additum, idem eſſe, quod unum Non, additum alteri Non; Non additum Non, ſignificat Ita: & Statim additum Statim, frequenter ſignificat nunquam: & quaſi ſemper Tardè; nihilominùs iſtud intelligitur, quando illa Statim diriguntur ad remunerandos præmiandoſque benemeritos: quando enim ad deſtruendos opprimendoſque faciunt; unum & duo Statim, imò tria omnia ſimul volant. Ecce illud in Tragœdia Præcurſoris Chriſti. Rex Herodes pro die natalis ſui ſplendidum inſtituit convivium: ad ſaltandum prodiit filia Herodiadis; dixit illi Rex ut peteret, quamvis dimidium Regni ſui. Et quid petiit? Caput Baptiſtæ ſub tribus. *Statim. Cumque introiſſet ſtatim, cum feſtinatione ad Regem, petivit dicens: Volo ut protinùs des mihi in diſco Caput Joannis Baptiſtæ.* Iſta ſtatim numerate, & videte num ſint tria; *Statim: cum feſtinatione: Protinùs*; & illa Statim adeò fuêre prompta & continua, ut Statim inter menſæ diſcos in uno eorum comparuerit maximi inter natos mulierum Caput. Hæc ſunt iſta Statim juſtitiæ, ſive tyrannidis mundi. Quatuor ſignificationes, omnes formidabiles! In bonum, unum *Nunquam*: in malum, tria *Statim, Statim cum feſtinatione, Protinùs.*

Marci 6. v. 25.

Solummodò illud Bullæ Cruciatæ *Statim* cùm ſit in bonum & pro tantis bonis, verè & infallibili certitudine eſt Statim: *Et continuò.* Ut Statim non ſit Statim, impediri vel retardari poteſt temporis locorumve diſtantiâ: ſed nec temporis intervalla, (quamvis multorum annorum ſint) nec locorum diſtantia (quamvis aliquot millium leucarum ſit) impedire poteſt & ſuſpendere illud Bullæ Cruciatæ Statim: quin Statim ſit Statim. Progrediamur ad ipſam Bullam, & vos me comitemini; Jubilæum Anni ſancti quondam concedebatur ſingulis centenis annis: ſuccedente tempore reducebatur à quinquageſimo ad quinquageſimum: hodie à vigeſimo quinto ad vigeſimum quintum eſt reductum; ſed hoc idem tanti temporis intervallum, tali modo aſtringitur & abbreviatur gratiâ & privilegio Bullæ, ut abſque viginti quinque annorum exſpectatione, nec decem, nec duorum, nec unius quidem, illo ipſo die anni Sancti Jubilæum lucrari poſſitis: & illo ipſo anno duabus vicibus.

In diſtantiis locorum, iſtud Statim, eſt adhuc magis mirabile: *Et continuò.* Vultis lucrari Indulgentias Compoſtellanas ſive S. Jacobi? centum & ultrà Compoſtellam uſque vobis leucæ emetiendæ ſunt? vultis ſtationes peragere Romanas, ſeptem, intrà & extrà muros viſitare Eccleſias? quinquaginta & ultrà leucæ Italicæ vobis

conficiendæ; vultis visitare Sanctum Sepulchrum, Calvariam, Montem Oliveti, Domum Sanctam? mille vobis leucæ Jerusalem usque emetiendæ sunt. Quis neget istas esse magnas locorum distantias? Enormes planè, magisque enormes ex eo, si addiderimus quod peragrandæ Regiones ab infidelibus inhabitatæ, & transfretanda maria infinitis piratis infesta, ubi certior mancipatus & ad triremes applicatio; quàm veniæ & indulgentiæ, quas lucratum peregrinamini. Sed pro omnibus istis periculis securum vobis præstabo conductum: & omnium vestrum istarum loco, breve vobis ostendam & dabo compendium. Accipite Bullam Cruciatam, & sine egressu civitatis Ulyssipponensis fuistis Compostellæ, fuistis Romæ, fuistis Jerosolymæ: Gratiæ enim quas ibidem quæsituri abitis, hic vobis conceduntur, non diversæ, nec minores, sed eædem. Vultis illas lucrari Statim? quinque visitate Ecclesias. Vultisne lucrari magis Statim? in ipsa Ecclesia quinque visitare Altaria; Vultisne adhuc magis *Statim*? idem Altare visitate quinquies: & sine motu locali fuistis in Gallicia, fuistis in Italia, fuistis in Palestina, & omnibus gratiarum thesauris ditati estis, qui tam peregrè & tanto labore quæruntur.

Sed audio pauperem mihi dicentem; Pater, non sunt Indulgentiæ quas ego quæro, mea miseria & pœna adhuc major est: eò infortunii deveni, ut excommunicationem Bullæ Cœnæ incurrerim. Et quis me ad pedes Summi Pontificis, præsertim tantorum bellorum tempore adducet? Etiam commisi gtave Peccatum Episcopo meo reservatum, & modò non sunt Episcopi, præterea oriundus sum ex aliquo pago inter Durum & Minium post obitum Reverendissimi Archiepiscopi Fr. Bartholomæi de Martyribus, Prælati moderni natalem locum meum non cognoscunt, ità ut remedium videam valdè remotum: mors potest præoccupare, quid mihi faciendum ignoro. Quid? statim vobis præbebo remedium; Bullam Cruciatam assumite, Confessarium eligite: & statim in vestra Ecclesia Episcopum, & Papam, in vestra habetis patria, nam Confessarius cum Bulla in manu est Episcopus & Papa. Potestne dari major felicitas & brevitas, pro peccatis, pro censuris, & pro Indulgentiis? Ità ut sine Bulla Cruciata habeatis requirere Episcopum & Papam: & cùm Bulla, Episcopus & Papa requirant vos. Sine Bulla, tam peregrè Compostellam, Romam, Jerosolymam vobis proficiscendum: cum Bulla habetis Compostellam, Romam, Jerusalem intra Ulyssipponem. Ecce differentiam Tribunalis hujus & aliorum! In aliis Tribunalibus tractantur negotia Ulyssippone quasi Romæ & Jerosolymæ: in hoc tranctantur & consequuntur Gratiæ & Indulgentiæ Romæ & Jerosolymæ concessæ, veluti Ulyssippone; dico Ulyssippone: nam expeditio & Gratiæ non sunt in manu Ministrorum, sed vestra.

Et si vobis videtur res difficilis, quod in hoc chartæ folio veluti in mappa mundi tam dissita jungantur loca, & terræ tam remotæ, prout Roma, Jerusalem & Ulissippo: & quod ad tantos Gratiarum thesauros acquirendos, Deus ejusque Vicarius contentus sit, ut in aliqua Ecclesia flectatis genua: ad unam quæstionem mihi respondere. Quisnam liberalior, an diabolus in promittendo, an Deus in

dando?

dando ? Nullum est dubium, quin Deus in dando. Recogitate nunc, quid diabolus fecit, quid promisit, vel quid à Christo petiit ipsum in monte tentans. Quod fecit, fuit illi ante oculos posuit totum mundum : quod promisit, fuit omnium regnorum Gloria : quod petiit, fuit ut Christus genuflexus ipsum adoraret, quod si diabolus omnia mundi Regna ad unum transtulit montem : quare modo faciliore Deus Romam, Jerusalem, aliasque sanctas civitates ad vestram non transferat civitatem ? Et si diabolus promisit omnium illorum regnorum gloriam, quare Deus omnium istorum locorum gratias non promittet ? Et si diabolus acquiescit, nec plus desiderat, aut aliam conditionem ponit quàm ut de genu adoretur : quare non acquiescit Deus videndo vos coram se genuflexos, contritos, pœnitentes, & orantes ? Denique si diabolus hæc omnia fecit, testante Evangelista, in unico momento, *In momento*, quare hoc non faciat Deus in uno Statim, quod sit Statim : *Et continuò* ? Sed tempus est ut concludamus. Ultima duo verba simul absolvuntur.

Luc. 4. v. 5.

§. VIII.

Exivit Sanguis & Aqua. S. Hieronymus testimonio Ecclesiæ in interpretandis Scripturis omnium Doctorum maximus, explanando mysterium, quare de Latere Christi mortui exivit Sanguis & aqua, propriissimè asseruit, Sanguinem significâsse Martyrium, Aquam, Baptismum: *Latus Christi percutitur Lanceâ, & Baptismi atque Martyrii pariter Sacramenta funduntur* ; & quarem gis Martyrium & Baptismus, quàm aliquod è reliquis Sacramentis ? Hujus considerationis rationem S. Hieronymus non dedit ; sed posito quod sit profundissima, tamen non est difficilis intellectu. Inter omnia Sacramenta Baptismus solummodò & Martyrium (quod etiam est Baptismus) taliter animam expurgans, & absolvunt ab omni culpa & pœna, ut in ipso puncto Martyrii, proprio mediante Sanguine : & Baptizato, mediante aqua baptismali, Cœli aperiantur Portæ, & libera detur visio Dei. Istud fuit mysterium, quo militi Latus aperienti (mox ut indè exiit Sanguis & aqua) Statim, cùm esset cœcus, sunt oculi aperti, ipsumque Christum vidit, quem videre non poterat. Et sicuti Incarnationis Verbi finis fuit destruere peccatum, reparare statum Innocentiæ, aperire Paradisum, & in illum perditum hominem restituere : sic ultimus vitæ mortisque Christi actus & ultima clausula opus Redemptionis consignans, fuit, è Sacrario sui pectoris depromere illas duas claves aureas, nobisque duo securissima suæ Gratiæ & Gloriæ dare pignora, quæ in sanguine Martyrii & Baptismi aqua inveniuntur. *Baptismi, atque Martyrii pariter Sacramenta funduntur.*

D. Hieron. ep. 83.

Filii Israël jam ex Ægypto terram Promissionis ingressi, transiêre Mare rubrum & Jordanis fluvium : sed utrumque pede sicco. Et quæ Ægyptus, quæ terra Promissionis, qui Filii Israël, quodnam Mare rubrum, quis fuit iste fluvius Jordanis ? Ægyptus, est mundus : Terra Promissionis est Gloria : Filii Israël, sunt Fideles : Mare rubrum, est Martyrium : Jordanis, est Baptismus ; & utrumque sicco vestigio transvadârunt ; nam per mare rubrum Martyrii, & per Jordanis fluvium Baptismi, solummodò ad Gloriam tran-

siri potest sicco pede (id est) non experiendo pœnas purgatorii ; Sed cùm hoc se ita habeat, amplius quid invenio sub Martyrii & Baptismi significatione, quod Latus Christi nobis præstitit, & in Bulla Cruciata liberaliùs exhibuit. Martyrium cum Baptismo comparatum, non habet singularem Gloriæ prærogativam : utrumque se habet, ut excedens & excessum. Baptismus (velut vitæ inchoantis Sacramentum) nos relinquit capaces ad merendum, sed & similiter ad peccandum : Martyrium (quia morte consummatur, vitamque finit) ad merendum, & similiter ad peccandum nos incapaces relinquit ; Et in hac prærogativa, quâ Martyrium & Baptismus sese invicem excedunt, quænam sit major gratia, solus resolvere poterit, qui primus demonstraverit, utrum meliùs sit meritum cum periculo : aut securitas sine merito : adeò sunt æquales & problematicæ, Martyrii atque Baptismi ad invicem collatæ prærogativæ. Sed si cum Gratiis Bullæ Cruciatæ comparentur, non est dubium, quin Indulgentia & Indulgentiæ plenariæ, tam facilè totque modis in illa nobis concessæ, adhuc habeant circumstantias excellentiæ : quâ non solùm adæquant, sed ipsum Baptismum & Martyrium excedant. Baptismum adæquant & Martyrium : nam si Baptismus & Martyrium animam expurgant nec non ab omni culpa & pœna liberant, idem faciunt Indulgentiæ plenariæ verè lucratæ, & ipsum Baptismum ac ipsum Martyrium excedunt : quia istæ plenariæ Indulgentiæ sunt instar Martyrii, sed Martyrii sine tormento, & instar Baptismi, sed Baptismi iterati ; Agedùm nunc videte.

Martyrium (prout illud vocat Ecclesia) est compendiosissime ad Gloriam via : Martyr enim uno tantùm passu; pede uno in terra & altero in cœlo, de morte in beatitudinem intrat ; Pro tali morte non petitur ab ipso ratio vitæ : pro illa pœna, remittuntur omnes pœnæ pro peccatis debitæ ; & posito quod maximus fuisset peccator : illo ipso momento evadit Sanctos. Magna profectò felicitas, & valdè desideranda ! sed Martyres hoc modo cœlum ingressi, quanam transîêre ? Hi per cruces, illi per carceres, isti per Rotas, alii per ungulas dentesque ferarum, omnesque per tot tamque atrocia tormenta, ut multi jam immanium cruciatuum metu & horrore sese Martyrio subduxerint, aliique jam in medio tormentorum constituti, animi fortitudinisque defectu succumbentes resilierint. Ecce quantò faciliùs est, per Indulgentiam Bullæ Cruciatæ rectà in Cœlum tendere : quæ de cruce nil habet nisi nomen. Martyr rectà ascendit in Cœlum, sed per tot tamque periculosa tormenta : vos similiter cum plenaria Indulgentia rectà ascenditis in cœlum, sed sine tormento & periculo ; idcirco Sanguis, qui significabat Martyrium non exivit de Latere Christi viventis & cum dolore ; sed ex Latere Christi mortui & non sentientis. Gratiæ etenim quæ ex hoc divino fonte promanârunt, licet Martyrii sortiantur privilegia: sunt tamen Martyrium sine tormento.

Etsi magna est plenariæ Indulgentiæ prærogativa, eò quod sit velut Martyrium, sed sine tormento : non est minor minùsve privilegiata, eò quod sit velut Baptismus, sed cum iteratione. Gratia

Sacra-

Sacramenti Baptismatis est inde admirabilis, quod sit tanta tamque acquisitu facilis: quidnam admirabiliùs, quidvè faciliùs, quàm hominem peccatis oneratum, & æternis pœnis obnoxium, ab omni culpa expurgari, ab omni pœna absolvi, dum modicâ tantum lavatur aquâ ? Sed illa ipsa tanta Gratia, ipsumque illud admirabile & facile (si sic loqui fas est) notabilem habet defectum. Et quis iste ? Baptismum non posse reiterari aut repeti : Homo semel baptizatus, rebaptizari non potest. Hæc fuit causa (prout in S. Augustino legimus) quod multi veterum Catechumenorum istam limitationem cognoscentes, quodque nonnisi semel baptizati possent, usque ad mortem vel ut minimum ad senectutem Baptismum differentes, hujus remedii efficaciam pro tempore majoris necessitatis reservârint: Erat hîc abusus: & proinde justissimè prohibitus. Sed si Baptismus posset repeti, & homo quoties vellet rebaptizari: non est dubium, quin esset gratia super gratiam, favorisque excessus multò magis æstimandus. Nuncidemipsum, quodDeus non concessit omnibus per Sacramentum Baptismatis; per Bullam Crucіatæ Nobis hodie concedit. Cùm enim plenaria Indulgentia sit instar Baptisma à culpa & pœna expians, est simul Baptismi instar cum reiteratione: repeti enim potest multis vicibus. Baptismus est fons qui aperitur tantùm semel, clauditurque æternùm; Bullæ verò Indulgentia, est fons qui hodie & singulis annis aperitur, nec iterum clauditur; imò semper apertus manet. Idcircò Latus, ex quo exivit Aqua) quæ significabat Baptismum) tali modo Christo mortuo est apertum: ut nunquam iterum fuerit clausum etiam post resurrectionem, Apertum semel, & apertum semper. *Lanceâ Latus ejus aperuit, & continùo exivit Sanguis & Aqua.*

§. IX.

Discursum meum absolvi: & scio, Auditores, me vos fatigâsse: ignarus tamen an vobis persuaserim: si omnes concluisistis tam infinitorum thesaurorum vos reddere participes: hoc est quod Christus desiderat, hancque resolutionem ejus liberalitas & amor exspectat: & ut vos gratiis cumularet, aperuit & apertum habet Latus. ed si quis Christianus foret tali nomine indignus, qui aut ex Fidei titubatione vel pietatis defectu, ipsi Domino pro gratiis sibi gratis oblatis non ageret gratias, ad minùs illas acceptando, & condignè æstimando: noverit talis, hoc fore secundum Lanceæ ictum, quo profundiùs in apertum Pectus penetrans, illi Cor feriret. Ictus in Calvario, non inquit Textus, quod Latus vulneravit, sed aperuit: hic secundus Lanceæ ictus, est qui solus illud ferire potest, cùm sit tam apertum; & tam profundè penetrare, ut ad Cor ejus perveniat; *Vulneraſti Cor meum Soror mea Sponsa: vulneraſti Cor meum in uno oculorum tuorum*, sunt querelæ Christi ad ejus Ecclesiam: quæ ex malis & bonis; ex devotis, & indevotis; fidelibus & infidelibus constat. Nunc, inquit amabilis Dominus, quod Sponsa sua ejus Cor in uno oculorum vulneravit, *in uno oculorum*, & quare non in utroque ? Duo enim Ecclesiæ oculi, sunt Fides & intellectus: & alterutro illorum tantum (si dividantur) homines in hoc casu Cor Christi vulnerant. Hæretici vulnerant Cor Christi

Cant. 4. v. 9.

oculo

oculo fidei, *in uno oculorum*: Veritatem enim Indulgentiarum, concedendique poteſtatem penes Pontificem eſſe negant. Ità has negavit Lutherus, cujus ſignum, quod in furiam actus fuerit, ſermone de Indulgentiis publicandis Cruciatæ alteri collato, quem ille ambiebat: & iſte error fuit primus, ex quo poſtmodum in tot & tantos ſeſe præcipitavit. Catholici (qui ſumus nos) ſimiliter Cor Chriſti feriunt, ſed oculo intellectus, *in uno oculorum*: Pontificis enim poteſtatem, Indulgentiarumque credentes veritatem, nonnulli tam exigui ſunt judicii, ut ex incuria, animæque neglecti, & bonorum cœleſtium deſpectu, tantorum theſaurorum participes fieri contemnant. O qualis eſt iſte ictus Cordis Chriſti, tam atrox & crudelis ex parte noſtra, & ex parte ipſis tam ſenſibilis & penetrativus!

Eſtne poſſibile in mundo eſſe hominem credentem, quod ab omnibus peccatis ſeſe poſſit expiare, debitaſque pœnas Deo exſolvere, & utrumque labore tam facili, id non faciat? Sed illa ipſa facilitas eſt ejus cauſa. Tam vilis eſt noſtræ conditio naturæ, ut ſolùm difficilia æſtimemus, & facilia deſpiciamus. Quando primùm Indulgentiæ Anni ſancti fuêre conceſſæ, tantus ex toto mundo Romæ fuit concurſus; ut cum multitudinem hominum non caperet civitas, campi replerentur. Si iſta Bulla ſemel tantum omnibus centenis annis, & in fine mundi concederetur, illuc ire nos oporteret & accipere. Nunc quia Deus bonum iſtud nobis reddit adeò facile & in propria nos quaſi domo illo viſitat, num propterea videtur minoris faciendum? quod illud reddere oporteret pretioſius, faſne erit hoc ipſum illi imminuere pretium? hoc nos homines facimus. Quando Eliſæus mandabat Naaman Syro lavari in Jordane, ut curaretur à Lepra, mox cum indignatione in terram ſuam remeare voluit, remedium præſcriptum ob facilitatem reſpuendo, nec credendo tantam ineſſe poſſe virtutem tantilli pretii remedio. Sed quidnam huic Principi ſui famuli replicarunt, vel quomodo perſuaſerunt, ut præſcriptum ab Eliſæo exequeretur? *Pater, etſi rem grandem dixiſſet tibi Propheta, certè facere debueras: quantò magis, quia nunc dixit tibi, lavare, & mundaberis?* 4. Reg. 5. v. 13. Prudentes famuli hoc dicebant Naamano, & idem ego dictum volo illis, qui conſcientias ſuas curare, & animabus ſuis pro hac & altera vita ſuccurrere nolunt remedio tam facili. Si ad emundandos nos à tot Lepris tam fœdis, horribilibus & lethalibus (quales ſunt omnis generis peccata) & ad nos liberandos à pœnis pro illis debitis vel æternis in inferno, vel multorum annorum in Purgatorio, quæcunque ſubeunda foret conditio, & qualiſcunque dura & difficilis ſatisfactio præſtanda: aliquam tam facilem, velut iſtam, in qua omnia nobis conceduntur & gratis remittuntur, quare deſpiceremus? Si quis ſit qui ad illud, Quare reſpondere ſciat, benè eſt; Bullam dimittat. Sed quia certus ſum, nullum intellectum Fide inſtructum ad iſtud, Quarè, reſponſum invenire poſſe, hanc ipſam quæſtionem vobis in auribus volo relinquere, ſperans quod per aures nobis corda aperiet ille idem Dominus, qui ut nos tot & tantis theſauris cumularet, ſibi pectus aperire permiſit:

Unus militum lanceâ latus ejus aperuit. Amen.

SERMO

SERMO

PRO

Feriâ Quartâ Cinerum,

Romæ in Ecclesia S. Antonii Lusitanorum Anno 1673. 15. Februarii, die Translationis ejusdem Sancti.

Pulvis es, & in pulverem reverteris. Gen. 3. v. 19.

§. I.

DUo hodie cunctis mortalibus prædicat Ecclesia: utraque mana, utraque tristia, utraque terribilia, utraque certa; Simili modo exorsus sum anno præterito, quando longiùs adhuc distabamus à morte: Sed hodie cùm illi simus viciniores, utiliùs tractabitur de remedio: quàm ut exaggeretur periculum. Eundem igitur dilatando conceptum, iisdem super verbis repeto Auditores; duo hodie ab Ecclesia omnibus prædicari hominibus, magnum unum, alterum majus: triste unum, alterum lætum: unum timendum, alterum securum: unum certum & necessarium; possibile alterum & liberum. Et quænam sunt ista duo, Pulvis & Pulvis; Pulvis qui sumus, & Pulvis qui erimus: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Pulvis qui erimus tristis est, timendus, certus, & necessarius, si quidem mors cunctis est inevitabilis: pulvis qui sumus lætus est, securus, voluntarius & liber; si enim hunc pulverem rectè debitèque applicare vellemus, præsens ille qui summus erit remedium, erit theriaca, erit correctio illius, qui erimus.

Memorabilis sanè casus tempore Valentis Imperatoris accidit, de quo Ausonius Poëta ejusdem ævi, celebrem hanc cecinit sententiam: *Et cum fata volunt, bina venena juvant.* Inimica quædam domestica, mortem suo hero, mediante veneno machinabatur, quem in finem jam certis quibusdam lethiferis pulveribus intoxicatu potu præparato, & de sufficienti ad intentum pulverum efficacia dubitans, pro majore certitudine adhuc afferri jussit alios, quos allatos in idem intoxicatum jam ante poculum immisit: hoc modo confectum poculum innocens & ignarus maritus hausit & exhausit, vivus, sanus incolumisque remansit; improbâ interim inimicâ subitam vitæ cum morte commutationem frustrà exspectante. Mirabilis profectò casus! Quod si primi, similiter & secundi pulveres seorsim, tollendæ vitæ sufficiebant, quare simul juncti & sumpti animam non extorquebant? Homo ille non erat Mi- *Auson.*

thridates veneno vivens. Si hausisset solos primos, fuisset extinctus, & similiter si solos secundos: ut quid igitur utrisque simul exhaustis non crepuit? quia pulveres secundi, primorum fueruntcorrectivi: vim quam cordi inferre debebant, in seipsos convertendo pariter defecerunt. Hujusmodi sunt isti duo Pulveres, quibus nobis hodie universalis sententia minatur Adæ: *Pulvis es:* ecce unus, *in pulverem reverteris*: ecce alter. Ambo lethiferi, ambo venenosi: sed si velimus unum esse alterius antitoxicum & correctivum, non hoc in Fatorum, sed manu nostrâ situm est: quod ipsum vobis hodie proponere intendo. Ecclesia hodie capitibus vestris factum ex palma pulverem inspergit: Ego hodie vobis Palmam ex Cineribus factam in manus tradam. Pulvis pulvere vincendus, venenum veneno curandum: mors morte perimenda est: mors pulveris qui erimus; morte pulveris qui sumus, *Pulvis es, & in pulverem reverteris*. Ut hosce pulveres ritè sciam præparare, quò desideratam habeant efficaciam: Vos & ego convenienter, & ut oportet, noverimus applicare: non cæremonialiter (quia ad hoc non congruit) sed ex intimo corde divinæ gratiæ assistentiam petamus dicentes, *Ave Maria*.

§. II.

PUlvis es, & in pulverem reverteris. Homo Christiane cum quo loquitur Ecclesia, Pulvis es, & eris. Quid remedii? Ut pulvis sit pulveris correctivus. Agnoscis te modò pulverem? non timebis te postmodum fore pulverem, in quem reversurus es. Nostis Auditores, Cur pulverem timeamus futurum? quia pulvis esse recusamus qui sumus. Sum, & ero pulvis: priusquam igitur revertar in istum pulverem futurum, ero pulvis qui sum. Quapropter cum pulvis futurus sim coactus, nunc esse volo pulvis voluntarius: nonne multò meliùs, ut jam facit ratio, quod postmodum faciet natura? Si natura me in pulverem est resolutura, ego memetipsum in pulverem resolvam; faciatque nunc ratio pro remediò, quod postmodum sine fructu efficiet Natura. Nescio utrum omnes metaphoram intellexeritis: Loquar clariùs: nimirum quod unicum contra mortem sit remedium, ante mortem finire vitam. Hic est meus scopus: & cum conceptus sit tam Christianus, confundor quod eum ante prædicârit Gentilis. *Considera quàm pulchra res sit consummare vitam ante mortem: deinde exspectare securum, reliquam temporis sui partem*? ait Seneca scribendo Româ: in Siciliam. Conceptus exivit Româ: inde non migrâsse præstitisset. Mi Lucili, inquit, attentè ausculta verba mea, & tanquam à magistro & amico accepta consilium quod suggero. Si securus mori, reliquumque vitæ tuæ sine timore optas transigere, consumma vitam ante mortem. O grave, profundum, & meliore dignum authore consilium: quod ab omnibus fide intellectuque præditis amplecti mereretur! Consummate vitam ante mortem, & esse pulverem per electionem: priusquàm fiamus pulvis per necessitatem. Hoc dixit & docuit Gentilis: ad cognoscendam etenim hanc veritatem, necesse non est esse Christianum, sufficit esse hominem, *Memento homo*. *Senec. in Epist. 32.*

Fidei nunc cedat ratio, divinaque authoritas præponderet humanæ, cœlum terræ loquens audiamus; *Audivi vocem de cœlo* *Apoc. 14. v. 13.*

cœlo dicentem mihi scribe Beati mortui qui in Domino moriuntur. Audite, inquit S. Joannes, vocem cœlestem mandantem mihi hanc scribere sententiam: *Beati mortui qui in Domino moriuntur.* Oraculum
S. Ambro. cœleste, sed difficile! *Quis mortuus mori potest?* argumentatur & quærit S. Ambrosius, *Nullus procul dubio.* Mors omnia finit, & ad ipsam usque mortem omnia finiuntur cum morte. Qui mortuus est jam mori nequit, soli mortui isto gaudent Privilegio, contra universale mortis imperium & jurisdictionem. Mortis legibus subjecti sunt Principes, Reges & Monarchæ: soli mortui soluto semel mortis tributo abejus jurisdictione remanent exempti. Hinc sententiosè Tertul-
Tertull. lianus sepulchrum vocavit mortis asylum. Contra tyrannidem mortis nec ipsum quidem Vaticanum sacrum est & immune: Sed sepulchrum? Ita; mortui enim jam non possunt mori. Quo igitur pacto S. Joanni inclamat vox de cœlo: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur?* Ergone dantur mortui qui moriuntur? Et quinam sunt isti? Qui vivere desinunt, antequam moriantur. Qui vitam finiunt cum morte, sunt vivi qui moriuntur, quos mors sustulit vivos: Qui vitam finiunt ante mortem, sunt mortui morientes, quos mors jam mortuos offendit. *Illi sunt beati & in Domino moriuntur, qui prius moriuntur mundo, postea carne.* In-
S. Amb. quit idem S. Ambrosius: Scitisne quales sint mortui morientes? sunt illi, qui ante mortem naturalem finierunt vitam: sunt illi, qui ante mortui sunt mundo, quàm à morte tollantur de mundo. *Qui prius moriuntur mundo, postea carne,* Illi sunt mortui qui moriuntur; illi sunt qui moriuntur in Domino: illi sunt quos vox cœlestis Beatorum catalogo annumerat, *Beati mortui.*

Quod si morientes mortui sunt Beati, morientes vivi quid erunt? Utique infeliciſſimi. Gravem desuper Davidis auscultate textum, *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.* Prima Pars hujus versiculi mirabilem & perplexam reddit secundam; Quod homines vivi possint in infernum descendere, exemplum habemus in Dathan & Abiron: *Aperta est terra, & deglutivit eos, descenderuntque in infernum viventes,* Sed casus nostri textus adhuc majus mirabile includit: Dicit, *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes,* Si mors venit super illos, jam ipsos occidit: & si jam sunt occisi, quomodo inquit Propheta quod in infernum descendent vivi? Quia hic est status in quo illos mors inveniet. Non loquitur Propheta de statu, quo ibunt in infernum; sed in quo mors illos aggressura & è vivis sublatura inveniet, mors, in quo quem statu invenit, occidit. Qui finiêre vitam ante mortem naturalem, jam mortuos occidit: Qui vitam ante naturalem mortem finire noluerunt, viventes adhuc occidit. Super tales venit mors: alii veniunt super mortem. Et tantùm distat inter venire mortem super vos, & vos venire super mortem; tantumque distat inter mori sic vivum vel jam mortuum: ut morientes mortui de cœlo sint securi, *Beati mortui qui in Domino moriuntur:* & morientes vivi, sint qui descendunt in infernum, *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.*

Psal. 54. v. 16.

Num. 16. v. 32.

Auditores mei: hæc est dies ut patefiat veritas. Mori, vel non mori in Domino: assequi, vel non assequi beatitudinem,

est illud punctum unicum, quò tota nostra vita, totus mundus, & universa tam naturæ quàm gratiæ nostra reducuntur opera: omne quod sumus aut erimus, id est aut salvari aut damnari. Hoc negotiorum omnium negotium, hæc est causa omnium causarum, hoc momentum est omnium maximum: hæc est & esse debet in- & extra aulam prætensio prætensionem omnium siquidem hoc est medium omnium mediorum, & finis extremorum omnium: mori in gratia, æternæque beatitudinis se reddere securum.

Verum enim verò si me interrogaveritis, quare istam beatitudinem, istam securitatem & gratiam vox cœlestis non vivis morientibus, sed morientibus mortuis promitti velit, *Mortui qui moriuntur?* Ratio vera, naturalis, & omnium qui vixerunt & mortui sunt experimento confirmata est, quia illis qui moriuntur dum moriuntur, cum omnibus periculis, anxietatibus, aliisque agonem communiter comitantibus luctandum est, quod in illo articulo est periculosissimum: Mortui verò ante mortem naturalem, illa prætacta pericula, difficultates &c. jam vicerunt, jam evaserunt; nam in morte primâ disarmâtunt & debilitârunt secundam.

Tria sunt (rite hunc dividamus discursum, ut benè nostrum declaremus intentum) tria inquam sunt, quæ mortem reddunt anxiam, periculosam & terribilem: scilicet, esse unam, esse incertam, esse momentaneam. Hæc tria, horrenda Cerberi istius sunt capita: hæc tria, sunt guttura quibus Infernus deglutit mundum: Hæc securè quis evadet? Qui mortem moriendo prævenit; qui se pulverem meminit & reputat: antequam in pulverem abeat. *Pulvis es.*

§. III.

PRimò, terribilis imò terribilissimâ mortis est conditio, quod sit una. *Statutum est hominibus semel mori;* Moriendum est, & unâ tantùm vice. Lex universalis minatur Adamo, *Morte morieris:* Glossa S. Pauli addit, *semel.* Lex licet sit terribilis, terribilior nihilominus est Glossa. Præsentis vitæ mala quantò magis multiplicantur, tantò sunt majora. *Multiplicabo ærumnas tuas*, dixit Deus Evæ? Maximum est malum mortis; non posse multiplicari: quod si multiplicatâ mortis unitate sæpius possemus mori, ab unâ appellaremus ad alteram. David cum Gigante congressurus, in peram misit quinque lapides, ut aberrante uno mox appellaret ad alterum: Omnes quandoque egressuri sumus ad prælandum cum isto magno Gigante, cum isto Goliath, Morte. Vincere vel mori in unico consistit ictu. Qui dixit, *Non licet in bello bis errare*, erravit: Erratum unius pugnæ, in altera potest corrigi, & quod perditum est in conflictu uno, in altero potest recuperari: in sola morte non licet bis errare. *Ergò erravimus*: Tandem erravimus inquiebant illi jam mortui; qui dixerant paulò ante, *Coronemus nos rosis antequam marcescant.* Quod si errâstis, quare errorem non corrigitis? quia jam non est tempus amplius: mortui enim sumus. Ex hac parte multò terribilior est mors corporis, morte animæ. Pro morte vitæ spiritualis est contritio & pœnitentia: pro morte verò vitæ corporalis, nec institutum est à Deo Sacramentum, nec remedium relictum, qui in illa erravit semel, erravit in sempiternum. Transmigratio de hoc mundo in alterum,

Heb. 9. v. 27.
Gen. 2. v. 17.
Gen. 3. v. 16.
1. Reg. 17. v. 40.
Sap. 5. v. 6.
Sap. 2. v. 8.

non

non est Pythagorica. Si egressæ semel animæ ex corpore uno, in alterum daretur ingressus: consequenter primò mortuus ut latro; secundò mori posset velut Anachoreta; sed semel mortuus ut Judas: alterâ vice non morietur ut Paulus. Unica solùm mors est, vel semper bona, vel mala semper: *Semel.*

Nullus utique dubitabit, quin terribilis sit illa conditio mortis. Sed ut? Illi, qui vivens moritur: mortuus enim moriens, hanc explodendo conditionem, eandem ridet terribilitatem. *Ridebit in die novissimo.* Quid meâ interest quod mors sit una, si ego illam possum duplicare? mors remedium non relinquit; sed præmittit. *Constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt*, Notate verbum *præteriri.* Mors est terminus qui transiliri nequit ad partem alteram, sed ab hac præveniri: non relinquit post se remedium, siquidem non datur altera: remedium verò præmittit, quia altera alteram potest præcedere. Ex Lege & statuto oportet mori semel: sed meo relictum est arbitrio, bis mori, & istud est remedium. Mortuus est Lazarus & à sororibus sepultus, Christus veniens ad sepulchrum fudit lachrymas, quibus visis simulque Lazari sepulturâ, circumstantes attoniti dicebant, *Non poterat hic, qui aperuit oculos cœci nati, facere ut hic non moreretur*? Nunquid jam plorans, idem est qui cœco nato dedit visum? Ità planè; Quare ergò mortem Lazari non impedivit? si lachrymatur, ejus utique est amicus: si visum dedit cœco, est potens: amicus est & potens, & non facit amico quod potest? si illum poterat curare, quare permisit mori, & non præstitit quod potuit? In hoc casu Christus non præstitit quod potuit: ut hoc ipso nos doceret præstare quod possumus. Christus nos bis mori docere voluit, inquit subtiliter ut assolet S. Augustinus, *Ut unus homo semel nasci, & bis mori disceret* S. Aug. Christus Lazarum permisit mori, nec infirmum voluit sanare sed resuscitare mortuum: ut ad hujus Exemplaris intuitum (Lazaro nunc moriente, & denùò ad moriendum resurgente) discerent & scirent homines, quod semel tantùm nati, bis possint mori. *Semel nasci; & bis mori.* O divinum documentum Magistri divini! semel nasci, & bis mori.

Prov. 31. v. 25.

Job. 14. v. 5.

Joan. 11. v. 37.

Facilè crediderim, non paucos fore, qui hosce terminos optarent commutatos; & bis possent nasci, ad eligendam nativitatem. Sed Deus qui creavit nos æternitati & non tempori, veritati & non vanitati, nasci naturæ: mori reliquit arbitrio. Nativitas quâ omnes nascimur æquales; nulli est obnoxia errori, ideoque sufficit nasci semel: in morte in quâ aberrâsse vel non errâsse totum pendet, interminabiliterque in omne ævum durabit, justum erat ut homo bis mori posset, ad eligendum mortem pro arbitrio: & discendum moriendo scire mori, Vix aliquid rectè fit primâ vice quantò minùs quod omnium maximum? Hæc consideratio admiratione est dignissima. Licet tot sint Meditationes mortis, & tot fiant hujusce veritatis inculcationes & adhortationes: nihilominus pauci invenientur qui mori sciant. Hujus verò experientiæ & veritatis ratio est, quia artes & scientiæ practicæ, non solâ addiscuntur Theoriâ, sed exercitio. Quomodo addiscitur scribere? scribendo. Navigare? navigando: pari modo ars moriendi addisci habet non meditando, sed moriendo. Proinde Christus in Lazaro nos bis

mori docuit, Primò *semel*, ut addiſceremus : ſecùndò : ut ſciremus mori. Chriſtus paralytico aliiſque à ſe curatis infirmis collatâ jam ſanitate prædicavit: Lazaro verò & reliquis à ſe reſuſcitatis documentum nullum dedit. Et quare? quia erant homines jam ſemel mortui, & ſecunda vice morituri:& mortuus ante mortem,ulteriori nonindiget doctrinâ ad benè moriendum.

Infernus & damnatio (quæ malè morientium ſunt centrum)vocantur in Apocalypſi mors ſecunda : ibidem S. Joannes mentionem facit quarundam animarum, in quibus mors ſecunda non habet poteſtatem : *In his ſecunda mors non habet poteſtatem.* Quænam ſunt iſtæ felices animæ ? Omnes quatenus ſubjecti ſumus morti primæ quæ temporalis eſt ; ſimiliter quoque periclitamur de morte ſecunda, quæ eſt æterna, omnes enim ad infernum poſſumus damnari & deſcendere. Quales igitur iſtæ fuerunt animæ adeò privilegiatæ, & à poteſtate ac juriſdictione mortis ſecundæ totaliter liberæ ? Illorum qui cum vera reſolutione & vigilantia vitam noverunt finire ante mortem; & mortem morte prævenire, quod ex ipſis S. Joannis verbis ritè conſideratis colligitur. Sin autem : Quæro, quare mors æterna præcisè & determinatè vocatur mors ſecunda, & non ampliùs quàm ſecunda, quia non poteſt eſſe mors niſi ſemel morientium. Mors ſecunda refertur ad mortem primam, & præſupponit ante ſe mortem aliam, ſed unam tantùm, & non plus quàm unam: etenim ſi antecedentes mortes fuiſſent duæ, jam non eſſet mors ſecunda, ſed tertia ; Quemadmodum verò morientes in vita, moriuntur binâ vice ; unâ quando moriuntur, alterâ antequam moriuntur, jam in illis non habet locum & poteſtatem mors ſecunda. Semel tantum mortuis, in inferno reſervatur mors ſecunda : hic bina vice mortuis, ibi non ſupereſt mors tertia ; proinde mors quæ dicitur ſecunda, nullam in illis habet poteſtatem, *In his ſecunda mors non habet poteſtatem.* O verè felices illi, qui ad evitandum periculum mortis ſecundæ,noverunt mortemaliam præmittere primæ !

Apoc.20. v. 6.

Auditores mei Chriſtiani, ſi benè mori deſideratis (de quo nullus dubito) non in morte, ſed in vita quæſo moriamini, non in infirmitate & lecto : ſed benè ſani, vegeti, & pedibus inſiſtentes. Et ſi ad hoc conandum corpus deſideratis Hieroglyphicum naturale ; non à Plinio vel Marco Varrone, ſed ab authore divino & Canonico illud accipite. Sanct. Judas Thadæus in admirabili ſua epiſtola notavit arbores bis mori: *Arbores autumnales infructuoſæ, bis mortuæ.* Primâ vice moriuntur arbores adhuc ſtantes; ſecundâ jacentes. Prima vice areſcentes, ſecundâ cadentes. Plato homines nominat arbores inverſas, cui ego addo, quod ſi morerentur ut arbores, homines eſſent arbores erectæ. In arbore quamdiu viror durat & vita, omnia ſunt decora, glorioſa, & varia. Moritur tandem arbor cum tempore prima vice : & ex pulchro hoc variegato corpore foliis ante veſtito, floribus exornato, fructibus turgido, nihil apparet amplius quàm cadaver & lignum ſiccum, aridum, triſte & truncum. In hac omnimoda ſua deſpoliatione adhuc gloriatur in radicibus, & fomentum habendo in terra (ſed non de terrâ) caſum ultimum

Judæ v. 12.

arbor

arbor exspectat erecta : hæc est mors secunda, quâ totaliter occiditur & moritur. Ita finire & mori debet ante mortem, qui benè moti cupit. Quot Maji, æstates & autumni nostri causâ transierunt, & prô, possibile est quod minoribus cum fructibus, quàm foliis & floribus! Quod anni faciunt in arboribus, idem potuissent jam fecisse in multis nostrum ipsi anni. Bonum est, ut ratio & veritas hoc operetur in omnibus ? eò quod nostræ radices sunt magis debiles. Mortui præstolemur mortem, & præstolemur stantes; priusquam illa nos prosternat in sepulchrum. O beatum hoc sepulchrum, cui veraciter inscribi posset magni Scoti Epitaphium : *Semel sepultus, bis mortuus.*

Spond. Anno 1308.

§. IV.

SUperatâ jam difficultate primâ, quod mors sit naturaliter una : sequitur non periculosa minus aut terribilis conditio secunda; quæ est quod sit incerta. Mors est certa in se, quia omnibus certò & infallibiliter moriendum : sed in hac ipsa certitudine, incerta, quia nemo novit, quando. Vitam nos dividimus in ætates, annos, menses, dies & horas, sed omnes istæ repartitiones tam dubiæ sunt & incertæ; ut nec tam florida sit ætas, tam integra sanitas, tam regulariter ordinata vita, quæ unius saltem momenti sit secura. David in medio hujus incertitudinis anxius & perplexus, hanc in forma ad Deum supplicam direxit : *Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, ut sciam quid desit mihi.* q. d. Domine vitam longam non peto, sed dierum istorum, paucorum aut multorum quos concedes, numerum quæso mihi denuncies : ut sciam quid & quantum mihi supersit. Hoc quidem modo illud petivit David : Lex verò incertæ mortis tam est indispensabilis, ut nec Davidi hoc concesserit Deus. David erat ille, qui veraciter de se poterat gloriari, *incerta & occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi* : Veruntamen Deus alia multa occulta & incerta, & Providentiæ suæ secreta manifestans, hoc solum occultum mortisque suæ incertum illi revelare noluit, adeò reservatum est soli Deo illud certum istius incertitudinis.

Psal. 38. v. 5.

Psal. 50. v. 8.

Sed dato casu, quo Deus certitudinem mortis suæ Davidi revelâsset, tali factâ revelatione nihilominus adhuc incertam remansuram dico. Exemplum habemus in alio non minùs sancto, & à Deo non minùs Davide amato Rege

Regi Josiæ promisit Deus, post multa sibi exhibita in observantia Legis & amplificatione Religionis obsequia ipsum in piorum operum præmium in pace moriturum; *Idcirco colligam te ad Patres tuos & colligêris ad sepulchrum tuum in pace* Hâc promissione, divinaque assecuratione excitatus & factus animosior; viribus & ætate floridus, triginta novem vitæ annos numerans, Gloriæ cupidus, instructo exercitu prodit in campum commissurus cum Assiriis, dextrâ hastam vibrans : pectore divino præmunitus chirographo, q. d. Ego moriar in pace securus sum in prælio. Primus igitur in acie, & exercitus congreditur cum hoste; ab hostibus circumdatus, à volantibus circumquaque sagittis transfigitur in corde, & Josias cadit exanimis. Mortuus est Rex? Et impossibile. Nunquid Josias revelatione promissione, singraphâq; divinâ fuit præmunitus ipsum

4. Reg. 22. v. 20.

mori

moriturum in pace, *Colligêris ad sepulchrum tuum in pace* ? Quomodo itaque moritur in bello & conflictu? hîc nunc, quæ & qualis mortis sit incertitudo patebit. Certum est Josiam in bello mortuum; certum est à Deo ipsi fuisse promissum ut moreretur in pace : denique certum est, Verbum Dei esse infallibile : & in medio omnium istarum certitudinem, incertus fuit dies, incertus locus, incertum mortis genus quo mori debebat, & mortuus est Josias. Sed qualiter ista incertitudo, & tot incertitudines subsistere queunt cum infallibili certitudine Verbi divini? idipsum David citatis suprà verbis quibus Deo supplicavit insinuat: *Locutus sum in lingua mea, notum fac mihi Domine finem meum*, q. d. petendo à Deo vitæ meæ finis notificationem, ego in lingua mea sum locutus, *locutus sum in lingua mea* : Et quemadmodum David supplicavit Deo in Lingua sua, ita Deus in Lingua sua locutus est Josiæ. Linguam Dei difficulter intelligunt homines, diversos etenim admittit sensus. Quid mihi prodest promissum habere divinum illudque certum, sub sensu incerto, qualis hic fuit, propterea ex proposito verbis dubiis & incertis utitur Deus etiam futuram prædicendo mortem; ut verborum illorum certitudo sapientiæ illius maneat solummodò reservata & nobis semper dubia & incerta.

Psal 38. v. 5.

Talis, Auditores, mortis est incertitudo : nostro nihilominus relinquitur arbitrio & potestati illam reddere certam; si vitam ante mortem finire resolvamus. Quàm bellè huic loco quadrat illud dictum Romani Catonis. Degebat ille in Africa, solus velut genuinus Urbis civis partes Reipublicæ contra Cæsarem defendens : vigebat similiter ibidem famosissimum Jovis Ammonii Oraculum, quod consulere suasus, sapientiùs ipso Jovis responso respondit Cato, *Me non Oracula certum, sed mors certa facit*, q.d. Finis mei non me certum reddunt Oracula: Oraculum meum certum, est mors certa. Locutus est barbarè veluti Gentilis, sed generosè sicut Stoicus. Stoicorum dogma erat, in discrimine mortis indignæ sibimetipsi tollendo vitam, prævenire mortem; Ita fecit Cato, propriis sibi manibus necem intulit certam, ad præveniendam dubiam, si in manus Cæsaris incideret. Melior Stoico est Christianus; ille se occidit ne occidatur : hîc moritur, ut moriatur, Mori malè ad pejorem evitandam mortem velut Stoicum pro actu generositatis & prudentiæ reputatur, sed temeritas est & pusillanimitas : mori benè ad moriendum meliùs velut Christianum, est magnanimitas & vera prudentia ; Si Stoicus unâ certâ morte moritur, Christianus moritur duabus similiter certis: nam certitudine mortis primæ, securam reddit incertitudinem secundæ. Ut quid igitur moretur Christianus quod mors sit incerta, si ipse moriendo priùs eam potest reddere securam ?

Lucan.

Auscultate S Paulum: *Ego curro, non quasi in incertum.* Ego quidem more reliquorum hominum hujus vitæ transigo cursum, sed non instar illorum curro in incertum, sed certum & securum. Apostolus alludit ad usitatos illius temporis Ludos, in quibus ad certam currebant metam : incerti quisnam primò attingeret. Meta nostra est mors : Cursus ad ipsam, præsens est vita. Quare inquit S. Apostolus Paulus se non cucurrisse more reliquorum in incertum, sed in certum? quia reliqui cursum finiunt jam proximi metæ,

1. Cor. 9. v. 26.

S. Pau-

S. Paulus à meta adhuc remotus finierat curſum : finierat vitam antequam moreretur. Idipſum S. Paulus in eadem perſiſtendo metaphorà repetit, *Bonum certamen certavi, curſum conſummavi*, q. d. jam ſuperavi agonem ; jam finivi curſum. Jam tum ? Benè. Congratulamur tibi Apoſtole Sancte : ſed quando ? in hoc noſtrum dubium verſatur ; Iſtud dicit S. Paulus in ſua ſecunda Epiſtola ad Timotheum, quam (juxta notam Cardinalis Baronii) anno quinto Neronis, octennio ante ſui decollationem conſcripſit. Notate. Quod ſi S. Paulo tot adhuc ſuperarant anni vitæ, & plures reſtare poſſibiles, quomodo ſe curſum ſuum jam finîſſe ait, *Curſum conſummavi* ? quia ad finiendam vitam, non exſpectavit mortem : jam enim ante mortem finierat vitam. Et quemadmodum tanto jam ante tempore veraciter dicere poterat *Curſum conſummavi* : æquè verè dixit. *Ego curro, nonquaſi in incertum*, jam enim certum fecerat mortis incertum. Qui vitæ curſum moriendo conficit, illi mors eſt incerta : gnarus verò finire curſum ante mortem, hanc habet certam.

2. Tim. 4. v. 7.

Et ut mortis videatis certitudinem, animadvertite inter omnes mortes certas, iſtam ſolam, quâ finitur vita ante mortem, habere infallibilitatem & totalem certitudinem : reliquæ omnes, vel in eſſe, vel in modo, vel in tempore, ſuas habent incertitudines, iſta ſola in ſe & omnibus ſuis circumſtantiis abſolutè eſt certa. Promulgato crudeli & fraudulenter extorto edicto Amani contra Judæos, qui in centum viginti ſeptem Provinciis Regi Aſſuero ſubjectis commorabantur, inquit ſacer Textus, quod omnis Iſraël clamaverit ad Deum, eò quod ad inevitabilem ſe condemnatos viderent mortem : *Omnis Iſraël clamavit ad Dominum, eò quodcerta illis mors impenderet.* Mors erat certa, quia Decreto definita : erat certa, quia dies erat determinata : & ex eo certior, quod Regum decreta per inviolabilem Perſarum Medorumque Legem erant irrevocabilia ; mortem verò tam certam, totque rationibus omni defenſione & humano remedio deſtitutam, infallibilem non habuiſſe certitudinem tandem demonſtravit eventus : nam detectâ fraude & malitiâ Aman à Regina Eſther, Aſſuerus revocando Edictum, certæ jam morti deſtinatos à nece & omni vitæ diſcrimine eripuit. Adeò mors eſt incerta, quæ etiam videtur certiſſima.

Eſther. 18 v. 18.

Verum enim verò ſi replicaveritis, Decretum illud fuiſſe humanum & fallibile, & hinc incertitudinem in morte certa : ad aliam ex Decreto divino certam mortem tranſeamus, qua etiam incertitudinis eſſe poſſe circumſtantias, videbitis. *Certus, quod velox eſt diſpoſitio tabernaculi mei, ſecundum quod & Dominus noſter Jeſus Chriſtus ſignificavit mihi.* Certus ſum, inquit S. Petrus, quod me brevi oportet mori, ſic enim mihi ipſe Chriſtus revelavit. Poteſtne inveniri evidentior certitudo, aut clarior dari demonſtratio ? Minimè. Sed eſto ; Ego nihilominus interrogando alloquerer S. Petrum. Apoſtole & Pontifex Sancte, ſciſne brevitatem termini vitæ tuæ cujus tam certum te proteſtaris, & quam brevis futurus ſit nobis indicare ? Eritne hoc anno, an ſequente hoc menſe ; an aliquo aliorum, hoc die, hâc horâ, hoc loco ubi ſcribis ? nihil horum affirmare potuit Petrus : hæc etenim certitudo particularis, revelata & expreſſa à Chriſto, alteram æquè infallibilem à Chriſto aſſertam continebat certi-

2. Pet. 1. v. 14.

tudinem, *Quia nescitis diem neque horam*: Ità ut S. Petrus brevi se moriturum sciens, ubi & quando tamen ignoraret, certus mortis & vicinitatis, diem ignoraret & horam, nec scire posset, & hæc est certitudo mortis quæ finitur cum vita: Proinde mors quà finitur vita ante mortem, tam certa est in se & omnibus suis circumstantiis, ut si me resolvero hoc momento, non diem tantùm aut locum, sed horam etiam & momentum certitudinaliter sciam. Ratio hujus differentiæ hæc est, quam Job notavit, *Breves dies hominis sunt: numerus mensium ejus apud te est.* Illud quando illius mortis scire non licet, à Deo enim pendet: illud quando alterius mortis certitudinaliter scire datur, quia ex me pendet, illud penes Deum, est, à cujus solâ dependet voluntate: hoc verò penes me; nam cum gratia ejusdem Dei quæ nunquam deest, dependet à voluntate meâ,

Matth. 25. *v.* 13.

Job. 14. *v.* 5.

Modo non miror petitionem Davidis à Deo repulsam passam: nam ejus expeditio, si voluisset, suberat proprio ipsius arbitrio. Quid dicebat, quidve à Deo postulabat David? *Notum fac mihi Domine finem meum.* Et Davidi, & cuicunque homini etiamsi non Prophetæ, ad cognoscendum vitæ suæ finem non opus est revelatione Dei. Scire desiderans finem vitæ meæ, ego ipse statuam illum, & certissimè sciam: hoc pacto erit verè finis meus, *Finem meum*; erit enim arbitrarius & non necessarius; erit voluntarius & non coactus; erit electionis & meritorius, erit denique finis vitæ meæ; & non vitæ, quæ non est mea: Vita etenim præsens solummodò mea est, & non futura: Quid ampliùs petebat David? *& numerum dierum meorum.* Inutile desiderium, & supervacanea petitio. Petebat impertinens, transiliens utilius. Nolo numerum residuæ adhuc vitæ dierum scire: transactæ jam vitæ dies, de quibus Deo rationem redditurus sum, computare aveo; iste necessarius & verus dierum nostrorum computus est. Denique in quem finem istam petebat David revelationem? *Ut sciam quid desit mihi*, inquit ille ipse. Quid juvat scire quod deest, si præstat idipsum ignorare? nolo scire quantum vitæ deest, & ignorare volo quod supereſt. Qui tempus vitæ novit, utique etiam scit dies residuos: moriens antequam moriatur, superstites ignorat dies: & hæc ignorantia melior est illâ scientiâ. Quænam major in mortis incertitudine felicitas, quàm adhuc supereſſe vitam? qui vitam finiunt cum morte, illis vita deest: finientibus vitam ante mortem, vita supereſt. Et si dies vitæ superstites desideramus, nonne hosce Deo animæque nostræ saluti consecrabimus? sed ad ultimam procedamus difficultatem.

Psal. 38. *v.* 5.

Psalm. eod.

§. V.

ULtima mortis conditio, quæ terribilem eam facit & periculosam, est quod sit momentanea. Quid est mors? Momentum ex quo pendet æternitas, velut rectius loquar æternitates. Momentum est unum: dependentes ex eo æternitates, sunt duæ: vel frui semper vel carere semper visione Dei; est linea indivisibilis mundum hunc ab altero dividens. Extremus est Horizon, in quo videtur superius Hemisphærium cœli: inferiùs inferni. Est punctum præcisum & resumptum in quo finis præteritorum omnium cum Exordio concurrit interminabilium. O quàm terribile est momentum

illud

illud & quantò terribiliùs illis quos mundus vocat Beatos, *Ducunt in bonis dies suos, Job. 21, v. 13. & in puncto ad inferna descendunt.* Quod si divisionem pateretur in partes, minùs quid anxietatis haberet: inter unam & alteram aliquid spei, consolationis, refugii & remedii intervenire posset: sed indivisibile nec habet, nec admittit partes: est enim ultimum, Instans mortis, instanti vitæ non respondet. Instans vitæ, quamvis non habeat partes, cum partibus unitur, connectit enim temporis præteriti partem cum futuro: Instans mortis, absolvitur cum tempore præterito, nec adhæret futuro; quia nullum tempus amplius restat: *Et tempus non erit amplius,* Apoc. 10. v. 6. Nunquid vobis videtur terribile, mortem esse momentaneam? Nunquid vobis terribile esse videtur istud momentum? Sed ego dico, nec terribile, nec momentum esse ei, qui novit retrogredi & vitam finiri ante mortem: quamvis enim mors sit momentum & non tempus: qui vitâm finit ante mortem, inter mortem & vitam ponit tempus.

Pro hujus assertione, nec authoritates SS. Hieronymi & Augustini, nec Hilarionum aut Pachomiorum allegabo exempla sed tantùm exemplum & authoritatem cujusdam militis. Miles quidam veteranus memoriale ferens manibus, ad Imperatorem Carolum Quintum ingressus prætendebat dimissionem sui ab armis & servitiis. Imperatoris hominis admiratus instantiam, impatientiæ ipsius & non acceptæ condignæ remunerationi causam imputans, proprio compellans nomine respondit: abundè sibi notam ipsius generositatem, & ipsius merita adhuc in recenti vigere memoria, præliis quibus interfuisset, victorias obtentas, gratiasque propterea jam pridem illi designatas, cum gloriæ, dignitatis, honoris, & divitiarum auctario jamjam effectum sortituras. O felicem, ex tali promissione, à tali tamque fide digno Principe factâ, militem! sed multò major & melior ejus felicitas erat aliunde; sacra & Cæsarea Majestas (replicat Miles) non hasce desidero gratias, nec prætendo glorias; unicum quod à Cæsareæ suæ Majestatis munificentia peto & desidero, est licentia abeundi, tempus vitam inter & mortem ponere cupio. *Inter vitæ negotia & mortis diem, oportere spatium intercedere,* inquit vester & noster Livius in sua de bello Belgico Historia. Quid nunc in hoc casu videtur vobis fecisse Imperator? permotus petitam dedit licentiam: secretius conclave ingressus iteratò legit memoriale militis, & expedivit seipsum. O militem inquit, multò me fortiorem, bellicosiorem, generosiorem, prudentiorem & meliorem! Tu meus hucusque fuisti miles, & ego tuus Capitaneus; ab hoc momento tu meus eris Capineus, & ego tuus miles sub uno vexillo militaturus. Sic secum Carolus ratiocinatus, ita fecit: regimen dimisit, abdicans se imperio exuit purpuram, nec non imperialem à capite deponendo coronam: omnibus suis victoriis imposuit coronidem, nam novisse mori generosissimus actus est. Carolus generosè resolvit sibi præcidere vitam ante mortem. Omni abrogatâ pompâ sese recolligens, & monasterio S. Justi inclusus, posuit tempus inter vitam & mortem: & quia primâ vice novit mori imperator, secundâ vice mortuus est sanctus. O generose Princeps, & prudens Generalis qui scivisti audire & sequi tuum militem! O fortis

Fam. Stradia de Bello Belgico.

& ſapiens miles, qui docere & vincere noviſti maximum Generalem! ambo gnari redimendi tempus, ideóque inſignioris victoriæ redditi certiores, ſuò quippe tempore ſe ſubduxerunt.

Hæc ſunt promiſſa vobis exempla. Si fors antiquiora & ſacratiora vos delectant: audite de alio ſimiliter coronato Generale, alioque non minùs generoſo & prudente milite, quem ille imitatus eſt & ſecutus. David cognito (ut jam diximus) quod numerum dierum ſuorum, terminumque vitæ ſuæ certum nequiret obtinere, renovans ſupplicam in ultimis ejuſdem Pſalmi verbis petiit, *Remitte mihi, ut refrigerer priuſquam abeam, & amplius non ero*: q. d. Domine, cum tibi non placeat mihi mortis meæ tempus revelare, aut vitæ meæ dies à tuâ providentiâ determinatos aliquod ſaltem mihi concedi peto ſpatium, quo poſſim tempus ponere vitam inter & mortem: *Sine me refrigerari & quieſcere priuſquam moriar, & non exiſtam in vivis: ſic enim placidè exibo ex hac vita, & ſine terroribus conſcientiæ qui tunc exoriri ſolent*, commentatur Genebrardus. Ita ut hac cognitâ veritate David mentem mutârit & meliorârit, tandemque reſolverit ſecurum reddere anguſtum tranſitum mortiſque momentum, inter mortem & vitam ponendo tempus. Sed à quonam David, à quonam abſolutus Exercitus Domini Rex & Generalis hanc didicit lectionem? à famoſo iſto milite, qui ex præliandi uſu & experientia dicebat: *Militia eſt vita hominis ſuper terram*. Quaſi ipſismet Davidis verbis jam idem à Deo petierat Job: *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte me ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam & non revertar*. Vitæ meæ dies (inquit Job) me nolente ſeu vellente finienter brevi, hoc ergò ô Domine te rogo, ut aliquod ſaltem detur temporis ſpatium, quo delicta mea deplorem, conſcientiam meam examinem & componam; & animam meam ad exitum felicem præparare valeam: ecce quàm concordes & æquales ſibi fuerunt in hac cordata reſolutione miles primò & poſtmodum Dux & Generalis. Job dixerat: *Antiquam vadam, & non revertar*. Davidautem, *Priuſquam abeam, & amplius non ero*. Unus dicit *Prius*; alter *Ante*. Neuter fuit auſus mortem uſque ad mortem exſpectare: ambo tractarunt de habendo tempore, & ponendo tempus inter vitam & mortem.

Pſal. 38. *v.* 14.

Genebr. hic.

Job. 7. *v.* 1.

Job. 10. *v.* 20.

At quiſnam erat iſte Generalis, & quis hic miles; iſte David: & hic Job; quales erant homines? ô miſeria & confuſio noſtræ vecordiæ & modicæ fidei! David erat ille, qui jam unctus à Deo priùs infenſiſſimo ſibi inimico voluit condonare, quàm ſceptrum arripere, & diadema vertici imponere: erat ille, qui jam Rex inter noctem & diem orationi ſeptem horas conſecrabat ſubpurpura cinctus cilicio, & ut ipſe teſtatur, humiliando corpus ſuum perpetuo jejunio. Erat ille, qui ex cæſorum hoſtium ſpoliis, non ſuo ærario: ſed Dei templo conſtruendo coacervabat theſauros. Erat ille, qui licet Laicus cautum eccleſiaſticum ordinavit, miniſtros diſpoſuit, cæremonias reformavit; nec non cultum divinum & res ſacras in perfectum ordinem redegit. Fuit ille, qui peccatum commiſſum & jam remiſſum cunctis vitæ ſuæ diebus ac noctibus deflevit amare. Denique fuit ille, cui ipſe Deus teſtimonium perhibuit, quod in illo hominem ſecundum cor ſuum invenerit. Talis erat David! aſt qualis Job? ſpeculum

1. *Reg.* 24. *v.* 7.

Pſal. 34. *v.* 13.

Ibid. 3.

Reg. 7. *v.* 2. & *ſeqq.*

2. *Par.* 7. *v.* 6.

1. *Paral.* 23. *v.* 3.

2. *Reg.* 7. *v.* 15.

Pſal. 41. *v.* 4.

Act. 13. *v.* 22.

lum Patientiæ, columna Constantiæ, regula conformitatis cum voluntate divina. Erat ille, quem Deus contra omnem potestatem, dolos, & machinas inferni producit in campum. Erat ille, qui prospera & adversa, bona & mala, immota animi tranquillitate de manu Domini recipiebat. Erat ille, cui connata simul concrevit cum ætate miseratio, & proximorum in miseriis compassio; nec non misericordia & benevolentia erga omnes. Erat ille, qui (ut ipse de se testatur) erat oculus cæco, & pes claudo; orphanorum Pater, viduarum Protector, universale oppressorum refugium & remedium, quique buccellam suam nunquam comedit solus, quin sua pauperi portio relinqueretur. Denique erat ille, quem ipse Deus nedum tanquam innocentem, sed omnium mortalium justissimum & sanctissimum canonizavit. Hic erat Job: & ille David; & quilibet eorum multò plùs quàm dixi & dici possit. Nunc interrogo. Si quis nostrûm in alterutrius inveniretur statu, nonne bono fidentique animo exspectaret mortem? si vixerimus sicut hi qui vivunt, & quos videmus mori, extra controversiam est quod sic: nihilominus & David & Job cum tanto virtutem & meritorum cumulo, & quod plùs est, cum tot attestatis divinis timuerunt ne eos de repentè tolleret momentum mortis: ambo à Deo petierunt tempus, ut inter vitam & mortem ponerent tempus.

Job. 1. v. 12. *Job. 2. v. 10.* *Idem 10. v. 12.* *Idem 29. v. 15.* *Idem 31. v. 17.* *Idem 1. v. 5.*

Sed quid vagor extraneas adducendo historias, ob oculos exemplum habens præ cæteris admirabile & domesticum scilicet in cujus domo stamus, & cujus festum celebramus? S. Antonius vitam finivit juvenis, cui ætas longam adhuc promittebat annorum seriem; siquidè trigesimum sextum ætati annum non excedebat. Sed quid fecit multo tempore ante mortẽ? Vale faciens omnibus tam sanctis sibique usitatis occupationibus, desertâ civitate solitudinem petiit: ubi solus cum Deo & semetipso disposuit, ut maturè & præmeditatè vocanti Deo occurreret. Fateor, nullius rei consideratio, majorem mihi mortis injecit apprehensionem, & majorem periculosi illius & extremi momenti incussit horrorem; quàm hoc ultimum factum S. Antonii. S. Antonius ordinarium vitæ suæ filum rumpat, tam probatæ & sanctæ vitæ, sicut suæ, methodum immutet, ut mortem exspectet! Dic mihi ô Sancte; qualis erat ista tua vita? nunquid innocentissima, purissima, rigidissima? Nunquid vestimentum tuum erat cilicium carni tuæ fune astrictum? nunquid mensa tua & victus perpetuum erit jejunium & abstinentia? nunquid lectulus tuus erat tabula lignea, aut nuda humus? nonne potiorem noctis portionem orationi & divinorum contemplationi insumpsisti? nonne dies prædicando, peccatores convertendo, & hæreticos reducendo transegisti? nonne tua verba & sermones erant splendor Lucis, & facula ignis, quibus intellectus illuminabas & corda accendebas? nonne tuæ cogitationes semper erant de cœlo, & de Deo? nonne tua opera erant infirmantium salus, cœcorum visus, mortuorum vita, prodigia denique & miracula stupenda, & à te prædicatæ Fidei testimonia? Ergòne cum tanta vitæ perfectione de mundo fugis ad desertum? taliter vivens teipsum fugis: ut perfectiùs te Deo unias? Sic vivens, mori formidas? illâ vivendi methodo relictâ, aliam meditaris? adhucne istam inter vitam & mortem tempus ponere statuis? Sistat hîc oratio

in hac admiratione & ſtupore, modum enim progrediendi non video: nec quiſquam erit qui evidentiorem, rigidorem, & magis ſtupendam & timendam deſideret probationem, quàm neceſſaria ſit illa anticipata præventio; ut quis ſe moriturum, & quid ſit mori ſciat.

Hoc unicum eſt antidotum contra venenum mortis; hoc unicum & ſolummodò efficax eſt remedium contra omnia ejuſdem pericula & difficultates: ſcilicet, finire vitam antequam vita finiatur. Si mors eſt terribilis ex eo quod ſit una, hâc præventione abit in duas: Si terribilis ex eo quod incerta, hâc præventione certa ſit & ſecura. Si terribilis ex eo quod momentanea; hâc ipsâ præventione erit tempus, & tempus tribuet. Hoc modo ex ipſa vipera conficiemus Theriacam: & idem pulvis qui nunc ſumus, erit correctivus ejus qui erimus. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.*

§. VI.

VIdeor mihi, Auditores, argumento meo ſatisfeciſſe, & tàm in univerſali, quàm in qualibet ejus parte, illius veritatem demonſtrâſſe per materiæ potiùs evidentiam, quàm vim rationum, non neceſſariarum in tanti judicii & Literaturæ auditorio. Pro debito ex hac demonſtratione colligendo fructu, optarem ab aliquo majoris ſpiritus & efficaciæ ex hac Cathedra de illa perorari; ſed cùm mihi id nunc incumbat, denuò mecum ſimul Divinæ bonitati ſupplicate pro favore & auxilio ipſius Gratiæ, protanti momenti materia nobis neceſſariæ.

Quicquid jam dictum eſt, & auditum, hoc in ſcripturis nos docet Fides, in Sanctis exemplum: in Gentilibus lumen & ratio naturalis. Sed conſiderans modum quo Chriſtiani communiter vivant & moriantur, deprehendo quod loco ejus ut finiamus vitam ante mortem: etiam poſt mortem adhuc continuemus vitam. Videtur hoc paradoxum: ſed quotidiana atteſtatur experientia, Quinam in his, & maximè elevatis tumulis conditi jacent, in quibus intempeſtiva mors non abruperit vitam? Quinam hîc ſepulti non ſibi longiorem vitam aut ſeparaſſent aut promiſiſſent? *Dum adhuc ordirer ſuccidit me*; nos telam ordimur vita texit: mors præcidit. Et quiſnam eſt aut fuit, cui non magna annorum portio poſt mortem ſuperfuiſſet? Eſtne poſſibile (inquiebat Rex Ezechias, per Prophetam mortis admonitus) eſtne poſſibile in medio dierum meorum mihi finiendam eſſe vitam; *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi?* Et quis decepto huic Regi dixit, hoc eſſe dierum ſuorum dimidium, & non finem? Spes vana & imaginatio propria id ei perſuaſit. Promittebant ſibi annos octoginta; mors verò eum invaſit anno quadrageſimo: Ecce qualiter hic continuabat & extendebat vitam ad annos quadraginta poſt mortem. Heu quot nunc homo operti jacent, quibus adhuc deſunt multi anni ad vivendum! auſcultemus unum ex ipſis. *Anima mea habes multa bona in annos plurimos: comède, bibe, epulare.* His verbis vix finitis audivit vocem ſibi dicentem, *Stulte, hâc nocte animam tuam repetent à te*: Elapſus jam dies fuit vitæ tuæ ultimus, hâc ipsâ nocte morieris, quod & factum eſt. De annis verò plurimis quos ſibi promittabat, *in annos plurimos*, quidnam actum eſt? adhuc poſt fata, continuârunt & invanum evoluti ſunt.

Eſaiæ 38, v. 12.

Ibidem v. 10.

Luc. 12. v. 19. & 20.

Ibidem.

sunt. Verè stulte & plùs quàm stupide, anni à te numerati non erant tui, & bona quæ fuêre tua, erunt alterius: Verumtamen anni qui non fuerunt tui ad vitam, erunt tui ad computum; reddenda enim tibi restat ratio coram Deo, de modo quo illos transigere volebas & intendebas: Quantò consultiùs fuisset ante mortem finire annos quibus vixisti, pro remedio: quàm numerari post mortem annos quibus non vixisti, pro supplicio!

Nunc intelligo illud difficile consilium Spiritus Sancti: *Ne moriaris in tempore non tuo*? attendite *Ne moriaris*? Ergò in mea potestate est, non mori; *in tempore non tuo*? Ergò datur tempus quod non meum est; & quod meum est? Ita planè. Sed quodnam est istud tempus meum, in quo mihi mori bonum: & quod est tempus non meum, in quo mihi mori malum est? Tempus meum, est tempus ante mortem; non meum, est tempus post mortem. Exspectare mortem ad tempus post mortem, quod non est meum tempus, est insciția, est stultitia instar hujus stulti, *Stulte*: sed mortem anticipare ante vitæ finem, quod est tempus meum; est prudenter, sapienter, & benè mori. Et hoc consulit nobis ille, qui solus vitæ & mortis habet imperium: *Ne moriaris in tempore non tuo.*

Eccles. 7. v. 18.

Quis igitur prudens tam justum, tam necessarium & salutarem sibi non persuadeat discessum, qualis est, vitam finire ante mortem? ineat igitur anima & corpus inter se pactum reciprocum, Exemplo Eliæ, Elias fugiens per desertum à persecutione Reginæ Jezabelis, videnque difficultatem evadendi furiam mulieris potentis & iratæ, petiit (inquit text.) animæ suæ mortem. *Petivit anima sua, ut moreretur*, Anima mea moriamur nunc cùm mori nos oportet violenter, moriamur voluntariè; hoc corpus petebat animæ, idipsum anima petat corpori: utriusque enim res agitur in eodem transitu. Anima mea (dicat corpus animæ) corpus meum (dicat anima corpori) siquidem nobis postmodum moriendum est violenter & cum discrimine; agedum, moriamur nunc libenter & securè. Optimè video, ad hoc pactum feliciter & facile ineundem convenientiùs tractari in desertis, quàm aulis. In Aula Elias fugiebat mortem, quam in deserto postulabat: sed etsi talis resolutio facilior est in desertis, magis tamen necessaria est in aulis; in quibus multò periculosius est ad finiendam vitam exspectare mortem.

3. Reg. 19. v. 4.

Suppositio igitur, hoc dictamen esse certum, conveniens & urgens: ad ejus praxin descendamus, sine qua omne reliquum nihil est. Illud finire vitam ante mortem, quomodo instituendum est? Respondeo, cordatè ex propria electione faciendo id in morte anticipatâ & voluntariâ, quod prudenter & christiane sit in morte violentâ & necessariâ. Ecquid agit denunciatâ sibi morte Christianus? Primò (hoc namque primum esse oportet) totius vitæ suæ instituit Exemologesin: de peccatis suis intimum excitat dolorem, omni meliore quo potest modo debita componit. Testamentum condit, suæ animæ suffragia procurat, ex integro illam Patri spirituali committit, amplectitur Christum crucifixum, dicendo unâ cum illo, *Consummatum est*. Hic est felicissimus & usitatus moriendi modus; sed quia violentus est & non voluntarius,

Joan. 19. v. 30.

tarius, illique pauci & perturbati actus qui tunc exercentur, adplenè corrigendos malos anteactæ vitæ habitus minimè sufficiunt, sicut & contritio non satis fera & solida, insuper tentationes graviores: ità & mors minùs est secura. & valdè periculosa: Contritio (inquit S. Augustin.) in infirmitate est infirma: & in morte (dicit idem Sanctus) valdè timeo ne sit mortua. Deseramus itaque peccata quando deseruntur à nobis, & nonquando nos illa deserunt; nec nonfiniamus vitam dum adhuc vivere licet: & non dum extinguitur. Quid damus Deo, quando ipse eam tollit? Demus Deo indultam nobis vitam, & tempus quod semper est ejus, dum adhuc etiam est nostrum: & non cùm jam nullam illius ampliùs habemus partem. Qualia sunt illa Deum non offendendi non sufficit tempus & occasio? Confessio in torturis non est legitima, & ut sortiatur fidem extrà illos est ratificanda; & quia hoc fieri non potest posteà, ratificetur anteà. Nonne merces quæ tempore tempestatis jactantur in mare, consultiùs & fructuosiùs remanerent in portu? si de bonis meis licet testari & disponere, quare non facio: si meum Testamentum dicit: Item relinquo: quare non dicit, item sumo? Nonne est melius secum sumere opera misericordiæ, quàm relinquere lites? Si de me, sub dubio, dicetur, talis est apud Deum, nonne meliùs ut hoc statim fiat, & cum certitudine?

§. VII.

NEmo aliam supereſſe vitam credens, hoc pro vita futura non approbabit consilium, tanquam solum in tanti momenti negotio verum, solidum & securum. Sed quid dicemus de amore hujus mundi, cui eòusque affixi sumus? Poterone unico generoso actu universas hujus vitæ delicias abdicare? has meas cogitationes, proposita & spes dimittere? his omnibus ab hoc instanti in sempiternum nuntium remittere, & mortem priusquàm me invadat accelerare, dum pluribus adhuc annis vitæ mundique oblectamentis frui licet? obstant præterea multa negotia publica, dependentiæ plurimæ, & innumera impedimenta: Rebus meus primò compositis, amplectendo hoc consilium de finienda ante mortem vita tractare incipiam. Ecce hîc dolum & tentationem diaboli, quibus jam deceptos involvit & vincit: qualibus & bonis eorundem propositis plenus est infernus.

Primò, hæc vestra negotia & impedimenta non erunt tanti ponderis, velut Imperatoris Caroli Quinti: sed posito quod essent, & adhuc majora; si in horum medio eoque ipso die superveniret febris malingna quid faceretis? nonne perruptis omnibus negotiorum repagulis de salute animæ vestræ seriò tractaretis? Quod igitur faceret febris, cur idem non efficit ratio? quod si hodie multa occurrunt impedimenta, cras multò habebitis plura: nec quisquam sese unquam, nisi perrumpendo, ab his expedivit retinaculis. Quod attinet ad superstites vitæ annos, quibus lucis hujus usurâ frui licet, quilibet interroget semetipsum, quot annis vixi? sexaginta: Et quot mortui sunt anno quadragesimo. Quot annis vixi? quadraginta; & quot sunt mortui anno vigesimo. Quot annis vixi? viginti: & quot sunt mortui anno decimo, secundo, primo, imò nec unico quidem vixerunt anno? *De utero translatus ad tumulum.* Et quandoquidem hisce *Job. 10. v. 9.*

hiſce annis jam ſupervixi, quam injuriam facio vitæ meæ, illam finire volendo? quam injuriam facio ipſis annis, renunciando paucis & dubiis, pro certis & æternis? Denique ſi me tantoperè delectant præſentis vitæ dies, propter hoc ipſum eos oportet Deo conſecrare: ne mihi abbrevient illos quos adhùc naturaliter vivere poſſum, juxta ipſius Providentiæ regulam generalem, & juſtam abutentium pœnam: *Viri ſanguinum! & doloſi non dimidiabunt dies ſuos.*

Pſalm. 54. v. 24.

Reſtant nunc ſolummodò maximè implexa, ruptuque difficillima retinacula, ſcilicet præſentis vitæ oblectamenta, quæ nonniſi cum vita accipiunt finem, *poſt mortem nulla voluptas.* Adjuvet me Deus ut in hoc puncto vobis veritatem detegam, & hoc ſit, uti eſt, ultimum. Si in præſenti vita (advertite quod dico) & plenò miſeriarum mundo, percurrendo omnes ſtatus innumeris gravaminibus obrutos dari poteſt pura aliqua & impermixta delectatio, hâc illi ſoli gaudent, qui vitam ante mortem finiunt. Reliquis omnibus præſens vita & mundus exiſtit lachrymarum vallis: his verò qui vitam ante mortem finierunt, Paradiſus eſt terreſtris. Duo tantùm homines fuerunt in hoc mundo, qui verè & realiter vitam ante mortem finierunt Enoch & Elias. Ambo hanc vitam finierunt à multis annis: & ambo adhuc morituri in fine mundi. Ubi commorantur iſti duo, qui vitam ante mortem finierunt? in terreſtri Paradiſo, & non ſine ingenti myſterio: Si etenim eſt aut eſſe poteſt Paradiſus in terra, ſi eſt aut haberi poteſt Paradiſus in hoc mundo & in hac vita: ſoli morientes ante mortem illo perfruuntur. O qualis vita tam quieta! ô qualis vita tam tranquilla! ô quàm felix vita, & omnibus perturbationibus nec non adverſis fortunæ ac temporis caſibus libera! vix temporaneam finiverat Enoch vitam mundi; & ecce mundo mox maxima ſupervenit calamitas, cui ſimilis non fuerat nec videbitur: ſcilicet univerſale diluvium. Ingens mundi machina immenſo hoc mari erat ſubmerſa, ſine portu ſine littore. Microcoſmus arcæ incluſus, variè nunc ſurſum nunc deorſum jactabatur fluctibus, ſine nauclero, ſine remo, ſine luce, in illa tempeſtatum tempeſtate attonitus & ſtupidus in undis fluctuabat. Montes operti, urbes obrutæ erant aquis, Cœlũ tonabat fulgore coruſcum. Quoniam in ſtatu ſolus Enoch in omnium horum medio verſabatur? animo erat tranquillo, omni periculo, timore & ſollicitudine vacuus. Quamvis tonitruorum echo & tempeſtatum fragores audiret, nihilominus imperturbatus remanſit. Ego jam finivi cum mundo, mundus pro me finitus eſt; quid refert quod finiatur reliquis? viventes adhuc ſentiant ærumnas temporales: ego enim jam vitæ finem impoſui. Iſto ævo necdum natus, fuerat Elias: Natus eſt, poſtea vixit annos, & ante mortem ſimili modo finivit vitam. Sed quid non ſuſtinuit mundus, nec non nativitatis ipſius & vitæ regio poſt ejuſdem raptum? Samariam Sennacherib & Salmanaſar afflixerunt: Jeruſalem expugnavit & ſuccendit Nabuchodonoſor; bellis, fame, exitiis, incendiis, captivitatibus, exiliis, flagrabant omnia. In captivitatem, è qua nunquam reverſæ ſunt, decem Tribus Iſraël abductæ ſunt ab Aſſiriis, reliquæ duæ, Juda & Benjamin in Babylonem translatæ, unde evolutis jam ſeptuaginta annis in modico rediêre numero. Elias jam ante zelo Dei & amore Patriæ conſumptus in ſuo Paradiſe in ſumma

tranquillitate degens, optatâ fruitur felicitate; sursum, deorsum vertatur mundus: sive regnet Joacim sive Salmanasar: regnet Nabuchodonosor seu Cyrus: Triumphet Babylon seu Jerusalem: abeant hi & revertantur; transferantur alii & emaneant, quid ad Eliam? qui vitam finivit, ab omnibus hisce fortunæ flatibus exemptus est & securus.

Idem omninò re ipsâ experitur omnis, qui mundo mundum relinquere,& vitam ante mortem finire resolvit: huic nec raptus Enoch, nec igneus Eliæ currus est necessarius: generosa hoc operatur resolutio. Hoc modo se resolvens, Enoch instar & Eliæ gaudet omnibus privilegiis mortui: quicquid demum in mundo contingat, ipsum nihil tangit nec angit. Ex hujusce status Professoribus unus erat
ad Gal. 2. v. 20. S. Paulus (ut vidimus) qui vivus adhuc dicebat: *Vivo autem jam non ego.* Et quidnam
S. Bern. hoc ipso vult dicere? vult dicere (inquit S. Bernardus) *Ad alia quidem omnia mortuus sum, non sentio, non attendo, nec curo.* Omnia hujus mundi sunt mihi, velut mortuis: nec illa sentio nec curo, neque pluris facio quàm si non essent; & si illa adhuc sunt; ego non sum. Considerate morientium immunitates, & videbitis tranquillitatem quâ fruuntur gaudentes: & ærumnas, quibus se exonerant qui mortem anticipant. Venerunt in Calvariam apparitores Pilati ut crucifixorum crura confringerent: quod etiam fecerunt Dimæ & Gestæ cum ingenti dolore quia adhuc vivebant: *Ad Jesum autem cum ve-*
Joan. 19. v. 32. *nissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* Aquibus crurifragiis, doloribus & molestiis exemptus, qui jam est mortuus? Epitaphium quod ego tali, vel uni horum mortuo ponerem, est iste Davidis versus, *inter mortuos liber.* Liber à sollicitudinibus mundi: nam jam agit extra mundum. Liber ab invidiis & æmulationibus: quia nemini se opponit. Liber à spebus & timoribus quia nihil desiderat. Liber à vicissitudinibus & mutationibus; quia fortunæ flatibus se subduxit. Liber ab hominibus, quæ libertas est difficillima: liberavit enim semetipsum à seipso. Tandem liber ab universis hujus vitæ adversitatibus, molestiis, inquietudinibus; est etenim jam mortuus. *Psal. 87. v. 6.*

Omnibus defunctis, pro Ecclesiæ laudabili consuetudine piè decantatur: *Requiescat in pace*; sed hanc Pacem & quietem, soli mortui ante mortem, securè lucrantur. Ecce hoc ex ipso Davidis textu patet, unde Ecclesia desumpsit hæc verba, *In pace, in idipsum dormiam & requiescam.* In hac clausula *in idipsum* latet mysterium; hanc enim sententiam tam planam & claram, reddit obscuram, imò admirabilem. Ecquid vult dicere, dormiam & requiescam in pace in idipsũ? si diceret, moriar ut quiescam in pace, facilè intelligeretur; sed moriar in pace in idipsum? ad moriendum & quiescendum in pace in idipsum, opportabitne mori & quiescere in pace, ut moriar & quiescam in pace? Ita planè. Et hic fuit profundus Davidis conceptus q.d. moriar & quiescã in pace in vita. Sed quare vel quem in finẽ? in idipsum: ut moriar & quiescam in pace, in morte: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Hinc valde propriè istud *mori*, per phrasin dormire significavit, *Dormiam*: nam somnus est mors in vita; proinde hinc binæ & hæ ũltimæ jam restant consequentiæ notatu dignæ & consolationis plenæ, pro iis qui vitam ante mortem consummant. Prima, quod soli illi [sicut supra dictum est] se- *Psal. 4. v. 9.*

cura

cura pace & quiete gaudent : Secunda, quod ex pace & quiete hujus mortis, similiter secura, pax & quies subsequatur alterius, quod totius discursus nostri argumentum est. Qui moriendo moriuntur, perdunt quietem vitæ, nec illam æternitatis ordinariè consequuntur : ab his etenim miseriis ad alias transeunt infinitè majores, hoc serò lamentabantur in inferno, qui se beatos & felices putaverunt in mundo, *Lassati sumus in via iniquitatis;* q. d. Lassi venimus ad infernum, nam in vita non habuimus requiem; & hîc æterna patiemur tormenta. Vice versâ, mortem prævenientes placidè moriuntur & quieti ad quiescendum. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* O qualis Pax, ô qualis quies, pro Vitâ & pro Morte! nullum fore credo, si sapiat, qui non resolvat ab hoc memento ità vivere & mori: vel ità mori, ad ità moriendum. Hoc modo vitam consummando securi præstolabimur mortem : & beneficio pulveris qui sumus, *Pulvis es* : timere non habebinus pulverem qui futuri sumus, *in pulverem reverteris.*

Sap. 5. v. 7.

FINIS.

INDEX

Locorum Sacræ Scripturæ,

Numeri significant paginam.

Ex Libro Geneſis.

Cap. Num. pag.

1. 1. IN principio creavit Eloim cœlum & terram. pag. 36
1. *In principio creavit Deus cœlum & terram.* 58
2. *Et tenebræ erat ſuper faciem abyſſi.* 58
3. *Dixitque Deus: Fiat Lux.* 58
4. *Fiat lux, & facta eſt lux: & vidit Deus lucem quod eſſet bona.* 59
4. *Diviſit lucem à tenebris, &c.* 166
5. *Apellavitque lucem diem, & tenebras noctem: factumque eſt... dies unus.* 58
1. 8. *Fiat firmamentum in medio aquarum: & factum eſt... dies ſecundus.* 166
11. *Germinet terra herbam virentem.* 166
16. *Luminare majus ut præeſſet diei: & luminare minus, ut præeſſet nocti.* 63
16. *Luminare minus, ut præeſſet nocti: & ſtellas.* 63
19. *Luminare majus, ut præeſſet diei: & factum eſt... dies quartus.* 58. & 63
26. *Ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ.* 112
2. 3. *Requievit die ſeptimo ab univerſo opere, quod patrarat.* 167
7. *Formavit Deus hominem de pulvere terræ, in Text. Hebraico.* 26
7. *Inſpiravit in faciem ejus, & factus eſt homo in animam viventem.* 26
15. *Poſuit eum in paradiſo voluptatis, ut operaretur & cuſtodiret illum.* 192
17. *More morieris.* 214
20. *Adæ verò non inveniebatur adjutor ſimilis ejus.* 96
24. *Propter hoc relinquet homo Patrem & Matrem.* 213
3. 5. *In quocunque die comeritis... eritis ſicut Dii.* 49. & 71
6. *Vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.* 151. & 198
7. *Aperti ſunt oculi amborum.* 156. & 189
13. *Serpens deceptit me.* 192

Cap. Num. pag.

16. *Multiplicabo ærumnas tuas.* 144
19. *Donec revertaris in terram, de qua ſumptus es; quia pulvis es:* 24
Pulvis es & in pulverem reverteris. 26
6. 2. *Videntes Filii Dei filias hominum.* 198
7. 11. *Rupti ſunt fontes abyſſi, & cataractæ cœli apertæ ſunt.* 197
15. 1. *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua: & ſubjicient eos.* 400 annis. 158
18. 7. *Terribilis eſt locus iſte.* 32
Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli. 32
27. *Loquar ad Deum cum ſim pulvis & cinis.* 24
19. 11. *Percuſſerunt eos cæcitate à maximo uſque ad minorem.* 147
11. *Ita ut oſtium invenire non poſſent.* ibid.
22. 1. *Tentavit Deus Abraham.* 138
2. *Vade in terram viſionis, atque tibi offeres.* 140
25. 27. *Habitabat in tabernaculis.* 113
27. 12. *Timeo ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* 124
20. *Quomodo tam cito invenire potuiſti fili mi?* 68
20. *Voluntas Dei fuit.* 68
30. 1. *Da mihi liberos alioquin moriar.* 76
39. *Factumque ut oves intuerentur Virgas, & parerent maculoſa.* 9
32. 10. *Facie ad faciem.* 102
45. 20. *Properate, nec dimittatis quicquam de ſupellectili veſtra, quia omnes opes Ægypti veſtra erunt.* 72

Ex Libro Exodi.

3. 7. VIdi afflictionem populi mei in Ægypto, & ſcicns dolorem ejus, deſcendi ut liberem eum. 158
11. *Quis ego ſum, ut vadam ad Paraonem.* 113
14. *Ego ſum, qui ſum.* 22
14. *Qui eſt: miſit me ad vos.* 22
4. 14. *Mitte quem miſſurus eſt.* 113

Cap. Num. pag.

7. 12. *Devoravit virga Aaron virgas eorum.* 22. & 43.
13. *Induratum est cor Pharaonis.* 6.
8, 19. *Digitus Dei est hic.* 185
10, 22. *Facta sunt tenebræ horribiles in universa terra Ægypti.* 64.
23. *Nemo vidit fratrem suum, nec movit se de loco, in quo erat: ubicunque autem habitabant Filii Israël lux erat.* 64.
13. 21. *Per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis.* 60.
16. 3. *Utinam mortui essemus in Ægypto, quando sedebamus super ollas carnium.* 130.
4. *Dixit autem Dominus ad Moysen ego pluam vobis panes de cœlo.* 130
4. *Egrediatur populus & colligat: ut tentem eum, utrum ambulet in lege mea, an non?* ibid.
16. *Manhu: quid est hoc?* 104
24, 14. *Habetis Aaron & Hur: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* 37
32. 5. *Fac nobis Deos Eloim, qui nos præcedant.* 36
1, *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* 109
2. *Tollite in aures aureas de uxorum, filiorumque & filiarum vestrarum auribus & afferte ad me.* 109
3. *Fecit populus, quæ jusserat.* 110
4. *Quas cum ille accepisset, formavit opere fusorio & fecit ex eis vitulum conflatilem.* 109
5. *Ædificavit altare coram eo, & præconis voce clamavit dicens crastina solemnitas Domini est.* 109
6. *Surgentes que mane obtulerunt holocausta, & hostias pacificas; & sedit populus manducare, & surrexerunt ludere.* 109.
10. *Dimitte me, ut irascatur furor meus, & deleam eos.* 115
19. *Projecit de manu tabulas, & confregit eas.* 114
21. *Quid tibi fecit hic populus, ut induceres super eum peccatum maximum.* 109
22. *Tu nosti populum istum, quod pronus sit ad malum.* 109
23. *Dixerunt mihi: Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* 109
24. *Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? tulerunt & dederunt mihi & projeci illud in ignem egressusque est hic vitulus.* 109
25. *Spoliaverat eum Aaron... & nudum constituerat.* 114
28. *Ceciderunt que in die illa, quasi 23000. hominum.* 114
34. *Ego verò in die ultionis visitabo & hoc peccatum eorum.* 115
33. 3. *Non ascendam tecum, quia populus dura cervicis es.* 116

Cap. Num. pag.

13. *Ostende mihi faciem tuam.* 133
20. *Non videbit me homo & vivet.* 133
34. 29. *Quod facies ejus esset cornuta.* 180

Ex Libro Numeri.

11. 5. *In mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia.* 131
6. *Nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man.* 131. & 201
14. *Non possum solus sustinere omnem hunc populum.* 113
15. *Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam in oculis tuis.* 113
25. *Auferens de spiritu qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris.* 113
16. 32. *Aperta est terra & diglutivit eos, descenderuntque in infernum viventes.* 243
20. 8. *Loquimini ad petram,* 38. & 165
11. *Percutiens Virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* 7. & 197
21. 5. *Anima nostra nauseat super cibo isto.* 131

Ex Libro Deuteronomii.

6. 13. *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies.* 183
16. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* 183
7. 16. *Non parcet eis oculus tuus.* 200
8. 3. *Non in solo pane vivit homo.* 183
9. 10. *Tabulas scriptas digito Dei.* 185
13. 3. *Tentat vos Dominus vester, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non.* 129. 130
32. 2. *Concrescat ut pluvia doctrina mea; fluat ut ros eloquium meum.* 15

Ex Libro Josuë.

10. 12. *Obediente Deo voci hominis.* 38
24. 2. *Thare pater Abraha, & Nachor: servieruntque Diis alienis.* 40

Ex Libro Judicum.

2. 5. *Locus flentium.* 207
5. 20. *Stellæ manentes in ordine suo.* 10
14. 2. *Quam quæso accipiatis mihi uxorem.* 77

Ex Libro Regum I.

1. 11. *Si respiciens videris afflictionem meam.* 159
16. 23. *Tollebat David citharam, & percutiebat manu sua.* 7
17. 49. *Infixus est lapis in fronte ejus.* 200
18. 4. *Non rectis oculis aspiciebat.*

Cap. Num. pag.

21. 9. *Non est alter huic similis.* 98
31. 4. *Ne fortè veniant incircumcisisti, & interficiant me illudentes mihi.* 51

Ex Libro Regum II.

3. 31. *Porro David sequebatur feretrum.* 203
32. *Cumque sepelissent Abner, levavit David vocem suam, & flevit super tumulum: flevit autem & omnis populus.* 204
7. 3. *Ego tuli te de pascuis sequentem greges, ut esses dux super populum meum.* 72
12. 2. *Vidit mulierem.* 198

Ex Libro Regum III.

2. 8. *Maledictione pessima &c.* 94
18. 21. *Usquequo claudicatis in duas partes?* 174
19. 4. *Petivit animæ suæ, ut moreretur.* 255

Ex Libro Regum IV.

2. 10. *Rem difficilem postulasti.* 182
5. 13. *Pater, etsi rem grandem dixisset tibi Propheta, certè facere debueras; quantò magis quia nunc dixit tibi: lavare & mundaberis.* 240
6. 18. *Percute, oro gentem hanc cœcitate.* 146
22. 20. *Idcirco colligam te ad Patres tuos: & colligeris ad sepulchrum tuum in pace.* 247

Ex Libro Tobiæ.

5. 12. *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, & lumen cœli non video?* 198
11. 10. *Consurgens cœcus Pater ejus, cœpit offendens pedibus currere & prolapsus est.* 156

Ex Libro Judith.

9. 13. *Capiatur laqueo oculorum suorum.* 200

Ex Libro Esther.

7. 8. *Etiam Reginam vult opprimere me præsente.* 153
13. 18. *Omnis Israël clamavit ad Dominum, eo quod eis certa mors imminderet.* 249

Ex Libro Job.

1. 8. *Quod non sit similis illi in terra.* 96
21. *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum.* 181
2. 2. *In omnibus his non peccavit Job labiis suis, neque stultum quid locutus est contra Deum.* 191
7. 2. *Militia est vita hominis super terram.* 252
7. *Quia ventus est vita mea.* 25
10. 9. *Memento, quaso, quod sicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* 24

Cap. Num. pag.

19. *De utero translatus ad tumulum.* 21. 25. & 256.
20. *Nunquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum antequam vadam, & non revertar.* 252
14. 5. *Breves dies hominis sunt: numerus mensium ejus apud te est.* 250
5. *Constituisti terminos ejus, quæ præteriri non poterunt.* 245
17. 14. *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea & soror mea, vermibus.* 30
19. 25. *Scio enim quod Redemptor meus vivit & in novissimo die de terra surrecturus sum.* 30
15. *Et rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum meum quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius.* 30
21. 13. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* 251
29. 18. *In nidulo meo moriar, & sicut Phœnix (in text. Græco) multiplicabo dies meos.* 30
31. 1. *Pepegi fœdus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine.* 206
7. *Si secutum est oculos meos cor meum.* 200
39. 28. *In arduis ponet nidum suum: in petris manet & inaccessis rupibus: inde contemplatur escam, & ubicunque fuerit cadaver, statim adest.* 161
42. 3. *Insipienter locutus sum: idci cò ipse me reprehendo, & ago pœnitentiam in favilla, & cinere.* 191

Psalm. Ex Libro Psalmorum.

4. 6. *Ego dormivi & separatus sum & exsurrexi.* 29
4. 9. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* 258
6. 7. *Per singulas noctes lachrymis meis stratum meum rigabo.* 204
8. *Turbatus est à furore oculus meus.* 200
9. 15. *Qui exaltas me de portis mortis.* 324
17. 28. *Oculos superborum humiliabis.* 200
18. 1. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus, annuntiat firmamentum.* 167
2. *Dies diei, eructat verbum.* 167
4. *Non sant loquelæ neque sermones, quorum non audiantur voces eorum.* 10
5. *In sole posuit tabernaculum suum.* 66
6. *Exultavit ut gigas ad currendam viam.* 66
21. 16. *In pulverem mortis deduxisti me.* 26
30. 10. *Conturbatus est in ira oculus meus.* 20
38. 5. *Locutus sum in lingua mea. Notum fac mihi Domine finem meum, & numerum dierum meorum, ut sciam quid desit mihi.* 247, & 248, & 250,

Psalm. Num. pag.

14. *Remitte mihi, ut refrigerer priusquam abeam, & amplius non ero.* 252
41. 4. *Fuerunt mihi lachryma mea panes.* 198
44. 4. *Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime: specie tua & pulchritudine tua, intende, prosperè procede & regna.* 135
48. 12. *Sepulchra eorum domus illorum in æternum.* 147
13. *Homo cum in honore esset, non intellexit: comparatus est jumentis.* 59.
50. 8. *Incerta, & occulta sapientia tua manifestasti mihi.* 247
53. 9. *Desiexit oculus meus.* 200
54. 16. *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes.* 243
24. *Viri sanguinem, & dolosi non dimidiabunt dies suos.* 257
55. 9. *Posuisti lachrymas meas in conspectu tuo.* 207
67. 11. *Animalia tua &c.* 94
14. *Si dormiatis inter medios cleros: penna columbæ deargentatæ.* 118
14. *Et posteriora dorsi ejus in pallore auri.* ibid.
74. 3. *Cum accepero tempus, ego justitias judicabo.* 128
9. *Calix in manu Domini... Et inclinavit ex hoc in hoc.* 219
75. 1. *Notus in Judæa Deus.* 144
6. *Dormierunt somnum suum.* 32
76. 11. *Dixi: nunc cœpi.* 33
77. 27. *Pluit super eos sicut pulverem carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* 80
30. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* 80
86. 6. *Ego dixi: Dii estis.* 23
7. *Vos autem sicut homines moricmini.* 32
7. *Et sicut unus de principibus cadetis.* 26
87. 6. *Inter mortuos liber* 258
10. *Oculi mei languerunt.* 201
90. 11. *Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te &c.* 16
104. 37. *Non erat in tribubus eorum infirmus.* 167
106. 18. *Omnem escam abominata est anima eorum.* 131
109. 3. *In splendoribus Sanctorum genui te.* 88
110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum: escam dedit timentibus se.* 19. & 327
111. 5. *Quid est tibi mari quod fugisti? Et tu Jordanis, quia conversus est retrorsum?* 136, & 216.

Psal. Num. pag.

7. *A facie Domini: à facie Dei Jacob.* 130
113. 5. *Oculos habent, & non videbunt.* 145
6. *Aures habent, & non audient.* 174
8. *Similis illis fiant, qui faciunt ea.* 145
117. 20. *Hæc Porta Domini: justi intrabunt per eam.* 147
118. 18. *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* 46
37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* 200
85. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes: Sed non ut lex tua.* 41
147. 6. *Mittit crystallum suam sicut buccellas.* 47
149. 6. *Et gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis.* 187

Ex Libro Proverbiorum.

Cap. Num. pag.

8. 31. *Ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* 216
36. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* 166
9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum: miscuit vinum, & proposuit mensam: misit ancillas suas, ut vocarent ad arcem: & ad mœnia civitatis.* 53
16. 39. *Sortes mittuntur in sinum, & à Domino temperantur.* 78
21. 1. *Cor Regis in manu Domini: quocunque voluerit, inclinabit illud.* 83
31. 23. *Nobilis in portis vir ejus, quando sederit cum Senatoribus terræ.* 125
25. *Ridebit in die novissimo.* 245

Ex Libro Ecclesiastes.

1. 9. *Quid est, quod fuit? Ipsum quod futurum est: Quid est quod factum est? ipsum quod faciendum est.* 29
2. 10. *Desideraverunt oculi mei.* 200
4. 8. *Nec satiantur oculi ejus divitiis.* 200
7. 18. *Ne moriaris in tempore non tuo.* 255

Ex Libro Canticorum.

1. 6. *Posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodivi.* 112
11. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* 126

Cap. Num. pag.

2. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* 212
9. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* 50
3. 4. *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam.* 212
4. 4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* 183
9. *Vulnerasti cor meum soror mea, sponsa: vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum.* 139
6. 9. *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol.* 60
8. 6. *Fortis est ut mors dilectio.* 211
13. *Quæ habitas in hortis (amici auscultant) fac me audire vocem tuam.* 212
14. *Fuge, dilecte mi & assimilare caprea hinnuloque cervorum super montes aromatum.* 212

Ex Libro Sapientiæ.

2. 8. Coronemus nos rosis, antequam marcescant. 244
5. 6. *Ergo erravimus.* 244
7. *Lassati sumus in via iniquitatis.* 259
16. 21. *Deserviens unijscujusque voluntati.* 131

Ex Libro Ecclesiastici.

4. 31. *Non confundaris confiteri peccata: & ne subjicias te omni homini propeccato.* 128
10. 4. *In manu Dei potestas terræ, & utilem rectorem suscitabit in tempus super illam.* 119
5. *In manu Dei prosperitas hominis, & super faciem Scribæ imponet honorem suum.* 119
14. 8. *Nequam est oculus lividi.* 201
9. *Insatiabilis oculus cupidi.* 200
24. 25. *In me gratia omnis viæ & veritatis.* 169
26. *Transite ad me omnes... & à generationibus meis implemini.* 169
31. 15. *Nequius oculo quid creatum est ab omni facie sua lachrymabitur, cum viderit.* 189
44. 20. *Non est inventus similis illi: qui conservavit legem excelsi.* 97
21. *In carne ejus stare fecit testamentum.* 97
21. *Fidelis in tentatione inventus est.* 97
23. *Hæreditare à mari usque ad mare: & à flumine usque ad terminos terræ.* 97
25. *Benedictionem omnium gentium dedit illi.* 97
45. 2. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* 102

Ex Prophetia Isaiæ.

5. 4. *Quid debui facere vineæ meæ, & non feci?* 5
20. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.* 151
6. 1. *Et ea quæ sub ipso erant, replebant templum.* 134
2. *Seraphim stabant super illud... velabant faciem ejus.* 134
3. *Plena est omnis terra gloriâ ejus.* 134
4. *Et Domus repleta est fumo.* 134
5. *Væ mihi quia tacui.* 20
10. *Excæca cor populi hujus, ut videntes non videant.* 174
8. 14. *Et erit in lapidem offensionis, & in petram scandali, in laqueum, & in ruinam.* 180
15. *Et offendent, & cadent, & conterentur, & irretientur, & capientur.* 180
14. 14. *Similis ero altissime.* 48
29. 18. *De tenebris & caligine oculi cæcorum videbunt.* 242
35. 4. *Deus ipse veniet, & salvabit vos.*
5. *Tunc aperientur oculi eorum.* 142
38. 10. *In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi.* 254
12. *Dum adhuc ordirer, succidit me.* 254
41. 18. *Intuemini ad videndum.* 149
42. 2. *Non clamabit, neque audietur vox ejus foris.* 15
7. *Dedi te in fœdus populi, in lucem Gentium ut aperires oculos cæcorum.* 145
19. *Quis cæcus nisi servus meus? Quis cæcus, nisi quo venundatus est? Quis cæcus, nisi servus Domini.* 144
43. 8. *Populum cæcum, & oculos habentem.* 144
44. 19. *Medietatem ejus combussi igne, & de reliquo ejus Idolum faciam.* 113
46. 4. *Ego feci, ego feram.* 115
56. 10. *Speculatores tui cæci omnes.* 158
58. 9. *Invocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet: Ecce adsum.* 173
60. 8. *Qui sunt isti, qui ut nubes volant?* 15
61. 2. *Ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam: ut consolarer omnes lugentes.* 180

Ex Prophetia Jeremiæ.

7. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* 194
8. 8. *Verè mendacium operatus est stylus mendax Scribarum.* 120
9. 1. *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte.* 205
23. 28. *Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum verè.* 16
1. 12. *Attendite & videte.* 149
17. *Non est qui consoletur eam.* 71
2. 14. *Propheta tui viderunt tibi falsa.* 151
18. *Neque taceat pupilla oculi tui.* 205

Cap.Num. pag.

3. 51. *Oculus meus depradatus est animam meam.* 200

Ex Prophetia Ezechielis.

4. *Et in medio ignis quasi species.* 94
1. 3. *Desuper ipsorum quatuor.* 163
12. *Nec revertebantur cum ambularent.* 2. & 3.
14. *Ibant & non revertebantur, in similitudinem fulguris coruscantis.* 5
22. *A lumbis desuper, & à lumbis deorsum, quasi species ignis splendentis.* 93
3. 1. *Comede volumen istud.* 172
6. 9. *Oculus eorum fornicantes.* 200
20. 7. *Offensiones oculorum abjiciat.* 201
8. *Abominationes oculorum suorum.*
23. 16. *Concupiscentia oculorum suorum.* 200

Ex Prophetia Danielis.

2. 35. *In favillam æstivæ areæ.* 27
38. *Tu Rex est caput.* 28
5. 5. *Apparuerunt digiti, quasi manus hominis scribentis.* 118. & 184.
41. 35. *Domine Babylonem non vidi & lacum nescio.* 116

Ex Prophetia Oseæ.

2. 14. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus.* 195
8. 7. *Ventum seminabunt, & turbinem colligent.* 15

Ex Prophetia Jonæ.

3. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* 11

Ex Prophetia Habacuc.

2. 3. *Si moram fecerit exspecta illum; quia veniens veniet, & non tardabit.* 68

Ex Prophetia Malachiæ.

4. 2. *Orietur vobis timentibus nomen meum Sol justitiæ: & sanitas in pennis ejus.* 63. & 119

Ex Divo Matthæo.

Cap.Num. pag

1. 1. *Liber generationis Jesu Christi, Filii David, Filii Abraham.* 162. & 168.
2. *Abraham genuit Isaac.* 169
2. *Isaac genuit Jacob.* 169. & 171
2. *Genuit Judam.* 171
3. *Genuit Phares.* 171
3. *Zaram de Thamar.* 171
3. *Genuit Esron.* 171
4. *Genuit Naasson.* 170
4. *Genuit Salmon.* 171

Cap.Num. pag.

4. *Genuit Boez.* 171
5. *Genuit Obed ex Ruth.* 171
5. *Genuit Jesse.* 171
6. *Genuit Salomonem.* 171
7. *Genuit Abiam.* 170
8. *Genuit Josaphat.* 170
9. *Genuit Achaz.* 171
9. *Genuit Ezechiam.* 170
10. *Genuit Manassen.* 171
10. *Genuit Josiam.* 169
12. *Genuit Zorobabel.* 171
13. *Genuit Eliazim.* 169
16. *Joseph, virum Mariæ.* 171
De qua natus est Jesus. 55
3. 2. *Agite pœnitentiam.* 8
3. *Parate viam Domini.* 11
4. 1. *Ductus est à spiritu, ut tentaretur.* 190
3. *Et accedens tentator.* 178
Dic ut lapides isti panes fiant. 181
4. *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* 16. 181.
6. *Mitte te deorsum: scriptum est enim: quia Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*
6. *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* 181
7. *Non tentabis Dominum Deum tuum.* 181
11. *Ecce Angeli ministrabant ei.* 195
17. *Exinde cœpit prædicare.* 178
19. *Faciem vos fieri piscatores hominum.* 13
21. *Reficientes retia sua.* 13
5. 37. *Sit sermo vester: Est est: Non non.* 182
45. *Qui solem suum oriri facit super bonos & malos,* 5. & 63.
Et pluit super justos & injustos. 5.
6. 23. *Si oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit.* 200
7. 14. *Arcta via est, quæ ducit ad vitam.* 147
8. 12. *Ibi erit fletus.* 207
13. *Fiat tibi sicut credidisti.* 228
22. *Sinite mortuos sepelire mortuos suos.* 174
10. 17. *Cavete ab hominibus.* 190
41. *Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: & qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet.* 229
11. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* 142
4. *Renunciate Joanni quæ vidistis & audistis: cæci vident.* 142
12. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice*

Cap. Num. pag.

sice abs te. 206
13. 28. *Inimicus homo hoc fecit.* 188
15. 14. *Sinite illos: cæci sunt, & duces cæcorum.* 156
14. *Cæcus si cæco ducatum præstet.* 154
19. *De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, furta, falsa testimonia, blasphemia.* 200
28. *O mulier magna est fides tua.* 128
16. 13. *Quem dicunt homines esse filium hominis: Alii Joannem Baptistam: alii verò Eliam: alii verò Jeremiam, aut unum ex Prophetis.* 90
18. *Porta inferi non prævalebunt adversus eam.* 28. & 125.
17. 2. *Resplenduit facies ejus sicut Sol.* 132
4. *Bonum est nos hic esse.* 132
5. *Et ecce vox de nube dicens: ipsum audite.* 132
9. *Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat.* 184
23. *Magister vester non solvit didragma?* 182
18. 10. *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.* 134
19. 11. *Non omnes capiunt verbum istud.* 75
20. 12. *Murmurabant adversus Patremfamilias.* 202
12. *Hi novissimi unâ horâ fecerunt. Pares illos nobis fecisti. Portavimus pondus diei & æstus.* 202
15. *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum?* 202.
21. *Dic, ut sedeant hi duo filii mei.* 73
22. *Nescitis, quid petatis.* 70
22. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* 80
23. *Sedere autem ad dextram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* 82 & 73
22. 12. *At ille obmutuit.* 106
15. *Consilium inierunt, ut caperent eum in sermone.* 181
17. *Licet Censum dare Cæsari an non?* 181
19. *Quid me tentatis?* 181
24. 28. *Ubicunque fuerit corpus: illic congregabuntur & aquilæ.* 140
25. 5. *Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt.* 68
10. *Clausa est janua.* 31
13. *Quia nescitis diem, neque horam.* 250
15. *Unicuique secundum propriam virtutem.* 116
35. *Venite benedicti! Patris mei esurivi enim, & dedistis mihi manducare.* 226
26. 15. *Quid vultis mihi dare, & ego eum vobis tradam?* 122

Cap. Num. pag.

24. *Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non fuisset homo ille.* 196
26. *Hoc est corpus meum.* 42
38. *Cœpit contristari, & mæstus esse.* 126
39. *Sustinete hic & vigilate mecum & progressus pusillum in faciem suam orans, & dicens: Pater mi, si possibile est &c.* 219
39. *Pater si possibile est, transeat à me Calix iste.* 126. 218.
48. *Ipse est tenete eum.* 148
49. *Ave Rabbi & osculatus est eum.* 107
50. *Tenuerunt eum.* 148
55. *Non me tenuistis.* 148
58. *Ut videret finem.* 189
60. *Novissimè venerunt duo falsi testes.* 17
72. *Non novi hominem.* 202
27. 4. *Peccavi tradens sanguinem justum.* 122. & 128
4. *Quid ad nos? Tu videris.* 128
23. *At illi magis clamabant: crucifigatur.* 15
24. *Aquâ lavit manus.* 121
24. *Innocens ego sum à sanguine justi hujus.* 121
29. *Coronam de spinis posuerunt super caput ejus.* 6
50. *Emisit spiritum.* 218
52. *Petræ scissæ sunt.* 6
28. 2. *Angelus enim Domini descendit de cœlo, & revolvit lapidem & sedebat super eum.* 43
19. *Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* 67

Ex Divo Marco:

1. 13. *Eratque cum bestiis.* 178
44. *Vade, ostendit te Principi Sacerdotum.* 225
4. 12. *Ut videntes videant & non videant.* 146
6. 25. *Cumque introisset statim cum festinatione ad regem, petivit dicens: volo, ut protinus des mihi in disco caput Joannis Baptistæ.* 235
49. *Putaverunt phantasma esse.* 151
8. 24. *Video homines velut arbores ambulantes.* 150
25. *Iterum imposuit manus super oculos ejus, & cæpit videre.* 150
9. 22. *Omnia possibilia sunt credenti.* 228
27. *Non potuimus ejicere eum.* 98
33. *Cœpit pavere, & tædere, contristari & mæstus esse.* 126
34. *Tristis est anima mea.* 221
15. 46. *In monumento, quod erat excisum in petra.* 176

Cap. Num. pag.
16. 2. *Valdè mane unâ Sabbathorum veniunt ad monumentum orto jam sole.* 55
5. *Viderunt juvenem sedentem à dextris coopertum stolâ candidâ.* 43
6. *Surrexit: non est hic.* 120
15. *Euntes in mundum universum, prædicate omni creaturæ.* 2. & 96.
Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. 34

Ex Divo Luca.

1. 1. *Quoniam multi conati sunt ordinare narrationem quæ in nobis completa sunt rerum.* 162
17. *Venit Joannes Baptista in spiritu & virtute Eliæ.* 103
33. *Regnabit in domo Jacob.* 123
35. *Quod nascetur ex te sanctum.* 89
39. *Exurgens autem Maria, abiit in montana cum festinatione.* 67
71. *Salutem ex inimicis nostris, & de manu omnium, qui oderunt nos.* 225
3. 3. *Prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum, sicut scriptum est in libro Sermonum Isaiæ Prophetæ.* 14
4. 5. *In momento temporis.* 237
6. 25. *Væ vobis, qui reditis, quia plorabitis.* 138
7. 14. *Adolescens tibi dico: Surge.* 26
50. *Fides tua te salvam fecit.* 218
8. 5. *Exiit qui seminat seminare semen suum.* 1
Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est: & volucres cœli comederunt illud. 2
6. *Aliud cecidit super petram, & natum aruit, quia non habebat humorem.* 2
7. *Aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ suffocaverunt illud.* 9
8. *Aliud cecidit in terram bonam, & ortum.* 9
Et fecit fructum centuplum. 4
Hæc dicens, clamabat. 14
12. *Semen est verbum Dei.* 1
Venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum. 19
13. *Qui cum gaudio suscipiunt verbum.* 19
15. *Et fructum afferunt in patientia.* 19
9. 56. *Filius hominis non venit animas perdere sed salvare.* 180
11. 9. *Petite: & dabitur vobis.* 78
10. *Omnis enim qui petit accipit.* 79
11. *Quis autem ex vobis Patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? aut si petierit ovum nunquid porriget illi scorpionem?* 79

Cap. Num. pag.
14. *Erat ejiciens dæmonium.* 106. 128.
Cum ejecisset dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. 105
15. *In Belzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* 108
27. *Beatus venter qui te portavit.* 108
12. 19. *Anima mea habes multa bona in annos plurimos.* 254
20. *Comede, bibe, epulare.* 254
Stulte, hac nocte animam tuum repetent à te. ibid.
35. *Et lucernæ ardentes in manibus vestris.*
36. *Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum.* 86
15. 12. *Da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.* 77.
17. *Quanti mercenarii in domo Patris mei abundant panibus! ego autem hic fame pereo.* 75
18. *Ibo ad patrem meum & dicam ei: Pater peccavi in cœlum, & coram te.* 107
20. *Cùm adhuc longè esset.* 107
Accurrens cecidit super collum ejus, & osculatus est eum. 107
21. *Dixitque ei Filius: Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* 107
17. 10. *Cum feceritis omnia dicite: Servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.* 74
18. 41. *Domine ut videam.* 155
19. 12. *Abiit in regionem longinquam accipere sibi Regnum.* 116
26. *De ore tuo te judico.* 49
22. 15. *Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* 216.
16. *Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur.*
20. *Hoc facite in meam commemorationem.* 37
20. *Hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effundetur.*
38. *Ecce duo gladii hic.* 187
41. *Avulsus est ab eis.* 218
42. *Et positis genibus orabat dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum à me.* 219
43. *Apparuit illi Angelus de cœlo, & confortans eum.*
173. *Et factus in agonia.* 127. 220
44. *Et factus est sudor ejus, velut guttæ sanguinis decurrentis in terram.* 126. 220
49. *Si percutimus gladio.* 187
53. *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum.* 187
59. *Non sum.* 202
60. *Homo nescio quid dicis.* 202
61. & 63. *Cantavit Gallus & conversus Dominus respexit Petrum: & egressus foras flevit amare.* 196

Cap. Num. pag.

23. 14. *Ego nullam causam invenio in homine isto.* 15
25. *Tradidit eum voluntati eorum.* 122
24. 16. *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* 148
17. *Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, & estis tristes.* 148

Ex Divo Joanne.

1. 14. *Verbum caro factum est.* 8
20. *Confessus est & non negavit & confessus est.* 147.
23. *Ego vox clamantis in deserto.* 14
29. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* 44
2. 5. *Quid mihi & tibi est mulier? nondum venit hora mea.* 65
9. *Gustavit architiclinus aquam vinum factam.* 43
2. *Loquebatur de templo corporis sui.* 17
4. 33. *Nunquid aliquis attulit ei manducare.* 195
5. 19. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor.* 167
6. 52. *Panis quem ego dabo, caro mea est.* 42
53. *Litigabant ergo Judæi.* 36
Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? 35
54. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* 35
56. *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus.* 35
58. *Qui manducat meam carnem, & bibet meum sanguinem in me manet &c.* 48
59. *Hic est panis, qui de cœlo descendit.* 42
Qui manducat hunc panem, vivet in aternum. 42
7. 30. *Nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora ejus.* 221
8. 2. *Et omnis populus venit ad eum.* 177
4. *Magister, hæc mulier modo deprehensa est in adulterio.* 177
5. *Moyses mandavit nobis hujusmodi lapidare.* 179
6. *Hoc autem dicebant tentates eum, ut possent accusare eum.* 177
Inclinans se digito scribebat in terra. 178
7. *Cum perseverarent interrogantes.* 184
Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat. 178
9. *Incipientes à Senioribus.* 178
Unus post unum exibant, 188
Remansit solus Jesus, & mulier in medio stans. 194.

Cap. Num. pag.

10. & 11. *Nemo te condemnavit? neque ego te condemnabo: jam amplius noli peccare.* 178. 194. 217
20. *Nemo apprehendit eum quia necdum venerat hora ejus.* 221
47. *Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.* 174
9. 1. *Vidit hominem cæcum.* 141
16. *Non est hic homo à Deo.* 129
24. *Nos scimus, quia hic homo peccator est.* 157
31. *Scimus quia peccatores Deus non audit.* 157
34. *Et tu doces nos?* 157
39. *Ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant: & qui vident cæci fiant.* 141
40. *Nunquid & nos cæci sumus?* 154
11. 25. *Ego sum & resurrectio, & vita.* 176
26. *Credis hoc utique Domine.* 30
33. *Non poterat hic, qui aperuit oculos cæci nati, facere, ut hic non moreretur?* 245
12. 32. *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum.* 52
36. *Dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis sitis.* 69
13. 1. *Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos.* 209
15. 5. *Ego sum vitis: vos palmites.* 44
13. *Majorem charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* 217
16. 7. *Expedit vobis ut ego vadam.* 213
28. *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum & vado ad Patrem.* 212
19. 12. *Si hunc dimittis non es amicus Cæsaris.* 121
28. *Sciens quia omnia consummata sunt dixit: Sitio.* 215
30. *Consummatum est.* 230. 256
30. *Inclinato capite tradidit spiritum.* 220
33. *Ad Jesum autem cùm venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura.* 158
34. *Unus militum lanceâ Latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis & aqua.* 223
20. 9. *Nondum sciebant scripturam quia oportebat eum à mortuis surgere.* 148
23. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* 24
210. 25. *Sunt & alia multa, quæ fecit Jesus, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* 163

Ex Libro Actorum.

1. 6. *Domine, si in tempore hoc restituet regnum Israël?* 81

Cap.Num. pag.

2. 3. *Apparuerunt dispertita lingua tanquam ignis: seditque supra singulos eorum.* 14
9. 7. *Apertis oculis nihil videbat.* 143

Ex Epistola Divi Pauli ad Romanos.

5. 12. *Per peccatum mors.* 174
8. 2. *Quid oremus sicut oportet, nescimus: ipse autem Spiritus postulat pro nobis gemitibus in enarrabilibus.* 84
10. 17. *Fides ex auditu.* 8. & 120
13. 12. *Nox præcessit, dies autem appropinquavit.* 58

Ex Epist. ad Corinthios I.

4. 9. *Spectaculum facti sumus mundo, Angelis, & hominibus.* 20
8. 1. *Scientia inflat.* 48
9. 22. *Omnibus omnia factus sum.* 104
26. *Ego curro, non quasi in incertum.* 248
10. 4. *Bibebant de consequente eos petra: Petra autem erat Christus.* 44. & 165.
11. 1. *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* 89
25. *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* 38
15. 56. *Virtus peccati lex.* 181

Ex Epist. ad Corinthios. II.

14. 27. *Per infamiam, & bonam famam.* 19

Ex Epistola ad Galatas,

1. 10. *Si hominibus placerem Christi servus non essem.* 20.
2. 20. *Vivo autem jam non ego.* 258
6. 8. *Deus non irridetur.* 138

Ex Epistola ad Ephesios.

2. 2. *Secundum Principem potestatis aëris hujus.* 186
4. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionem Filii Dei, in virum perfectum.* 54
5. 23. *Sacramentum magnum in Christo, & in Ecclesia.* 214

Ex Epistola ad Philippenses.

1. 23. *Desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo.* 51
Manere autem necessarium propter vos. ibid.
2. 6. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* 103
7. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* 90
3. 18. *Inimicus crucis.* 143

Cap.Num. pag.

Ex Epistola ad Colossenses.

2. 14. *Delens, quod contra nos erat Chirographum, & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* 223

Ex Epistola ad Thimotheum I.

2. 16. *Qui lucem inhabitat inaccessibilem.* 70

Ex Epistola ad Thimotheum II.

4. 3. *Erit tempus, cum sanam doctrinam non sustinebant, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus.* 17
4. *A veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* 17
7. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi.* 249

Ex Epistola ad Hæbræos.

2. 16. *Nusquam Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* 49
4. 19. *Non enim habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Adeamus ergò cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.* 193
9. 27. *Statutum est hominibus semel mori.* 244
11. 19. *Unde eum in parabolam accepit.* 138
27. *Invisibilem tanquam videns sustinuit.* 133

Ex Epistola Divi Jacobi.

1. 14. *Unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus.* 192
17. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum, est descendens à Patre luminum.* 69

Ex Epistola Divi Petri II.

1. 14. *Certus, quod velox depositio tabernaculi mei, secundum quod & Dominus noster Jesus Christus significavit mihi.* 249
61. *Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Jesu Christi virtutem & præsentiam.* 42

Ex Epistola Divi Joannis I.

3. 2. *Videbimus eum, sicuti est.* 10

Ex Epistola Divi Judæ.

12. *Arbores autumnales, infructuosæ, bis mortuæ* 246

Ex Libro Apocalypſis.

Cap.	Num.		pag.
1.	4.	*Qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.*	22
3.	1.	*Nomen habes quod vivas & mortuus es.*	174
	17.	*Neſcis quia eſt miſer, & miſerabilis, & cæcus?*	154
5.	6.	*Agnum ſtantem tanquam occiſum.*	232
	13.	*Et omnem creaturam, quæ in cœlo eſt, & ſuper terram, & ſub terra, & quæ ſunt in mari, quæ in eo: omnes audivi dicentes ſedenti in throno, & Agno: Benedictio, & honor, & gloria.*	234
10.	3.	*Locuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas.*	14
	6.	*Quia tempus non erit amplius.*	32. & 251.
12.	1.	*Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta Sole. Luna ſub pedibus ejus & in capite ejus corona ſtellarum duodecim.*	62
	24.	*Data ſunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret.*	66. & 164.
14.	6.	*Cecidit, cecidit Babylon.*	28.
	13.	*Audivi vocem de cœlo, dicentem Mihi: Beati mortui qui in Domino moriuntur.*	242
20.	2.	*Apprehendit ſerpentem antiquum, qui eſt diabolus, & ſatanas miſit eum in Abyſſum, & clauſit, ut non ſeducat amplius Gentes.*	54
	6.	*In his ſecunda mors non habet poteſtatem.*	246
	12.	*Et libri aperti ſunt.*	207



INDEX

Rerum Memorabilium.

Numeri significant paginas.

A.

Aaron. Aaron tanquam Sacerdos sollicitatur ad faciendum Deum. 36. Facit Idolum & adorandum imponit altari. 109. Aaronis peccatum & confessio notabiliter diversa. 109. Aaronis Idolum quantorum malorum causa? 114.

Abraham. Abraham primò Idololatra, postea Pater credentium, & quare? 40. Ejusdem Sacrificium cum sit vera Historia, quomodo fuit Parabola? 138. Abraham non revelabit Saræ sacrificium sui Filii: quia tantum non credidit mulieri. 139. Abraham est pulvis, quia Job fuit & futurus est pulvis. 24. Abraham divisim & partitò habuit similem: totaliter non habuit similem. 97.

Accidens, Accidentium existentia in Eucharistia, in creatione Lucis probata. 38. Accidentibus mutatis sese absentavit & mortuus est Christus. 221. Accidentia calicis mortis, amor ejus transtulit ad Calicem separationis. Ibidem.

Accusare. Accusare quempiam ad condemnandum alium, est astutia pejor quam diabolica. 179. Diabolus accusat delinquentem ad condemnandum ipsum delinquentem: homines accusat delinquentem, ad condemnandum innocentem 179. Indignum valdè quod Terra accuset terram: indigniùs verò quod terra accuset Cœlum. 186.

Adam. Adam formatus de terrâ rubrâ. Quare? 27. Adam vivificatus inspirando, quia vita hominis est ventus. 25. Adam nescivit extollere amorem suum erga Evam, dicens; *Propter hoc relinquet homo patrem & matrem.* 213. Quid illi dicendum, ut suum extolleret amorem. 113. Adam non habebat sibi similem, cum omnes creaturæ aliquam cum ipso haberent similitudinem. 97. Adam cum tribus officiis perdidit se & mundum viginti quatuor horarum spatio. 112. Si Deus sicut unum solum creavit Adamum, creasset duos, & secundus non peccasset, quid futurum esset. 31.

Adultera. Adultera Evangelica post sententiam Christi, ipsum solum timere poteras, & quare? 193.

Æqualitas. Si æqualis maneat minor, & major æqualis, non est inæqualitas & quomodo? 102. Prærogativa in secundis; respectu Primorum facit similitudinem, & majoritas æqualitatem. 103. Ut verbum æquale se faceret Patri, fecit hoc quod non fecit Pater. 103.

Aër. Aër est elementum diaboli. 186.

Æthiops. Æthiops in sepulchro; ejusdem est coloris cum Germano. 27.

Agonia. Christus mortuus est, tanquam sine prævia agonia sese absentaret: & absentavit se, quasi more-

Agonizare. retur agonizans. 220.

Allegare. Authores allegandi sunt per sua nomina, & non per ænigmata. 10.

Ambitio. Ambitio ascendendi quàm cœca sit. 71.

Amor. In amphitheatris Deus probabat Fidem mortibus & tormentis: in Bacchanalibus probat amorem ludis & oblectamentis. 129. 130. Probatio puri amoris, non fit amando, & videndo: sed amando, & non videndo. 133. Hujus amoris symbolum est Heliotropium semper sequens Solem, etiam nubibus tectum. Ibid. Amare & non videre, est amor seraphicus. 134. Amor cœcus & nudus pingitur, carens enim oculorum usu sese aperit. 134. Amor reciprocus est lapis lydius amoris. 213. Amor amati probatur amore derelicti ibid. Quomodo Amor similis esse potest morti, si amor est animarum unio, & mors animarum separatio? 211. Cùm amoris natura sit unire, quomodo effectus ejus esse potest separare? ibid. Amor quatenus unitivus conjungit extrema magis distantia: quatenus fortis, separat magis unita. ibid. Quatenus unitivus, est veluti vitâ, quatenus fortis, velut mors ibid. Amor novit ligari & dissolvi velut Samson. Ibid. Amor & Odium aliud pro alio vident. 149. Quare Deus amatur ab omnibus in cœlo, & non in terra, cùm sit idem? 8. Maximus amoris excessus, est amantem ab amante separare. 212. Parum amans se separat: multùm amans separare se nequit. 215.

Amor Christi. Intensissimus amoris Christi affectus, fuit absentare se ab hominibus amore hominum. 210. Excellentior actus fuit nos deserere, quàm nobiscum manere. 215. Item à nobis separari, quàm pro nobis mori. ibid. Quantum dereliquit Christus in cœlo & in terra: in se, & extra se amore hominum. 214. Eòusque devenit ut relinqueret Sponsam amore Sponsæ. Ibid.

Chri-

Christus puriùs amatus, desideratus affectu, quàm visu aliove sensu perceptus. 51.

Angelus. Angeli Israëliticum populum ex Ægypto ducentis potissima cura fuit, ne aut adurarentur Sole, aut carerent luce. 60. Angeli non videntes Deum, quales sunt? 134.

Anima. Pro vita animæ quàm parum fit. 175

Antipodes. Christus est Sol, quia in ipsum usque cœlum habet antipodas. 64.

Antonius de Padua S. Antonius de Padua posuit tempus inter vitam & mortem, & mutavit vitam, ut se præpararet ad mortem. 253.

Apologia. Mala vita Prædicatoris, est Apologia ipsius vitæ contraria. 9.

Apostolus. Quare Apostolis non permisit Christus usum secundi gladii in horto, cùm duos haberent? 187. Ex duobus Apostolorum gladiis unus sufficit contra diabolum: contra homines frequenter non sufficit uterque. Ibid.

Apotheca. Liber Generationis Jesu Christi, est apotheca remediorum, quæ per sanctissimæ ejus Matris interceffionem obtinentur. 169.

Aqua. Aqua de latere Christi exiens, significabat Baptismum. 237.

Aquila. Aquila Ezechielis quæ sustulit medullam Cedri de monte Libano, fuit figura Sanctissimæ Virginis Mariæ, quæ rapuit Verbum ex gremio Patris. 161. Aquila æqualibus alis, præ cæteris volat avibus, nam alæ sunt ei naturales. 163. Aquila probat naturales suos filios ad radios Solis clarè splendentis: Aquila divina ad radios Solis obscuri. 140. Aquila mortua, non est aquila: Phœnix mortua, est Phœnix & quare? 29.

Arbor. Arbor una in Paradiso prohibita: in mundo infinitæ 151. Arbores bis moriuntur.

Arca. Historia Arcæ Testamenti in Jordane, singulis annus repræsentata Romæ. 135. In arca Testamenti Deus erat Deus Jacob, & non Israël. 136.

Argumentum. Argumenta Judæi contra Veritatem Sacramenti. 35. Gentilis 39. Hæretici. 42. Philosophi. 45. Politici. 48. Devoti. 50. Diaboli. 48. eadem confutata. ibid.

Arma. Verba Dei sumpta in sensu alieno, sunt arma Diaboli. 16. Armis alienis Prædicator non sternet Gigantem. 13. Armis novis indiguit Christus contra homines. 183.

Armamentarium. Sacræ scripturæ sunt armamentarium Dei contra tentationes Diaboli. 183.

Assistens. Assistentes SS. Sacramento cum devotione sunt terrestres Seraphini & glorificat res Dei. 134. Assistere desinens Christo perdit judicium: quàm prudens qui facit contrarium. 135.

Assumptum. Sermo unum tantum debet habere assumptum, & unam materiam. 11. Jonas unum tantum assumptum. 40 prædicavit diebus: & sunt Prædicatores, qui unâ horâ. 40. prædicant assumpta. ibid.

Attentio. Sine attentione videre, est & non videre. 148

Auditor. Auditores verbi Dei oculis concipiunt instar ovium Jacob. 9. Audiunt cum gustu, & in fine manent petræ. 19. Alii velut spinæ, alii velut petræ, alii sunt velut viæ, & quinam isti? 6. Pessimi sunt qui acutiores spinis & duriores petris. ibid. Inter utrosque, pejores sunt duri quàm acuti. ibid. Auditores pungunt Verbum Dei, non puncti ab illo ibid.

Averroes. Averroes mortuus est Gentilis, ne subesset Legi, quæ Deum manducare juberet in quē credebat. 39.

Augustinus. S. Augustinus est Religionis suæ decus & lumen. 162. Scriptores Religionis S. Augustini sunt alæ mulieris apocalipticæ. 164. Resolvitur S. Augustini indifferentia: *Positus in medio quo me vertam nescio.* 68. In quo ipsum imitatus est S. Ignatius. 100.

Author. Ridiculus modus citandi authores. 10. Authores Canonici eodem illuminati spiritu, differentes habuêre stylos. 13. & 14.

Authoritas Reges & Principes majoris faciunt, Personarum suarum authoritatem, quàm vitam. 51. Ubi acquiritur veneratio, non perditur authoritas. 52.

B.

Bacchanalia. Prima institutio SS. Sacramenti in figura, fuit abstrahere homines ab abusibus Bacchanaliorum. 130. In Bacchanalibus tentat Deus & mundus: utraq; tentatio laqueum statuit in oculis. 131. Tentat Diabolus, mundus & caro apertâ fronte. 130. In Bacchanalibus homines relinquunt Deum propter risum. 137. Tentatio Dei in Bacchanalibus in SS. Sacramento, consistit in probatione, utrum in nobis plus valeat fides, an visus. 131.

Baptismus. Æqualitas & excellentia reciproca inter Baptismum & Martyrium. 238. Baptismus Jordani comparatus. Ibid. Per illum transitur pede siceo (id est) de terrâ ad cœlum sine purgatorio. ibid.

Baptista. S. Joannis Baptista prædicabat voce: & vitâ convertebat. 8.

Beatitudo. Beatitudo est pro illis qui moriuntur mortui: infernus pro illis qui moriuntur vivi. 243.

Bellarium. Melius bellarium datum est Christo postquam vicit tentationes hominum, quàm postquam vicit tentationes diaboli. 195.

Benemeritus. Benemeriti & malè expediti quas habent sese consolandi rationes. 73.

Bulla Cruciata. Bulla Cruciata, unde sumpsit nomen? 223. Bulla Cruciata figurata in Latere Christi in Cruce

Cruce aperto. 233. Figurata in cap. 5. Apoc. 232. Eligere Confessarium qui me expediat, est magna gratia Bullæ. 216. Referuntur omnes gratiæ in Bullæ concessæ. 232. 233. Quare gratiæ Bullæ magis attribuuntur Lanceis militum Africæ, quàm Clavibus S. Petri? 229. Licet eleëmosyna, Bullæ intentum non assequatur finem, gratiæ tamen infallibilem habent effectum. 227. Simplex Sacerdos cum Bulla Cruciata in manu, Episcopus est & Papa. 236. in aliis tribunalibus negotia Ulyssipponensia tractantur quasi essent Romæ aut Hierosolymis: in tribunali Bullæ cruciatæ negotia Romæ & Hierosolymis peragenda, expediuntur quasi essent Ulyssippone. 236. Privilegio seu miraculo Bullæ potestis ire compostellam, Romam, & Jerosolymam, pedem non offerendo extra Patriam. 235. gratiæ Bullæ Cruciatæ vilescunt propter facilitatem quâ conceduntur. 240. Ob negatum sibi eam publicandi sermonem Lutherus fit hæreticus. Ibid.

C.

Cœcus. Cœcitas. Cœcum esse oculis apertis, omnium cœcitatum est maxima. 142. Tres species cœcitatis oculorum apertorum. 145. Prima est cœcorum qui simul vident, & non vident. Ibid. Secunda qui vident unum pro altero 249. Tertia, eorum qui non vident propriam cœcitatem. 154. Primæ cœcitatis causa, est videre sine advertentia. 248. Secundæ, videntium aliud pro alio, est passio. 253. Tertiæ cœcitatis non videntis se ipsam, causa est præsumptio. 186 Cœcus Longinus quomodo miles? 158. Si cœcus ducat cœcum, uterne cœcior? 154. Cœcus non videns suam cœcitatem, est bis cœcus. 254. Cœcus videre se putans, cœcus est fatuus. 159. Cœcus ducturo se famulo porrigens manum, non minimum laxet manum, ne & ille cœcus fiat. 156. Sunt cœci, qui non solum visus, sed etiam cæcitatis sensum perdunt. 154. Primi homines cœciores fuerunt omnibus: quia viderunt hoc quod non erat, & non hoc quod erat. 150. Cœcus suam videns cœcitatem, non est totaliter cœcus. 154. Quilibet suos considerando lapsus, suas cognoscet cœcitates. 157. Major est cæcitas unum videre pro altero: quam videre nihil. 150. præsumptuosissima cœcitas est, velle ut talpæ ducant lynces. 157. Sunt cœci, qui vendunt oculos. 157. Non requiritur remedium pro cœcitatibus, quia non agnoscuntur. 155. Quomodo inadvertentia nos excœcet in omnibus quæ videmus? 149. Major est cœcitas, error, quàm privatio visus. 150. Qui non cognoscit visum quomodo agnoscere poterit cœcitatem? 156. Principes Ecclesiastici & sæculares omnes cœci: nam videntes mala & calamitates subditorum remedium non adhibent. 159.

Cœlum. Cœlum est antiquissimus Prædicator mundi. 10. Cœlum à terra accusari magna est injuria. 186. Cur Deus in cœlo amatur ab omnibus, & non in terra, cum sit idem? 8.

Calamitas. Calamitas derivatur à calamo, id est, Penna: & pennæ dantur omnium calamitatum causæ. 119.

Calix. In Passione Christi duo fuêre Calices, mortis & separationis. 219. Calix separationis fuit amarior calice mortis. 220. Calix mortis sitim temperavit, quam calix separationis magis accendit. 220. Christus inclinando ex hoc in hoc, pœnas calicis mortis transfudit in calicem separationis. 220. Oratio, *Transeat à me calix iste*; intelligitur de calice separationis. 220.

Carolus V. Carolus V. ex memoriali cujusdam Gregorii militis semetipsum expedivit. 251. Maximam reportavit victoriam, quia suo se tempore subducere scivit. 252. Scivit mori primò Imperator; secundò mortuus est Sanctus. Ibid.

Castra. Multis plus prosunt otia & umbræ Palatiorum, quàm labores & æstus castrorum. 124.

Catholicus. Catholicus cœcior est Gentili, Judæo, & Heretico. 143. Per Antonomasiam est cœcus. Ibid. & seqq.

Cato. Catonis maxima statua fuit, interrogare, quare non haberet statuam? 74.

Cavere. Cavendum magis ab hominibus, quàm à dæmonibus. 190. Cuilibet cavendum à seipso. 192.

Causa. Causæ excessivè intensæ effectus producunt contrarios. 211.

Certitudo. Mors licet certa, adhuc tamen est incerta. 249. Certum mortis incertæ soli Deo est reservatum. 247. Nostri est arbitrii ut mors certa sit & incerta. 248.

Christianus. Christianus moritur benè ut moriatur melior. 249. Ad finiendam vitam ante mortem, non est opus esse Christianum, sufficit esse hominem. 242.

Christus. Christus vocatur Petra, agnus, vitis, cum non sit vitis, nec Agnus, nec Petra. SS. verò Sacramentum non potest vocari Corpus Christi, absque eo quod sit Corpus Christi, & quare? 44. Christus ex tentatione diaboli fecit Sacramentum: & ex mendacio, ejus donationē. 49. Christus natus in die nativitatis suæ Matris, & quomodo? 56. Christus duos habuit Nativitatis dies, & quales? 57. Ad Christum referuntur omnia beneficia per manus B. V. Mariæ accepta, sicut effectus Lucis ad solem, qui est fons ejus. 57. Christus est Sol, in ipsam usque domum habens antipodas. 64. Christus natus velut sol, est objectum omnium hominum & animalium. 59. Christus succurrit passibus Gigantis. 67. Mundus scissus opinionibus, quisnam esset Christus? 90. Christus similis multis hominibus, & quomodo. Ibidem. Multis typis præfiguratus. 93. Et lux,

lux, aliquos illuminans, aliquos feriens : aliis visum donans, aliis auferens. 141. Cœcis, dedit visum, ut se Messiam probaret. 142. Primò se exercitavit cum feris, deinde cum diabolo, postea egressus ad agendum cum hominibus, 179. Ut se defenderet contra tentationes hominum, novis indiguit scripturis & armis. 216. Tentationes ejus, motivum ipsi fuêre compassionis: & immunitas à peccato, motivum ipsi fuit remissionis. 193. Magis intentus fuit nostro remedio in sua Matre existens, quàm ab illa separatus. 67. Christo aliquem respiciente, solus Galli cantus ad conversionem sufficit. 196. Illo non respiciente, simul, nec vox, nec septē voces sufficiunt. ibid. Christus in mundum veniens reliquit Patrem amore Sponsæ. ex mundo discedens Sponsam reliquit amore Sponsæ. 214. Christum manere cum hominibus in Sacramento, commoditas illius fuit: & quare? 216. Christum manere nobiscum in Sacramento, fuit miraculum Naturæ: seperari à nobis, miraculum fuit suprà & contrà naturam. 217. Non simul se ab omnibus separavit Discipulis, sed succesivè ab his & illis. 218. Duplicem habuit calicem in Passione, alium in Horto, alium in Calvario, qui fuit eadem mors ejus diversimodè considerata. 219.

Cilicium. Quomodo fiat cilicium pro oculis? 207.

Circulus. Vita humana est circulus de pulvere ad pulverem. 25. Qui circulariter de puncto ad punctum ambulat, quantò magis recedit tantò magis appropiat. Ibidem.

Civitas. Olim ministri exercentes judicia, stabant in portis Civitatum, nunc civitates stant, ad portas ministrorum. 125.

Clamare. Aliquando clamandum est Concionatori: sed tantum aliquando. 15. Clamores quandoque plus efficiunt quàm ratio. Ibid.

Comœdia. Comœdiæ, quâ à theatro transeunt ad pulpitum. 18. Aliquando veriora inveniuntur in comœdiis Poëtæ Gentilis, quàm in concionibus Catholici. Ibid.

Concio. Dantur Conciones pejores comœdiis, & quare? 18.

Concionator. Res quas Concionator profert, debent esse velut stellæ, valdè distinctæ, claræ & altissimæ. 10. Stylus ejus debet esse clarus, ut illum intelligant rudiores: & tam sublimis, ut multum ex eo fructum capiant docti & sapientiores. 10. Stylus Concionatoris debet esse artificiosus sine arte. 9. Stylus posti landi est minus efficax ad persuadendum 11. Concionatoris optimus conceptus quem ad pulpitum affert, est, quem de ipsius vita habet Auditores. 7. Concionatoris definitio, est vita & exemplum. 7. Concionator hominum contemptum despicit, eorundemque risus ridet. 19.

Confessarius. Confessarius multum hominis & Dei habere debet. 128. Ad ipsum usque confessionis tribunal respectus inveniunt locum. 129. Confessariis imitandus quidam Chirurgus Philippi secundi Hispaniarum Regis. Ibid.

Confessio. Mutus obsessus, est figura Peccatoris non confitentis. 106. Confessio perfecta, est illa, in qua peccatum primò remittitur, postea recitatur. 106. Confessio minus perfecta, incipit à pedibus, & finitur in brachiis Dei: confessio perfectissima incipit à brachiis, & finitur in pedibus. 107. Non tantum dantur confessiones, in quibus primò loquitur mutus, & postmodum exit Diabolus: & confessiones, in quibus primò exit Diabolus: & deinde loquitur mutus: sed Confessiones in quibus loquitur mutus, & diabolus non exit. 107. Cur hodiedum tot Confessiones, & tam raræ gratiæ? 107. Taliter confitentur, ut sit opus confessiones confiteri. 108. Confessio Aaronis notabilis, 109 Sunt Confessiones in quibus narrantur peccata, velut virtutes. 109. 110. Examen Confessionis alicujus Ministri. 111. &c. Confessiones quomodo iterandæ. 117. & seq.

Consecratio. Efficacia verborum Consecrationis, probata verbis Josue ad Solem: & Moysis ad petram. 38.

Conservatio. Opera Creationis scribuntur, Conservationis non scribuntur, & quare? 166. 167. Conservationis opera sunt Diaria gloriæ Dei. 167.

Contradictoria. Contradictoria non cadens in sphæram possibilium, cadit in sphæram oculorum. 146.

Contritio. Contritio in infirmitate est infirma : & in morte, vel mortua, vel parùm secura. 256. Conteri oportes omnes de suis peccatis: sed illi citiùs, qui reddendis rationibus sunt viciniores. 178.

Conversio. Ad Conversionem peccatoris concurrit Deus, Prædicator, & auditor. 5. Ad Conversionem peccatoris solus cantus galli cum respectu Christi sufficit: sine hoc, nec septem Christi voces. 196. Conversio panis in Corpus Christi, & Vini in sanguinem probatur exemplo uxoris Loth in statuam salis: Virgâ Moysis in serpentem, & aquis Nili in sanguinem conversis. 38.

Cor. Manus Dei dilatat vel contrahit corda Regum, ut vel parci vel liberales sint prætendentibus. 83.

Corpus. Corpus Christi in Sacramento potest vocari Panis, absque eò quod sit panis : sed non potest vocari Corpus Christi, absque eò quod sit Corpus Christi. 44.

Correctivum. Pulvis, qui sumus, est correctivus ejus qui futuri sumus. 241.

Costa. Costa ex qua formata fuit Eva, superflua fuit corpori Adami. 232.

Cranium. Cranium mundi majus est capite mundi, ut mino-

minorem locum teneat vanitas, & majorem materiam habeat veritas. 28.

Creatio. Creatione omnes creaturæ exierunt à Deo: Incarnatione omnes rursum reunitæ sunt Deo. 99

Creatura. Omnes Creaturæ armantur contra fructum Prædicationis Evangelicæ. 2.

Crux. Contra diabolum defendimus nos Cruce: homines agunt in Crucem. 179.

Crystallus. Crystallus est speculum Sacramenti. 47.

Cultus. Cultus stylus improbatus. 9. Cultus ridiculus in Phrasibus. 16. Cultus ridiculus in allegationibus. 10. Cultus rebaptizans Sanctos. Ibidem.

D.

David. Virtutes Davidis. 251. Quare ad flendum elegit tempus noctis? 104. David petiit à Deo tempus quod inter vitam & mortem poneret 253. David à Deo petens residuorum vitæ suæ dierum numerum, rectius egisset à se exigendo computum dierum vitæ suæ Deo reddendum. 250.

Deus. Solus Deus est, hoc quod est, quia est hoc quod fuit & futurus est. 22. Non est omnipotentiæ miraculum, Deum facere id quod homines facere poterant: sed hoc operari, quod illi solum imaginari poterant & fingere est miraculum. 42. Deus etiam negando facit gratiam: cum homines tantum faciant dando. 78. Deus quandoque concedit ob peccata, & ob merita negat. 80. Deus Tentator in Sacramento, & quomodo? 130. Deus in cœlo conspectus glorificat homines: in Sacramento absconditus glorificatur ab hominibus. 134. Deus in Arca Testamenti erat Deus Jacob & non Israël & quare? 136. Dei digitus quàm potens in scribendo. 185. Volens videre Deum claudat oculos. 206. Deus liberalior est in dando, quàm diabolus in promittendo. 237. Deus reliquit nasci naturæ, mori verò electioni & arbitrio: quare 245.

Debitum. Faciens quod debet, aliam mercedem non speret & quare? 74.

Devotio. Optima devotio & pœnitentia pro Quadragesima est, qualibet die unam sumere horam ad meditandum de morte, quatuor puncta pro quatuor quadrantibus. 1. Quam diu vixi? 2. Quomodo vixi? 3. Quamdiu vivam? 4. Quomodo vivendum? 33.

Devotus. Contra Devotum defenditur veritas. 50.

Diabolus. Diabolus communem & trivialem doctrinam timet. 19. Diaboli argumenta contra veritatem Sanctissimi Sacramenti. 48. Fuit ejusdem primus adinventor. 49. Ad pedem mandatorum ponit laqueos. 107. Minor tentator est quàm homines. 172. 116. Non resistit digito Dei. 285. Contra ipsum sufficit unus gladius Apostolorum. 187. Minus ab ipso cavendum quàm ab hominibus. 190. Bonum fore tmundo, quosdam ab ipso obsideri, ut minus essent mali. 191. Diabolus non potest Job ad peccandum inducere. 191. Diabolus accusat delinquentem ad ipsum condemnandum. 179 Doli diaboli, quibus nos convictos vincit, & quibus infernus est plenus bonis propositis. 256. Diabolus contra fidem Sacramenti nos nedum vincere, sed nec tentare potest, & quare? 50.

Diarium. Opera Conversationis, sunt Diarium gloriæ Dei. 166.

Dies. Timendus magis dies Paschæ, quàm Cinerum. 30. Dies vitam exordiens, idem ipsam præscindit: & sicut ista rota semper voluta & revoluta incessanter nos commolit, semper sumus pulvis. 25. Christus habuit duos dies nativitatis, & quales? 57.

Digitus. Digitus Dei quàm potens in scribendo. 185. Quare in scriptura Balthasaris tres tantùm digiti apparuêre. 118. Tres digiti cum penna multam habere possunt manum. Ibid.

Dii. Dii qui fuerunt & futuri sunt pulvis, non sunt Dii. 23.

Diluvium. Lachrymæ Petri fuerunt aquæ diluvii. 197.

Doctus. Quando Docti interrogant, fit ad tentandum. 177.

E.

Ecclesia. Ex pretio Sanguinis Christi Redemptioni superfluo Ecclesia facit thesaurum pro Indulgentiis. 231. Thesauri Ecclesiæ non dispensantur sine justa causa, aliàs non sortiuntur effectum. 228.

Effigies. Optima cujusque effigies est id quod scribit: Corpus penicillo, Anima depingitur pennâ. 99. Scriptura Sacra est effigies Dei. Ibid.

Eleëmosyna. Etsi Eleëmosyna Bullæ suum non assequatur finem: gratiæ nihilominus infallibilem semper habent effectum. 226. Eleëmosynarum suarum dispensatorem, quare Christus elegit furem? 227.

Elias. Elias & Enoch finierunt vitam ante mortem, illique soli degunt in Paradiso terrestri. 287. Elias & *Enoch.* In aula fugit mortem, quàm in deserto desideravit. 155.

Eligere. Eligere Confessarium qui me absolvat, est magna gratia Bullæ Cruciatæ. 225.

Epitaphium. Epitaphium Scoti. 227. Epitaphium eorum qui finiunt vitam ante mortem. 288.

Error. Major cœcitas est Error visus, quàm ejus privatio. 150. In sola morte bis errare non licet. 244.

Examen. Examen Confessionis alicujus ministri. 111. Examini Conscientiæ tempus impendendum. 128.

Excusare. Magis idonea subjecta se excusant ab officiis. 112. Quomodo Moyses se excusavit? 113. Quomodo Habacuc? 116.

Exemplum. Efficacius est Exemplum, quàm verba: verba enim

enim audiuntur, exemplum videtur. 7. Probatur imagine *Ecce Homo*. 8.

Expeditio. Expeditiones acceptandæ tanquam ab eo qui solus novit quid det. 78 Frequenter expeditur aliquis, quia præscitus: & non expeditur, quia prædestinatus. 82, Malè expediti pro cœlo: & benè expediti pro inferno. 83. Quantum profit pro Expeditione bona, deauratas seu deargentatas habere pennas. 119. Expeditiones dilatæ, quàm nocivæ Reipublicæ. 125. Expeditiones frequenter sunt litteræ Uriæ. 85. Expeditio mala accelerata tres facit gratias prætendentibus. 125. Contra, Expeditio bona totidem mala, si differtur. 126. Tres horæ Orationis sine Expeditione Christo Domino sanguinem expresserunt sudorem. Ibidem. In Expeditionibus aulicis, *Statim*. *Statim* sæpè est idem quod tardè, aut nunquam. 235. Imprudentia querulantium se malè expeditos. 71. Malè expeditorum se consolandi ratio. 73. Diabolus à Deo pro voto expeditur, quia præscitus: S. Paulus non expeditur, quia prædestinatus. 82.

F.

Fabula. Ratio defendit veritatem Sacramenti contra Gentiles eorundem Fabulis. 40. Referuntur fabulæ similes mysteriis & effectibus Sacramenti. 41. Quare mysteria divina comparantur Gentilium fabulis & non hystoriis? 41. 42. Fabulæ, quas crediderunt Gentiles, credibiliora reddunt mysteria Christianorum, & Quare? 40.

Facinus. Maximum heroicorum facinorum præmium, est ea facere. 73.

Fama. Prædicator Apostolicus prædicare debet cum fama, sine fama, & cum infamia. 19.

Favor. Plus potest favor quàm justitia. 123. Favores & umbræ Palatiorum plus prosunt, quàm Soles & æstus Castrorum. 124. Favor Rebeccæ plus profuit Jacob, quàm Esau suus arcus. Ibid.

Fides. Mysterium Fidei factum mysterium rationis. 35. In amphitheatris Romanis Deus probabat fidem mortibus & tormentis. 230.

Figmentum. Quamvis in paupere sit figmentum, eleëmosina suum non perdit meritum. 226.

Figura. Christus multis figuris adumbratus. 93. Cum ex pulpitis faciamus theatra, cur non rectè exhibemus figuram prædicatoris. 18.

Filius. Filii qui à Parentibus desiderata obtinuerunt, in perniciem magis quàm salutem. 77.

Fletus. Optimum elogium fletus & flere. 198. Fletus & est consequentia visus. 198. Flere & videre sunt
Flere. officia simul incompatibilia 203. Videre est causa & impedimentum fletus. Ibid.

Fons. Maria fons medicinalis. 166. Oculi sunt duo fontes cum duobus canalibus, per unum peccata intrant, per alium exeunt. 201 Jeremias petiit fontem lachrymarum, & quare? 205. Fontes die nocteque currunt. Ibid.

Fortuna. Ventus fortunæ minus durare potest quam vitæ. 26. De præsenti fortuna conqueruntur non attendentes hoc quod sunt, & immemores illius quod fuerunt. 72. Fortunæ suæ differentiam nosse cupiens, suppellectilem suam priorem conferat cum præsenti. Ibid. Sua se fortuna metiens non conqueritur. 73. Fortuna benè & malè expeditorum. 80.

Fructus Quare Prædicatores hodiè non faciant fructum. 5. Fructus Verbi divini nunquam deest ex parte Dei. Ibidem.

G.

Gallus. Galli vox cum respectu Christi, sufficit ad conversionem Peccatoris. 205.

Gigas. Dantur Dæmones Gigantes tanquam Goliath. 98.

Gladius. Quare Apostoli utroque uti gladio sunt prohibiti. 187.

Gratia. Quanto majoris constat effectum assequi gratiæ, quàm eam promereri. 225. Non sunt gratiæ difficiliores obtentu, quàm quæ dependent à lateribus Regum. 230. Quanti constent gratiæ Regum, eò quod à multis dependeant ministris? 224. Ad obtinendas gratias Regum, multa charta, ministrisque opus est: ad obtinendas gratias Dei unicum chartæ folium, unusque sufficit minister. 225. Gratiæ indignis collatæ non honorant homines, inhonorant honores. 75.

H.

Habacuc. In missionibus eundem instar Habacuc. 116. 117.

Hæreticus. Contra Hæreticum defendit ratio veritatem SS. Sacramenti scripturis novi Testamenti. 4. Hæretici obstinaciores sunt Scribis & Pharisæis, & ipso Diabolo. 186. Nec primæ, nec secundæ scripturæ cedunt. 187.

Homo. Homo est arbor inversa. 102. Homo est omnis creatura. 2. Homo non tantum futurus est pulvis, sed jam est pulvis. 20. Homo in instanti mortis. 32. Nullus Homo in hoc mundo scit quid desideret aut petat. 76. æquivalens. 70. hominibus, detrectato officium: & qui vix est unus homo. 70. Officia acceptare non trepidat. 113. Homines majores sint inimici quàm Diaboli. 178. Etiam pejores tentatores. Ibidem. Ipsa divina sapientia se liberare nequit à tentationibus hominum in propriis respondendo terminis. 183. Christus exaggeraturus malitiam Diaboli, vocat eum hominem. 190. Cavendum magis ab hominibus quàm

quàm à Diabolo. Ibid. Homines quamvis amici, tamen tentant: & periculosius Diabolo. 191. Homo, à quo cuique timendum sibi, est ipsemet. 192. Primi Homines cœciores fuêre omnibus, & quare? 150. Solus Christus est ille homo, in quo hominibus confitendum. 293. Ad finiendam vitam ante mortem non necesse est esse Christianum: sufficit esse Hominem. 242. Omnis homo licet non sit Propheta, vitæ suæ finem cognoscere potest, & quomodo? 250. Hominibus moriendum instar arborum. 246.

Honor. Honorem Reges dare nequeunt. 75. Honorare & Corpus Christi indignè habitum, est actio no-
Honorare. bilitati annexa. 53.

Hora. Optima devotio & pœnitentia pro Quadragesima, est qualibet die unam sumere horam ad meditandum de morte quatuor puncta pro quatuor quadrantibus. 33. Tres horæ orationis sine responso in horto, Christo Domino sanguinem expresserunt sudorem. 126.

I.

Jacob. Jacob plus lucratur superinductus pellibus quàm Esau armatis manibus. 124. Jacob derelictis Parentibus peregre profectus ad desponsandam sibi Rachelem in via vidit scalam redux cum desponsata sibi Rachele non videt scalam, & quare? 214.

Idolum. Idolum Aaronis quantorum malorum, & damnorum causa. 114. Idola se vindicant de Lusitanis, & quomodo? 145. Non est tanta miseria similes esse idolis qui faciunt, sicut illorum qui destruunt ea. 145. Permisit Deus Idololatriam ad expediendam Fidei credulitatem. 40.

Ignatius. S. Ignatius similis sine simili. 88. Describitur ejus conversio. 86. Gladius ejus consecratus B. Virgini, & quare? 87. Omnes sancti sunt exemplaria S. Ignatii. 89. Imitatus est omnes Sanctos, ut esset velut omnes. Ibid. Si vita ipsius scripta esset sine nomine, orbis scinderetur opinionibus non assecuturus qualis ille esset Sanctus. 90. Miracula omnium magnorum Sanctorum in S. Ignatio unita. 91. Nunquam duas habet facies, in varias transfiguratus dum depingendus erat. 92. Figuratus fuit in Homine igneo quem vidit Ezechiel. 93. Divisim & per partes consideratus erat similis: Totus non habebat similem. 96. Diabolus invocato ipsius nomine obsessum deseruit. 98. Fuit gladius Davidis. 98. Solus ipse sese effigiavit, eum alii non possent. 99. Cum omnium Ordinum Patriarchis comparatus. ibid. Quomodo ab aliis Patriarchis sumpsit genera, & de se addidit differentias suo instituto? Ibid. Fuit fructus floris Sanctorum. 104. Omnes transiit fortunas, ut exemplar esset omnium. 104. Est Manna Sanctorum. Ibid.

Ignorantia. Passio tantum errat, quantum Ignorantia. 152. Melius est ignorare dies vitæ superstites, quàm qui desunt. 250.

Imitatio. Sufficit unum imitari Sanctum ut quis fit sanctus. 88. Qui imitatur, si non est plus simili suo, non est similis. 102.

Inadvertentia. Inadvertentia ad res visas, est causa cur eas simul videamus, & non videamus. 148. Quomodo nos excœcet in omnibus. 149.

Indulgentia. Indulgentia plenaria est Baptismus repetitus, & Martyrium sine tormento. 238.

Infernus. Nemo vadit in infernum sine suo quare? 121. Lachrymæ inferni sunt infructuosæ. 207. Infernus est pro illis qui moriuntur vivi. 243. Vocatur mors secunda, non enim datur mors tertia. 246. Nihil valet contra eum qui bis moritur. Ibid.

Injuria. Injuria Corpori Christi illata dat occasionem ad erigenda templa. 53.

Instans. Instans mortis non est velut instantia vitæ, & quare? 251.

Intercessio. Sancti quandoque interceduntapud Deum ne obtineamus petita, & quare? 84. Intercessio notabilis Sancti Francisci Xaverii pro aliquo sibi devoto. Ibid.

Joannes Baptista. S. Joannes Baptista prædicabat voce, & convertebat vitâ. 8.

Joannes Evangelista. S. Joannes Evangelista alios Evangelistas & semetipsum excessit, & quomodo? 163. Plus dixit ultimis duabus lineis sui Evangelii, quàm in toto suo Evangelio. Ibid.

Job. Virtutes Job. 253. Fuit pulvis & futurus est pulvis. 23. Petiit à Deo tempus quod poneret inter vitam & mortem. 253.

Jonas. Jonas multas habens imperfectiones, unâ Concione convertit integrum Regnum. 9. Jonas prædicavit unum assumptum quadraginta diebus: dantur Prædicatores qui in una hora prædicant quadraginta assumpta. 11.

Judas. Judas Iscariotes quare à Christo Domino Eleëmosynarum dispensator institutus? 227.

Judæus. Contra Judæum defendit Ratio veritatem SS. Sacramenti Scripturis veteris Testamenti. 35. Judæis impossibile putantibus, quod Christus carnem suam dare posset ad manducandum, pœnam intentat non declaratâ possibilitate. Ibidem. Judæi in Deo ficto seu idolo quod sibi fieri petierunt & adorârunt, confessi sunt Deum constitui posse sub speciebus visibilibus Sacerdotum ministerio. 37. Ad credendum mysterium SS. Sacramenti sufficit, illis memoria & ratio. 39.

Josias. Colligeris in pace in sepulchrum tuum quomodo verificatum? 247.

Judex. Plures judices damnantur propter respectum, quàm

quam propter pecuniam. 121. Judice inclinato, inclinationem sequitur sententia. 178.

Justitia. Plus valet favor quàm Justitia. 123. Justitia semper zelatur contra infirmiorem. 177. Justitia & Injustitia bonorum aut malorum Ministrorum, æqualiter Deo subserviunt ad damnationem seu salvationem præscitorum aut Prædestinatorum. 82.

Justus. Justus semper est in luce : Peccator in tenebris. 64.

L,

Lachryma. Optimum Lachrymarum elogium est eas fundere. 198. Optimæ natæ lachrymæ sunt illæ S. Petri, quia natæ in oculis Christi, & ex S. Petri oculis emanârunt. 197. Lachrymæ S. Petri fuerunt velut aquæ Nili, cujus torrentes videbantur scaturigine ignotâ. Ibid. Eædem fuerunt velut aquæ diluvii. & quare? Ibid. Natura in oculis conjunxit lachrymas & visum; & quare? 198. Quonam mysterio lachrymas in oculis posuerunt Natura, Gratia, Justitia & Ratio? 201. Lachrymæ impediunt visum sicut undæ maris torrentes rivulorum. 203.

Lancea. Quare Gratiæ Bullæ Cruciatæ potiùs attribuuntur lanceis militum Africæ, quàm clavibus S. Petri? 228. 229.

Lapis. Lapis sepulchralis, est lapis Pictoris, quo omnes conteruntur colores: 27. Est lapis cui indormivit Jacob, inversus. 32.

Laqueus. Ad pedem mandatorum Dei, ponit diabolus laqueos. 179.

Latus. Quare Latus Christi aperuit miles, & quidem Lancea? 224. Quare illud aperuit homo Peregrinus & Cœcus? 226. Secunda Lateris Christi transfossio, est vel non credere vel respuere promanentes inde gratias. 239. Ex Latere Christi in Cruce profluxerunt omnes gratiæ qui ditant Ecclesiam? 223. Sanguis Lateris Christi significabat martyrium, & aqua Baptismum. 237. Non dantur gratiæ difficiliores obtentu, quàm quæ dependent à lateribus Regum. 230. Quam parùm ad latera Regum appropinquent miseriæ Reipublicæ. 230. 231. Totum quod deest Regibus, in illorum collectum est lateribus. 231.

Lazarus. In Lazaro Christus docuit bis mori. 245.

Lex. Lex Moysis scripta, quia transitoria : Lex Christi minimè, quia permansura. 165.

Liber. Libri sunt remedium oblivionis. 164. Quod non capiunt libri, de eo non est liber. 162. Libri sunt inventi ad conservandam rerum memoriam. 164. Liber Generationis Jesu Christi, est liber beneficiorum & miraculorum B. V. Mariæ. 168. Lectus extra, continet generationes : lectus intrà, continet gratias B. V. Mariæ. 169. Liber Generationis Jesu Christi, est pharmacopæa remediorum quæ obtinentur per interceſſionē Ss. suæ Matris. 169. Nomina Patriarcharum in libro Generationis Jesu Christi contentorum, duas habent significationes. 169. SS. Sacramentum est liber cum omnibus suis proprietatibus. 172. Liber vitarum Sanctorum fuit originale, cujus S. Ignatius est copia. 99. Liber instituti Societ. Jesu est copia, cujus S. Ignatius est Originale. 100. Deus duos habet libros, unum debitorum, alterum creditorum: in libro debitorum continentur peccata, & in libro creditorum lachryma. 207 208. In libro debitorum S. Petrus tres habebat negationes : in libro creditorum infinitas lachrymas. Ibid.

Lingua. Linguæ S. Spiritus non omnes serviunt omnibus. 14. Homines in sua lingua loquuntur Deo : & Deus respondet in sua. 248. Murmurantibus operariis vineæ, quare Paterfamilias non in linguas, sed in oculos invehitur? 202.

Littera. Una littera significat dictionem, & quare? 94.

Locus. Non est locus tam sacer, licet ipsa sit Ecclesia, in quo non detur terra. 178.

Longè. Quo longius abest Princeps, eò magis idoneis & virtuosis indiget ministris. 116. E longinquo Reges experiuntur qualitates ministrorum. Ibid.

Longinus. Quomodo Longinus erat miles, si erat cœcus. 158.

Luna. Luna cum sit stellis minor, quare vocatur major? 43. Luna, Currus Mariæ, & quare? 66.

Lutherus. Ob negatum sibi sermonem Bullam Cruciatam publicandi, fit hæreticus. 240.

Lux. Sine luce non est bonum perfectum. 69. Lux facit diem, & non sol. 57. 58. Lucem creavit Deus aliquot diebus antequam essent oculi qui viderent. Et quare? 59. SS. Trinitas celebravit nativitatem lucis tribus diebus, quia illa sola mundum illuminavit, qualibet Persona unum illi consecrante diem. 59. Quando plus quid habet lucis, tantò est pretiosius. 69. Bona sine luce sunt mala: mala cum luce sunt bona. 70. In creatione lucis probata existentia accidentium sine subjecto, in Sacramento Eucharistiæ. 38. Lux mundum totum & omne tempus illuminat, & ideo est similis Mariæ. 64. Quare nativitati B. V. Mariæ, proprium est nomen Dominæ Lucis. 56.

M.

Malum. Maximum malum mortis, est esse malum quod multiplicari nequit. 244.

Malitia. Diaboli malitiam Christus exaggeratus, vocat ipsum Hominem. 190.

Manna. Mannæ fastidium non erat in gustu, sed oculis. 131.

Maria. Quare in die Nativitatis Mariæ, cantatur Evangelium. *De qua natus est Jesus?* 55. Maria velut Lux, magis privilegiata quàm Sol. 57. Ejus nativitas attulit

lit mundo diem gratiæ. 58. Tanquam Lux benignior est Sole. 60. Mitigavit rigores Solis justitiæ. 60. Quare nata die octava Septembris? Velut Lux, est universalior sole. 61. Maria est Lux, pro omni tempore, loco, & omnibus. 64. Maria velut Luna, illuminat degentes in nocte culpæ. 6. & 5. Velut Aurora, agentes in diluculo pœnitentiæ. ibid. Velut Sol, constitutos in die gratiæ. Ibidem. Velut Lux, est celerior Sole. 66. Est celerior Christo in succurrendo hominibus. 66. Succurrit alis aquilæ. 67. Tardante Christo non tardat. 68. Velut Lux, est objectum oculorum Dei. 59. Sanctissimæ Mariæ dilectis certa est & secura felicitas & benedictio Jacob. 68. Miracula Beatissimæ Mariæ de Rupe Franciæ, sunt velut torrentes incessanter currentes. 166. Est fons medicinalis. 166. Miracula Sanctissimæ Mariæ de Rupe Franciæ scripta in Libro Generationis Christi, & ejus. 168. Est omnium miraculorum officina 173. Efficere potest ut resuscitentur mortui: sed non ut non moriantur resuscitati. 176.

Martyrium. Martyrium comparatur mari rubro. 238. Æqualitas & excellentia reciproca inter Martyrium & Baptismum. Ibid. Martyrium Scripturæ Sacræ ob violentiam quâ ejus textus citantur. 9.

Memoria. Ad credendum veritate Sanctissimi Sacramenti, Christus à Judæis petiit memoriam, & non intellectum & voluntatem, & quare? 39.

Mendacium. Ex mendacio diaboli fecit Christus veritatem. 49.

Meritum. Meritum esse cognitum, solatur non remuneratum. 74. Deus quandoque propter merita negat, quod propter peccata concedit. 81. Plus valet negotiatio, quàm meritum. 123.

Messias. Christus cœcis dedit visum, ut se probaret Messiam. 142.

Metaphora. Differentia sensus metaphorici, à proprio & vero. 44.

Miles. Miles generosus non remuneratus, quomodo se consolari debeat. 74. Miles ad bellum hæc tria affert, animum, voluntatem, & alacritatem, quæ ob dilatum stipendium perdit. 126. Quomodo militi osculandus gladii sui capulus, & non regia manus? 75. Tantum Christus reddit sustentantibus ipsius milites, quantum ipsis militibus. 229.

Minister Examen Confessionis alicujus Ministri. 111. Magis intendunt Ministri suis lucris, quàm Regis sui servitiis. 117. Nullus Minister ritè fungi potest duobus officiis, quamvis sit ipse Sol. 111. Quondam Ministri stabant in portis civitatum, nunc civitates stant ad januas Ministrorum. 125. Unico pennæ ictu dare & auferre possunt vitam. 118. Plures damnantur propter respectum quàm pecuniam. 121.

Miracula. Miracula morosè facta sunt opera naturæ: velociter facta sunt miracula. 46.

Missionarius. Prædicator Missionarius non debet deserere Missionem. 2. Qui eam deserit propter ipsius bonum, non eam deserit. 3. Missionarii Maragnani suffocati, exsiccati, comesti, mortui. 2. Missionario eundum instar Habacuc. 116. 117.

Monarchia. Monarchiæ perduntur eò quod Reges regantur oculis videntium res, non sicuti sunt, sed sicut non sunt. 152. Salus & ruina Monarchiarum in pennis sita est Secretariorum Regum. 119.

Mori. Nosse mori optimus actus est. 251. In manu & arbitrio hominis est mori quando voluerit. 255. Mori addiscitur non meditando, sed moriendo, 245. Mortui qui moriuntur, qui sunt? 243. Quot ærumnis liberentur qui moriuntur antequam moriantur. 244. Qui moriuntur antequam moriantur, in prima morte exarmant secundam. 244. Qui moritur ante mortem, ulteriore doctrinâ non indiget ad benè moriendum. 246. Quare tam pauci sciunt mori? Ibidem. Quare salvationem suam assecurent morientes ante mortem, & non qui moriuntur vivi? 244. Morimur sicut mortales, & vivimus sicuti immortales. 31. Semel mortuus Judas, non morietur denuò Paulus. 245. Moriendum est homini, uti moriuntur arbores. 246.

Mors. Quod magis timetur in morte, est vita. 32. Plus timenda immortalitas, quàm mors. 30. Mors corporis magis timenda quàm animæ, & quare? 244. Mors duas habet portas, alteram vitream quâ exitur: alteram adamantinâ quâ intratur. 32. Mors peccati tres tollit vitas. 174. Pejor est morte, occidit enim immortalem. 175. Quomodo mors morte occidatur. 242. Remedium unicum contra mortem, est finire vitam ante mortem. 242. Omnia finit mors, ad ipsam usque mortem. 243. Contra mortem nihil potest Sacrarii asylum: sed asylum mortis est sepultura. Ibid. Multum interest inter prævenire mortem, seu ab illa præveniri. 243. Mors terribilis, quia una, quia incerta, & momentanea. 244. Quid refert mortem esse unam, si ego eam possum duplicare? 245. quid refert esse incertam, si ego eam possum efficere certam? 248. Quid refert esse momentaneam, si ego eam facere possum morosam? 251. Sola mors illud est bellum, in quo bis errare non licet. 244. Maximum malum mortis est, esse malum quod multiplicari non possit. 244. Mors non habet remedium post, sed ante se. 245. Certum, mortis incertæ Deo reservatum. 247. Mors quamvis certa, tamen est incerta. 249. Mors etiam revelata, est incerta. 247. Sola mors, quâ homo vitam finit ante mortem, infallibilem habet certitudinem. 249. Mortis instans non est sicut instantia vitæ, & quare? 251. Solis mortuis ante

quam propter pecuniam. 121. Judice inclinato, inclinationem sequitur sententia. 178.

Justitia. Plus valet favor quàm Justitia. 123. Justitia semper zelatur contra infirmiorem. 177. Justitia & Injustitia bonorum aut malorum Ministrorum, æqualiter Deo subserviunt ad damnationem seu salvationem præscitorum aut Prædestinatorum. 82.

Justus. Justus semper est in luce : Peccator in tenebris. 64.

L,

Lachryma. Optimum Lachrymarum elogium est eas fundere. 198. Optimæ natæ lachrymæ sunt illæ S. Petri, quia natæ in oculis Christi, & ex S. Petri oculis emanârunt. 197. Lachrymæ S. Petri fuerunt velut aquæ Nili, cujus torrentes videbantur scaturigine ignotâ. Ibid. Eædem fuerunt velut aquæ diluvii. & quare? Ibid. Natura in oculis conjunxit lachrymas & visum; & quare? 198. Quonam mysterio lachrymas in oculis posuerunt Natura, Gratia, Justitia & Ratio? 201. Lachrymæ impediunt visum sicut undæ maris torrentes rivulorum. 203.

Lancea. Quare Gratiæ Bullæ Cruciatæ potiùs attribuuntur lanceis militum Africæ, quàm clavibus S. Petri? 228. 229.

Lapis. Lapis sepulchralis, est lapis Pictoris, quo omnes conteruntur colores: 27. Est lapis cui indormivit Jacob, inversus. 32.

Laqueus. Ad pedem mandatorum Dei, ponit diabolus laqueos. 179.

Latus. Quare Latus Christi aperuit miles, & quidem Lancea? 224. Quare illud aperuit homo Peregrinus & Cœcus? 226. Secunda Lateris Christi transfossio, est vel non credere vel respuere promanentes inde gratias. 239. Ex Latere Christi in Cruce profluxerunt omnes gratiæ qui ditant Ecclesiam? 223. Sanguis Lateris Christi significabat martyrium, & aqua Baptismum. 237. Non dantur gratiæ difficiliores obtentu, quàm quæ dependent à lateribus Regum. 230. Quam parùm ad latera Regum appropinquent miseriæ Reipublicæ. 230. 231. Totum quod deest Regibus, in illorum collectum est lateribus. 231.

Lazarus. In Lazaro Christus docuit bis mori. 245.

Lex. Lex Moysis scripta, quia transitoria : Lex Christi minimè, quia permansura. 165.

Liber. Libri sunt remedium oblivionis. 164. Quod non capiunt libri, de eo non est liber. 162. Libri sunt inventi ad conservandam rerum memoriam. 164. Liber Generationis Jesu Christi, est liber beneficiorum & miraculorum B. V. Mariæ. 168. Lectus extra, continet generationes : lectus intrà, continet gratias B. V. Mariæ. 169. Liber Generationis Jesu Christi, est pharmacopæa remediorum quæ obtinentur per intercessionē Ss. suæ Matris. 169. Nomina Patriarcharum in libro Generationis Jesu Christi contentorum, duas habent significationes. 169. SS. Sacramentum est liber cum omnibus suis proprietatibus. 172. Liber vitarum Sanctorum fuit originale, cujus S. Ignatius est copia. 99. Liber instituti Societ. Jesu est copia, cujus S. Ignatius est Originale. 100. Deus duos habet libros, unum debitorum, alterum creditorum: in libro debitorum continentur peccata, & in libro creditorum lachrymæ. 207 208. In libro debitorum S. Petrus tres habebat negationes : in libro creditorum infinitas lachrymas. Ibid.

Lingua. Linguæ S. Spiritus non omnes serviunt omnibus. 14. Homines in sua lingua loquuntur Deo : & Deus respondet in sua. 248. Murmurantibus operariis vineæ, quare Paterfamilias non in linguas, sed in oculos invehitur? 202.

Littera. Una littera significat dictionem, & quare? 94.

Locus. Non est locus tam sacer, licet ipsa sit Ecclesia, in quo non detur terra. 178.

Longè. Quo longius abest Princeps, eò magis idoneis & virtuosis indiget ministris. 116. E longinquo Reges experiuntur qualitates ministrorum. Ibid.

Longinus. Quomodo Longinus erat miles, si erat cœcus. 158.

Luna. Luna cum sit stellis minor, quare vocatur major? 43. Luna, Currus Mariæ, & quare? 66.

Lutherus. Ob negatum sibi sermonem Bullam Cruciatam publicandi, fit hæreticus. 240.

Lux. Sine luce non est bonum perfectum. 69. Lux facit diem, & non sol. 57. 58. Lucem creavit Deus aliquot diebus antequam essent oculi qui viderent. Et quare? 59. SS. Trinitas celebravit nativitatem lucis tribus diebus, quia illa sola mundum illuminavit, qualibet Persona unum illi consecrante diem. 59. Quando plus quid habet lucis, tantò est pretiosius. 69. Bona sine luce sunt mala: mala cum luce sunt bona. 70. In creatione lucis probata existentia accidentium sine subjecto, in Sacramento Eucharistiæ. 38. Lux mundum totum & omne tempus illuminat, & ideo est similis Mariæ. 64. Quare nativitati B. V. Mariæ, proprium est nomen Dominæ Lucis. 56.

M.

Malum. Maximum malum mortis, est esse malum quod multiplicari nequit. 244.

Malitia. Diaboli malitiam Christus exaggeratus, vocat ipsum Hominem. 190.

Manna. Mannæ fastidium non erat in gustu, sed oculis. 131.

Maria. Quare in die Nativitatis Mariæ, cantatur Evangelium. *De qua natus est Jesus?* 55. Maria velut Lux, magis privilegiata quàm Sol. 57. Ejus nativitas attu-

lit

lit mundo diem gratiæ. 58. Tanquam Lux benignior est Sole. 60. Mitigavit rigores Solis justitiæ. 60. Quare nata die octava Septembris? Velut Lux, est universalior sole. 61. Maria est Lux, pro omni tempore, loco, & omnibus. 64. Maria velut Luna, illuminat degentes in nocte culpæ. 6. & 5. Velut Aurora, agentes in diluculo pœnitentiæ. ibid. Velut Sol, constitutos in die gratiæ. Ibidem. Velut Lux, est celerior Sole. 66. Est celerior Christo in succurrendo hominibus. 66. Succurrit alis aquilæ. 67. Tardante Christo non tardat. 68. Velut Lux, est objectum oculorum Dei. 59. Sanctissimæ Mariæ dilectis certa est & secura felicitas & benedictio Jacob. 68. Miracula Beatissimæ Mariæ de Rupe Franciæ, sunt velut torrentes incessanter currentes. 166. Est fons medicinalis. 166. Miracula Sanctissimæ Mariæ de Rupe Franciæ scripta in Libro Generationis Christi, & ejus. 168. Est omnium miraculorum officina 173. Efficere potest ut resuscitentur mortui: sed non ut non moriantur resuscitati. 176.

Martyrium. Martyrium comparatur mari rubro. 238. Æqualitas & excellentia reciproca inter Martyrium & Baptismum. Ibid. Martyrium Scripturæ Sacræ ob violentiam quâ ejus textus citantur. 9.

Memoria. Ad credendum veritate Sanctissimi Sacramenti, Christus à Judæis petiit memoriam, & non intellectum & voluntatem, & quare? 39.

Mendacium. Ex mendacio diaboli fecit Christus veritatem. 49.

Meritum. Meritum esse cognitum, solatur non remuneratum. 74. Deus quandoque propter merita negat, quod propter peccata concedit. 81. Plus valet negotiatio, quàm meritum. 123.

Messias. Christus cœcis dedit visum, ut se probaret Messiam. 142.

Metaphora. Differentia sensus metaphorici, à proprio & vero. 44.

Miles. Miles generosus non remuneratus, quomodo se consolari debeat. 74. Miles ad bellum hæc tria affert, animum, voluntatem, & alacritatem, quæ ob dilatum stipendium perdit. 126. Quomodo militi osculandus gladii sui capulus, & non regia manus? 75. Tantum Christus reddit sustentantibus ipsius milites, quantum ipsis militibus. 229.

Minister Examen Confessionis alicujus Ministri. 111. Magis intendunt Ministri suis lucris, quàm Regis sui servitiis. 117. Nullus Minister ritè fungi potest duobus officiis, quamvis sit ipse Sol. 111. Quondam Ministri stabant in portis civitatum, nunc civitates stant ad januas Ministrorum. 125. Unico pennæ ductu dare & auferre possunt vitam. 118. Plures damnantur propter respectum quàm pecuniam. 121.

Miracula. Miracula morosè facta sunt opera naturæ: velociter facta sunt miracula. 46.

Missionarius. Prædicator Missionarius non debet deserere Missionem. 2. Qui eam deserit propter ipsius bonum, non eam deserit. 3. Missionarii Maragnani suffocati, exsiccati, comesti, mortui. 2. Missionario eundum instar Habacuc. 116. 117.

Monarchia. Monarchiæ perduntur eò quod Reges regantur oculis videntium res, non sicuti sunt, sed sicut non sunt. 152. Salus & ruina Monarchiarum in pennis sita est Secretariorum Regum. 119.

Mori. Nosse mori optimus actus est. 251. In manu & arbitrio hominis est mori quando voluerit. 255. Mori addiscitur non meditando, sed moriendo, 245. Mortui qui moriuntur, qui sunt? 243. Quot ærumnis liberentur qui moriuntur antequam moriantur. 244. Qui moriuntur antequam moriantur, in prima morte exarmant secundam. 244. Qui moritur ante mortem, ulteriore doctrinâ non indiget ad benè moriendum. 246. Quare tam pauci sciunt mori? Ibidem. Quare salvationem suam assecurent morientes ante mortem, & non qui moriuntur vivi? 244. Morimur sicut mortales, & vivimus sicuti immortales. 31. Semel mortuus Judas, non morietur denuò Paulus. 245. Moriendum est homini, uti moriuntur arbores. 246.

Mors. Quod magis timetur in morte, est vita. 32. Plus timenda immortalitas, quàm mors. 30. Mors corporis magis timenda quàm animæ, & quare? 244. Mors duas habet portas, alteram vitream quâ exitur: alteram adamantinâ quâ intratur. 32. Mors peccati tres tollit vitas. 174. Pejor est morte, occidit enim immortalem. 175. Quomodo mors morte occidatur. 242. Remedium unicum contra mortem, est finire vitam ante mortem. 242. Omnia finit mors, ad ipsam usque mortem. 243. Contra mortem nihil potest Sacrarii asylum: sed asylum mortis est sepultura. Ibid. Multum interest inter prævenire mortem, seu ab illa præveniri. 243. Mors terribilis, quia una, quia incerta, & momentanea. 244. Quid refert mortem esse unam, si ego eam possum duplicare? 245. quid refert esse incertam, si ego eam possum efficere certam? 248. Quid refert esse momentaneam, si ego eam facere possum morosam? 151. Sola mors illud est bellum, in quo bis errare non licet. 244. Maximum malum mortis est, esse malum quod multiplicari non possit. 244. Mors non habet remedium post, sed ante se. 245. Certum, mortis incertæ Deo reservatum. 247. Mors quamvis certa, tamen est incerta. 249. Mors etiam revelata, est incerta. 247. Sola mors, quâ homo vitam finit ante mortem, infallibilem habet certitudinem. 249. Mortis instans non est sicut instantia vitæ, & quare? 251. Solis mortuis ante

ante mortem, veraciter cantari potest, *Requiescant in pace* & quare? 258.

Mortuus. Mortui & vivi omnes sunt pulvis. 25. Vivi, pulvis cum vento, & ideo vani: Mortui, pulvis sine vento, & ideò sine vanitate. Ibid.

Moyses. Moyses amavit Deum non videndo, quomodo amâsset si vidisset? 133. Moyses excusat se ab officio. 113. Moyses percutiendo petram, transgressus mandatum *Dei*, prohibetur ingressu Terræ sanctæ. 165.

Mundus. Mundi Calvaria major est capite mundi: ut minorem locum habeat vanitas, & majorem materiam veritas. 28. Mundus evasit pejor postquam audivit Politicos, quàm dum audivit diabolus. 48.

Mutus. Mutus obsessus est figura peccatoris non confitentis 106. Cum pessimus hujus mundi status sit peccatum: adhuc pejor est peccatum & illud mutum. 105.

Mysterium. Mysterium Fidei, factum mysterium Rationis. 35.

N.

Nabuchodonosor. Nabuchodonosoris statua quare non fuit conversa in pulverem auri, argenti, æris, &c. 27.

Nasci. Deus reliquit nasci naturæ: & mori electioni, & quare? 245.

Negatio. In negationibus S. Petri, duæ concurrerunt tentatrices, & unus tentator. 206.

Negotiatio. Artificia & doli negotiationis. 122. Negotiatio plus potest quàm meritum. 123.

Nobilitas. Honorare Corpus Christi ignominiâ affectum, est actus nobilitati annexus. 53. Nobiles sunt omnia in Regnis. Ibid.

Nomen. Nomina Patriarcharum in libro Generationis Jesu Christi contenta, duplicem habent significationem, & quàm illam? 168. & seqq.

Non. Datur *Non* quod simul est *ita*, & *Non*, & quomodo? 182

Nox. S. Petrus ad flendum elegit locum ubi semper esset nox. 205. & David itidem tempus noctis elegit: & quare? Ibid.

O.

Oculi. Oculi duplex habent officium: videre, & flere. 197. Oculi Adami & Evæ aperti sunt post peccatum, quia postquam aperti sunt ad videndum, etiam aperti sunt ad flendum. 199. & seq. Quare oculi pro omnibus peccatis flendo luunt? 200. Oculis apertis esse cœcum, est maxima cœcitas. 142. Contradictoria quæ non cadunt in Sphæram possibilium, cadunt in sphæram oculorum. 146. Respublicæ pereunt, quia oculi earum vident quod non est & non quod est. 151. Quando illi qui oculi sunt Reipublicæ unum vident pro alio, certa imminet ruina. Ibid. Oculi vident per cor. 35. Si oculi errent respiciendo cœlum, quid fiet si respexerint terram. 152. Oculi sunt prima origo culpæ, & primus fons gratiæ. 197. Sunt Viperæ, sunt sagittæ; sunt scuta: & quare? Ibid. Natura in oculis conjunxit visum & lachrymas: quia fletus est consequentia visus. 198. Maxima oculorum cœcitas est, quod videant ut plorent. 199. In omnibus peccatis corporis & animæ complices sunt oculi. 200. Oculi sunt duo fontes cum duobus canalibus & epistomiis, per unum peccata intrant, per alium exeunt 201. Oculorum S. Petri Parenesis ad oculos nostros. 205. Oculi claudendi ut videatur Deus. 206. 207. In hac vita oculorum est flere: in altera videre. Ibid. Quomodo fiat cilicium pro oculis. Ibidem.

Odium. Odium vel amor vident unum pro alio. 153.

Officium. Idonea subjecta refutant officia. 112. Æquivalens. 70. Hominibus detrectat vel uni servire officio: & qui vix est homo unus. 70. Officia acceptare non formidat. 113. Multi non serviunt officiis, sed lucrum tantùm venantur ex eis. 112.

Opera. Verba sine operibus, sunt explosiones sine glande. 7.

Opinio. Mundus opinionibus scissus, quis esset Christus. 90.

Oratio. Notabilis oratio Platonis ad Jovem. 81.

P.

Paradisus. Pro omnibus est hæc vita, lachrymarum vallis: solis illis qui finiunt vitam ante mortem, est Paradisus in terra. 257. Enoch & alias sunt in Paradiso. Ibidem.

Pascha. Magis timendus dies Paschæ, quàm Cinerum. 30

Passio. Tantum errat Passio, quantum ignorantia. 151. Passiones cordis humani cùm sint undecim, ad duas reducuntur, amorem & odium. 153. Passio contradictiones facit in visu. Ibid. Passio est causa, cur oculi unum videant pro alio. 152. 153.

Paulus. S. Paulus certam fecit incertitudinem mortis & quomodo? 248.

Peccare. Peccare & obmutescere quid sit? 106.

Peccatum. Pessimus hujus mundi status est peccatum: sed pejor adhuc est peccatum & illud mutum. 105. Peccati mors pejor est ipsa morte: occidit enim immortalem. 174. Peccati mors tres tollit vitas, ibid. Peccamus sicut Petrus, non flemus sicut Petrus: & sicuti Petrus salvari volumus. 208. Peccata relinquenda antequam nos relinquant. 256. Peccator semper est in tenebris. 64. Peccatorum reservatio quàm gravis sit pœnæ. 125.

Penna. Ministrum esse pennæ, quàm periculosum sit offici-

officium. 117. Pennæ Secretariorum Principum, debent esse sicut pennæ Evangelistarum. 119.

Petere. Nihil à Deo petendum in particulari, sed quod ille nobis bonum esse novit. 81. Petendum à Deo ut largiatur nobis bonum etiam non petitum: & liberet à malo, etiamsi hoc petamus. 81. Petitio consignanda manibus Ministrorum: expeditio autem manibus Dei. 85. Petitiones faciendæ tanquam ab eo qui nescit quid petat. 78. Nemo (exceptâ salvatione) scit quid petat. 76. Quomodo verificetur Sententia Christi. *Petite & accipietis: Omnis enim qui petit accipit.* 79. Homines putant se petere suam salvationem, petunt damnationem. 81. Quando nos petimus in terra: Spiritus sanctus gemit in cœlo & quare? 84.

Petra. Petræ Christo acclamârunt. 6.

Petrus. S. Petrus in monte Thabor nescivit quid diceret & quare? 132. S. Petri lachrymæ fuêre velut aquæ Nili, cujus torrentes videbantur, scaturigine ignotâ. 197. Fuerunt velut aquæ diluvii, & quare? Ibidem Quia voluit videre finem, vidi finem visus qui est fletus. 199. Quare dicitur fleviſſe amarè, cum amaritudo sit subjectum linguæ, & non oculorum. 203. Cooperuit oculos pallio, ut fleret. 204. Ingressus in specum. 204. Elegit locum ubi semper esset nox. 205 Exhortatio oculorum ejus ad nostros. 206. Peccamus uti Petrus, non flemus uti Petrus: & salvari volumus uti Petrus. 208.

Phœnix. Phœnix mortua, est Phœnix, & quare? 29.

Politicus. Mundus pejor evasit postquam audivit Politicos, quàm cum audivit diabolos- 48. Contra Politicum defendit Ratio veritatem Sacramenti, Congruentiis. 52.

Potens. Potentes habent præscitos & Prædestinatos, 114.

Potentia Potentia Secretariorum Principum. 118.

Porta. Quæ sit porta honoris, quietis, & bonæ vitæ, 147. 148.

Prædestinatus. Prætendens sæpe non expeditur, quia Prædestinatus. 82.

Prædicator. Prædicator est medicus, debet procurare salutem & non gustum auditorum. 19. Non solum colligit fructum verborum, sed etiam passuum. 1. Prædicatum exire, & sine exire prædicare, quàm diversi sint meriti. Ibid. Prædicator comparatur Seminatori, & quare? 7. Quinque circumstantiæ in Prædicatore concurrentes. Ibid. Prædicatoris definitio est vita & exemplum. Ibid. Aliud est Prædicatore mesſe, & aliud prædicare. Ibid. Res quas prædicat oportet esse, tam naturales ut cadant: & tam proprias, ut quasi nascantur. 9 Oportet eas cadere manenter, cadenter, casualiter. 9. Vox Prædicatoris ordinariè debet esse familiaris. 15. Debet prædicare cum fama, sine fama, & cum infamia. 19. Quærens satisfacere hominibus non satisfacit Deo, nec est ejus servus. 20.

Principes. Principes Ecclesiastici & Sæculares omnes cœci, quia vident mala Reipublicæ & non adhibent remedium. 159. Principes magis æstimant personarum suarum respectum, quàm vitam. 51.

Propheta. Prophetæ erant oculi Reipublicæ Hebraicæ. 151. Veri Prophetæ videbant quod erant: falsi hoc quod non erat. 152. Quare Deus non misit Prophetas in mundum tempore Legis naturæ, sed scriptæ? 46. Omnis homo, absque eò quod sit Propheta, potest scire finem vitæ suæ. 250.

Pulvis. Homo non solum erit pulvis: sed jam est pulvis. 21. Disputatur. Ibidem, Resolvitur. 22. Pulvis afflatus quiescere nequit. 25. Descriptio pulveris elevati. 26. Datur pulvis vitæ, & pulvis mortis. 26. Aurum, argentum, æs, ferrum, sivè physicè sive moraliter considerata sunt pulvis terræ. 27. Pulvis præsens, est correctivus futuri. 241. Timemus pulverem qui futuri sumus: quia nolumus esse pulvis qui sumus Ibid. Esse pulverem per electionem, melius est, quàm postmodum per necessitatem. 242.

Q.

Quare. Nullus vadit in infernum sine suo Quare? 121.

Querulari. Suâ sorte contenti non querulantur. 73. Querulantes de sua fortuna præsenti, non attendunt id quod sunt, nec recordantur istius quod fuerunt. 72.

R.

Rachel. Rachel desiderabat filios ne moreretur, & ipsis habitis mox mortua est. 76.

Ratio. Ratio defendit veritatem Sanctissimi Sacramenti contra Judæum, Veteris Testamenti Scripturis. 35. Contra Gentilem, Fabulis. 40. Contra Hæreticum, Novi Testamenti authoritatibus. 42. Contra Philosophum, argumentis naturæ. 45. Contra Politicum, Convenientiis. 48. Contra Devotum & ejus devotionem, affectibus Christi. 50. Contra Diabolum, suis tentationibus. 49: Aliquando plus possunt clamores, quàm Ratio. 15.

Rebecca. Rebecca plus lucratur Jacob, quàm Esau suus arcus. 124. Artificium Rebeccæ ad transferendam in Jacob benedictionem. 123.

Remedium. Non requiritur remedium pro cœcitatibus, quia non cognoscuntur. 155. Videre, & remedium non adhibere, non est videre. 158. Deus nostris ne-

cessitatibus remedium afferendo, dicitur eas videre. 159.

Respectus. In ipso tribunali Confessionis locum habet Respectus. 128. Respectûs restitutio difficilior est quàm pecuniæ. 121.

Respublica. Quando illi qui oculi sunt Reipublicæ aliud pro altero vident, certa est ruina 151. Hinc periit Respublica Hebræorum, & pereunt omnes. Ibid.

Restitutio. Achab ablatam Naboth vineam facilè restituere potuit: secùs illi Seniores & testes falsi. 122. Quantorum damnorum restitutio facienda eis, qui habent Creaturas. 114. Quanta restitutio facienda illis, qui negotia differunt. 126. Qui exaltat aut deprimit homines, restituere debet mala quæ faciunt, & quæ facturi sunt. 114.

Resurrectio. Resurrectio non differenda in tertium, neque in secundum diem. 176.

Rete. Rete conficere nequit, qui filare & nectere nescit. 13.

Revelatio. In mysterio Sanctissimi Sacramenti non sufficit revelari mysteria: sed opus est revelari oculos. 48.

Rex. Quàm parum appropinquent lateribus Regum Reipublicæ miseriæ. 230. Quanti constet gratiæ Regum, eò quod dependeant à multis ministris. 124. Corda Regum contrahit aut dilatat Deus. 83.

Risus. Sacrificans risum, velut Abraham suum sacrificat Isaac. 138.

Roma Significationes nominis Romæ in Hebraico & Græco. 139. Roma pulvis erectus & simul collapsus. 28. Roma, super Romam & subtus Romam velut cadaver: & statua infrà & super sepulturam. Ibid.

Rupes. Rupes Franciæ, velut illa Moysis, emisit aquam non percussa sed invocata. 166. Rupes subsunt temporis Domino: Rupes Franciæ, tempori dominatur. 168. Sanctissimum Sacramentum est liber miraculorum Rupis Franciæ. 171. Miracula B. Virginis de Rupe Franciæ, continetur in libro Generationis Jesu Christi, & ejus. 169.

S.

Sacerdos. Simplex Sacerdos cum Bulla in manu est Episcopus & Papa. 236. Esse actionem Sacerdotalem crediderunt Judæi, facere Deum. 37.

Sacramentum. Solum sanctissimum Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi, inter omnia Sacramenta confirmatur verbo *Verè*, & quare? 24. Quare dubitantibus de hoc Judæis minatus est Christus pœnam, & non resolvit dubium? 32. 36. In Deo falso quem petierunt & adoraverunt Judæi, confessi sunt Deum posse poni sub speciebus visibilibus ministerio Sacerdotum. 37. Tantum accipi in minimâ Hostiæ particulâ quantum in tota, probatur Gomor Mannæ. 38. Quare Christus in sanctissimo Sacramento petiit Memoriam tantum, & non intellectum & voluntatem? 39. Referuntur fabulæ similes mysterio effectibus Sacramenti. 40. Diabolus primus Sacramenti inventor. 48. Contra fidem Sacramenti diabolus non solum non potest vincere, sed nec tentare quidem, & quare? 49. Templa S. Sacramento dedicata munitissimis Regnorum Fortalitiis sunt meliora. 53. Deus tentator in Sacramento, & quomodo? 130. Prima S. Sacramenti institutio in typo, fuit ut tentaret Deus homines, utrum eum diligerent, an non? Ibid. Est liber cum omnibus proprietatibus. 172. Quare S. Joannes Evangelista nullam facit mentionem instituti Sacramenti? 217.

Sacrificium. Sacrificium Abrahæ quomodo fuit Parabola? 138. Majus est Sacrificium sacrificare Deo ubi non videtur, quàm ubi videtur? 140.

Samson. Amor ligare & solvere se novit sicut Samson. 211.

Sanguis. Sanguis Christi fuit redemptio & depositum. 231. Ex sanguinis Christo pretio Redemptioni superfluo Ecclesia thesauros fecit pro indulgentiis. Ibid. Cum sanguis Christi sit pretium redemptionis, quare illum effectum habet mundo jam redempto? Ibid.

Saul. Saul à Diabolo liber, erat pejor quàm obsessus, & quare? 191.

Scala. Scala Jacob plures habuit gradus ad descendendum quàm ad ascendendum. 32. Terribilis fuit suspicienti sursum: terribilior despicienti deorsum. Ibid.

Schola. Fides à Schola naturæ, ad scholam mittit gratiæ. 46.

Scriptura. Scriptura sacra est effigies Dei. 99. Scripturæ divinæ efficacia ad terrendum homines. 184. Una sufficit ad vincendum Diabolum, sed non ad vincendos homines. 186. Uni cessit Diabolus: duabus cessêre Pharisæi: Hæretici nec duabus. 287. Contra Scripturam Christi nihil allegare audet Diabolus, & audent homines. Ibid. Scripturæ sacræ tortura, est violentia quâ citatur. 2. Scripturas allegare in sensu alieno, est proferre falsa testimonia Dei. 16. Ad falsificandum eas, sufficit apicum & virgularum mutatio. 120.

Secretarius. Deus ponit gloriam suam in manibus Secretariorum Regum. 119.

Seminare. Seminans ventos colligit tempestates. 15.

Separare. Christo acerbius fuit à nobis separari, quàm pro nobis mori. 221. Separando se à nobis non numerabat passus, sed ponderabat indivisibilia. 220. Quod nobiscum manserit in Sacramento fuit miraculum naturæ: quod se separârit à nobis, miraculum fuit contra & super naturam. 217.

Sermo. Qualis debeat esse sermo. 11. Comparatur arbori. 12.

Societas. Societas Jesu est currus gloriæ Dei, quem vidit Ezechiel. 93.

Sol. Sol duas habet nativitates, unam quando oritur, alteram antequam oriatur. 55. Quomodo Sol jam ortus erat, quando Mariæ valdè diluculo venerunt ad sepulchrum? 56. Magnatibus *Sol* oritur meridie, & occumbit media nocte. 177. Sol est currus Christi. 67. Non solùm est terribilis rigoribus ignis quibus adurit, sed etiam luce quâ illuminat. 62. Christus est Sol justitiæ : Sol materialis est Sol sine justitia. 63. Sol dimidium temporis illuminat. 63.

Solitudo. optima est Solitudo, non illa deserti, sed in quâ anima sola cum solo agit Christo. 195.

Speculum. Speculi similitudine demonstratur, dividit hostiam absque divisione Corporis Christi : esse totum in toto, & totum in qualibet ejus vel minima particula; Unum esse, & multiplicatum. 47. Duo spicula temporis. 29. In speculo temporis præteriti videtur futurum: in speculo futuri videtur præteritum, & in utroque tempus præsens. Ibid.

Spina. Spinæ Christum coronârunt. 6.

Sponsa. Quomodo sponsa in canticis exaggeret sui amoris excessum. 212.

Statim. Statim Bullæ Cruciatæ, est verè statim, Statim in expeditionibus aulicis, significat *Tardè*, vel nunquam. 234. 235. Filia Herodiadis petiit caput Joannis Baptistæ cum tribus *Statim.* Ibid.

Stella. Beneficio B. V. Mariæ, Stellæ lucent præsente Sole. 62.

Stoicus. Stoicus moritur male, ne moriatur pejus. 298.

Strages. Strages mortis in corporibus, paucis diebus abolet terra : Strages verò peccati in animabus, nec æternitatis ignis consumere sufficit. 175.

Stylus. Stylus Concionatoris qualis esse debeat, vide suprà in Concionatore & Prædicatore.

T.

Tardare. Tardante Christo, Maria non tardat. 68. Veniens quando venire debet, etiam tardando non tardat. Ibid.

Tempestas. Qui ventos seminat, tempestates metet. 15.

Templum. S. Sacramenti sunt optima Regnorum propugnacula. 53. Si templum in quo Christus scripsis erat stratum marmore, quomodo scripsit in terra? 178.

Tempus. Tempus legis naturæ & scriptæ fuit nox: Tempus legis gratiæ est dies. 58. Tempus meliorando officio impensum, eidem non subtrahitur. 128. Est Tempus quod est nostrum, & quod non est nostrum Et quod illud. 155.

Tenebræ. Tenebræ Ægypti miraculum notabile. 64.

Tentator. In ripis Jordanis visus fuit Deus tentatus : in & ripis Tyberis, tentator. 129. Deus Tentator in

Tentatus. Sacramento, quando, & quomodo? Quando homines facies larvant, Mundus, Caro, & diabolus aperta fronte tentant 130. Quando docti interrogant, hoc fit, ad tentandum. 177. Tentator diabolus potius eligendus quàm homo, 190. Contra diaboli tentationes sufficit respondere Ita, vel Non : contra hominum, minimè. 181. Tentationis pertinacia sola resistendi constantia superatur. 186.

Terra. Quare Deus Adamum formavit de Terra rubea? 17.

Terribilis. Quare terribilis erat locus in quo Jacob vidit scalam, si erat porta cœli? 32.

Testamentum. Si Testamentum vestrum dicat, Item relinquo : nonne meliùs dicere? Item sumo? 256.

Theatrum. Hortus Gethsemani, est theatrum amoris & separationis Christi. 218.

Thesaurus. Thesauri Ecclesiæ non dispensantur sine justa causa, aliàs suum non sortiuntur effectum : thesauri monarchiarum sæcularium sæpe cum contraria. 228

Tribunal. In tribunalibus hominum optima est expeditio, *Sicut petit*, in tribunali Dei, sæpè contrarium. 80.

V.

Verbum. Verbum Dei verè est speculum opus habens luce & oculis. 5. Fructus verbi Dei nunquam deest ex parte Dei. Ibid. Auditum licet non faciat fructum, facit tamen effectum. 6. Verba sine operibus sunt explosiones sine glandibus. 7. Verba seminare: & opera colligere. 8. Verba Prædicatorum sæpius non sunt Verba Dei. 15. Verba Dei in alio sensu sumpta sunt arma diaboli. 16. Verba divina ad convertendum Peccatorem majorem efficaciam habent scripta, quàm dicta. 184.

Venenum. Venenum simplex occidit alium : Duplex, semetipsum. 241.

Veneratio. Ubi acquiruntur Veneraciones, non perditur respectus. 52.

Ventus. Ventus fortunæ, minus durabilis quàm vitæ. 26.

Videre. Videmus plateam, domum, & portam cœli, quæ tamen non attingimus 147. Eva videns fructum, non vidit quod erat, sed quod non erat. 151. Amor & odium vident aliud pro alio. 153. Videre, nec remedium adhibere, est videre sine videndo. 158. Videre & flere simul, sunt incompatibilia. 203.

ANTONII VIEIRA

E SOCIETATE IESU

SERMONES

SELECTISSIMI

OBLIGATIONIS

MATERIARUM,

SUBLIMITATIS, SUBTILITATIS

ACUMINIS CONCEPTUUM

ELOQUENTIAE SUAVITATIS CONSCRIPTI

ET PRIMUM EDITI

IN GRATITUDINIS COLONIA VSI-

CUM TRIPLICI INDICE,

TRIMARIUM, ADSERTIONUM SACRAE SCRIPTURAE

ET RERUM NOTABILIUM.

PARS SECUNDA.

APPROBATIO

Adm. Rdi Patris Fr. Joannis Dei, Seraphici Ordinis S. Franciſci, Qualificatoris S. Officii Inquiſitionis, &c.

VIdi hunc Librum, continentem Sermones Reverendi Patris ANTONII VIEIRÆ Societatis JESU, de variis aſſumptis, in diverſis terrarum locis, & in ſingulis, cum generali applauſu prædicatis. Et inter acumina & ſublimitates magni hujus Prædicatoris, nihil ſanctæ Fidei noſtræ boniſve moribus contrarium reperi. Ulyſſippone in S. Franciſco 17. Januarii 1682.

F. JOANNES DEI.

APPROBATIO

Adm. Rdi. Patris Fr. Thomæ de Conceptione, Sacri Ordinis Carmelitarum, Qualificatoris Sancti Officii Inquiſitionis.

VIdi hanc ſecundam partem Sermonum Reverendi Patris ANTONII VIEIRÆ Societatis JESU; Concionatoris ſuæ Celſitudinis. In nullo horum quicquam aut Sanctæ Fidei noſtræ, aut moribus bonis contrarium inveni : proinde petitâ licentiâ mihi videntur digniſſimi, quatenus mediante typo, communicetur omnibus tam profundi & illuſtris ingenii fœcunditas, Ulyſſippone in Carmelo. 3. Februarii 1682.

Fr. THOMAS DE CONCEPTIONE.

APPROBATIO

A. R. Patris F. Joannis de Matre Dei, Provinciæ Portugalliæ Seraphici Ordinis S. Franciſci quondam Provincialis, Prædicatoris ſuæ Celſitudinis: Examinatoris trium Ordinum Militarum, & hodie digniſſimi Archi-Epiſcopi de Bahia, &c.

SERENISSIME PRINCEPS



Andat mihi Celſitudo tua, Secundam R. Patris ANTONII VIEIRÆ Societatis JESU Concionatoris Celſitudinis tuæ digniſſimi, Sermonum videre partem, jam ante tanto me dignata honore, ut ſuper impreſſione Tomi Primi, meum requiſierit judicium. Hanc felicitatem meam primam jam cumulat ſecunda. Opera ejus in omnibus æquali incedunt paſſu, ut idem judicium jam latum de aliquibus, repeti oporteat de omnibus. Porrò ſi quæ in eis deprehendatur differentia, ſimilis eſt illi, quæ in minerarum venis invenitur; quæ quo magis deteguntur, tantò purius argentum aurumque fundunt. Ego non minori lætitia, quàm admiratione lego quâ maximus ille Prædicator, ubique terrarum, tanquam Concionatorum omnium oraculum meritò habitus fuit & celebratus. Ordinariè Sermones lecti non eam propinant gratiam, quam auditi; ſiquidem in charta illis deeſt anima, quam ſpiritus addit verbis: & quà voces comitantur actiones. Verùm in hac charta tam animata ſunt verba, tam viva facundia, ut tantum vitæ illis tribuat penna, quantum ante illis contulerat lingua. Lingua nitida & terſa ſine affectatione: Conceptus ſententioſi, ſine artificio; Eloquentia fœcunda ſine ſuperfluitate; omnia ſic attemperata legibus magni cujuſdam Oratoris; & omnia reducendo ad terminos practicabiles, Orator iſte tam eſt ſingularis, ut Deus illum fecerit primum; & ignorem quando facturus ſit ſecundum. Eloquentiam unire ſententiarum gravitati, eſt felicitas, de qua, ſine vanitate, R. Patri ANTONIO VIEIRÆ gloriari licet: Admirando ex fama in Tullio eloquentiam, & in Seneca ſententiarum diſtributionem, in illo ſententioſum Senecæ, cum Tullii facundo videmus copulatum. Philo-Hæbræus Abrahamum inter Atheos tanquam Principem habitum & honoratum aſſerit, quia non vulgaribus verbis, ſed rationibus (ut videbatur) utebatur divinis: *Honorabant eum, quaſi ſuum Principem: neque enim ſermonibus utebatur vulgaribus, ſed divinitatem quandam præ ſe ferentibus.* Meritò Sermonum horum Authori reſpectum illi & veneratio debetur, ſiquidem ſtylus, rationes, & conceptus adeò ſunt ſubli-

Philo de Nobilitate.

mes

mes, & humanum fermè transcendunt, ut singulariter divina in eis influentia notetur. Salomon scientiam, seu literas, iteratò æstimando præfert auro : *Omne aurum in comparatione illius arena est exigua.* Pari planè modo super impressione Sermonum horum requisitus, opinione mea, aureis etiam literis eos dignos judicaret. Ego ipsius judicio subscribo. Celsitudo tua velut Principis adeò prudentis, quod placuerit utique fieri mandabit. Ulyssippone in S. Francisco. 26. Februarii 1682.

Fr. Joannes de Matre Dei.

LICENTIA RELIGIONIS SOCIETATIS JESU.

EGo *Antonius de Oliveyra Societatis Jesu, Provinciæ Brasilienſis Provincialis, potestate mihi facta speciali à Reverendissimo Patre nostro Joanne Paulo Oliva præposito Generali, concedo licentiam, ut imprimi possit hic liber secundæ partis Sermonum* P. Antonii Vieiræ, *ejusdem Societatis, Prædicatoris suæ Celsitudinis. Qui revisus, examinatus, & approbatus fuit per Religiosos doctos ejusdem Societatis per nos ad hoc deputatos : In cujus rei fidem hasce propria manu subscriptas, officii mei sigillo subsignavi.* Dabam Bahiæ 30. Junii 1681.

APPROBATIONES RR. PP. PRÆDICATORUM.

QUemadmodum primum, sic & secundum Admodum Reverendi Patris *Antonii Vieiræ* Societatis Jesu tomum præclarissimarum Concionum diligenter perlegimus. Quia ergò in eo nihil invenimus quod Fidei bonisve moribus adversetur, hinc illum non minus quam primum, dignissimum judicamus, qui per typos evulgetur. Sic sentimus Coloniæ 1691.

Fr. Andrianus Schönen Ord. Præd. SS. Theolog. Magister.
Fr. Petrus Diezinger Ord. Præd. SS. Theolog. Doctor.

VIsis testimoniis Theologorum imprimatur Secundus ejusdem Auctoris Tomus. Coloniæ 12. Februarii 1691.

Fr. Leonardus Messen Ord. Præd. Magister & Inquisitor.

Licentia & Extractus Litterarum

Reverendissimi Patris D. INNOCENTII LE MASSION, Prioris Carthusiæ, nec non Sacri Ordinis Carthusiensis Generalis.

Venerabiles in Christo Patres.

STatim atque primam Epistolam vestram recepi, responsum dedi simul & consensum ad postulata vestra executioni mandanda, scilicet quôad impressionem Sermonum Admodum Reverendi P. *Antonii Vieiræ* Societatis JESU, à vobis latinitate donatorum ex Idiomate Lusitanico, servatis tamen de jure & statutis servandis; per me ergo non stabit quin labor vester utilis sit, & publicè appareat, ad Dei honorem & proximi ædificationem, quod valde aveo, & omnia faustissima vobis apprecor. Bene valete. Carthusiæ hac 29. Martii 1690.

Vester in Christo Confrater
F. INNOCENTIUS,
Prior Cartusiæ.

Licentia Venerandorum PP. *Visitatorum Sacri Ordinis Cartusiensis in Provincia Rheni.*

NOs infrascripti concedimus licentiam, Sermones Admodum Reverendi *Antonii Vieiræ* Societatis JESU ex Idiomate Lusitanico à duobus PP. Carthusiæ Colonienſis in Latinum translatos, & à RR. PP. Prædicatoribus revisos & approbatos ad boni publici emolumentum Typis mandari. Mertzlich supra Treverim 27. Octobris 1690.

F. MARTINUS SCHUE
Prior Cartusiæ Trevirensis,
ac Provinciæ Rheni Visitator.

F. JODOCUS SCHWAB,
Prior Cartusiæ Moguntinæ,
ac Provinciæ Rheni Convisitator.

INDEX

INDEX
SERMOMUM ET THEMATUM

Qui in hac secunda Parte continentur.

I. Sermo de S. ELISABETHA, Regina Lusitaniæ. pag.

Simile est regnum cælorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventâ autem unâ pretiosâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam. Matth. 13. 1

II. Sermo de Gloria Beatissimæ Mariæ Matris Dei, in ejus gloriosa Assumptione.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10. 17

III. Sermo de Dominica Prima Quadragesimæ.

Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Matth. 4. 32

IV. Sermo in Feriam Quartam post secundam Dominicam Quadragesimæ.

Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Matth. 20. 52

V. Sermo de S. ANTONIO DE PADUA.

Vos estis Lux mundi. Matth. 5. 76

VI. Sermo de S. ROCHO.

Beati sunt servi illi, quos cum venerit Dominus inveneris vigilantes: quod si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi. Luc. 11. 89

VII. Sermo de S. PETRO NOLASCO.

Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Matth. 19. 111

VIII. Sermo pro Dominica quinta Quadrageſimæ. pag.
Si Veritatem vobis dico, quare non creditis mihi. Joan. 8. 129

IX. Sermo de B. Virgine Maria de Gratia.
Stabat juxta Crucem JESU Mater ejus. Joan. 19. 148

X. Sermo in Feriam ſextam poſt Dominicam Paſſionis.
Collegerunt Pontifices, & Phariſæi Concilium. Joan. 11. 169

XI. Sermo de S. ANTONIO.
Vos eſtis Sal Terræ. Matth. 5. 186.

XII. Sermo pro die S. BARTHOLOMÆI.
Elegit duodecim ex ipſis, quos & Apoſtolos nominavit. Luc. 6. 208

XIII. Sermo pro Sepultura Oſſium Patibulatorum.
Miſericordia & Veritas obviaverunt ſibi: Juſtitia & Pax oſculatæ ſunt. Pſalm. 84. 222

XIV. Sermo de Mandato.
Sciens Jeſus quia venit hora ejus, ut tranſeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. 237

XV. Sermo pro Dominica prima Adventus.
Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Luc. 21. 255

SERMO

DE

S. ELISABETHA Regina Lusitanorum, Habitus Romæ in Ecclesia Lusitanorum. 1674.

Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas : inventa unâ prætiosâ, abiit & vendidit omnia quæ habuit & emit eam. Matth. 13.

§. I.

REginæ bis coronatæ : coronatæ in terra, coronatæ in cœlo : unâ, ex coronis fortunæ, & alterâ omnes excedente fortunas coronâ redimitæ, præsens festivè agitur dies. Mundus illam novit & compellat nomine Elisabethæ : nostra verò patria alterius nominis ignara, illam antonomasticè, sub nomine *Reginæ Sanctæ* veneratur. Sub titulo hoc, facilè supereminente universis, illam adhuc viventem, catalogo Sanctorum adscripsit factorum ipsius fama, quam vasallorum & subditorum voces sunt subsecutæ ; quas demum veneratio altaria, orbisque aggratulatio excepit. *Regina & Sancta* ; sermonis mei erit argumentum, geminusque discursus meipolus.

Citatus à me Evangelii textus, negotiatoris cujusdam nobis paradigma proponit, in quo tres istæ obtabiles (quod rarum alias (circumstantiæ concurrunt) Substantia, industria, fortuna. Substantia : *Omnia quæ habuit.* Industria : *Quærenti bonas margaritas.* Fortuna : *Inventâ unâ pretiosâ.* Dives, Industrius, Fortunatus. Enim verò quis iste est negotiator ? Omnis iste, qui rebus terrenis Regnum Dei lucrifacere novit. *Simile est Regnum cœlorum homini negotiatori.*

Mundus hic, Auditores, ex tanta statuum, officiorum, & exercitiorum, publicorum & privatorum, politicorum & œconomicorum, sacrorum & profanorum varietate conflatus, nihil est aliud, quàm forum universale, à Deo institutum & privilegiatum, pro omnibus hominibus, ut in eo Regnum cœlorum

lucrifaciant. Quod Christus, in parabola Regis illius, qui differenter servis suis, bona sua ad negotiandum donec rediret, distribuit, clarissimè docet; *Negotiamini dum venio.* Pro negotiatione terrestri quibusdam deest substantia: aliis habentibus substantiam deest industria: aliis habentibus substantiam simul cum industria novercatur fortuna. In negotiatione cœlesti contrarium protinùs accidit. Deus omnibus prærogat substantiam, offert fortunam, & exigit à cunctis industriam. Substantia, sunt dona naturæ; fortuna, sunt auxilia gratiæ: industria, cooperationis concursus. Rege dicente: *Negotiamini dum venio.* Servi; quibus ad negotiandum bona sua distribuit, erant tres: singuli de substantia participârunt? duo adhibuerunt industriam: tertiò defuit fortuna. Sed quare huic defuit fortuna? quia neglectâ industriâ, creditum sibi talentum fodit in terram. Non latuit hoc Regem; ideoque minus illi commisit. Porrò quid binis aliis evenit? qui quinque talenta acceperat, operatus in eis, lucratus est alia quinque: & qui duo talenta acceperat, operatus similiter lucratus est alia duo: uterque pari fortunâ, quia æquali industriâ; ast ingressus cum majore summa, etiam ingressus est cum majore lucro.

Nemo mundi hujus forum cum majore fuit ingressus substantiâ, quàm nostra Regina sancta, geminâ insignis coronâ: illâ Aragoniæ, hac Lusitaniæ. Negotiator Evangelicus tractabat de margaritis; S. Elisabetha, de coronis. Grandis substantia! de Regina quàdam Lacedæmonia, Plinius lib. de summa felicitate illud narrat elogium: *Una fœminarum in omni ævo Lacedemonia reperitur, quæ Regis filia, uxor Regis & Mater Regis fuit*, S. Elisabetha non solùm filia Regis, uxor Regis, & Mater Regis fuit: Sed qualis filia? qualis uxor? qualis Mater? Filia Regis, in quo omnium Europæ Regum unita erant insignia: Scilicet Petri Secundi de Aragoniâ. Uxor Regis, qui in omnibus Hispaniæ coronarum litigiosis processibus, suo tempore, arbitrum egit: Dionysii Regis Lusitaniæ. Mater Regis Alphonsi quarti, à quo omnes Monarchiæ istius, & Christianitatis Principes descendunt, quorum nullus ibidem hodie degit, qui non optimum venarum suarum sanguinem Elisabethæ debeat. Magna mulieris felicitas: Grande talentum! verùm decuisse non videtur, mulierem esse; negotiari etenim, virorum est officium: *Homini negotiatori.* Considerationem facit Evangelium: solutionem dabit Epistola. *Mulierem fortem quis inveniet?* Ecquis in mundo mulierem inveniet fortem, mulierem virilem, viroque similem? Hoc totum innuit textus: fortem, masculam, viraginem. Quæstionis aut propositionis hujus à Salomone factæ exaggerationem & emphasim legens, prodituram mox putabam vel unam Juditham cum pugione in dextera, & capite Holofernis in sinistra: vel unam Jaelem clavo & malleo tempora Sisaræ transfigentem: vel unam Debboram in fronte exercitus turmas contra hostes ducentem, victoriamque de cæsis reportantem. Sed non sic respondet Salomon hîc: Verùm mulierem illam fortem, mulierem illam masculam, viraginem istam, & plus quàm mulierem, *Negotiatricem* appellat. *Agrum emit, sindonem vendidit: & vidit, quia bona est negotiatio ejus.* Enim verò quomodo mulier

Plin. l. de summa felicitate.

Prov. 31. v. 10.

Judith. 13. v. 8. & seqq.

Judic. 4 v. 21.

Ibid. v. 8. & seqq.

Prov. 31. v. 16. 18. v. 24.

lier illa negotiabatur? instar hominis istius Evangelici: Subſtantiâ, induſtriâ, & favente fortunâ. Subſtantiâ: *Dedit prædam domeſticis ſuis* Induſtriâ: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Fortunata præ omnibus: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Habemus nunc mulierem, viri adinſtar, negotiantem. Reſtabat tantummodo pro S. Eliſabethâ, ut memorabilis iſtius mulieris ortum, patriam, conditionemque nobis Salomon indicaret. Et hoc ſimiliter fecit: inſinuavit enim quod fuerit Regina, Hiſpania, & de Aragonia, Regina, *Purpura, & byſſus indumentum ejus.* Isto quippe tempore ſolis perſonis Regiis uſus purpuræ in veſtibus concedebatur. Hiſpana: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Nam in Coſmographia antiqua, & phraſi ſcripturæ, Hiſpania terræ extremum reputatur. Denique de Aragonia: & talis Aragonica, quod plus eſt; *Et ſpoliis non indigebit.* Aragones enim omnium Hiſpanicarum nationum primi, novas acquirendo terras, nova maria, ignotas ſubjugando gentes, coronam ſuam ſpoliis nobiliorem ditioremque reddiderunt. Porrò S. Eliſabetha ſpecialiter nata & educata fuit in brachiis Regis Jacobi de Aragonia, cognomento Conquiſitoris, Ipſe, ejuſque filius Rex Petrus, S. Eliſabethæ Parens, in Hiſpania acquiſierunt regnum Valentiæ, in Italia, regnum Siciliæ; in Mediterraneo, Inſulas Eviſa, & Majorica. Neque hîc ſtiterunt ſpolia; illis ſuccedente tempore adjecta ſunt regna Corſicæ & Sardiniæ: poſteà florentiſſimum & bellicoſiſſimum regnum Neapolitanum: & tandem quid? ipſa Jeruſalem, in qua Salomon viſam deſcripſerat mulierum fortem, de qua loquebatur, inter ſpolia natam, inter ſpolia educatam, & glorioſorum adeò ſpoliorum hæredem: *Et ſpoliis non indigebit.*

Ibid. v. 15. *v. 18.* *v. 29.* *v. 22.* *v. 10.* *v. 11.*

Hoc ſuppoſito, ſuppoſito etiam, quod nonniſi ex Evangelio loqui ſciam; Thema, erit Sermo illiuſque aſſumptum optima regni cœleſtis negotiatrix. *Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori.* Porrò S. Eliſabetha, de regno ad regnum, de corona negotiata fuit ad coronam: non de regno & corona Aragoniæ, ad regnum & coronam Luſitaniæ: ſed de regno & corona terreſtri, ad regnum coronamque cœleſtem; quod breviter innuit eſſe Reginam, & Sanctam. Duo hæc nomina, *Regina, & Sancta* ad invicem combinando videbimus, Reginam noſtram iſtas tractando coronas, eâ induſtriâ fuiſſe negotiatam, ut coronâ Reginæ lucrata fuerit, quod major fuerit ſancta: & coronâ Sanctæ promeruerit, quod major fuerit Regina. Major Regina, quia Sancta: & major Sancta, quia Regina, Regina Sanctorum omnium gratiam nobis impetrare dignetur.

§. II.

Simile eſt regnum cœlorum homini negotiatori.

Regina & Sancta: & quia Sancta, major Regina. Hinc diſcurſus noſter ſumet exordium: omniumque primò, optimæ regni cœleſtis negotiatricis oſtendet ſucceſſum.

Summam, Coronâ majorem, mundus prærogare nequit. Sed quamvis coronæ dent ponantque leges, non tamen legum ſunt merces: ego ſaltem mercem iſtam ab igne, mari, & piratis non aſſecurarem: ipſæ etenim coronæ frequenter ſunt rapina, ſpolium, incendium & nau-

fragium. Asserendo sibi regno terrestri, nullum coronâ opportunius est talentum: in acquirendo verò regno cœlesti, sunt quid infimæ sortis. Agedum, capiti Cyri imponite coronam; & regnum sibi acquiret Balthasaris: eandem imponite capiti Alexandri, & subjugabit sibi regnum Darii. Ponite eam non in capite, sed animo Cæsaris; & libertatem opprimet patriæ, & florentissimam rempublicam, in superbissimum, & violentissimum convertet imperium. Ad acquirendum regnum cœleste, nec Balthasari, nec Dario, nec Alexandro, nec Cæsari, neque ipsi Cyro, quem Deus Regem suumque Christum seu unctum vocabat: *Isa. 45. v. 1.* *Christo meo Cyro*; quicquam proderunt coronæ.

Postquam in Evangelio nostro aliquam quæsivi coronam, quamvis nullibi aliàs Christus ita multiplicarit similitudines, tamque diversos, quibuscunque statibus & officiis regnum cœleste acquirendi ostenderit modos, Regis officium hîc non inveni. Invenietis unum agricolam, unum mercatorum, unum piscatorem, literatum aliquem aut Doctorem, sed nullatenus Regem. Quare? nunquid etiam Reges sum personæ, quæ in parabolam adductæ, majestate sua, & purpuræ pompâ scenam illustriorem reddere queant? vel maximè quod & Christus ipse frequenter fecit. Notate tamen, quid parabolæ & paradigmata Regum nobis dicant. *Matth. 22. v. 2. & 11.* *Regi, qui fecit nuptias filio suo: intravi, Rex ut videret discumbentes.* *Luc. 14. v. 13.* *Quis Rex iturus committere bellum adversus altum Regem? Luc. 19. v. 12.* *abiit in Regionem longinquam, accipere sibi regnum.* Reges nuptias facientes, convivia celebrantes, bella moventes, exercitibusque imperantes. regnis acquirendis operam navantes invenietis in Evangelio: regno verò cœlorum acquirendo insudare, indigna tam sublimibus personis negotiatio videtur. Christus saltem parvulis regnum asseruit cœlorum. *Sinite parvulos venire ad me, talium est enim regnum cœlorum.* *Matth. 10. v. 14.* Hunc spectant agricolæ in agris, mercatores in foris, piscatores in aquis, Doctores in pulpitis. In aulis verò, in palatiis, in thronis, sub palliis quid invenietis? Nuptias, convivia, festa, comœdias: & per cupidinem & ambitionem exercitus, bella, acquisitiones. Ecce quare Coronæ non idoneæ, saltem periculosæ sint merces ad negotiandum, seu regnum cœlorum lucrifaciendum & comparandum. Reges, & bellicosos, Reges & politicos, Reges & deliciis deditos; quotquot volueritis invenietis: ast Reges & Sanctos, nonnisi rarissimos. Sacram Paginam inspicite, ubi hoc solum certitudinaliter innotescit, quod ex tot Regibus, qui populum Dei gubernârunt, tres tantùm legantur Sancti: David, Ezechias, & Josias. Magnus eo tempore Sanctorum fuit numerus, longa Regum viguit series & successio, sed Reges & Sancti, sanctitates & coronæ? tres.

Verùm si adeò difficile est, Regem esse & Sanctum, multò sane difficilius est, Reginam esse, & Sanctam. Ex eodem hoc patet exemplo. Ex omnibus Regibus Israël & Juda, tres tantùm leguntur Sancti, Reginarum verò nulla legitur sancta. Ubi ulterius considerandum superest, quod numerus Reginarum, illo tempore, Regum numerum incom-

incomparabiliter excedebat : quia permissa erat & usitata polygamia. Et sicut hodie majestatem magnificentiamque auget satellitum frequentia : pari modo eandem tunc ostentabat Reginarum multitudo. Reginarum, quas David habuit uxores, præter alias multas, septem novimus nominatim : Porrò Jeroboam decem & octo habuit : Salomon verò solus septingentas : *Fueruntque ei uxores quasi Reginæ, Septingentæ.* Denique ab origine mundi usque ad Christum, quo inter medio temporis spatio, ad minus quatuor millia annorum fluxêre, in nullo Regno, aut natione sanctam legetis Reginam, nisi Esther. Quæ causa ? Quare difficilius est, Reginam dari sanctam, quam Regem sanctum? quia licet in Rege & Reginâ fortunæ sit paritas ; mulieribus major inest vanitas. Vapores coronæ non ascendunt in cœlum, sed descendunt ad cerebrum. Davidis & Michol capiti eandem imponite coronam : in capite Michol, densas excitabit fumigationes : in capite Davidis nullus exurget vapor. Quod si opponitis, Davidem fuisse humilem & sanctum : aliunde petamus exemplum. Cunctorum mundi Regum vanissimus fuit Assuerus ; nihilominus Vasthi Regina adhuc fastuosior fuit. Omnium Israëliticorum Regum superbissimus fuit Rex Achab : Regina Jezabel, Achabo elatior fuit. In memoriam veniat Regina Athalia, quæ merito altera Judæorum Medæa sive Semiramis censeri potest. Erat Mater, & Avia (quod plus est) quia vana & ambitiosa, omnes, ex Ochoziâ filio, nepotes suos è medio tollere præsumpsit. De nullo hominum legitur, tale quid fuisse attentatum. Patres & Expositores causâ hujus investigata, non dant aliam, quàm quod mulier fuerit : *Quia fœmina erat*, ait Abulensis cum cæteris omnibus. Fœmina fuit Athalia, fœmina fuit Jezabel, fœmina Vasthi, fœmina Michol, fœmina denique Eva. Et in omnibus istis vanitas prævaluit virtuti.

3. Reg. 11. v. 3.

Abul.

§. III.

COndona mihi, Regina sancta, discursum istum ; Sed condonare noli : siquidem ad æstimandum pretium, exaggerandam excellentiam, extollendamque gloriarum tuarum magnificentiam totus directus fuit & ordinatus. Minor sanè Elisabetha foret sancta, nisi sanctitas mulieri & coronæ superimposita fuisset. Ex duabus istis materiis, una tam fragili, alterâ tam pretiosâ ex isto vitro, & hoc auro fabrefactum fuit subsellium, quod Elisabethæ statuam ad siderum usque altitudinem sublimavit. Verùm antequam veritatem hanc ulterius expendamus, voci Evangelii aures accommodemus, quod illi reclamare videtur. Modus acquirendi Regnum cœlorum, formaque hujus, docente Christo, in dando, derelinquendo, omnibusque, quæ negotiator possidet, renuntiando, consistet : *Dedit omnia sua & emit eam.* Proinde si Elisabetha renunciando coronæ, desiisset esse Regina, rectè diceremus, quod corona terrestri fuisset lucrata cœlestem : ast vixit Regina, mortua est Regina ; neque renuntiavit coronæ. Scio equidem, quod renuntiare coronæ, cum hæc res maxima sit mundi, maximè quoque arduum, non tamen hinc impossibile existat. Cujus exemplum præsens hoc sæculum meruit videre : posito

quod præterita ſimile non viderint : Roma illud coram intuetur. Quandam nimirum ex primis Europæ coronis, orthodoxæ fidei amore, Regnum illud, quod ſolæ Petri claves reſerare poſſunt, ſibi aſſerendi & aſſecurandi deſiderio, generosè reſignatam, & gloriosè dimiſſam. Ut quid igitur Eliſabetha non dimiſit omne illud, quod revera eſt omne totius mundi ? *Omnia quæ habuit?* quare non renuntiavit neque dimiſit coronam, ut Evangelio ſeſe conformaret?

NB. Regina Suecia Chriſtina.

Dico primò. Eliſabetha coronam, non dimittendo, dimiſit ; eidemque non renuntiando, renuntiavit. Eliſabetha erat Regina, ſed qualis Regina ? Regina, continuum ciliçium purpurâ tegens : Regina, inter regiæ menſæ delicias, totum quaſi annum jejunando in pane & aqua tranſigens. Regina, in comœdiis ludicriſque ſpectaculis, tota orando & contemplando cœlo & cœleſtibus intenta & abſorpta : Regina, ſub corona, capite & corde, coronæ Chriſti ſpinis transfixa ; Regina, à Regni ſui Proceribus & magnatis adorata, & in ſummo honore & veneratione habita ; quæ pauperum nihilominus advoluta pedibus illis inſerviens, pedes eorum propriis lavabat manibus, extergebat, curabat, & oſculabatur vulnera. Hoc planè pacto Eliſabetha utebatur coronâ, in Reginæ perſonâ duo adeò diſtantia uniendo & conſociando extrema, nec non duo ex diametro oppoſita ſibi exercitia. Et hac ratione illam non dimittendo, dimiſiſſe coronam affirmo. In cujus probationem textus mihi S. Pauli ſervit, qui quamvis tritus admodum & vulgaris ſit, in tantum nihilominus difficilis eſt, ut, quamvis Expoſitores in eo eluciando variè deſudarint, genuina & magis propria, & adæquata ipſius expoſitio adhuc deſideretur : *Qui cum in forma Dei eſſet, exinanivit ſemetipſum, formam ſervi accipiens*, q. d. Verbum æternum, cum eſſet Deus eſſentialiter, patrique coæqualis, aſſumptâ ſibique unitâ naturâ humanâ, exuit quaſi, & à ſe dimiſit totum quod habebat, & quod erat. Quod majore adhuc emphaſi Apoſtolus confirmat : *Exinanivit ſemetipſum.* Vaſis adinſtar quod inverſum & effuſum, omni contento emiſſo, vacuum remanet, fecit & manſit Deus homo factus. Videtis nunc obſcuritatem, non Theologi tantum, ſed omnes. Deus incarnatus nihil amiſit eorum, quæ habebat, nec quicquam dimiſit illius, quod erat. Erat Deus, manſitque Deus ; erat infinitus manſitque infinitus ; erat immenſus & æternus, manſitque immenſus & æternus : erat impoſſibilis & immortalis, manſitque impaſſibilis & immortalis. Si ergò nihil deſeruit, abdicavit, aut dimiſit eorum, quæ aut erat, aut habebat ; Quomodo S. Paulus ſeſe expoliaſſe, & quaſi effudiſſe eum adſtruit. *Exinanivit ſemetipſum* ? Profundè illud adſtruit Apoſtolus, facti poſſibilitatiſque modum adjungens : *Formam ſervi accipiens cum in forma Dei eſſet.* Verum eſt, quod Deus hominem induens nihil perdidit, aut dimiſit eorum, quæ erat, aut habebat ; nihilominùs aſſumpſit & univit illi, quod erat, totaliter contrarium. Porrò aſſumere & unire in eadem perſona & ſuppoſito adeò diſtantia : illud fuit exuere & expoliare ſe ab omni eo, quod erat, abſque exuere & expoliare. Erat Deus, & factus eſt homo ;

ad Philip. 2. v. 7.

erat

erat æternus, & in tempore est natus : erat immensus, & loco est commensuratus : erat impassibilis, & est passus : erat immortalis, & est mortuus : erat supremus omnium Dominus, & infimus factus est omnium servus. Dominum verò servire, immortalem mori, impassibilem pati, immensum loco circumscribi, divinum fieri humanum; non solùm fuit assumere, quod non erat : sed dimittere quod erat. Dimittere non dimittendo ; hoc quippe impossibile erat : sed dimittere retinendo, dimittere conservando, dimittere, non dimittendo : *Exinanivit semetipsum formam servi accipiens, cùm in forma Dei esset.* Istud fecit Verbum : idem fecit Elisabetha, conformiter Evangelio, ejusdem authorem ex amussim imitata Regina, cum Majestate & coronâ. Sed qualis corona, qualis majestas, qualis Regina? Corona, sed corona sinè dimissione dimissa : omnem enim pompam splendoremque dimisit mundanum, quo magnificantur coronæ. Majestas, sed sinè renuntiatione renuntiata : omni enim fastui & ostentationi, nec non Idololatriæ, quâ Majestates adorantur, renuntiavit. Regina sed Regina non Regina : sepositâ enim tituli sublimitate, nihil eorum in Elisabetha apparebat, quæ in aliis Reginis intuentium oculos in admirationem rapiunt, eo ipso præ cæteris magis existens admiranda.

Hoc pacto Regina Elisabetha reliquit coronam & omnia quæ petebat Evangelium : *Omnia quæ habuit.* Enim verò si coronam reliquit non relinquendo, quare eam non reliquit relinquendo? Quare non repudiavit Majestatem? quare non desiit esse Regina, coronam vel refutando oblatam, vel resignando acceptatam ? Respondeo, in hoc ipso maximam ipsius negotiandi industriam constitisse: ut retentâ summa, manens Regina, id lucraretur, quo major esset Sancta. Summum, seu unicum Bonum, quo supremæ mundi dignitates gaudent, est, eas esse gradum, quo mediante, virtus magis sublimetur: & esse suppedaneum regium, quo sanctitas ad majorem ascendat æstimationem. Sanctus fuit David, sanctus quoque fuit Abraham : & hic quidem antiquior & prior illo. Nihilominus S. Matthæus Christi recensendo genealogiam, Davidem Abrahamo anteponit : *Filii David : Filii Abraham.* Porrò si Abraham æque & primæ classis sanctus, veluti David, & antiquitate præcedebat, quare Davidi postponitur ? Angelicè rationem hujus reddit D. Thomas. Quia, quamvis Abraham esset sanctus & sanctitate æqualis Davidi, David erat sanctus, & simul Rex : quod in Abrahamo non concurrebat. Sanctitas Abrahæ, quantumvis magna, erat sanctitas sine corona : sanctitas Davidis erat sanctitas coronata, & sanctitas imposita coronæ, est sanctitas major.

Matth. 1. v. 1.

D. Thom.

Quare ? Quia in Majestate, in sublimitate, in potestate, in adoratione, aliisque Coronas comitantibus circumstantiis, omnia concurrunt contraria, quæ virtus & sanctitas habere possunt : porrò virtus in suis conservata contrariis, duplex virtus existit. Unam ex notatu dignissimis S. Augustini auscultate sententiam : *Audiat omnis ætas quod nunquam audivit.* Et quid omnes audient ætates ? de partu Virginis ita loquitur : *Virgo partu suo crevit, Virginitatem, dum pareret, duplicavit.* Hæc ultima verba penso. S. Augustinus sanctissimam Virginem Mariam, concipientem, parientem,

S. Aug.

Vir-

Virginemque permanentem non conservâsse solùm, sed duplicâsse virginitatem affirmat. *Virginitatem, dum pareret, duplicavit.* Casu quo de alia loqueretur virtute, doctrina illa nullam perplexitatem aut difficultatem haberet : de Virginitate verò impossibilitatem involvere videtur : Virginitas enim in indivisibili consistit. Est integritas perfecta, illibata, intemerata, nec in-nec decrementum, nec plus, nec minus admittens. Si ergo excellentissima ista & Angelica virtus nec imminutionis, nec additamenti capax existit, quo pacto S. Augustinus eam in Virginis partu auctem & duplicatam fuisse asserit ? quia fuit virtus etiam in contrariis suis integritatem conservans. Concepisse, peperisse, Filium habere, Virginitati contrariantur : & quòd sanctissima Virgo Maria maneat Virgo, cùm sit Mater, est duppliciter Virginem esse. *Virginitatem, dum pareret, duplicavit.* Tales fuêre Elisabethæ virtutes. Maximus virtutis hostis & adversarius, est magna fortuna, quantóque hæc major, tantò major etiam inimicus illius. Humilitas, Mundi contemptus, moderatio, Temperantia, paupertas voluntaria &c. In hominibus aliis virtutes sunt simplices: Eædem verò conjunctæ coronæ in capite, sceptro in manibus, augusto in Throno collocatæ, virtutes sunt duplicatæ : quia suis sunt contrarlis conjunctæ. Humilitas sociata majestati est humilitas duplicata: moderatio conjuncta potestati supremæ, moderatio est geminata ; contemptus mundi, hoc ad pedes posito, contemptus est mundi duplicatus : paupertas cum divitiis, abstinentia cũ deliciis, modestia cum adulatione, est paupertas, abstinentia, mortificatio, modestia duplicata: quælibet enim earum non est rosa inter spinas : sed rubus inter Flammas. Quia verò negotiatrix nostra cælestis suum novit lucro inesse periculum, consultius putavit non dimittere coronam, sed eidem associare virtutem ; non repudiare majestatem; sed eidem copulare sanctitatem ut tanquam Regina, & simul Sancta etiam major esset Sancta, quia Regina.

Verùm enim verò si totum hoc admirabili adumbratum figurâ oculis arbitrari libet, eos mecum, vel cum S. Joanne in cœlum attollite. S. Joannes in Apocalypsi sua scribit : *Signum magnum apparuit in cœlo.* Apoc. 12. v. 1. Moxque signum illud & Majestatem ejus describendo ait, quòd mulier pedes habuerit in cœlo infimo, quod est Luna. *Luna sub pedibus ejus.* Corpus in quarto cœlo, quod est Solis : *Amicta Sole.* Et caput in cœlo octavo, quod est stellarum : *Et in capite ejus Corona stellarum duodecim.* Magna Mulier, magnum prodigium, & magna Elisabethæ de lineatio ! Mulier, quam degentem adhuc in terra, jam merita collocârunt in cœlo : *Signum magnum apparuit in cœlo.* Mulier, quæ mundanam omnem sic vilipendebat pompam, ut sublunaria cuncta pedibus subtrata calcaret : *Luna sub pedibus ejus.* Mulier tam copioso lumine gratiæ illustrata, ut Solis instar, in oculis Dei & hominum coruscaret : *Amicta Sole.* Mulier omnibus perfectionum charismatibus, donisque supernaturalibus sic exornata, ut totus virtutum, alterque stellarum chorus ipsi texuerint adornârintque coronam : *Et capite ejus Corona stellarum duodecim.* Hucusque Elisabetha sancta. Verùm, cum prodigiosa hæc mulier sit tanta, poteritne adhuc evadere major ? cùm sit tam

tam sublimis, poteritne altiùs scandere? In cœlo jam degens, nunquid fieri poterit magis cælestis? Immò verò. Sed quomodo? Si cœlesti addatur Regium: & supposito *Sanctæ*, circumstantiæ copulentur *Reginæ*. Sic fuit, sicque vidit idem Propheta. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ & volavit.* Aquila avium est Regina; porrò mulier alis instructa aquilinis est mulier regiis gaudens prærogativis: est Mulier circumstantiis decorata Reginæ. Enim verò notate, Joannem non dicere, mulieri datas fuisse alas Aquilæ simpliciter; sed cum additamento, *magnæ*: *Datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ*. Interrogo igitur, quænam in hoc mundo aquila est magna, & quænam ejusdem duæ sunt alæ? Nullus dubitat, quin Aquila magna sit Hispania, utpotè maximè dilatata totius Universi Monarchia: Aquila Regia tot coronis redimita. Similiterque extra dubium est, binas hujusce Aquilæ alas esse, hinc Regnum Aragoniæ: & illinc Regnum Portugalliæ, Hæc non mea, sed Cosmographorum est partitio, qui Hispaniam in tres partes, seu tres dividunt Hispanias. Hispaniam Beticam, Hispaniam Tarraconensem, & Hispaniam Lusitanicam. Corpus & caput hujus magnæ Aquilæ est Betica, utramque Castellam, novam scilicet & veterem complectens. Binarum alarum altera est Hispanis Tarraconensis, id est, Aragonia, à Tarragona nomen sortita Aragona; alarum altera est Hispania Lusitanica, id est, Portugallia, à Luso dicta Lusitania. Nunc ad rem & materiam. Postquam cœlum Elisabetham adeò magnificavit; postquam ad sublimem adeò perfectionis gradum evexit; postquam omne pretiosissimum & splendidissimum thesaurorum suorum in ea recondidit, quid Deus fecit? *Datæ sunt mulieri duæ alæ Aquilæ magnæ*. Addidit, & accrescere fecit prodigiosæ huic mulieri duas alas Regias Aquilæ magnæ Hispaniæ: In nativitate illam Aragoniæ; & in matrimonio, hanc Lusitaniæ seu Portugalliæ. Et ad quid? *ut volaret*. Ut binarum harum alarum remigio, Elisabethæ magnitudo elevata, ad majorem proficeret magnificentiam, altitudo ad majorem sublimitatem, splendor ad majorem fulgorem, cælestè ad magis cælicum; Sanctitas denique ipsa ad majorem proveheretur sanctitatem. Elisabetha sancta, quia sancta & major sancta, quia Regina Sancta, quia sancta: hinc in cælo collocata; *Signum magnum apparuit in cœlo*. Et major sancta, quia Regina; hinc in cœlo jam collocata alis aquilinis, circumstantiisque Regiis est amplificata: *Datæ sunt mulieri alæ duæ Aquilæ magnæ*.

Apoc. 12. v. 14.

Hoc si fidem penes vos non inveniat, iisdem subfesti alis, à cœlo stellato, ubi eam S. Joannes vidit, ad cœlum empyreum ascendamus: ubi David illam fuit contemplatus: *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Vidi, inquid David, Reginam quandam à dextris Dei consistentem, diversicoloribus ornamentis indutam; interiùs, tunicâ auro intertexatâ, *in vestitu deaurato*: exteriùs, chlamyde diversicolore amictam, *circumamicta, varietate*. Ecce quomodo Regina nostra sancta, in cœlo, gemino rutilat ornatu: interiore uno, amictu scilicet Reginæ, quem induit primò, ideoque intertexto auro, *in vestitu deaurato*: exteriore altero, scilicet Sanctæ Claræ, quem superinduit postea, & hinc coloris varii

Psal. 44. v. 10.

(Leucophæi ſcilicet, ſed Grifei, & albi) *Circumamicta varietate.* Utrumnam indumentorum horum illi in cœlo majeſtatem gloriamque amplificavit? illudne interius, an hocce exterius? illudne auro textum, an hoc cilicinum? illudne regium, an hoc Religioſum? Ego affirmare auſim quod utrumque, ſed ſibi alterutrum ſuperindutum: quia habitum religioſæ, ſuperinduit cultui Reginæ; quia cilicium ſuperimpoſuit cicladi auro textæ: quia veſtem exteriorem ſuperinduxit interiori: Et hinc omnis illi gratia decorque acceſſit teſte Davide: *Omnis gloria ejus ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Gratia decorque veſtis exterioris, ab interiori illi provenit. Habitus S. Franciſci & S. Claræ, ex ſplendidiſſimis & pulcherrimis cœli ornamentis & indumentis cenſetur; illud ipſum verò, in Eliſabetha, Regio cultui ſuperimpoſitum, majorem ſplendorem, majorem lucem decoremque conciliat, omnis enim gratia & pulchritudo, à cælaturis texturiſque aureis, in fimbriis elucentibus, illi advenit: *Omnis gloria ejus ab intus, in fimbriis aureis.*

Enimverò David curioſus interrogatus de qualitate operis ſeu laboris texturæ in fimbriis, illud ſimiliter innuit expreſsè, *in fimbriis aureis*: textus Hebraicus habet, *in ſcutulatis.* Cælatura & textura in fimbriis habitus cilicini regii, quo induta erat Regina, elucens, opus erat & textura aurea, formata & infibulata ſcutis *In ſcutulatis*: Quæ verò illa ſunt ſcuta? ſunt illa quæ lateribus Eliſabethæ cernitis appicta. Scutum inſignium Aragoniæ & ſcutum inſignium Portugalliæ. Iraut textura fimbriarum veſtimento, quo Eliſabetha ad dexteram Dei oſtenditur glorioſa, adaugens ſplendorem, ſit opus artificio mirabili, ex duobus ſcutis altrinſecus ſibi innexis palis inter Quinos, & Quinis inter palos emicantibus ſit contextum: *In ſcutulatis.* Porrò in Regiis ſcutis groſſo & aſpero cilicio ſuperinductis, omnem ornatus excellentiam, omnemque filiæ Regis decorem & gloriam conſiſtere, David aſſeverat: *Omnis gloria filiæ Regis ab intus.* Si enim Eliſabetha glorioſa & exaltata eſt in cœlo, quia ſancta: multò ſanè magis ſublimata eſt, quia Sancta eſt, & inſuper Regina: *Aſtitit Regina à dextris tuis in veſtitu deaurato, circumdata varietate.*

§. IV.

Vidimus Eliſabetham majorem eſſe Sanctam, eò quod ſit Regina: reſtat nunc videre, quod major ſit Regina, quia Sancta. Hic præſtantiſſimæ regni cœleſtis negotiatricis ſecundus optatus fuit ſucceſſus & in hoc negotiatori Evangelico perquam ſimilis. Fortuna vix unquam hominum adæquat deſideria: quæ ſi tanta foret, ut non exequaret ſolùm, verùm etiam vota hominum excederet, maximam eſſe oporteret, quàm quis ſibi imaginari poſſet. Talis fuit negotiatoris illius Evangelici. Hic anxie bonas inquirebat margaritas, *Quærenti bonas margaritas.* Porrò, cum nonniſi bonas vulgariſque pretii inquireret, tam propitiâ ſibi fortunâ eſt uſus, ut tanti valoris invenerit margaritam, ut omnium aliarum totiuſque ſubſtantiæ, æſtimationem excederet: *Inventâ unâ pretioſâ margaritâ, dedit omnia ſua, & comparavit eam.* aſt favorabiliore adhuc fortunâ Eliſabetha fuit gaviſa. Eliſabetha non quærebat coronas, ſed potius quærebatur à coronis: proinde, quia quærebatur à coronis, ipſa quærebat ſanctitatem; ex qua, amplificatâ

plificatâ sibi coronâ, major evasit Regina. Tam sublimis & tanta dignitas est Reginæ, ut majorem amplitudinem non admittere videatur. Sed Elisabetha Prærogativâ sanctitatis, Reginam dignitate excessit. Fuit enim Regina majore potentia: majore jurisdictione, Regina: majore imperio, Regina.

Ex adductis contra Christum accusationibus, quæque causam contra ipsum evicit, una fuit, quod faciendo se Regem jurisdictioni Cæsaris præjudicaret: *Si hunc dimittis, non est amicus Cæsaris: omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* Omnes SS. Patres & Expositores calumniam istam impugnando, quinque millium testimonio confutant: Isti quinquies milleni fuerunt, qui miraculosè à Christo pacti & satiati in deserto, verum illum agnoscentes Messiam, Regem acclamare & constituere intendebant, quando Christus, ut se non talem Regem, qualem ipsi, aut homines creare possent, esse ostenderet, fugit in montem. Luculenta sanè probatio, non ambire se regnum, de quo fuerat accusatus. Enim verò S. Leo Papa altiore consideratione, inter ipsos accusatores sese statuens argumentatur pro illis: *Ne in totum inanis videatur objectio, discutè diligenter Præses.* Pilatus examinatâ diligenter causâ facilè deprehendet, non totaliter falsam esse accusationem Judæi, dicendo Christum se fecisse Regem, loquebantur veritatem; dicendo se fecisse Regem, velut Cæsarem, hîc sunt mentiti. Oportuisset dicere, quod Regem se fecisset Cæsare ipso, cunctisque Regibus aliis majorem. Quare? ontificem facundissimum auscultate. *Cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, mutis donavit eloquium: febres abegit, dolores resolvit, mortuos suscitavit: magnum prorsus Regem* quamvis se non Regem velut Cæsarem, *ista demonstrant.* Et in his omnibus, reliquosque omnes mundi Reges tali potestate destitutos probavit: nihilominùs se Regem omnibus illis majorem demonstravit.

Joan. 19. v. 12.

S. Leo.

Idem de S. Elisabetha asserere licet. Frequentabat illa, à se majoribusve suis exstructa & fundata nosocomia, mox quacunque infirmitate detenti advolabant infirmi. Quid accidit? Quid subsecutum fuit? Elisabetha feciente super eos crucis signum, cæci visum, muti loquelam, surdi accipiebant auditum, debiles & claudi gressu recepto exiliebant, mortui seu quasi mortui resurgebant. Magnam prorsus Reginam ista demonstrant. Reginis aliis, Regibusque aliis, idem ut omni sua potentia præstent, dicite. Debiles, claudos, cœcos, mutilos & mancos facerere possunt faciuntque Reges. Hoc si non creditis, istos adite campos, istos lustrate exercitus, istas frequentate aulas: ibi videre licebit alios cum grallis, alios pedibus truncatis, illos sine brachiis, alios oculis orbatos, alios auribus seu naso mutilatos: nonnullos elingues digitis eleëmosynam petentes: alios denique multiplicibus vulnerum cicatricibus, facie totoque corpore deformatos & horridos. Homines miseri, homines non homines, sed pars hominis quis huc miseriarum vos adduxit? Pater, servitium Regis: ex præliis tales rediimus Hoc facere possunt Reges, tantóque majore facilitate, quantò majore potentia pollent. Non sic Elisabetha: erat Regina, quæ pedes, manus, visum & auditum restituebat. Notate fastum & tumorem,

quo de Regibus dicitur: quod sint Domini vitæ. Domini vitæ? legant ad marginem titulorum horum glossam Christi: *Matth. 10. v. 28.* *Nolite timere eos, qui occidunt corpus.* Domini sunt vitæ, non ad dandam, sed tollendam vitam. Reos vos occidere possunt, per justitiam: innocentes vos occidere possunt, per tyrannidem: pusillo vos animo, & pavidos, vel torviore aspectu, vel oculi nutu perimere possunt: vitam verò dare & salutem, regalium jurisdictionum & potestatum limites excedit. Hoc Regum omnium veracissimus candidè confessus hortatur · *Psalm. 145. v. 3.* *Nolite confidere in Principibus, in quibus non est salus.* Elisabetha verò vitam & salutem poterat conferre: siquidem vitæ & salutis erat Domina, & proinde Reginarum omnium maxima. *Magnam prorsus Reginam ista demonstrant.*

§. V.

DEmonstratio alia in grandioribus corporibus. Venit quandoque S. Elisabetha in Santarem, trajectura Tagum, prævie præparatâ celoce Regiæ ipsius personæ adornato: aderant scaphæ & cymbæ pro aulicis. Et ecce, vix ad ripam accedente Elisabetha, fluvius de repente dehiscens binos utrimque cristallinos exhibebat muros: piscibus velut ad fenestellas & cancellos attonitis, & ad prodigium obstupescentibus, Elisabetha baculum manu tenens, per novam illam plateam, limo viridi stratam super aureas gradiebatur arenas. Nemo, me ex affectu loqui, existimet. In simili casu testatur id Spiritus sanctus: *Sap. 19. v. 7.* *Campus germinans de profundo nimio.* De Lusitania nunc in Palestinam: de Tago ad Jordanem transeamus. Jordanis ab arcæ conspectum substitit (caput similiter coronatum: *Facieque supra coronam auream per circuitum*) David casum describens exclamat: *Quid est tibi mare, quod fugisti, & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum?* Fluvie, quare subsistis? Mare, quare fugis? quid vidisti? perpulchra Davidis prosopopœia, sed in minori theatro, nostrum verò est majus. Porrò quonam cum fluvio, quove cum mari loquebatur David? Mare erat mortuum, alio nomine, vallis Salivarum: erat quippe Oceani saliva. Mare illud mortuum, ex mari Caspio scaturiginem trahit: fluvius erat Jordanis, ex duabus effusionibus, una Jor, alterâ Dan in unum coeuntibus coalescens, qui mari mortuo tandem immixtus absorbetur. Tantilla erat fluvii istius magnitudo, quem exiguus lacus unico velut haustu absorbebat, ut inquit Propheta: *Et fiduciam habet, quod influat Jordanis in os ejus.* *Exod. 25. v. 11.* *Psalm. 113. v. 5.* *Job. 40. v. 18.*

Conferte nunc, si lubet, fluvium cum fluvio, mare cum mari. Quemadmodum arca testamenti illa transiit parte, ubi Jordanis aquæ, maris mortui commiscentur undis: ita Elisabetha, illâ Tagi transiit parte, ubi aquæ illius cum oceani confunduntur undis. Oceanus lacus est vastissimus & immensus, ut solus aquæ elementum tepuretur: infinitaque extendendo brachia, quasi digitorum extremitatibus, orbis totius fluviorum excipit tributum. Et hoc mare à facie Elisabethæ retrogressum recessit. Quis verò fluvius erat? superbissimus ille Tagus, primus oceani illius domitor: cui unionibus & margaritis homagium exolverunt fluvii Indus & Ganges, non juncis & herbis, velut pater eorum Tyberis, sed laureis ex carbunculis, & pileis coronati adamantinis. Vastissimum illud mare,

super-

superbus hic fluvius, novam, quam pedibus calcaret, detegendo terram, Elisabethæ transitum præbuêre : Porrò David interrogationi suæ respondendo dixit: *Psalm. 113. v. 7.* *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob* : in quo maxima prodigiis excellentia consistit. Ibi Jordanis, hîc subsitit Tagus ; ibi arca coronata, hîc Elisabetha insignis corona : ibi arca, hîc Elisabetha sicco transiit vestigio : ibi, quia fluvius reveritus faciem Dei ; hîc, quia vidit faciem Elisabethæ. Ibi, quia vidit faciem Domini Israël : hîc, quia vidit faciem Reginæ Portugalliæ : *A facie Domini, à facie Dei Jacob.* Enim verò, Deum visum fluminum refrænare torrentes, est esse Deum, sed flumina eandem præsenti Elisabethæ exhibere reverentiam, pensate, an non sit esse Reginam, & plus quàm Reginam ? sin verò : eundem interrogate Tagum, quoties ab aliis fuerit trajectus Reginis, quemve ipsis exhibuerit honorem. Trajecerunt illum Theresiæ, Dulces, Mafaldæ, Urracæ, Leonoræ, Ludovicæ, Catharinæ : Et Tagus quid ? consueto sibi decurrebat fluxu. Elisabethæ (Romanâ loquamur phrasi) Elisabethæ soli, & non Reginis aliis cursum suum sistebat Tagus, quia aliæ erant Reginæ : Elisabetha erat Regina & Sancta, ideóque major Regina.

§. VI.

Decreveram hîc meum finire sermonem : Sed Veris novitas ad contemplandum rosas me invitat. Elisabetha magnam aureæ argenteæque monetæ summam pauperibus erogandam in marsupio suo gestabat : interroganti Regi, quid gestaret ? Respondit, Rosas. Enim verò, hoc tempore rosas ? & quomodo ? replicat Rex. Marsupium aperiente Sanctâ apparuerunt Rosæ. Nunquid Regina aut Rex est in mundo tali præditus potestate ? Ingentem pecuniæ summam profundere, immensosque thesauros, floribus, hortis, immò umbris, (quod minus est) insummere possunt, idque faciunt Reges ; Sed ex monetâ, aureâ facere rosam, substantiam aliquam convertere in aliam, & granum auri in granum mutare arenæ, nec omnes quidem simul sumpti Reges mundi possunt ! sed sublimioris illud opus est potentiæ. Misit Deus Moysen in Ægyptum, cum titulo, *Deus Pharaonis : constitui te Deum Pharaonis.* Titulus videtur exorbitans, *Exod. 7. v. 1.* & superfluus. Pharao erat Rex Ægypti, sit Moyses Rex Pharaonis, & sufficit. Quare Deus Moysi, non titulum Regis tribuit, sed Dei ? Quia justum erat, ut titulus potestati responderet. Moysi, Virga in serpentem, Nilus in sanguinem, aqua in ranas, pulvis in muscas erant convertenda : substantias verò convertere in alias, potestatis in omnium Regum potestatem transcendentis. Moyses igitur non Rex, sed Deus Pharaonis nuncupetur. Cognovit hoc ipsum diabolus suas adornando tentationes. Proinde dicens Christo, ut lapides converteret in panes, addidit: *Si filius Dei es*: Omnia mundi regna offerendo, subticet: *si filius Dei es.* Porrò si lapidum conversionem in panes suadendo, filium Dei nominat, quare omnia mundi regna offerendo, illud similiter non facit ? in promptu causa est: quia regni unius, aut multorum, immò omnium totius mundi regnorum conferre dominium, humanæ potentiæ sphæram non transcendit Substantias verò convertere in alias, sublimioris quàm humanæ, etiam regiæ, immò divinæ solius potentiæ opus

pus est. Talis fuit Reginæ istius potestas præ omnium Regum Reginarumque mundi hujus potestate. Sed debitè necdum expensa est miraculi excellentia.

Enim verò miraculum, in conversione pecuniæ in rosas non consistit: sed in quo in dicendo: *sunt rosæ*: & statim esse rosas. Esse rosas; eò quod Elisabetha solummodò dixerit, pecunias esse rosas; est miraculum ex ore Dei solius procedens. Quod S. Paulus mirificè expendit: *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Hæc maxima potestatis illius est gloria, & suprema verbi ipsius potentia: sufficit quippe ut ille rerum nomina vertat, & hæ naturam mutent: & hoc quod erat, esse desinat; & quod non erat, existat. Quoties verò Deus miraculum istud patravit? semel tantùm, & quidem in miraculorum suorum, omnipotentiæque suæ operum maximo. In sanctissimi Sacramenti institutione, Christus panem in Corpus suum transubstantiare volens, quid fecit? panem, quem manibus tenebat, suum esse Corpus dixit: *Hoc est Corpus meum*; suffecitque panem dicere suum Corpus, ut quod erat panis, desineret esse panis: & quod non erat suum Corpus, esset suum Corpus. Creando mundum, simile non fuit operatus miraculum. Jussit fieri, & facta sunt: *Ipse dixit & facta sunt.* In divinissimo verò Sacramento, potentiæ suæ gloriam & excellentiam ostendere volens, fecit, ut suum esset Corpus, quod fuerat panis, panem tantummodò Corpus suum vocando: *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* Idem fecit Elisabetha, non elevavit manum, non oravit, non petiit, neque jussit: tantum de pecuniis dixit: *sunt rosæ*: & fuerunt rosæ. Vocare fuit producere, & dicere quod erant, fuit facere, ut essent hoc, quod non erant: *Vocat ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* In Christo potestas fuit ordinaria: in Elisabetha fuit delegata, sed omnem Regum potentiam infinitè transcendens.

Luc. 22. v. 10.

Psal. 23. v. 9.

Reges etiam potestatis magnitudine Deum æmulantur. Dicunt, tegat se Marchio, sedeat Dux: Rege solummodò Marchionem, seu Ducem te nominante, es Marchio, es Dux. Verum quidnam totum hoc est? inane nomen, manes qui fuisti ante, nec quicquam amplius: nomina quidem & titulos Reges conferre possunt: esse verò dare, aufferre, vel immutare, quantamcunque etiam potentiam ipsorum excedit. Condito mundo creatisque in eo & collocatis hominibus, nec non universi dominio in Adam translato, Deus animantia omnia coram ipso comparere jussit, ut congrua singulis nomina imponeret: *Adduxit ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea.* Quare Deus animalibus nomina non imposuit, sed ab Adamo voluit imponi? judiciosè respondet S. Basilius de Seleucia: *Partiamur hujus fictricis solertiæ gratiam: me cognoscant artificem naturæ lege: te Dominum intelligant appellatione nominis.* Voluit Deus, ut Adam nomina imponeret animalibus, ut partiretur cum ipso imperium, discrimenque demonstraret de uno ad alterum. Ego Deus: & tu Rex universi. Ego Deus, quia animalibus esse dedi: Tu Rex, quia nomina illis dedisti. Ita ut supremum, ad quod regia sese extendit potestas, quantumvis totius mundi Monarcha existat, ponere & dare nomina: id est, ut deinceps eo vos compellent nomine, quod Rex imposuit. *Omne quod vocavit Adam anima viventis, ipsum est nomen ejus.*

Gen. 2. v. 19.

S. Basil. de Seleucia.

ejus. Nominando verò facere, ut sit quod non erat: illudque ipsum nominate, sit, esse dare, infinite sublimioris est potestatis: Dei solius per naturam, Elisabethæ verò per delegationem. Quatenus Regina, dare tantùm poterat nomina, quæ nuda tantùm erant nomina: Quà *Sancta*, dabat nomina, quæ *esse* dabant & immutabant: hinc omnibus Reginis major Regina.

Ut Elisabethæ potestatibus coronidem imponam, cum finiente omnia, quæque illis prævalet, qui omnia possunt, potestate finiam, quæ est mors. Reginis Regibusq; cunctis mors prævalet potentiâ, quæ nihilominus Reginæ nostræ fuit subjecta. Mors occidit Elisabetham, Elisabetha verò potentior; nam occidit mortem. Ast quomodo? eò quod mors resolvere & in cineres redigere nequivit, ab illa anima quondam vivificatum corpus: quod à trecentis jam annis incorruptum perseverat. Christus per Prophetam comminando morti dicebat: *Ero mors tua, ô mors.* Sis, licet, mors, ego te occidam, eroque mors tua. Fuit quidem illud vaticinium: eventus tamen ostendisse videtur contrarium mors quippe occidit Christum. Age, si mortuus est Christus & à morte occisus, quomodo se mortis mortem futurum asserit? Ità prorsus fuit duplici sensu. Fuit mors mortis in nobis, quia occidit mortem animæ, id est, peccatum: & fuit mors mortis in se, occidit enim mortem corporis, quia mortuum corpus Christi mors resolvere & in cineres redigere nequivit. *Quoniam non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Mors occidens & viva remanens, hominis occisi corpus in cineres redigit: quando verò occidendo moritur, quando mors moritur mortua manens, occisi à se corpus resolvere & incinerare nequit. Et hoc pacto, corpus Christi se potentius dissolvere nequivit. *Tam potentem adversarium nostrum, dum occideres, occidisti.* Inquit S. Hieron. majore verborum elegantiâ, quàm nostra sint capacia. Porrò quod tribus diebus apparuit in corpore Christi, trecentis jam annis visitur in corpore S. Elisabethæ. Sed unde hæc Elisabethæ privilegii prærogativa? non à corona, sed sanctitate: non quia Regina, sed quia sancta: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.*

Osee 13. v. 14.

Psal. 15. v. 14.

S. Hieron.

§. VII.

HAnc, Auditores, mortuæ Elisabethæ imaginem, sed cum dotibus immortalitatis depictam, quæso, in animabus nostris circumferamus semper: utque altius animabus imprimatur, Elisabethæ alterius, similiter Lusitanæ, similiter coronatæ, similiterque mortuæ effigiem illi opponamus. S. Franciscus Borgias apertâ tumbâ, quæ Elisabethæ Imperatricis, Caroli Quinti uxoris corpus continuerat, videns corpus & faciem illius, quæ paulò ante naturæ miraculum fuerat, sic deformatum & horridum, in tantum obstupuit attonitusque hæsit, ut solus hic aspectus ad sanctum illum faciendum sufficerit. Enim verò si effigierum istarum una tantum tales operata fuit effectus, quid utraque non efficiet ex adverso sibi collocata? Ibi Elisabetha! hîc Elisabetha: ibi corona, hîc corona: ibi corpus mortuum & totaliter corruptum, hîc corpus mortuum, sed incorruptum, & quasi immortale. O mutationem; ô diversitatem ô differentiam! ô veritatem! Sic

Audi-

Auditores, quis moritur, & sic mori potest.

Rationabiliter isti Elisabethæ effigie Roma superscripsit : *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram* : Excusabiles aliquatenus hucusque videntur fuisse orbis Monarchæ, quòd apparentis & veri, Regii, seu Imperialis, & Sancti, corona & coronæ, regiminis & regiminis distantiam ignoraverint. Ast nunc & deinceps viso tanto prodigio, tam luculento, cælesti & constanti testimonio : viso mortis respectu, quem exhibuit, seu potestatis defectu circa spolia mortalia & jam mortua Elisabethæ : & multò potiùs adjuncto Majestatis utriusque parallelo, ejusdem nominis, ejusdem sanguinis, ejusdem denique supremæ dignitatis, quis Regum non intelliget, quod malè intelligitur ? Quis Principum non dabit operam, ut addiscat, cui tam parum studetur ? *Intelligite & erudimini.* Non dico (nec Deus mandat) ut coronata Capita Carolum imitentur, alterâ tantùm hujus exempli parte contentum, neque ut abdicent repudientque coronas (quod ille fecit) Hoc tantum dico, cunctisque Regibus mandat Deus, ut addiscant, nec illas, neque seipsos perdere; sed negotiari in illis : & ex Canonizatæ Elisabethæ Reginæ & Sanctæ exemplo intelligant, se quoque sanctos esse posse, absque eo quòd desinant esse Reges : majoresque Reges futuros, si fuerint sancti. Regnantium negotiatio non consistit in eo, ut terræ circulos coronis suis adjiciant, qui sive majores, sive minores fuerint, esse desinent : sed in acquirendo, assecurando, & amplificando sibi coronam in omni æternitate mansuram. Hoc Pacto negotiata fuit prudens illa Regni cælestis negotiatrix, nunc major, potentior, veriorque Regina. Hoc modo regnat, regnabitque in æternum : sic fruitur, sine fine fruitura incomparabilibus prudentis & fortunatæ negotiatricis lucris. In terris, dum stabit mundus : In altaribus & cœlo per omnem æternitatem,

in sublimi gloriæ throno,

Amen.

Psal. 2. v. 10.

SERMO

SERMO

DE

Gloriâ Beatissimæ MARIÆ Virginis Dei Matris in die ejus gloriæ Assumptionis habitus Ulyssippone in Ecclesia B. Virginis de gloria. Anno 1644.

Maria optimam partem elegit. Luc. 10.

§. I.



Optimè in hac die, & hoc loco titulus Ecclesiæ cum titulo Festi, & titulus Festi cum titulo concordat Ecclesiæ : Ecclesia est Beatæ Virginis, de Gloria : Festum est de gloria B. Virginis. Evangelium, quod omnium dicendorum erit fundamentum, illi similiter gloriæ accommodare cuperem: Verùm, quod ex illo, vel de illa hucusque fuit dictum, neque desiderio meo, neque considerationi meæ correspondet. Evangelium inquit; *Maria optimam partem elegit.* Porrò Sancti & Theologi, qui plurima de hoc Festo scripsêre, electionem istam & partem Beatissimæ Virginis gloriæ accommodantes, illam reverà fuisse optimam, tantùm astruunt : gloria enim, ad quam Beatissima Virgo hodie ascendit, quâque in cælo fruitur, Beatorum omnium gloriam transcendit. Beati glorioſi, vel homines sunt, vel Angeli sunt : Et non solùm his comparativè ad invicem, sed conjunctim sumptis, majorem asserunt Beatissimæ Virginis gloriam, omnium hominum & Angelorum non divisim, sed collectim sumptorum gloriâ. Ingens gloria! Grandis, incomparabilis, immensa ! Sol non solùm stellas singulas & planetas singulos seorsim, sed omnes universim, & simul claritate sua & splendore incomparabiliter excedit. Hinc Beatissima Virgo hodie vocatur, electa ut Sol. *Quæ est ista, quæ ascendit, electa ut Sol?* Cant. 6. v. 9. Mare non solùm quemlibet fontium aut fluminum, sed universa, & simul, vastitate suâ in immensum excedit; idcirco Beatissima Virgo dicitur *Maria*, quod Mare significat; & tantummodò propter hoc nomen (aliud enim in Evangelio non habetur) Evangelii verba ipsi accommodantur. *Maria optimam partem elegit.* Istud tantùm (ut dixi) Sancti & Theologi asseverant. Sed nec Evangelium hoc sensu explicatum, nec Beatissimæ Virginis gloria sic declarata, nec comparatio ejus taliter deducta, considerationi meæ respondet. Evangelium dicendo *optimam partem*; multò plus insinuare velle mihi videtur. Gloria Mariæ, cum sit Mariæ Matris Dei, amplior, & comparatio cum aliis tantùm beatis nimis

quàm restricta, & quasi indigna mihi esse videtur. Porrò mea consideratio est (Deus me in illa adjuvet) quod comparatio gloriæ ad gloriam, non tantum facienda sit inter gloriam Mariæ, & omnis alterius, seu humanæ, seu Angelicæ creaturæ, sed ipsiusmet conditoris gloriam, quem Maria genuit. Textus & verbum, *Optimam*, ad omnia sese extendit: cum enim sit superlativum, res in summo constituit gradu, à quo Deus non excluditur, sed essentialiter potiùs inest. In hoc tam sublimi sensu hodie probare & demonstrare statui, quod gloriâ Mariæ, cum gloriâ ipsius Dei collatâ & utraque in duas divisâ partes, optima sit pars Mariæ: *Maria optimam elegit*. Quæso, ne me necdum auditum condemnetis: confido etenim me non condemnandum, si ipsa B. Virgo de gloria, suâ mihi gratiâ assistat. Ave Maria.

§. II.

Maria optimam partem elegit.

OMnes Auditores meos, propositi exspectatione assumpti suspensos & attonitos intueor: Curiosos, cum indifferentia; devotos, cum hilaritate: criticos cum censurâ jam anticipatâ, & omnes cum ratione. Certum est & de fide, quantamcunque demum B. Virginis Mariæ gloriam, à gloria Dei in infinitum excedi: sicut ille, qui solus est incomprehensibilis, infinitus existit per naturam. Proinde si gloria Mariæ tanquam puræ creaturæ (posito quod omnes creaturas excellat) est finita, & infinitè minor Gloriâ Dei, quonam pacto affirmare præsumo, aut intelligi oportet, quod collatâ cum gloria ipsius Dei, Verba Evangelii in gloria Mariæ verificentur, & Maria optimâ gaudeat & fruatur parte: *Mariam optimam partem elegit*?

Ad evincendam hanc veritatem, aliud non minus difficile & implexum dubium, in ipsis Evangelii verbis enodandum habemus. Istam, quam textus meliorem vocat partem, eodem attestante textu, Maria elegit: *Maria optimam partem elegit*. Hæc electio similiter locum non habet, nec verificari potest in gloria B. Virginis. Electio gloriæ solius est Dei; Deus est, qui Beatos omnes elegit & collegit ad gloriam, qui propterea vocantur electi. Et quamvis inter electos omnes B. Virgo primatum teneat, nihilominus non eligens, sed electa fuit. Hoc Ecclesia insinuat, eundem B. Virginis in cœlum ingressum decantans: *Elegit eam Deus, & præelegit eam: in tabernaculo suo habitare facit eam.* Si igitur Maria electa fuit ad gloriam, quam in cœlo possidet, & electio fuit Dei, & non ejus, quâ ratione eadem Ecclesia, accommodatis ei verbis, ipsammet Beatissimam Virginem eligentem fuisse, optimamque elegisse partem astruit, *Maria optimam partem elegit*? Elucidato & intellecto hoc dubio secundo, primi patebat solutio. Videte nunc & attendite. Certum est, B. V. Mariam à Deo electam fuisse ad gloriam: certissimum similiter est, gloriam Dei infinitè majorem esse gloriâ Mariæ: nihilominus Evangelium asserit Mariam fuisse quæ elegerit, optimamque elegerit partem: utrumque mysteriosè valde & emphaticè. Mariam elegisse asserit: quamvis enim electio non fuerit Beatissimæ Virginis, gloriæ ipsius excellentia tanta est, ut non pro ipsa fuisse videatur electa, sed Maria illam elegisse pro se. Et luculente pronuntiat Mariam optimam elegisse partem; *Eccles.*

tem: quamvis enim gloria Dei gloriam ipsius excedit in immensum, optima pars, quam Mater eligere potest, est ut filii sui gloria major sit sua. Quemadmodum Maria mater est Dei, & Deus filius Mariæ, Beata Virgo magis gloriatur, filium suum istâ gloriæ immensitate gaudere, eâdemque in filio suo se frui, quàm si frueretur in se ipsa. Unde sequitur, quod, gloriâ Dei & Mariæ divisim consideratâ, quia pars Dei est maxima, idcirco pars Mariæ est optima; *Maria optimam partem elegit.*

Pro omnibus vobis, qui parentes estis, fortiore & meliore asserti mei probatione non indigeo, quàm propriis vestris affectibus, naturalique cordium vestrorum dictamine. Edicite mihi, si qua in hoc mundo sese offerret dignitas, si quis honor, si quæ insignis excellentia, vestroque liberum relinqueretur arbitrio, vel vobis illam, vel filio vestro eligere: utrinam illam optaretis? Nullus dubito, quin filio vestro. Idem considerandum venit in gloriâ Beatissimæ Virginis Mariæ. Nil verius, quàm quod gloria Dei illam Matris suæ in infinitum excedat: sed sicut infinitus ille gloriæ excessus est sui filii; suoque inest filio, in meliore ipsum possidet & fruitur parte, quàm si frueretur in semetipsâ. Hoc sensu ego intelligo, supponoque sic illud intelligere omnes, qui parentes existunt. Verùm quia multi auditorum istius sunt experientiæ ignari, & in ipsis cordibus humanis, sive paternis, sive maternis affectus isti minus debito ordinati inesse possunt: pro gloria Beatissimæ Virginis de Gloriâ, & pro clariore evidentiâ, quod glorioſior sit per gloriam filii sui, quàm per suam, & eadem in suo fruendo filio, in meliore parte ea fruatur; Veritatem eandem universali, omnibusque sacris, Ecclesiasticis, & profanis scripturis consono probatam testimonio audiamus. Primum locum occupent Philosophi, secundum Sancti Ecclesiæ Patres, tertium scripturæ divinæ, quartum & ultimum. Deus ipse in persona Patris: & videre licebit conformitatem effectus illius, cum affectu hujus summæ Matris; cum ambo ejusdem sint filii parentes.

§. III.

EXordiamus à Philosophis. In quæstionem adducit, subtilissimeque disputat Seneca, libro tertio, è quinque, quos de beneficiis inscribit: utrum filius beneficio quopiam parentem suum vincere possit. Ratio dubitandi est: quia primum & maximum beneficium, est *Esse*: cumque Pater filio suo dederit *esse*, filius idem Patri suo dare nequit. Sed differentia ista, in casu nostro locum non habet, loquimur enim de Patre & Filiâ, in quâ Pater est Pater, & filius ejusdem Matris: Et Mater simul est Mater, & filia ejusdem Patris. Ab isto nihilominus naturæ impossibili abstrahendo quod Philosophi Gentiles non cognoverunt, idem Seneca resolvit? quod filius Parentem beneficio majore vincere possit: probans Æneæ exemplo, qui per medias Græcorum lanceas ensiumque cuspides, Trojano ex incendio, impositum humeris senem Anchisen salvum & incolumen eripiens, generositate majore vitam dedit Patri, quam ab illo acceperat. Laudabili hoc, nec non generositatis & pietatis pleno considerato, ut par est, spectaculo, neminem dubitaturum puto, quin filius vicerit parentem. Uter verò eorum in hoc glorioſio

videtur, filius vincens, an Pater victus? Exemplo illi, author idem & Philosophus adjungit aliud Antigoni & aliorum, qui parentibus suis, ultra vitam & *Esse*, quod illis debebant, contulerunt, ita concludens: *Felices qui vicerint, felices qui vincentur: quid autem est felicius, quàm sic cedere?* Quando filii vincunt parentes, se majores illis ostendendo, felices sunt, vincentes, & felices sunt victi: Majus enim gaudium, majorque Patri nequit esse gloria, quàm videre se à filio victum. Grandis est gloria filii vincere patrem, à quo accepit, *Esse*! sed longe amplior gloria est Patris videre, se *esse* dedisse filio, à quo vincatur.

Senec. de off. lib. 3.

Verùm enim verò, quod Seneca asserit loquendo de beneficiis, æqualiter, & multò potius in omnibus aliis valet actionibus & excellentiis, quibus parentes à filiis sese conspiciunt victos. Ad alium transeamus Philosophum, qui penitiùs adhuc, quàm Seneca, naturales penetravit affectus, nec congruentiore solum stylo, sed speculatione profundiore cordis humani anatomiam perspexit. Patallelum facit Ovidius, inter duos Cæsares, Julium & Augustum illum Patrem & hunc filium: discursum concludens asserendo, glorioſissimum omnium Julii Cæsaris facinorum fuisse, talem habuisse filium, scilicet Augustum:

Ovid. metamor.

----- *Nec enim de Cæsaris actis*
Ullum majus opus, quàm quod Pater extitit hujus.

Communis Romanorum opinio credebat, cometam queneam, qui in Julii Cæsaris obitu apparuerat, ejusdem fuisse animam inter Deos collocatam, tamquam unum ex illis, Potrò in medio fictæ hujus beatitudinis, quænam major vobis esse videtur hominis gloria, qui, quotquot mundus dare potest, in vitâ hac acquisierat? idipsum docet Ovidius (in supponendo fallax, fabulosus ut Poëta, in discurrendo autem verax ut Philosophus) Julium Cæsarem id fecisse ex alto, quia respiceret & videret filium suum Augustum: cujus contemplando magnificentiam, & præclara facta, agnosceret confitereturque suis esse majora, maximoque exinde percepto gaudio, summam sibi reputaret gloriam, videre se victum ab illo.

Idem.

Natique videns benefacta fatetur
Esse suis majora, & vinci gaudet ab illo.

Ah Virgo glorioſissima! te verè in cælo commorari credimus & veneramur: ast ex fabulosæ istius considerationis umbris, quis, quæso, non aliquatenùs considerando assequatur, quantò intensiores ibi sint affectus, & gloriæ filii tui majores? intueris, contemplaris, velut in speculo lucidissimo, *esse* infinitum: attributa infinita, majestatemque filii tui unigeniti infinitam & immensam cognoscis & confiteris, ea infinitè tuis esse majora: *Fatetur esse suis majora.* Sed eandem evidentia, quâ tuus te filius vincit in gloria, ejusdem tuæ gloriæ optima pars est, de qua magis gaudes, æternumque gaudebis cum illo: *Et vinci gaudet ab illo.* Quis, amabo, sibi imaginaretur, quod Julius Cæsar, Scipionis & Pompeji, totque aliorum famosorum Ducum victor: Africæ, Ægypti, Galliarum, Hispaniarum, ipsiusque Romæ domitor: quis inquam sibi imaginaretur, quod fastuosum illud tumidumque pectus, nec superiorem, nec æqualem sibi sustinens in mundo; gauderet gloiaretur que se ab alio victum? Sicut autem

Augu-

Augustus vincens ejus filius erat, ab eodem esse victum, major ejus erat victoria; major triumphorum ipsius erat triumphus, & gloriarum ipsius maxima erat gloria: *Et vinci gaudet ab illo.*

Ne quis verò scrupulus, ex hoc exemplo nobis resideat, assentationem esse poëticam, quamvis affectui naturali adeò consentaneum sit, testimonio illud historico & vero, æquè aut fortassis etiam magis notabili ac præcedens fuit, confirmatum imus. Plutarchus non celebris minus Historicus, quàm Philosophus, maximum amoris affectum, quo Rex Macedonum Philippus in filium suum Alexandrum, à primis jam annis propter indolem, regiamque in omnibus ejusdem conceptibus, dictis & factis, elucescentem generositatem, magni nomine dignum ferebatur, mirificè extollit. Et in excessivi affectus illius probationem experimentum quoddam adducit, quod nec in subditis periculo, nec in Rege offensâ carere solet: nisi Regis in filium amor benigniùs illud interpretaretur. Casus fuit talis. Macedones, non obstante fide, quam Philippo Regi debebant, Alexandrum publicè Regem, Philippum verò Ducem compellabant. Quo verò pacto Philippus injuriam castigaret? Non datur Zelotypia impatientior præceps magis & vindicativa, quàm quæ sceptrum coronamque concernit. Vix purpura recens aut antiqua, ob leves in hoc puncto suspiciones, sanguine non fuit tincta. Et Philippus, qui Macedoniæ imperium adeò dilatârat, vivo sibi & præsenti negatum Regis nomen & titulum in filium Alexandrum, à propriis suis subditis transferri, æquo animo ferat? si sic: magnum profecto quid foret; multò verò majus per omnem modum fuit, quod non æquo tantùm id animo tulerit, sed valde honorificum sibi glorioſumque lætando ostenderit. Audiatur Plutarchus: *Hinc filium non immeritò Philippus dilexit, ut etiam gauderet, cùm Alexandrum Macedones Regem, Philippum appellarent Ducem.* Philippus erat pater, Alexander ejus filius: tantumque abfuit, ut filium sibi præferri, ægrè ferret, ut assentationem illud potiùs & gloriam, maximumque suum gaudium reputaret. *Ut etiam gauderet:* Ablatâ sibi, in filiumque translatâ coronâ. Philippus per optimè se coronatum putabat: non expectata morte sua, Alexandro filio regni hærede & successore declarato, Philippus immortalem se censebat: inferiore compellari nomine, pro maximo habebat: Dux tantummodò vocatus, glorioſam hanc injuriam illustrissimæ victoriæ applausibus excipiebat. Maxima siquidem patris alicujus gloria, est à filio vinci. *Et vinci gaudet ab illo.* *Plut. in Alex.*

Affectus hujus ratio ex Philosophia naturali deducitur. Maximum etenim desiderium (quando obtinetur) maximum naturaliter gaudium consequitur maximum porrò desiderium quod aut habent, aut habere fas est parentes, in eo consistit, quod tales genuerint filios, à quibus non exequentur solùm, sed vincantur etiam, & excedantur. Ita illud Philosophiâ, æquè ac Poëti insignis Claudianus, Imperatori Theodosio accinebat, virtutes Imperiales, militares, ac politicas, in quibus Honorius filius ejus, ab ineunte mox ætate, mirè proficiendo, non exæquabat tantùm, sed excedebat patrem, copiosè discribens, factâ

ad ipsum Imperatorem apostrophe audacter eundem alloquebatur:

Claudianus in 2. Honor. Consul.

Aspice nunc, quacunque micas, seu circulus Austri,
Magne parens, geledi seu te meruêre Triones,
Aspice, completur votum, jam natus adæquat.
Te meritis, & quod magis est optabile, vincit.

Inde, ubi velut stella Martis, tuis mundum victoriis illustras, sive in circulo sit Austri, sive in frigido Septemtrione, aspice, fortunatissime Imperator, Honorium filium tuum, quamvis, velut Imperator, Magni nomen es consecutus; vulgi voce te, Magnum Theodosium celebrante: mea vox (inquit Claudianus) mea vox non te Magnum Imperatorem, sed Magnum Patrem compellat; *Magne Parens.* Quod ego inter omnes fortunæ tuæ glorias magis deprædico, oculisque tuis objectum dignius æstimo, quod videas, iterumque videas; *aspice, aspice.* Id enim assecutus es, ut habeas filium, non solùm tibi æqualem, quod omnes parentes obtant: Verùm qui modo te vincat, quod parentibus cunctis optandum est: *Et quod magis est optabile, vincit.* Notate benè verba, *Quod magis est optabile*: nostroque casui ea accommodate. Quod maximè est obtabile, optimum est quod elegi potest: Porrò sicut maximè optandum est parentibus, & filiis vinci: benè concluditur, quod si inter gloriam Dei, & Matris ejus, optio daretur Matri, Beatissima Virgo illud utique eligeret pro se ipsa, in eadem gloria à filio suo vinci & excedi: sicuti verè vincitur & exceditur: *Et quod magis est obtabile, vincit.* Deus incomparabiliter infinitâ suâ, quâ gaudet gloriâ, Matrem suam antecellit: sed veluti idem iste excessus maximum est, quod Maria desiderare, & optimum, quod, quâ Mater, eligere poterat; hinc rationabiliter dicitur, quod Maria optimam hodie elegerit partem: *Maria optimam partem elegit.*

§. IV.

AUdivimus Philosophos, ex ore naturæ loquentes: Sanctos Patres, ex ore Ecclesiæ loquentes nunc auscultemus. Sanctus Sidonius Apollinaris Episcopus Avernensis sæculi quinti Pater, quo tempore Gothi dominabantur Italiæ, præfecto eorundem Audaci scribens, sua illi orationum precumque suffragia promittendo, ita concludit: *Deum posco, ut te filii consequantur, & quod magis decet velle, transcendant.* Rogo Deum pro te, & filiis tuis (inquit eloquentissimus Pater) pro illis, ut te imitentur: pro te, ut te transcendant. Ut te imitentur: hoc enim illis facere incumbit. Ut te excedant; hoc enim tuum est desiderare. *Et quod magis decet velle, ut transcendant.* Utinam hodie tales existerent patres, talisque filiorum educatio vigeret, ut sic pro utrisque precari liceret! Sed eheu! contrarium è diametro evenit, ut lamentandum sit nobis de ætate nostrâ, quod Gentilis alius lamentatus fuit de suâ: *Ætas parentum pejor avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem.* Avi fuerunt mali, parentes sunt pejores, nepotes erunt pessimi. Parentibus gloriandum esset, non solùm quod forent boni: sed sic educandi filii, ut gloriari possent illos esse meliores se. Sed missis istis incongruis huic festivitati lamentis, ad SS. Patres revertamur, quos inter, duos Græcæ Latinæque

Sidon. Apollin. Epist. ad Aud.

Horat.

que Ecclesiæ antesignanos, Nazianzenum & Augustinum audiamus.

Binas elegantes admodum epistolas S. Gregorius Nazianzenus concepit: unam ad Nicobulum Doctorem famosum, nomine filii ipsius: alteram ad filium, ejusdem Nicobuli nomine. In harum prima filius à Patre petit, scholas frequentandi, literisque operam navandi copiam dicens: *Gratia quam posco Genitor carissime, Patris est magè, quàm nati*, q. d. Gratia, quam peto à te, Pater, est potiùs pro te, quàm pro me: est potiùs tua quàm mea. Casu quo, adolescens literas tantum addiscendi cupidus hoc dixisset, non tantopere mirarer: sed Gregorio Magno, cui singularis eulogii vice tribuit Ecclesia, quod in nullis suis scriptis erraverit, ex ore & persona adolescentis illius loquente, quo pacto verificari potest, gloriam filii potiùs esse Patris, quàm ejusdem Filii, *Patris est magè quàm nati?* Enimverò, si ista vera est propositio, eâdem ad intentum nostrum accommodatâ, sequitur, quod gloria Dei magis est Mariæ, quàm ipsius Dei: Deus enim est Filius, & ipsa Mater. Ne verò dubium suboriatur, quod de utriusque gloria loquamur, idem se mox Sanctus P. Nazianzenus declarat sequentibus verbis:

Gloria namque Patris, natorum est fama decusque.
Ut rursus natis est gloria fama Parentum.

Quomodo igitur in hoc, seu quotunque alio casu, gloria filii magis esse potest Patris, quam filii: *Patris est magè quàm nati?* Nullus dubio relinquitur locus, quin sic sentiendo sit locutus, velut qui tam profundè affectuum humanorum subtilitatem penetrabat, quos inter paternus amor, uti intensior fortiorque existit, ita etiam primas sibi merito vendicat. Dicit itaque quod gloria filii magis sit Patris, quam ejusdem filii: quia parentes magis delectantur gloriâ filiorum in ipsis, quàm in se. Proinde in hoc sensu veraciter & propriè naturaliter dici potest, quod gloria Dei certo modo, magis est Mariæ, quam Dei: cum enim non sit ejus, uti non est, est de filio unicè suo, in quo magis illam æstimat, eâque gloriatur, quam si esse posset, & foret sua.

Hunc in modum Nazianzenus, ex ore & personâ filii fuit locutus. Videamus nunc, quid ex ore & personâ Patris filio respondeat: *Sis sanè præstantior ipso Parente.* Age, fili, professionem meam, nec non literaturæ scientiæque meæ magnitudinem, juxtà mundi famam & prædicationem æmulari desideras? promptissimè acquiesco. Verùm, non hoc solo contentus, Deum rogo, quatenus in eis sic excellas, ut multum me transcendens, parente tuo longè celebrior evadas: *Sis sanè præstantior ipso Parente.* Ita Nicobulus, & pro ipso locutus est Nazianzenus adjuncta ratione casui nostro tam propriâ, quasi meâ. *Nazianzen.*

Gaudet enim genitor cùm palmam præripit ipsi
Virtutis sua progenies: majorque voluptas,
Hinc oritur, quàm si reliquos præverteret omnes.

Opto, fili, ut major me evadas, majus enim gaudium nequit esse parenti, quàm videre sibi à filio præripi palmam: & hoc modo videre se victum ab illo, multò magis gloriatur, quàm si alios omnes quotquot sunt in mundo vicisset. Mutato nunc *Genitoris* nomine in *Genitricis*,

Nazian-

Nazianzenum de gloria Mariæ in cœlo locutum putare, ubi excellenter adeò à gloria filii sui se victam contemplatur.

Gaudet enim Genetrix, cum palmam
præripit ipsi
Virtutis sua progenies.

Maria intuendo Deum, ab immensitate gloriæ ipsius infinitè se victam cernit: sed quia gloria illa non alterius est, quàm sui filii; *sua progenies*, ipsum, videre se victam ab illo, victoria ipsius & palma existit: *Cum palmam præripit ipsi.* In aliis concertationibus, palma debetur victori: filio verò cum patre vel matre certante, patri vel matri victæ palma debetur: quia nihil ipsis glorioſum magis, quàm habere filium, à quo, hac parte, vincantur. Præsens dies Beatissimæ Virginis de Gloria, etiam vocatur Beatissimæ Virginis, de palma Uti enim habet traditio eorum, qui glorioso ejus transitui adfuerunt, Angelus optatis hisce nunciis deferendis de putatus, allatam simul palmam manibus ipsius inseruit, quâ velut mortis mundique devictrix, inter lætos totius cœlestis curiæ applausus & jubilos, cœlum triumphatura intraret. Eja ascende Domina, ascende, & collocatum tibi super omnes cœlestes hierarchias conscende thronum: ubi infinitè glorioſior te palma expectat. Et quæ palma? non illa, quâ omnes spiritus beatos in gloria longè transcendis: sed illa, quâ in ipsa gloria à filio tuo es victa. *Cum palmam præripit ipsi sua progenies* Grandis profectò Beatissimæ Virginis est gloria, super choros & hierarchias spirituum Angelicorum exaltatam se videre in cœlo: Grandis gloria, omnes Potestates & Principatus, Cherubinos, Seraphinos, longè inferiore loco, dignitate, honore, gloriâ sub se relictos cernere; denique incomparabiliter excedere universos. Nihilo seciùs, in hoc gloriæ excessu, infinitè se victam videre à filio, istud est, de quo in immenso hoc gloriæ mari magis gloriatur: istud est, de quo, in illo deliciarum æternarum paradiso magis jucundatur: *Majorque voluptas hinc oritur, quàm si reliquos præverteret omnes.*

Ad S. Augustinum transeamus, qui multò adhuc subtilius, hujus non veræ minùs, quàm rationalis complacentiæ causas & effectus penetravit. S. hic Augustinus, & suo, & Elvidii nomine, ad Julianam, Demetriadis S. Hieronymi epistolis insigniter celebratæ Virginis Matrem scribit. Enim verò, quia hæc Domicella ex consulari sanguine oriunda, spretis gloriis & honoribus, divitiis, aliisque mundi pompis & vanitatibus nuncio remisso, in sublimissimo perfectionis Evangelicæ statu totam sese Deo devoverat: S. Augustinus matri desuper gravissimis hisce verbis congratulatur: *Te volentem, gaudentemque vincit: genere ex te, honore suprate: in qua etiam tuum esse cœpit, quod in te esse non potuit.* Filia tua Demetrias, ò Juliana, status sublimitate verè te vincit, ad quem illam profeciſſe cernis: verùm, te utique optimè contentâ & applaudente: *volentem gaudentemque vincit*: est enim filia tua, à qua victam te cernis, *genere ex te, honore suprate.* Honore, quo gaudet, te superior existit: Verùm, quemadmodum generationem habet ex te, ita etiam idem ipsius, honor est tuus: quod enim nequis habere ex te, & in te, eodem nunc frueris in illa, eo quod tua sit filia; *In qua etiam tuam esse cœpit, quod in te esse non potuit.* Pergit S. Augustinus consi- *S. Aug. ad Julianam.*

considerationem intendendo : *Illa carnaliter non nupsit, ut non tantum sibi ; sed etiam tibi, ultra te, spiritualiter augeretur, quoniam tu eâ consideratione minor illâ es, quod ita nupsisti, ut nasceretur.* Demetrias filia tua te major est, & tu illâ minor : sed si illa te sublimitate transcendit, non sibi solùm, verùm tibi etiam excedit ? iste quippe excessus, nascendo ex te compensatur : *non tantum sibi, sed etiam tibi, ultra te, eâ compensatione, ut nasceretur.* In unico tantùm similitudo minus quadrat ; Maria enim potest esse Mater instar Julianæ, & simul Virgo instar Demetriadis. Sed quantum nostro congruit casui, S. Augustini speculando expendit acumen.

Te volentem gaudentemque vincit. Vincit te gloriâ. Virgo Mater, filius tuus ; sed complacentiâ tuâ, gaudioque singulari : quippe cum gloriæ excessus sit ejus, idipsum tu magis optas, teque amplius oblectat : *Genere ex te, honore supra te,* Honore, excellentiâ, majestate, gloriâ immensâ & infinitâ, longè te transcendit : quia ipse est Deus, tu verò creatura : *Honore suprà te.* Sed ejusdem te in tantum transcendentis Dei generatio est ex te, *genere ex te.* Ex quo quid sequitur ? Illud nimirum, quod habeas istud, cujus ex te capax non eras, omnisque gloria ejus esse incipiat tua : *Etiam tuum esse cœpit, quod in te esse non potuit.* Deitatis incapax eras ; sed sicut te suam potuit efficere Matrem, quicquid in te non habes, in illo pleniſſimè possides. Ille major te, tu minor es illo : *Minor es*, sed totum illud majoritatis (quod est omnia) non solùm habet pro se, verùm etiam pro te : *Non tantùm sibi, sed etiam tibi, ultra te.* Ehen ! quis terminorum istorum combinationem : *Ultra te & tibi*, dignè nobis explicabit ? Gloria Dei, quatenus immensa & infinita, extenditur suprà te, *Ultra te* : quatenus verò est gloria filii tui, tota contracta reflectitur ad te, *Tibi.* Porrò ut radii solis reflectantur, termino indigent ubi sistant : Divinitatis verò filii tui gloria illiminata est, & illimitabilis, idcirco humanitate à te accepta limitatur, ut nascendo ex te, reflecteretur ad te : *Eâ compensatione, ut nasceretur.* Proinde illud *nasci de te*, compensatio vocatur, quâ Deus omnem tibi magnificentiam & gloriam compensavit, quâ te transcendit : nascendo enim de te, verus tuus filius existit, cumque tota illa gloria sit filii tui, pariter est tua, & ea parte, quâ tu optimam habes. *Optimam partem elegit.*

§. V.

NEc Philosophia in Gentilibus, neque Theologia in SS. Patribus proposito nostro congruentiùs loqui potuisse videtur. Scripturæ sacræ nunc aures præbeamus. Primum omnium, quod nobis offert exemplum, est illud laudatum Berzellai. Rebellante contra Davidem Patrem Absalone (sic degeneres filii debitam parentibus reddunt vicem!) potissimorum Regis Davidis asseclarum unus, nominatus Berzellai fuit, tam fideliter ipsi adhærens, ut (testante S. Textu) liberaliter & copiosè Regi commoranti in castris alimenta subministraverit. David Regno, Sceptro, Coronæque restitutus, præstiti sibi beneficii, humanitatisque exhibitæ memor (cujus plerumque alii Principes, mutatâ jam fortunâ nimis quam facilè obliviscuntur) ut condignam Fidelitati tantæ rependeret vicem, eum in aula secum remanere voluit. Porrò ut liberalitate eum vin- 1. *Reg.* 19. *v.* 3.

ceret, vel ne victus videretur, jussit ut vel ipse sese expediret postulando & accipiendo quantumcunque aut quidquid liberet : *Quicquid tibi placuerit, & omne quod petieris à me impetrabis.* Magnanimus Rex! Felix Vasallus! Cujusnam verò vobis esse videtur felicitas illa ? Berzellai Parenti filius erat, nomine Caimam, in quem oblatam sibi à Rege gratiam & remunerationem dirigere cupiebat dicens : *Idem.* *Est servus tuus Caimam, ipse vadat tecum, & fac ei quicquid tibi bonum videtur.* Qui historiam legerunt dicent, Berzellai sese accusâsse, quod gravem se annis consideraret, quodque ipse expressis allegat, verbis, *Octogenarius sum hodie*: Verùm id politica & aulica tantum fuisset recusatio, & non acceptandi modus, nec sufficiens renuendi ratio ; videmus quippe tot decrepitos senes, vestibus à palatii parietibus tinctis & attritis, titubantes & vacillantes gressu, caligantes oculis, anhelituque difficili, as- & descendere palatii gradus, superstitum adhuc vitæ dierum omninò immemores. Et si Berzellai ab hac contagione fuisset immunis, partitâ inter se & filium oblatâ gratiâ, uterque in aula demorari potuisset, grandium multorum exemplo, qui Jani adinstar, gemina cum facie, cani unâ imberbes alterâ videntur. Vera autem non acceptatæ, sed pro filio petitæ, nec in utrumque partitæ (cum penes ipsum staret electio) in venerando patre fuit ratio (juxta literalem Lyræ & Abulensis interpretationem) quia pater erat, designatoque honore se non minus in filio, quàm in semetipso gavisurum intelligebat. Cui ego addo, quod multò amplius in filio, quàm in se ipso fruiturus erat, quia ex hoc capite magis suus erat : juxta S. Gregorii Nazianzeni citatum superius assertum. Quis verò Sanctus ille nullam asserti sui dedit rationem, nos eam dabimus, notabiliore S. Scripturæ exemplo illam confirmantes.

Abrahamo filium suum Isaac immolare parante (res notatu dignissima, & notata!) cum Isaac holocausti victima esset : omnia arduæ hujus actionis & obedientiæ præconia cur Abrahamo soli, & non Isaaco fuêre tributa? Annon Isaac promptissimè immolandum se obtulit ? annon alligari se permisit ? annon altari consceuso lignis se se super imposuit ? annon gladium evaginari intrepidè vidit? annon ictum resignatione immotâ, & sine omni resistentiâ expectavit ? Quid ergo Abraham amplius præstitit, ut Isaaci obedientiâ silentio involutâ, Abrahami solius, tantis laudibus celebretur & extollatur ? In casu nulla est differentia, nisi quod Abraham Pater, & Isaac fuerit filius. Abraham plus Isaaci, quàm suam amabat vitam, & magis in hoc, quàm in seipso vivebat : proinde posito, quod uterque suam sacrificasset vitam & animam, Abrahami sacrificium, Isaaci sacrificio magnanimitate præponderasset ; Isaac enim suam tantum, Abraham verò plus quàm suam, quia etiam filii sui vitam immolasset. Hucusque dicta ritè procedunt, sed progrediendo, meo quidem judicio, consideratione dignius quippiam noto. Deus plus quàm heroicum hunc Abrahami actum remuneratus est ; sed in quo ? non in Abrahamo, sed Isaaco ejus filio : *Quia fecisti rem hanc, benedicentur in semine tuo omnes gentes ; in Isaac vocabitur tibi semen.* Enimverò si sacrificandi actus deprædicatus fuit in Abrahamo, & non in Isaaco, quare ordine inverso, non in Abrahamo, sed remunetatus fuit in *Gen. 17. v. 10.*

Isaaco ?

Isaaco? ex eodem capite & causa sic fieri oportebat. Actus celebratus fuit in Abrahamo, & non in Isaaco: Isaac enim suam immolavit vitam, Abraham verò vitam immolavit, quam plus diligebat, quàm suam, quia sui filii erat: parique pacto non in Abrahamo, sed Isaaco fuit remuneratus, ut ipsa quoque remuneratio, eò quod sui esset filii, majoris æstimaretur ab ipso quàm si sua fuisset. Age, vita quam sacrificasti, erat plus quàm tua, erat enim filii tui: sit igitur etiam remuneratio filii tui, ut plus sit, quàm tua. Et cum parentes filiorum suorum bona pluris faciant quàm sua propria, & de iis plus gaudeant & glorientur in illis, quàm in se ipsis: videte an non B. Virgo immensam filii sui gloriam potiùs eligeret pro ipso, quàm pro se: an non illam, etiam suam, & plus quàm suam reputabit: an non denique ipsæ gloriæ, excellentiæ & prærogativæ, quibus se à filio infinitè transcensam videt, ipsam glorioſiorem reddant, & de iis amplius actualiter glorietur?

Idem ipse filius Mariæ, hoc ipso quod sit ejus, etiam Davidis filius nuncupatur. Porrò in ejusdem Davidis historia, tantum tamque universali scriptura sacra testimonium nobis suppeditat, ut probandæ huic veritati congruentius nec desiderari, nec inveniri queat. David morti vicinus, regni hæredem & successorem declarando, filium suum Salomonem in Regem ungi jussit: hujus ultimæ suæ voluntatis executione, Regii sanguinis Banaiæ Lateronum Duci demandatâ; qui pro declaratione facta (aliàs contentionibus obnoxia) Regis exosculatus manum pro cæremonia, eundem allocutus dixit: *Quomodo fuit Dominus cum Domino meo Rege, sic sit cum Salomone: & sublimius faciat solium ejus à solio Domini mei Regis David.* Exemplò mandatum regium executioni datum: consuetis & usitatis tum temporis, in similibus solemnitatibus cæremoniis, Salomonem in Gion unxêre in Regem; Neo-Rex inunctus mulæ insidens, præsonantibus tubis & tympanis &c. fausta omnia acclamante populo & exercitu Jerusalem fuit ingressus: porrò omnes Majores, Principes, duodecimque Triduum Duces aggratulatum accessêre Davidem, eâdem gratulandi formâ iteratò usi dicentes, *Amplificet Deus nomen Salamonis super nomen tuum: & magnificet thronum ejus super thronum tuum.* 3. Reg. v. 47. Quod singulariter hoc casu miror, est quod omnes concorditer dixerint idem. Simili occasione, congratulantium ingenia, animi, & affectus novos & varios gratulandi modos excogitant, certant singuli insolito applaudere modo, extraordinaria lætitiæ argumenta prodere, non usitato adulari stylo &c. & vel maximè Magistratuum & Rerum publicarum deputari. Quomodo igitur de tot Tribuum Ducibus, Principibus & Magnatis (inquiente textu *Venerunt omnes*) gratulandi stylum aut methodum nemo mutavit; sed consonâ omnes voce Davidi fuerunt apprecati, quatenus Deus filium suum Patre majorem faceret, thronumque Salomonis super thronum Davidis sublimaret? *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum: & magnificet thronum ejus super thronum tuum.* Sic locuti sunt omnes. Regi etenim tam famoso & glorioso, qualis erat David, nulla felicitas majorve gloria desideranda restabat, quàm habere filium, qui excedendo palmam

3. Reg. 1. v. 37.

præriperet ipsi : cujusque thronus sublimitate & magnificentiâ transcenderet suum. Davidi, quà Davidi, sufficiebat, fuisse Davidem : verùm quà Patri, & ut sic, aliâ ipsi adhuc gloria optanda restabat, quæ erat, talem habere filium, qui majestate, amplitudine, gloriâ, ipso etiam solio ipsum transcenderet : *Et manificet thronum ejus super thronum tuum.*

In cœlo duo throni cæteris supereminent universis : ille Dei, hic suæ Matris. Ille Dei infinitè sublimior est, hoc suæ Matris : & hic suæ Matris omnium creaturarum thronos sua sublimitate excedit. Gloria verò Mariæ, non in eo consistit, quod thronus ejus omnium creaturarum thronos transcendat ; sed in habendo filium, à quo thronus ipsius in immensum excedatur. Et de hoc omnes Spiritus beati ipsi hodie congratulantur in cœlo, per omnem æternitatem congratulaturi, nullo penitus sive in hominum, sive in Angelorum choris repetiendo, qui dicat aliud, aut dicere ausit aliud, quàm, *Thronus ejus super thronum tuum.* Maria in cœlo omnes Virgines in debita puritati, vel integritati : omnes Confessores, in debita humilitati : omnes Martyres, in debita patientiæ : omnes Apostolos, Patriarchas & Prophetas, in debita fidei, religioni, zelo divinique honoris promotioni gloriâ antevertat : sed tam Confessores quàm Virgines ; tam Martyres quàm Apostoli ; tam Patriarchæ, quàm Prophetæ, sepositis quibuscunque prærogativis, quibus gloriosè victos se cernunt, applaudendo, laudando, glorioſissimamque Matrem magnificando confitentur, thronum ejus, throno filii ipsius infinitè inferiorem esse. *Thronus ejus super thronum tuum.* Maria Angelos, & Archangelos omnes, Principatus & Potestates, Cherubim atque Seraphim, virtute, potentiâ, scientiâ, amore, gratiâ & gloriâ omnes antecellat : omnes hi spiritus Angelici, suppressit donis supernaturalibus cuique Hierarchiæ propriis, recognoscentes & venerantes excellentiam, quâ à B. Virgine, tanquam Hierarchiarum omnium Regina incomparabiliter transcenduntur ; omnes inquam velut ratione præditi, & prudentiâ ac sapientiâ illustres, hoc tantummodò dicere sciunt, & dicunt, hoc tantum admirando, & applaudendo iteratò ingeminant : *Thronus ejus super thronum tuum.* Ita ut homines pariter & Angeli consono conceptu, eademque consideratione illuminati, ante secundæ Majestatis (de gloria) thronum nihil aliud cantent, nihil aliud laudent, celebrent, faustisque acclamationibus applaudendo deprædicent, quàm illius filii esse Matrem, à quo ipsa, creata omnia transcendens, in gloria in infinitum excedatur. Porrò hoc est, quod in duos divisi choros, voce diversa, & in unam tantùm coeunte, alternatim, cæteris silentio pressis, applaudentes exclamant, & extollunt, ejusdem gloriæ parti, quam B. Virgo velut optimam elegit sese conformantes : *Optimam partem elegit.*

§. VI.

VErùm enim verò, ne electionis hujus præcellentia intellectus creati relinquatur arbitrio, ad intellectus divini ascendentes arcana videamus, quomodo Pater æternus, in omnibus libero suo arbitrio substratis, illam similiter electam, pro optima habuerit.

Pro meliore puncti hujus intellectu suppo-

ſupponendum eſt, quod omne, quod habet filius, aut poſſidet, Patre ſuo diverſimodè acceperit. Quod ad naturam & attributa Divina attinet. Verbum æternum ea à Patre æterno, non per electionem, ſeu liberum arbitrium ejuſdem Patris, ſed naturaliter & neceſſariò accepit. Cujus ratio eſt, quia generatio Verbi divina ab actu intellectûs procedit, qui omnem actum voluntatis, ſine quo non fit electio, antecedit. Verum eſt, quod licet generatio Verbi non procedat à voluntate, nec ſit voluntaria; non tamen propterea involuntaria ſit, aut contra voluntatem. Ex quo intelligi poterit energia & proprietas difficilium iſtorum verborum S. Pauli, quibus inquit, quod æqualitas, quam filius participat cum Patre in natura attributiſque divinis, non ſit furtum aut rapina, neque pro talibus à filio habita: *Non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo.* Enim verò, quare S. Paulus, Generationis Verbi modum declarando, metaphoricè comparat furto dicens, non fuiſſe furtum, nec quaſi furtò, ſeu rapinâ ſublatum, quod à Patre accepit? Divinè profectò, nec melius potuiſſet declarari. Furtum eſt, quod accipitur, retinetur & poſſidetur *invito Domino*, ſeu contra ipſius voluntatem. Et Divinitas, quam Verbum accepit à Patre, quamvis ex parte ejuſdem Patris non eſſet voluntaria, nihilominus non fuit contra voluntatem: non fuit voluntaria, ſic eſt: non tamen contra voluntatem fuit. Et ſicut Pater non fuit invitus in generatione Verbi, ſuæque Divinitatis communicatione (poſito quod non libera ſed neceſſaria eſſet) ita æqualitas, quam Verbum participat cum Patre, eſt verè ipſius nec rapinâ uſurpata, *non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo.*

Philip. 2. v. 6.

Hucuſque actum eſt de eo, quod filius neceſſariò & non per liberam voluntatem propriamque electionem accepit à Patre. Quid verò dicto modo accepit? quod ſequitur, & S. Paulus ſubjungit *Sed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen,* Filius per veram propriamque electionem officium dignitatemque Redemptoris generis humani accepit ſimiliter homo factus; & cum nova ineffabilique dignitate nomen accepi, quod eſt ſuper omne nomen ſcilicet nomen JESUS re & ſignificatione ſublimiſſimum, omnique veneratione ſupradigniſſimum, eſt enim nomen Dei: *Ut in nomine JESU omne genu flectatur.* Accepit judiciariam poteſtatem in ſe translatam, ſibique propriè competentem, ad exercendum univerſale & particulare vivorum & mortuorum judicium: *Pater non judicat quemquam, ſed omne judicium dedit filio.* Primum accepit thronum inter tres Sanctiſſimæ Trinitatis perſonas, ad dexteram Patris collocatus: *Dixit Dominus Domino meo, ſede à dextris meis.* Et quicquid hinc ſequitur, cum immenſa exaltatione ſui & gloriâ, Dei filius ab æterno ſuo Patre, per liberam voluntatem propriamque electionem accepit.

Joan. 5. v. 22.

Pſalm. 109. v. 1.

Verùm, ſi tota iſta nova exaltatio, ſi omnis iſta nova gloria, perſonæ filii, virtute & jure generationis æternæ non debebatur, in qua tantummodo, Patri naturâ attributisque divinis erat æqualis, & libera eandem exaltationem & gloriam dandi aut ſumendi, electio à Patris voluntate

luntate dependebat, quare illam sibi non accepit? sicut personam filii incarnavit, Patris quoque personam incarnare potuisset, quo casu nova dignitas Redemptoris, nomen super omne nomen, profundissima Angelorum hominumque adoratio, & reliquæ omnes prærogativæ & excellentiæ, quæ, mediante incarnationis & Redemptionis mysterio, filio accreverunt, non fuissent filii, sed Patris. Si igitur voluntaria & libera jam dictorum electio, in manu erat Patris, omnemque exaltationem & gloriam sibi poterat usurpare, quare illam personæ potius filii destinavit? nullâ aliâ de causa, quam quod hic erat filius, & ipse Pater: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo, super Sion montem sanctum ejus.* Quemadmodum Pater æternus suo in homines declarando amori, non dedit nobis seipsum, sed suum filium: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*: Pari ratione suo in filium amori testando, non sibi illas novas glorias assumpsit, sed filio reliquit certus, hoc ipso, quod sui essent filii, magis suas esse futuras, seque magis eis fruiturum in illo, quàm in seipso.

Psalm. 2. v. 6.

Joan. 3. v. 16.

Et quis filius, ô glorioſissima Virgo, nisi idem ipse tuus? Filius unigenitus æterni Patris, & filius unicus Mariæ Matris. Porrò si Pater æternus, in omnibus liberrimo suo eligendi arbitrio subjectis, omnes gloriæ excellentias & prærogativas suo elegit filio; eandem istam gloriam, quâ fruitur in se, & tu in illo, quàque infinitè excessam te vides, quis tanæ mentis dubitare poterit, tuam quoque esse electionem? Tota Ecclesia triumphans in cælo, & militans adhuc in terra agnoscit & confitetur, inter & super omnes puras creaturas, nullam similiorem esse Deo Patri, illâ singulariſsimâ Dominâ quam ille creavit, ab æterno in Unigeniti sui Matrem prædestinavit. Justum quippe erat, ut Pater & Mater, à quibus ambas participavit naturas, quibus constat, omni possibili modo sibi quàm simillimi torent. Et si amor Patris, cum sit à Patre, & Pater sine Matre, non sibi, sed filio omnes electioni suæ subjectas glorias elegit: nullus dubio relinquitur locus, quin amor Matris, & Mater sine Patre, non sibi, sed eidem filio suo, immensam illam, quâ gaudet, gloriam eligeret, hancque electionem optimam æstimaret, *Maria optimam partem elegit.*

Hoc ita de eadem Matre, idem intellexit Pater: idemque tam mirificè ejusdem Dominæ judicium, & erga filium probavit affectus, ubi electio propriè fuit sua. Pater æternus Matrem unigenito suo electurus, eâ circumspectione, & reflexione ad excellentiam & majestatem, quâ tam arctam & supremam cognationem & affinitatem evehebat, est usus, ut non solùm suum, id est, Patris, noluerit esse eligere Matrem; sed ut Matris quoque esset, eligere filium. Facillimum erat æterno Patri, in puriſsimis Beatiſsimæ Virginis visceribus, non prærequisito ejusdem consensu, immò sine ipsius sensu, humanitatem formare, veluti de costa Adami non vigilantis, nec sentientis, sed dormientis formavit Evam: Verùm ut filius futurus ipsius, quamvis Deus, non solùm esset ipsius, sed etiam electionis ejus; propterea (juxta mentem D. Thomæ) ex primariis aulæ suæ Principibus aliquem delegavit ad eam, qui vice sua, exigeret fidem, negotiaretur & evinceret consensum, quem nomine suo acceptatum ratificaret. Illud, (juxta S. Paulum,) maxi-

D. Thom.

mum

mum fuit myſterium, graviſſimumque negotium cœlum inter & terram unquam agitatum, à Beatiſſima Virgine prius non nihil intricatum, ab Archangelo Gabriele poſtmodum perſuaſum & abſolutum Quibus verò rationibus & motivis, ad perſuadendum & concludendum eſt uſus? caſus eſt admirabilis, ſingulariterque probans ex parte Dei, Angeli, ipſiusque Matris, quænam pars in electione ejus ſit optima.

Mariâ legationem expendente, cæleſtis legatus urget & inſtat, ad eliciendum conſenſum promiſſa allegans ſequentia: *Luc. 1 v. 31.* *Ecce concipies & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: Hic erit magnus, & Filius altiſſimi vocabitur: dabit illi Dominus Deus ſedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Neſcio num adverteris quid Angelus dixerit; aut ſubticuerit, quid promiſerit, & non promiſerit. Quicquid promiſit, honorificentiam, majeſtatem, ſublimitatem & gloriam reſpiciebat Filii: de Matre verò. quâ cum loquitur filet: & cui perſuadere parabat, promiſit nihil. Enim verò, nunquid æquè veraciter Archangelus Gabriel plauſibilia B. Virgini recenſere potuiſſet? quod videlicet eſſet germinans Virga Jeſſe, ſceptrum Davidicum reſuſcitatura. quod domum ſuam & familiam, ſupra domum Jacob exaltatura, quod ſua, omniumque Hierarchiarum Angelicarum Regina, quod hominum Domina, creaturarum omnium Imperatrix, & tali majeſtate & gloriâ ſine fine eſſet fruitura? omnia iſta ſciebat, & veraciter dicere poterat Angelus. Quare igitur tantùm dicit, & promittit qualis futurus ſit filius, & non qualis futura ſit Mater? Quia, velut Angelus, ſuæ ſcientiæ; & velut Legatus, ſuis inſtructionibus conformiter fuit locutus. Proinde nec dicit, nec Deus ipſi nuntiare mandavit, niſi quid filio ipſius eſſet futurum. In rebus enim liberæ Mariæ electioni ſubjectis, nihil magis ipſius ponderat judicium, magiſve excitat & exſatiat ejus deſiderium, quàm excellentiæ & gloriæ filii ſui, & non ſuæ. Illæ filii ſui, & non ſuæ; illas quippe magis reputat ſuas, eò quod ſui ſint filii, illæ ſui filii, & non ſuæ, quia illis magis delectatur & fruitur in filio ſuo, quàm in ſeipſa. Et hoc eſt, quod juxta notitiam Dei, Angeli, & ſuam Maria elegit in terra, quodque coram Deo, Angelis & omnibus Beatis meliorem partem reputat, & poſſidet in cælo: *Maria optimam partem elegit.*

§. VII.

ET nos ô Domina, qui tanquam Filii Evæ geminus in terra: & tanquam tui, quamvis indigni, tecum aſcendere ſperamus, tibi de beata iſta patria, quod ſolùm ex gloriæ tuæ conſideratione, faciendum nobis reſtat, congratulaturi. Congratulatio tibi ſit electio, congratulatio pars ſit, congratulatio pars ſit optima. Congratulatio electionis, quæ licet non fuerit, nec eſſe potuerit tua, in prædeſtinatione, qua ad gloriam Matris Dei fuiſti electa: in libero tamen & voluntario conſenſu, quem requiſita dediſti, ut eſſet, tua fuit. Congratulatio tibi ſit pars, quæ totum illud incomprehenſibile gloriæ complectitur, quæ ſolum capere & comprehendere poteſt eſſe immenſum, & continere infinitum, quod tu ſimiliter capacior cœlo incluſum geſtaſti. Congratulatio denique tibi optima pars ſit; melior enim tibi eſt velut Matri, quàm tota iſta immenſitas & infinitas

infinitas gloriæ sit tui filii : & meliùs hoc modo illâ gaudes, juxta leges amoris perfecti, quàm si illâ fruereris in te ipsa. Et sicut lætabundi toto cordium nostrorum tibi congratulamur affectu, quod illâ fruaris, & fruitura sis in omnem æternitatem; sic ante thronum glorioſiſſimæ Majestatis tuæ prostrati supplices petimus, ut tanquam gloriæ Domina, omniumque benedictiſſimi filii tui gratiarum, pretioſiſſimo sanguine, quem à te accepit acquisitarum largiſſima dispensatrix, illam nobis gratiam impertiaris, augeas, & ad ultimum usque diem, quo (sicut tu hodie) ex hac vita emigrabimus conserves, quæ nobis est necessaria, ad te æternùm laudandum in gloria.

Amen.

SERMO

PRO

DOMINICA PRIMA QUADRAGESIMÆ,

Habitus Ulyssippone in Capella Regia, Anno 1655.

Ostendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei : Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.

Matth. 4.

§. I.

CUm ex una parte tanta sit conjurati in humanum genus diaboli calliditas, ut ex ipsis, quæ saluti nostræ cælum præparavit remedia, ipse malorum tentationes conficiat: cur non ex altera parte tanta quoq; nobis est prudentia, ut vicissim has tentationes in remedia vertamus? Et hoc est, quod hodierna die ex tota Evangelii præsentis historia pro conclusione deducendum putavi. Quadraginta diebus totidemque noctibus continuis Servator noster in deserto jejunavit. Quod hoc jejunium fames consecuta fuerit, naturæ erat, quod verò famem tentatio exceperit, ferebat occasio: *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti Panes fiant.* Si Filius Dei es (sic argumentatur diabolus) jube ut isti lapides in panes convertantur. Advertite an non rectè intulerim, quòd diabolus exnostris

ftris remediis tentationes conficiat. S. Hieronymus contra insurgentes tentationes lapidibus sese obarmabat; nimirum solitudines & deserta, Anachoretarum sunt propugnacula; & quadraginta dierum jejunium, prodigiosa fuit pœnitentia: famelico ministrare cibum, opus est misericordiæ: lapides uno verbo in panes convertere, est omnipotentiæ: Filium Dei esse, est Divinitas. Verùm quis ex æquiparatis adeò ingredientibus confectam fuisse suspicaretur tentationem? Ex lapidibus, *Lapides isti*: ex deserto, *Ductus est Jesus in desertum*: ex jejunio, *Cum jejunasset*: ex opere misericordiæ, *Panes fiant*: ex omnipotentia, *Dic*: ex Divinitate, *Si Filius Dei es*: ex lapidibus, ex deserto, ex jejunio, ex opere misericordiæ, ex omnipotentia, ex Divinitate velut in unum conflatis præparata fuit tentatio. Et verò si diabolo ad præparandam tentationem serviunt dura saxa & lapides, quid ipsæ res molles erunt ad eundem conatum appositæ. Si Dæmon tentat in deserto, quid non faciet in foris? quid in locis publicis, quid in aulis? si tentat in jejunio, quid faciet in deliciis? quid in mensis & conviviis? si tentat in exercitio misericordiæ, quid faciet in operibus injustitiæ? si tentat in omnipotentia, quid fiet in infirmitate? & si ad ipsam usque tentat Divinitatem, quid fiet in humanitate, & in inhumanitate quid fiet?

Diabolus primâ tentatione, teste Scripturâ, victus, assumpsit Christum, eumque transtulit in sanctam civitatem, & impositum altissimo templi pinnaculo his verbis alloquitur: *Mitte te deorsum: scriptum est enim, quia Angelis suis* (Deus) *mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Videtis quomodo vice alterâ salutis remedia transeant in tentamenta, & quidem secunda hac vice res hæ primis notatu digniores concurrunt circumstantiis. Nimirum Civitas sancta, templum, urbs Solymæ, Scriptura sacra, Mandatum Dei, Angelorum custodia, & è templi fastigio in terram præcipitatio. Potuitne minùs accommodata tentationi materia excogitari, non dicam inveniri? Et tamen variè tartareus hostis ex eadem tentatione alteram adornavit. Ex civitate sancta, *Assumpsit eum in civitatem sanctam*: Ex templo, *Et statuit eum super pinnaculum templi*: Ex S. Scriptura, *Scriptum est enim*: Ex Dei mandato, *Deus mandavit de te*: Ex Angelorum custodia, *Angelis suis ut custodiant te*: Ex lapsu præcipite, *Mitte te deorsum.* Et verò si diabolus tentat in civitate sancta, quid fiet in civitate sceleribus infami & flagitiis depravata? Si tentat in templo, quid futurum arbitramur in delubris idolorum & scortorum lupanaribus? Si tentat Scripturis sacris, quomodo non tentabit libris profanis? Si tentat Mandatis Divinis, quid non faciet legibus humanis? Si tentator in auxilium vocat Angelos Tutelares, quantò magis vocabit Angelos perditionis? Si denique tentat descensu, quid humili?

Ecce quomodo diabolus ipsa remedia vertat in tentationes! at quonam pacto fieri potest, ut nos vicissim ipsas tentationes in remedia convertamus? In prima tentatione diabolus petiit à Christo, ut lapides transferret in panes; in secunda, ut præcipitia in vias commutaret. Quid aliud sunt tentationes, quàm lapides & præcipitia? scilicet lapides ad quos offendimus; præcipitia ex quibus decedi-

decedimus: quonam igitur modo fieri posse credemus, ut lapides, ad quos offendimus, in panes abeant, quibus sustentemur, & præcipitia, ex quibus corruimus, vertantur in vias, per quas ascendamus? Hæc in præsenti dictione ex planabo, eâque utar erga dæmonem liberalitate, ut illi omnia, quæ à Christo impetrare non potuit, haud gravatè concedam. Age dæmon, quid postulas? ut ex lapidibus tibi panes conficiam? haud gravatè faciam. Quid amplius desideras? ut præcipitia ista in vias convertam? & hoc ipsum me hodie præstiturum sanctissimè polliceor. Tu ex panibus fecisti lapides, & ex viis præcipitia: nam remedia in tentationes convertisti: ego vice versa lapides convertam in panes, & præcipitia in vias planabo, nam ex tentationibus medicamenta salutis conficiam.

Ut totum hoc tam arduum tamque utile punctum ad universale aliquod caput reducatur, illud sic habetote, quod diabolus pro fundamento spem omnem posuerit in tertia tentatione, quâ Christum fuit aggressus facilè, quâque majorem neque ullis retro temporibus dæmon adhibuit, neque secuturis. Diabolus quamvis primâ secundâque tentatione superatus pedem referre debuerit, non tamen desperavit de victoria, cùm tertium illi supereſſet telum, in quo magis confidebat. Ex pinnaculo templi Christum ad altissimi montis supercilium transferebat, è quo illi omnia mundi regna cum omni eorum gloria & magnificentia, cum omnibus divitiis & deliciis, cum omni pompa & majestate eidem exhibuit dicens: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* Hæc ultima diaboli tentatio, Christi tertia fuit victoria. Arma verò Christi defensiva: assumptumque in hac tentatione, sicut & in cæteris remedium, non alia fuêre, quàm S. Scripturæ verba: *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies.* *Matth 4. v. 10.* Scriptura sacra est armamentarium divinum omnibus armorum generibus instructissimum: est Pharmacopæum, quod omnia vitæ conservandæ & salutis acquirendæ remedia suppeditat. Sacra Scriptura est illa turris Davidica, de qua Salomon: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* *Cant. 4. v. 4.* In quæ verba S. Gregorius ad rem nostram optimè commentatur: *Universa nostra munitio in sacro eloquio continetur.* *S. Greg.* Sacra Scriptura est apotheca omni hominum generi universalis, de qua S. Basilius: *Scriptura unusquisque tamquam ab officina medicinæ, appositum infirmitati suæ medicamentum invenire poterit.* *S. Basil.* Idem longè ante ipsa Sapientia asseruerat: *Neque herba, neque malagma sanavit; sed tuus Domine, sermo, qui sanat omnia.* *Sap. 16. v. 12.* Sacræ Paginæ arma sunt potentissima pariter & efficacissima, quæ nullæ hostium tentationes, possunt effringere. Verum sicut ego omnibus prædico, non omnes sciunt uti illis armis, nec omnes noverunt ista medicamenta sibi applicare; proinde alia vobis arma magis facilia suggerere, & alia suppeditare medicamenta, quibus omnes instructi contra hostium insultus stare, eorumque tentationibus occurrere valeatis. In ore viperæ toxicum simul & antidotum natura collocavit. Quando serpens primos tentavit homines, hi propria ejus verba in præsidium occupârunt: neque aliis ad resistendum armis indigebant: neque aliud ad perseveran-

verandum in deliciarum horto remedium desiderabant. Præsentissimum & facillimum contra quamcunque diaboli tentationem remedium est ipsa tentatio. Eadem res à diabolo oblata, est tentatio: à nobis ritè ponderata, est remedium. Et hoc est quod præsente dictione demonstrare conabor.

Duabus vicibus dæmon tentavit Christum, ut Dei Filium : in tertia verò tentatione eundem velut purum hominem oppugnavit : ac propterea in hac tentatione non dixit: *Si Filius Dei es* : sicut in prima dixerat & secunda. In illa igitur tentatione Christum tentavit veluti qualemcunque hominem. Ob quam rationem & differentiam hæc ultima tentatio ad nos propriè pertinere videtur. Verùm quo pacto homines, qui ab Adamo suam habent originem tentationi tam validæ tamque enormi sustinendæ pares erunt, quali Diabolus Christum est aggressus. Diabolus primum Parentem nostrum explosione unius pomi prostravit : in Christum verò totum explosit mundum, *Ostendit ei omnia regna mundi.* Verùm, quamvis hic globus in Christum ut hominem directus, in pectus carneum inciderit, tantâ tamen violentiâ fuit rejectus, ut ad ipsum tentatorem redierit : *Vade retro.* ex casibus, qui nostrâ ætate in obsidione Ostendæ civitatis Flandriæ evenerunt, memorabilior præ cæteris fuit iste : Cum stabat in aliquo urbis propugnaculo tormentum bellicum glande ferreâ oneratum, hostis in hujus orificium (sive hoc casu, sive cæli dispositio fuerit) globum ferreum evibraret, pulvis pyrius igne concepto, eâdem, quâ missus fuerat viâ, duplicatâ vi sic revomuit, ut ipsum suî explosorem humi prostraverit O bellum fortunatum : *Vade retro* ! Ita debemus tartarei dæmonis explosiones excipere, glandem in caput ejus retorquere, suis eum armis expugnare. Nonne David Gigantem ense ipsius proprio delevit? nonne Judith, quamvis fœmina, Holoferni proprio ejus pugione caput à cervice amputavit? Hæc exempla imitari debemus : neque armis aliis, quàm iis, quibus nos tentat hostis tartareus, uti debemus.

Londinus in hist. Flandr.

Diabolus Christo omnia mundi regna & eorum gloriam ob oculos posuit simul politicus, se omnia illi daturum, si genu flexus eum adoraret. Tentationis hujus insolentia meritò alicui terrorem incutiat : at vel maximè diabolus ipse ex hac parte habet quod pertimat. Armis enim seipsum exuit & nos iisdem indutos roboravit. Age diabole, totum mihi, quantus est, mundum offers, ut cadam, ut peccem, ut animam tibi meam oppignorem: ergo anima hominis, te ipso fatente, pretium totius mundi non adæquat modo, sed etiam excedit ? Ergo amans sim, si rem pretio cariorem pro viliore commutavero: *Vade retro* Quidquid diabolus nobis dare habet aut polliceri, hoc minus esse hoc mundo, evidenti ratione concluditur. Hic ergo suis armis sese ita spoliavit, ut ea nullo deinceps tempore possit recuperare. In hac una tentatione jacturam fecit tentationum omnium ; nisi nos simus omninò insensati, ipsisque brutis magis irrationales. Audite Salvianum : *Quis ergo furor est, viles à nobis animas nostras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas*? O stolidos homines & vecordes, ipso intellectu rationis usu destitutos? quomodo fieri potest, ut judicio

Salvianus.

vestro tam viles sint animæ, quas etiam diabolus in maximo pretio habendas esse arbitratur & rapere & in extremum salutis discrimen conatur adducere. Ipse dum me decipit, animam toti mundo valore sui pretio antecedere non diffitetur, cùmque ego ipse ista sim Anima, non erit res in mundo tam vilis, pro qua ausu temerario & stolido eam non prostituam? Nostra Anima plus diabolo debet, quàm nobis; ille enim eandem venerationis cultu prosequitur, nos eam contemptui habemus, ejusque nitorem fædis contumeliis deturpamus. Diabolus primo suo aggressu minus pro ea quàm totum mundum erubuit offerre.

Cajus Cæsar, ut refert Seneca, Demetrio ducenta argenti talenta hoc est, ultra ducenta millia aureorum dono submiserat. Nullus dubito, quin maxima pars eorum, qui coram præsentes sunt, ambabus manibus acceptarent, si offerret. Nihilominus Demetrius Stoicus (illius temporis Christianus) quid respondit? *Si me tentare constituerat, toto illi fuit experiundus imperio.* Quasi diceret: Referte sua talenta Imperatori & dicite: si Demetrium tentare voluerit, toto hoc imperio faciendum sciat. Vult ille esse & dici Dominus totius mundi? non ergò contemnendâ ejus particulâ, sed totâ illius substantiâ oppugnare me oportebat. Quare Auditores, si vos aliquando diabolus tentaverit, animumque vestrum oblatione rei, quæ suo pretio ad mundi valorem non accedit, oppugnare voluerit, hoc ipsum in contumeliæ loco ponendum esse putatote, etiam promissum hoc donum velut animo vestro utilius repudiate. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem, pro anima sua?* In hoc vertit cardo rei, de qua agimus. Diabolus nobis offert mundum, & petit animam. Perpendat nunc animo quivis mortalium, an è re sua sit illa licitatio, an fructuosa sit illa venditio, an utilis sit illa commutatio? Nos itentidem licitamur, vendimus, commutamus, hinc nondum animo pensamus.

Seneca.

Matth. 16. v. 26.

Venit Esau lassus ex agro totius diei inediâ vexatus: infausta autem evenit ei hora: eâdem enim Frater ejus Jacob *Coxit pulmentum*, sive lentis edulium. Erant illi Magnates illius temporis, & iste cibus inter delicias eorum ponebatur. Petiit Esau à fratre aliquam illius portionem. Hic questus sui atque emolumenti occasionem ex fratris necessitate nactus, negat sese daturum gratis; sed dato pretio non gravatè se venditurum promisit. Quam efficaciam habeat, fames si eadem tempestate in illam incidat tentatio, ex eventu addiscite. Nam pactam conditionem acceptavit famelicus Esau, & cum lentis edulio primogenita commutavit. Deum immortalem! primogenita Isaac, hæreditatem Abrahæ, Patriarcharum benedictionem jam inde à primis mundi nascentis incunabulis facilè maximam: longéque pretiosissimam vilissimo lentium edulio posthabere. Quid putatis? An cœcus fuit hic Nundinator aut mente captus, vel aliquis ex infima fece mediastinus? Non fuit, Auditores non fuit: sed erat homo (teste Scripturâ) qui pretium rei quam permutabat nullâ æstimatione pensavit. *Abiit parvi pendens, quod primogenita sua vendidisset.* Quòd homo incurius, & quanti res licitetur,

Gen. 25. v. 29.

Ibidem v. 34.

tetur, minimè conſiderans, pro vilium agreſtiumque rerum prandiolo maximam det mundi primogenituram, non eſt quòd tantopere admiremur. Verùm ſi Eſau primogenituram æquâ trutinâ ponderâſſet, & alteri lentis infuſæ juſculum impoſuiſſet, num venditurum fuiſſe putatis? Ecce cur tot venales animæ! Illa quam narravi hiſtoria, de Jacob & Eſau ſemel tantùm & olim contigit. Vera quotidie præſtolor. Repræſentatur in Mundo & iteratur chirographum: Jacob, qui conditiones proponit, Diabolus eſt: & Eſau, qui eiſdem ſuâ manu ſubſcribit, nos mortales ſumus. Eſau qui pangit, diabolus eſt; chirographum verò & obligationem Eſau nos formamus. Diabolus vel exiguam carnis voluptatulam, vel levis momenti lucrum & commodum pollicetur, viciſſim à nobis poſtulat primogenituram, quam nobis ſuo ſanguine acquiſivit Salvator noſter: interim dum paſciſcimur nec trutinatâ oblati vilitate, cum pretio & præſtantiâ poſtulati in contractum conſentiendo ſine benedictione remanemus. Eſau primogenita ſua vendendo non ſenſit ante quàm benedictionem accipiente Jacob privatum ſe vidit inquit Textus: *Irrugiit clamore magno & conſternatus eſt.* Q. d. clamoribus & ejulatibus replens cœlum, dilaniando ſeipſum contabeſcebat. Eheu inſenſati mortales! modò animam & prærogativam cœleſtem vendimus primogenituræ, pro fluxa voluptatula, pro momentanea ſenſus titillatione, & flocci pendimus. At ubi aderit aliquando ille dies, quo Chriſtus ad dexteram ſuam conſtitutis benedictionem impertiet, ibi videbimus nos omni cœleſtis hæreditatis obtinendæ ſpe deſtitutos. Heu quis tunc dolor! heu quæ deſperatio! heu quàm horrenda & intolerabilis nobis erit iſta inferni circumſtantia!

Gen. 27. v. 34.

Quid igitur agendum nobis eſt, ne tam enormem & irremediabilem committamus errorem? de ipſa tentatione faciendum remedium, acceptâque in manus bilance, quæ defuit Eſau, ponderandum quod nobis promittit, quodne diabolus exigit à nobis. Quod nobis offert, non eſt mundus totus; quod verò ſibi dari poſtulat, eſt anima. Porrò lanci uni totus mundus, alteri verò una imponatur anima, & quid cui præponderet videamus. O ſi, adjuvante me Deo, binorum ponderum horum differentiam vobis evidenter & ad oculum demonſtrare poſſem! eadem tentationis verba ſucceſſivè ponderare pergamus.

§. III.

Oſtendit ei omnia Regna mundi & gloriam eorum. Ex montis iſtius vertice, in quem Diabolus Chriſtum tranſtulerat, omnia mundi regna & gloriam eorum ipſi oſtendit. Quod tam facilè dicitur, non æquè facilè intelligitur. Ex uno monte quantumcunque excelſo omnia mundi regna clarè conſpici nequeunt. Sol in quarta collocatus ſphæra, unum tantum hemiſphærium illuminat, antipodas, nec videns nec videre potens. Quonam igitur pacto poſſibile, quod ex illo monte diabolus totum mundum oſtenderit Chriſto? Certior magiſque probata ſententia docet, mundum Chriſto à diabolo oſtenſum, non fuiſſe verum & realem, ſed phantaſticum & apparentem, imaginem tantum, & mundi

di repræsentationem. Quemadmodum enim Angeli apparent hominibus, in corporibus assumptis, quæ quidem formosissima videntur esse corpora, & non sunt; pari modo diabolus potestate naturali Angelis æqualis, in toto aëre, qui ex monte illo, ad Horizontes usque protendebatur, coloribus, umbris, effigiebus, montes, valles, campos, colles, civitates, castella, regna, totum denique mundum depicta in instanti oculis ipsius objecit. Ita ut totus ille mundus, tota illa regnorum mappa, strictè loquendo, non nisi exiguus fuerit ventus. Quæ cum ita se habeant (advertite modo) cum nonnisi phantastica fuerit repræsentatio & apparentia, quicquid ibi diabolus ostendit, nihilo seciùs ait Evangelium, quod diabolus Christo ostenderit omnia mundi regna & gloriam eorum: Omnes enim mundi gloriæ, splendores, & magnificentiæ ritè consideratæ nihil sunt aliud, quàm ibi visum fuit, aër, ventus, umbræ & colores apparentes. Immò dicere audeo, magis verum & propriè dictum mundum fuisse istum apparentem, quàm hunc realem: mundus enim ostensus & visus erat apparentia vera: & mundus hic realis est apparentia falsa. Quod si non creditis, edicite mihi, de omnibus istis regnis, de omnibus istis splendoribus, majestatibus & magnificentiis, quæ tempore Christi florebant, quando tentatio hæc accidit, quidnam hodie supereſt in mundo? prorsus nihil. Quidnam igitur tot regnis, tot monarchiis, tantis splendoribus & pompis factum est? quia ventus erant, transierunt, erant umbræ, evanuerunt: erant imagines & apparentiæ, disparuerunt. Jam sunt id, quod fuerunt ante, antea nihil, in nihilum abierunt; usque ad ipsa illius temporis marmora in pulverem & cinerem sunt redacta. Et nos homines (prout optimè notavit Philo Hæbræus) illud oculis nostris contuentes, tam cœci sumus, ut pulverem & cinerem pluris quàm animam nostram æstimemus: *Qui pulverem & cinerem pluris facitis quam animam.* *Philo. Hebr.*

Istud sunt hodie regna temporis istius: & moderna quid? suntne forsan aliud? florentissimi regni Rex, Regnumque omnium sapientissimus respondeat: *Verba Ecclesiastæ filii David Regis Jerusalem: vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ego fui Rex Regisque filius (ait Salomon) curiosè indagavi omnia, quidnam esset, potentia, majestas, imperium, mundique dominium: & quidquid illis inesse videtur, meram esse vanitatem, nihilque solidum & stabile deprehendi: & ritè ponderata, nonnisi compositam ex multis vanis conflare vanitatem: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Sunt vanitas, sceptra: vanitas, cororæ: vanitas regna & monarchiæ, ipse denique constans ex illis mundus: *Vanitas vanitatum.* Hæc est veritas, sed nostros fugiens oculos, quia patentibus operta & superinducta est apparentiis: proinde hoc cognito, rejiciendum & despiciendum est illud omne, quo mundus nos tentat. Ah! quomodo vel gravissimæ evanescerent tentationes, si ad illud *Omnia* diaboli, respondere sciremus, *Omnia* Salomonis: *Omnia regna mundi? Omnia vanitas. Omnia tibi dabo? Omnia vanitas.* Enim vero si totus iste mundus, & quæcunque in eo magis splendent vana, immò ipsissima sunt vanitas: quomodo possibile est, quod tanti ab hominibus æstimentur, ut animæ, ut cœlo, ut ipsi denique Deo præpon- *Eccles. 1. v. 1.*

ponderent ? adeò fallax est humani judicii bilanx ! non ista est fallax, sed nos fallaces sumus. *Mendnces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Tales (inquit David) sunt homines ut stateram manu tenentes rerum pondera mutent. Non dicit, stateras esse fallaces, sed homines in illis : *Mendaces filii hominum in stateris.* Deceptionis hujus causa est, quia ipsi se homines vanitate decipere volunt : *Ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Non judicium nostrum, sed noster nos decipit affectus, qui in vanitatis partem propendens, judicii ad se æquilibrium inclinat. In stateris, quæ illis Sancti Michaëlis similes sunt, in quibus appenduntur animæ; in una lance ponitur anima, in altera mundus : in una tempus, in altera æternitas : in una veritas, in altera vanitas. Et quia nos cor nostrum & affectum lanci mundi & vanitatis apponimus, cor istud & affectus vanitati & mundo pondus addunt, quod nec habet, nec habere potest. Ipsa vanitas non amata pondere caret, quia vanitas est : eademque amata omnibus præponderat ; quia ab amore nostro & affectu falsum pondus acquirit. Ita ut pondus non consistat in rebus, sed in corde, quo illas amamus.

Psal. 61. v. 18.

Quod idem ipse David merificè confirmat : *Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem?* Notate consequentiam. Conqueritur homines amare vanitatem : *Ut quid diligitis vanitatem ?* reprehenditque quod gravia habeant corda, *Usquequo gravi corde ?* Pondus enim quod in vanitate apparet, non in ipsa vanitate, sed in corde, quo diligitur ; consistit. Amamus æstimamusque vanitatem, hinc statera ad illam, & cum illa inclinat, falsoque nobis pondus, ubi non est, ostendit. O si ritè & fideliter, corde ab omni affectu depurato libraremus, quomodo mox motum inclinationemque stateræ ad partem animæ, totumque mundum illi oppositum, ne vel atomum appendere deprehenderemus !

Psalm 4. v. 3.

Agedùm, Auditores, jam nunc calliditatem diaboli cognoscetis ex modo, quo omnia mundi Regna hodie Christo ostendit. S. Lucas in instanti, in momento ostendisse asserit : *Ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento* : Enim verò quare in momento ? quare plus temporis illi non concessit, quem tam fastuosè & pompaticè tentabat ? num fortassis, quia diabolus decipiens breve illud momentum, quo rerum mundanarum scena mutatur & transit, omnibus simul evanescentibus apparentiis, fucare nequit ? Ita sensit & asseruit sanctus Ambrosius: *Non tam conspectus celeritas indicatur, quàm caduca fragilitas potestatis exprimitur : in momento enim cuncta illa pereunt.* In momento diabolus omnia regna, mundique gloriam ostendit, quia ostendit qualia sunt. Quicquid est in mundo, non habet aliud esse quàm instans. Quod fuit, jam non est : quod futurum, nondum est : quod est, nonnisi in instanti est, quo transit: *In momento cuncta illa prætereunt.* Optima, & vera tantóque authore digna ratio. Verùm alia adhuc tentatoris latebat calliditas, tentanto non indulgens tempus librandi oblata, Rerum pondus ex inclinatione motuque stateræ videtur: quia verò non datur motus in instanti, omnia illa in instanti ostendit. Ac si diceret, tentatus mundum videat quem illi offero, sed instantaneè tantum & non morosè,

Luc. 4. v. 5.

S. Ambros.

rosè, ne pondetis levitas advertatur. *In momento omnia regna mundi.*

Cum regnis simul glorias eorum diabolus Christo ostendit: *Et gloriam eorum.* Verùm sub speciosè adeò titulo, pondus omninò nullum inferunt lanci : sunt etenim æquè vanæ ut mundus ipse, immò, si fieri posset, vaniores. Quod, si fidem penes vos non inveniat, considerando eas percurrite. Quod in mundo splendore suo oculos magis perstringit & reverberat, est opulentia. Porrò quid sunt divitiæ ? in præterito labor, in præsenti solicitudo : in futuro, dolor & afflictio. Divitiæ, inquit S. Bernardus, labore acquiruntur, cum solicitudine & cura conservantur, & perduntur cum dolore. Quid aurum & argentum, nisi melioris coloris terra ? Quid adamantes & uniones, nisi majoris duritiei vitra ? Quid ornatior cultus, nisi diversorum colorum fucus ? Quid Absolonis cæsaries, quæ vitris implexus videbatur globus, nisi laqueus ? Quid faciei elegans forma, nisi calvaria fasciis involuta ? fascias auferente morte, hodie fugitis, quod heri adorabatis. Quid oblectamenta, nisi vesperæ dolorum ? quas qui diligentius frequentat, & attentius cantat, acerbius eas postmodum deplorabit. Quid deliciæ, nisi mel in lancea Jonathæ ? Favus simul cum ferro in os intrat. Quid omnia juvenum oblectamenta, nisi repositæ senectuti pœnitentiæ ? quæ melius coronari nequeunt, quàm ut sint veræ. Quid honores & dignitates, nisi fumus ? fumus semper excæcans, & lachrymas ordinariè eliciens. Quid primatus, nisi vapor ad modicum patens ? unus solis radius illum attrahit, & alius consumit. Quid provisiones & speciosæ expeditiones, nisi literæ Uriæ : videntur esse epistolæ indices favoris, & quot fuerunt sententiæ mortis ? Quid fama, nisi acquisita invidia ? est funda Davidis, quæ Goliathum lapide, ipsum verò Davidem prostravit sonitu. Quid omnis prosperitas humana, nisi ventus inquietus ? si remittat, non est tranquillitas ; & si increscat oritur tempestas. Quid ipsa denique vita, nisi lampas accensa, vitrum & ignis ? Vitrum quod sufflatione conficitur : ignis qui afflatu extinguitur. Hæ sunt mundi vestri, regnorumque vestrorum gloriæ: *Omnia regna mundi, & gloriam eorum.* Porrò pro istis fallacibus, vanis, momentaneisque gloriis, animam immortalem, & ad æternam veramque gloriam creatam à Deo, commutamus.

Verùm enim verò insipienter egit diabolus, sic ostendendo mundum & gloriam illius his quos tentare parabat. Oportebat fucare merces, si emi optabat. Mundum promittere est fortiter tentare : mundum ostendere, est tentationis vim infringere. Non vultis tentari, vel à tentante mundo vinci ? attentè ipsum inspicite. Serpentes in deserto filios Israël lethaliter mordebant. Quid verò fecit Moyses ut huic malo occurreret ? Serpentem æneum in eminentiore loco, unde à percussis videri posset, erigi jussit, quem quotquot intuebantur à morsibus sanabantur. Omnes in hoc mundo morsi estis : hi potentiâ, illi ambitione, alii dignitate, alii proprii studio commodi, alii invidiâ, alii affectuum inordinatione ; omnes denique à mundo morsi. Quid igitur curandis hisce morsibus remedii restat ? oppositum oculis mundum diligenter & attentè contemplari. Quis quæso apertis ritè oculis mundum con-

tuendo, vanitatem ipsius, fallaciam, instabilitatem, quomodo hodie non sint qui heri fuerunt, & hodierni, non sint crastini futuri, quomodo transitoria omnia finiantur, nosque omnes prætereuntes ad finem tendamus, non videat? Quis denique inspiciens mundum qualis in se est, veritatem non cognoscet cum illo, aut veritatem discet ab illo? Mosaicus serpens æneus erat: mundus similiter serpens est, sed luteus, sed vitreus, sed fumeus; proinde ex melioribus cognoscendæ veritati metallis conflatus.

§. IV

AD stateram revertamur. Inspecto nunc pondere mundi, animæ pondus exploremus. Ad hoc pondus concurrimus omnes: mundi pondus non concernit omnes: siquidem multi parum illius possident: pondus animæ neminem non concernere potest. Rex, subditus, magnus, parvus, dives, pauper, omnes & singuli animam habent. Agedum, videamus pondus, & valorem illius, quod intra nos gerimus & habemus. Utinam verò convenientem ponderandæ animæ libram inveniemus? Quater millenis annis substitit mundus sine statera tali: quod fortè in causa fuit, quod tot animæ illo tempore perierint. Præsente tandem Redemptionis die filius Dei actus est in crucem, quæ vera & justa statera, quam justitia divina erectam in Monte Calvario constituit: ut homo, quàm immensum esset perditæ animæ pondus & pretium, inde cognosceret: Quod in hunc modum canit, nosque docet Ecclesia:

Beata cujus brachiis
Sæcli pependit pretium:
Statera facta est corporis,
Prædamque tulit tartareis.

Viden, ô Homo, illam crucem, cui Filius Dei affixus est mortuus? hanc igitur justam esse scito stateram, in quâ Deus animæ tuæ pretium appendit, ne ut illam vilipenderes. Brachium dexterum eatenus pondere gravatum se demisit, ut non solum Deum de cœlo traxerit in terram, sed usque in infernum. Brachium verò sinistrum adeò est elevatum, ut animam per peccatum in inferno agentem, non solùm inde eduxerit, sed in cœlo constituerit. Proinde ritè ponderaturus animam, non in una lance animam, & in altera mundum, sed in una lance animam & in opposita Deum appendere debet. Mundus Deo, uno tantum constitit verbo: Anima Deo constitit sanguine, constitit vita, ipso denique constitit Deo: *Qui dedit semeipsum redemptionem pro omnibus.* 1. *Tim.* v. 6. Audite desuper Eusebium Emissenum: *Tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.* *Euseb. Emiss.* Tam caro pretio Deus redemit animam, ut positâ in una lance animâ, in altera verò pretio, tantùm valere videatur anima, quantùm Deus *Videatur*, inquit; Deus enim verè & pretio & pondere animas omnes infinitè excedit. Justitia nihilominus divina, non aliud cum anima pondus appositi in statera, nec aliud pretium admisit, quàm illud Dei ipsius. De pondere quippe ad pondus, solus Deus cum anima appendi, & de pretio ad pretium, solus cum eadem Deus potest æstimari: *Ut Deum valere videatur.* Cum igitur hæc statera sit vera, illud sit animæ pretium & pondus, quàm tam caro redemit Deus, nosq; tam viliter diabolo vendimus; suadere & persuadere non intendo, ne eam vendatis, sed tantùm vos rogo, vobisque consulo, ne idipsum faciatis nisi

prævie stateræ impositâ, accurateque æquilibrio observato. Diabolus vice primâ totum mox pro ea obtulit mundum : Christus vice secundâ pro illâ dedit seipsum : deprehenso. quis plus licitetur pro illâ, huic eam securè tradite.

Omnis miseræ animæ tam erroneè æstimatæ, tamque viliter venditæ ac commutatæ infelicitas inde oritur, quod eam non æquè ac mundum videamus. Diabolus omnia mundi regna ostendit. *Ostendit ei omnia regna mundi.* Quod si ego similiter animam vobis ostendere possem, omnis mox tentationum series cessaret, nec ulteriorum desuper discursuum materies aut necessitas supereesset. Diabolus totum pro ea offert mundum, quia eam videt & cognoscit; quod spiritus potest : nos, quia corporei sumus, mundum videntes, animam videre nequimus : quam quia non cognoscimus, hinc tam vili eam pretio prostituimus. O si Deus unam nobis ostenderet animam, quis nos invaderet stupor, quantique eam faceremus, quamque vilipenderemus & despiceremus omnia, quæ mundus vitaque continet ! S. Magdalenæ de Pazzis Deus quandoque animam ostendit, quæ objecti specie in stuporem & admirationem rapta, mentis simul excessum incurrit, in quo octidui spatio permansit. Ergone tale quid est anima ? protinus tale quid est S. Catharinæ Senensi Deus itidem animam ostendit; quæ, referente S. Antonino asseruit, nullum prorsus fore hominum, qui, visâ animâ, non centies qualibet die pro ea vitam profunderet : & non pro propria tantum sua; sed & pro alterius. Tota proinde differentia & miseria consistit in eo, quod mundus, quo diabolus non decipit visibilis, anima verò invisibilis existat : Enim verò ex hoc ipso pluris nobis facienda esset, si ratione uterentur. Mundus visibilis est, anima verò invisibilis ? mundus videtur, anima non videtur ? majoris ergo pretii est anima, quàm mundus totus D. Paulum desuper auscultate; *Non contemplantibus nobis quæ videntur : quæ enim videntur temporalia sunt, quæ non videntur æternæ.* Nec æstimandum; nec admirandum est quod videtur; sed quod non videtur, inquit S. Paulus, visibile enim & quod videtur est temporale : Invisibile verò, quod non videtur, est æternum. Mundus, quem Diabolus mihi ostendit est visibilis; quia temporalis est, velut corpus : anima verò quam ostendere mihi nequit (neque ostenderet, etsi posset) est invisibilis, quia æterna, instar Dei. Et quemadmodum oculi Deum intueri nequeunt, propter ejus excellentiam, pari modo nec videre possunt animam. Præstantior est nostra anima, quàm ut oculis conspici queat. Cernunt mundum, cernunt cælum, cernunt stellas & Solem : animam verò cernere nequeunt, quia potentiæ visivæ ipsorum sphæram transcendit.

2. Cor. 4. v. 18.

S. Antoninus.

Enim verò cum adeò corporei simus, tantúmque oculis credamus, ipsi nobis, quid sit anima, fateantur & dicant. Desideratisne videre, quid sit anima ? aspicite, inquit S. Augustinus, corpus mortuum sine anima. Quod si corpus alicujus sit literati, aut sapientis, ubinam sunt ejus scientiæ cum anima pariter abierunt, ipsius enim erant. Rhetorica, Poësis, Philosophia, Mathesis, Theologia, Jurisprudentia, rationes illæ tam graves, isti adeò deducti discursus, sententiæ illæ

S. Aug.

adeo

adeò nervosæ, conceptus adeò sublimes, ista plus quàm humana, immò divina scripta, quæ admiramur, admirationemque excedunt, animæ erant omnia. Porrò si corpus alicujus erat artificis; quis vitam dabat tabulis & marmoribus? quis emolliebat ferrum, liquefaciendo fundebat æs, quis figuram novam, novumque esse ipsi dabat naturæ? quis in tali corpore regulas docuit pro igne, fœcunditatem pro terra, vias pro mari, obedientiam pro ventis, extrema conjungere universi, totum denique mundum venalem exponere in foro? anima. Quod si corpus alicujus erat militis, quis illos exercituum ordines, quis castrorum dispositionem, quis murorum fabricam & machinas bellicas, quis robur, generositatem, audaciam, constantiam: in gladii cuspide vitam propriam, mortemque ferre alienam; quis docebat aut suggerebat? Anima. Porrò si corpus alicujus erat Principis, Majestas, imperium, præcellentia, moderatio in prosperis, serenitas in adversis, circumspectio, prudentia, justitia, omnesque reliquæ Virtutes politicæ, quibus regitur mundus, cujusnam erant, & à quo aurigabantur? Animæ & ab anima. Quod si corpus alicujus erat Sancti; Humilitas, Patientia, Temperantia, Chariras, Zelus, sublimissima rerum divinarum contemplatio, extases, raptus, ipsa ponderosi corporis elevatio, & in aëre suspensio, quàm admirabilia! verum omnia ista sunt anima. Ipsa denique nostra vitia nobis dicunt, quid sit anima. Concupiscentia insatiabilis, superbia semper ascendens, ambitio semper aspirans, desiderium semper anhelans, capacitas illa toto non implebilis mundo, qualis erat illa Alexandri, elatio, sicut illa Adami, non nisi divinitate contenti. Omne quod oculis nostris videmus, spiritus ille sublimis, ardens, immensus, anima. Ad ipsam usque pulchritudinem & formositatem, quæ propriè dos corporis esse videtur, tantùm capiens, tantùm rapiens sensus humanos: illa gratia, illa simetria, illa coloris suavitas, ille vigor, illa vita, quid omnia illa nisi anima? Si minùs ita vobis esse videtur: Ecce corpus sine anima, instat idem ipse S. Augustinus: *nec facit corpus, unde ametur, nisi animus.* Quod amabatis, quod obstupescebatis, non erat corpus: erat anima. Recessit quod non videbatur, remansit quod cum dolore videbatur. Recessit quod non videbatur: remansit quod sine horrore videri nequit. Quicquid erat decoris, scientiæ, artis, roboris, majestatis, virtutis, anima sustulit: omnia enim erant anima, quamvis non videretur. Enim verò, S. Francisco Borgiæ, mortuum deformatumque Imperatricis Elisabethæ corpus intuenti quid evenit? Indifferentia & deformitate corporis mortui, tanquam in speculo contemplatus fuit, quid esset anima. Quod quia vidit, nuntium sæculo remisit. Nullâ penitus ratione, diabolus nos superaret mundo, si videremus & cognosceremus quid sit anima. Verùm, cum illam nequeamus videre in se; contemplemur eam in nobis. In eo quod corpus est futurum: quid illa sit videamus.

§. V.

INsonans nobis, ore tumido, elabolus: *Hæc omnia tibi dabo*: mentitur lanceque mutat. *Ly Omnia*, non in mundi, sed animæ lance ponendum est. *Omnia*, hujus, alteriusve mundi, anima est, & non, mundus. Cap. 12. S Joannis

inquit Christus: *Et ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum,* Notate illud verbum *Omnia*, dicant mihi nunc & declarent literati, quænam omnia sint illa, quæ Christus ad se trahet. Ab incarnationis suæ instanti Christus universalis omnium fuit Dominus, unione hypostaticâ, jure hæreditario filiationis, quâ filius Dei naturalis, aliisque titulis infinitis. S. Paulus inquit: *Quem constituit hæredem universorum.* S. Joannes: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Et ipsemet Christus: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Si igitur Christus erat, semperque fuit universorum Dominus, quænam ista sunt omnia, quæ se attracturum pronunciat in cruce, erant omnia, quæ solæ sunt omnia animæ. Quod sic explicant SS. Chrysostomus, Cyrillus, Theoph. Beda, Leontius & omnes. Ab instanti incarnationis Christus universorum fuit Dominus, tam quoad Dominium, quàm quoad subjectionem. Porrò quamvis animarum quoque esset Dominus, quantum ad Dominum proprietatis, non tamen quoad subjectionem! quia à diabolo, mediante peccato, captivæ & subjectæ tenebantur. Quoniam verò, mediante cruce à Christo redimi, acquiri, subjici & attrahi eas oportebat: Hoc ipsum absolutè, *omnia*, vocabat: *Omnia traham ad meipsum.*

Joan. 12. v. 32.

Hebr. 1. v. 2.

Joan. 13. v. 3.

Matt. 11. v. 21.

Porrò si fors cui me interrogare libuerit: quare in cruce, non nisi unam, scilicet latronis boni, attraxerit animam? respondeo, ut intelligeremus, quod, Ly *Omnia*, de quo loquebatur, non solùm essent omnes animæ collectivè sumptæ, sed singulæ seorsim, & quælibet earum. Quod ita mihi Syriaca versio declaravit: *Unumquemque traham ad meipsum.* Omnes, *Omnia*: singulæ, *Omnia.* Anima vestra, *Omnia*: mea, *Omnia*: Dismæ, *Omnia*, & uniuscujusque hominis: *Omnia*: *Omnia, unumquemque.* Verùm ad quid versiones & explanationes, cum ipsum textus authorem Christum habeamus? *Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas, inventâ unâ pretiosâ margaritâ, dedit omnia sua, & comparavit eam.* Ecquis iste est negotiator, quænam ista margarita, & quænam ista omnia, quæ pro ea dedit? Negotiator, inquit Haymon, est Christus, pretiosa margarita est anima, & omnia quæ pro illa dedit, est totum quod habebat Deus, & quod erat. Ita ut non solum pro omnibus, nec pro multis, sed pro una tantùm anima. *Unâ pretiosâ margaritâ*, Deus omnia dederit quæ habebat, & quod erat: nec unâ tantum vice, aut uno modo, sed tot & talibus.

Matt. 19. v. 45.

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.

Se dedit in incarnatione, se dedit in Sacramento; se dedit in cruce, se donat in gloria. Porrò, pro quo Deus toties totque modis dedit omnia, videre num sit *Omnia. Omnia traham ad meipsum.* Anima, anima, ô tentator, est verè *Omnia*, & non mundus, cui tu hoc nomen falsò tribuis; *Hæc omnia tibi dabo.*

Quàm bellè hoc intellexit diabolus ipse, ad omnia nobis arma subministrans, S. Lucas inquit, tentatorem trinâ vice victum tunc discessisse? non quod penitùs à tentando Christo desisteret, sed in tempus aliud tentationem reservaret. *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo, ad tempus.* Interim nec S.

Luc. 4. v. 13.

Lucas

Lucas, neque cæterorum Evangelistarum aliquis expressè dicit, quando diabolus ad tentandum Christum fuerit reversus. Quodnam igitur illud est tempus, quæve illa est tentatio? S Athanasius, Sanctique PP. & Expositores communiter asserunt, tempus illud fuisse ultimam diem vitæ, horamque mortis Christi (quâ occasione diabolus extremum virium suarum ad tentandum adhibet) tentationemque Judæorum vocibus fuisse perfectam dicentium: *Si filius Dei est, descendat de cruce, & credimus ei.* Matt. 17. v. 42. Verè, & phrasis, & modus tentationis artificem eundem produnt, qui Christum tentaverat in deserto, & in templo; ubi semper incepit: *Si filius Dei es?* Astutiam & consequentiam, in quâ totam suam fiduciam diabolus fundaverat, attendite. In ultima tentatione, quâ victus recessit, omnia mundi regna Christo offerens, si secum ratiocinando discurrit. Hominem istum totum offerendo mundum vincere nequivi, auctario igitur, viribusque novis tentationi opus, totoque pretiosius mundo quippiam offerendum est: Porrò mundo pretiosius nihil est, quàm anima: animabus igitur illum tentabo, & ita fecit: *Descendat de cruce, & credimus ei.* Ita ut possessarum à se animarum oblatione, victoriam sibi certam fore speraret, quando toto oblato mundo minus nihilo effecerat.

Hanc sibi tentationem diabolus pro ultimo reservavit progressu. Verùm, quantumvis hoc modo diabolus multis animabus explosit in Christum; idem nihilominus jam ante practicaverat unâ, non illam offerendo, sed auferre conando. Enimverò, ut Christo surriperet animam Judæ, proditionem illi persuasit. Quid proinde optimus fecit Pastor, ut eam è lupi dentibus erueret? ad lavandos Judæ pedes sese abjecit. *Cùm diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas, cœpit lavare pedes discipulorum.* Joan. 13. v. 2. Domine, tu ad Judæ, à diabolo jam, ad tradendum te inducti pedes! Domine, tu ad Judæ jam facti, & à te Diaboli vocati pedes! *Ex vobis unus diabolus est.* Magis adhuc, majoreque ex fundamento miror. S. Lucas expressè dicit, quòd jam ante hunc actum & diem, diabolus intraverat in Judam: *Intravit Satanas in Judam, & quærebat opportunitatem, ut traderet illum, venit autem dies Azymorum, in quo oportebat occidi Pascha.* Luc. 22. v. 3. Si igitur Judas non solùm est diabolus per malitiam, sed actualiter à diabolo infessus, quomodo Christus ante Judam genuflectit? Species, quâ assumptâ, diabolus Christum tentavit, dicens: *Si cadens adoraveris me*, erat hominis, & non dæmonis; Judas quoque jam à diabolo realiter occupatus similiter est homo: quomodo igitur Christus genua flectit homini, jam diabolo, & ab ipso inhabitato? Hic nunc patebit, quanta sit anima una, quantoque toto pretiosior sit mundo. Pro toto mundo Christus non curvavit, nec curvare potuit genu ante diabolum in hominem transfiguratum; & propter animam unam se demisit ad pedes hominis jam diaboli & ab illo inhabitati. Pro toto mundo diabolus non obtinuit genuflexionem à Christo; propter animam verò id fuit assecutus, ut sit non sibi, saltem ante se genuflecteret Christus.

Ah idololatræ mundi! qui toties animam datis, & genua curvatis diabolo, non pro mundo toto, sed pro minimis

ejus particulis, ne micarum quidem nomine dignis! Quot Principes animam, aut animas diabolo dant pro una civitate, pro aliqua arce! Quot nobiles pro aliquâ villâ, vineâ aut domo! Quis palmus mundi, litibus, falsis testimoniis, literis suppositiis, sententiâ injustâ, odiis, homicidiis, infinitisque aliis maleficiis innumeras inferno animas non devovit? Si totus mundus tanti non est ponderis, quanti una anima, quo pacto tam minutæ ejus particulæ erunt! Denique lutum. Mitte vas lucrum integrum in mare, innatabit aquis, confracti verò singulæ, etiam minutissimæ partes fundum petent. Porrò si mundus totus adeò sit levis, quomodo minimæ ejusdem particulæ adeò sunt graves, ut ima petentes, animas simul post se trahant, decreveram, hic meum finire discursum, quod jam fieri oportuisset ante: sed quia tanti momenti, quodque æqualiter omnes & singulos concernit, punctum pertractamus: pace vestrâ, & veniâ, diabolum mihi penitus exarmare liceat, plura ipsi, quàm habet, arma suggerendo, concedendo ipsi omnia, quæ hodie promisit, quæque promittere non fuit ausus. Proinde si me unquam attentè astscultastis, in hoc ultimo argumento, idipsum efflagito, quod taliter urgere intendo, ut sperem, nullum cor adeò fore durum, quin colliquescat, nec intellectum adeò rebellem, quin sese submittat.

§. VI.

Luc. 4. v. 6. Diabolus mundum offerens Christo adjunxit [referente S. Luca] sibi factam à Deo extradendi potestatem: *Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo de illa.* Potestates à diabolo productæ æquæ falsæ & vanæ erant, ac ipsæ promissiones. Verùm, urgendo puncto, supponamus potestates fuisse veras multoque adhuc majores. Supponamus factam fuisse diabolo facultatem homini mundum tradendi: & præterea sibi delegatam habuisse promittendi, adimplendi, exequendi quæ vellet plenipotentiam. Quo casu, si diabolus eandem nobis proponeret conditionem, quam hodie obtulit Christo, si omnia nobis regna mundique glorias ostenderet, productâ simul factâ sibi à Deo tradendi plenipotentiâ, num illam acceptaremus? Meo quidem judicio, quilibet sanæ mentis homo, tres obligationi huic replicas seu instantias opponeret. Primam, ex vitæ brevitate; Secundam, ex regnorum instabilitate; Tertiam, ex humanæ naturæ limitatione. Agedùm, discurrite mecum loquendo cum diabolo, Ades dùm diabole. Tu omnia mihi mundi regna offers. Grandis profectò oblatio: sed tu optimè nôsti, Alexandrum Magnum, non nisi sex annis imperâsse: aliquos Imperatorum spatio multo breviore, & quendam non nisi tribus diebus. Ergò pro sex, pro viginti, pro quadraginta, quibus vivere possum, illisque incertis annis, animam meam tibi tradam; iniquissimus hic est contractus & conditio. Apage, hoc dubium (inquit diabolus] ego, ex plenipotentiâ mihi factâ, de centum millium annorum vitâ, sine dolore, sine infirmitate, securum te reddo. Num alius te scrupulus angit? immo verò. Posito, me centum millibus annorum victu-

victurum, quis regnorum illorum & Monarchiarum ſtabilitatem mihi aſſecurabit ? Nihil in hoc mundo inſtabilius eſt regnis, eorumque proſperitate & gloriâ fragilius; neque hic opus eſt ſæculorum præteritorum revolvere hiſtorias, aut intueri exempla : loquantur id & teſtentur mutationes, quas noſtris vidimus oculis, quibus tam infidam parumque ſtabilem vaſallorum & ſubditorum ſuorum obedientiam Reges ſunt experti, ut nec ipſum caput, cui coronas impoſuerant, ſecurum & inviolatum reliquerint. Porrò ſi rebellantibus ſubditis, extranei & hoſtes violenter mihi adempta Regna invadant ſibique uſurpent, ad quid mihi titulus ſolus cum proprietate eorum ? neque hoc ſolicitum te habeat, (pergit diabolus) ego ſtabilitatem monarchiæ regnorumque omnium, quæ tibi oſtendi, centum mille annos tibi aſſecurabo, ſic diſpoſiturus omnia, ut pacatiſſimâ eorum poſſeſſione fruaris. Nunquid ſupereſt, quod perplexitatem tibi ingerat? unum illud adhuc reſtat. Cum fuero totius mundi Dominus & Rex, toto illo, eodem tempore nec frui, nec gaudere licet: fixâ Ulyſſipone aulâ, eam habere nequeo Pariſiis: reſidens Romæ, eâ carebo Conſtantinopoli : gaudens Europa, fraudor Americâ : fruens deliciis Italiæ, carebo illis Indiæ. Deficiente igitur majore capacitate pro oblectamentis vitæ, quam cæteri univerſim habent homines, ad quid mihi poteſtas tanta, & illarum materia ? macte animo, neque enim huic remedium deeſt, inquit diabolus. Quemadmodum, mediante Sacramento, Chriſtus ubique locorum præſens eſt in mundo, cum unus & idem ſit: Ita ego delegatâ mihi plenipotentiâ, efficiam, ut tu unicus ſoluſque exiſtens in omnibus mundi partibus præſens, hoc modo cunctis ad libitum frui poſſis.

NB. Hoc tempore decollatus fuit Rex Angliæ.

Ecce conditiones, quibus, ut ſuppono, Diabolus ſuum nobis contractum offert. Nunquid approbandæ acceptabileſque vobis videntur ? homo centum mille annis vitæ ſine dolore, ſine infirmitate ſecurus : homo omnium mundi regnorum univerſalis Monarcha, de ſtabilitate aſſecuratus : homo in omnes mundi partes multiplicatus, ut omnibus ejuſdem deliciis ſimul frui poſſit. Neque imaginationi, neque deſiderio quid ultra ſupereſſe videtur. Agedum, edicite nunc mihi. Caſu quo talem, etiam ipſius Dei manibus ſubſignatum diabolus vobis offerret contractum, iſtamne acceptaretis vitam, iſtam admitteretis majeſtatem, iſtas amplecteremini tot annorum delicias, ſub conditione, quod his finitis, animam perderetis, in infernum deſcendendo ? neminem prorſus credo talem ſubiturum fore contractum ; Saltem non egit. Non acceptantes igitur hujuſcemodi oblatum à diabolo contractum, quare differentes adeò admittimus tentationes ? Dicite, quæſo, diabolus vos tentans quid promittit ? num vitam longam ? ejuſcemodi potius ſunt tentationes, ut, ſi conſenſeritis, aut vitam vobis abbreviandam, aut ſanitatem ſaltem periclaturam certò ſciatus. Ulteriùs. Diabolus vos tentans, num regna, univerſique monarchiam mundi vobis promittit ? nullatenus. Ut multum : adminiſtrationem aliquam, Prælaturam, titulum, hæreditatem, aliave multò inferioris ordinis. Urgeo magis. Diabolus vos tentans, nunquid ſenſuum vobis capacitatem multiplicat, quò largiùs & ſi-

ne

ne limite, omnibus simul mundi oblectamentis perfrui possitis? Nihil horum Quod si igitur stultitia, & extrema quidem insania foret, ex tali contractu, hominem suam illi tradere animam, quid, quæso, erit, qualibet die, immò horâ, illam tradere pro infinitè minoris pretii tentatione? pro aliquâ vanitate, pro desiderio, pro cogitatione pro imaginatione, pro concupiscentiâ, quæ primò desiderium excitat, postmodum horrorem incutit? ad hanc evidentiam, à vobis desiderarem audire responsum; ut viderem qualem redderetis rationem?

Una vobis tantum occurrere potest aliqualem præ se ferens apparentiam, quæ nos omnes decipit. Pater, inter contractum, tentationesque diaboli ordinarias magnum intercedit discrimen. Consentiendo in contractum istum, meam certò certius perderem animam: in alias verò consentiendo tentationes, eandem dubio tantùm & discrimini expono; admissâ etenim tentatione, jam eo fruitus sum, quod aut appetitui placuit, aut diabolus promisit, pœnitentiæ loco relicto gratiam salutemque recuperare possum, Primò. Sic ratiocinati sunt, quotquot Christiani in inferno nunc degunt. Sed interim eo supposito dimisso: nunquid tam leve videtur vobis, animam dubio & discrimini objicere? Discamus ab ipso diabolo, remediumque fiat ipsa tentatio. Diabolus Christum tentando benè videbat, hominem, quemcunque demùm, qui acceptato contractu regna mundi occupâsset, sicuti prociderat ad genua diaboli ad adorandum; sic quoque ad pedes Dei, ad petendam veniam & misericordiam, pristinamque gratiam & salutem recuperandam procidere posse. Quo supposito, tanquam vero; quare diabolus totum illi offerebat mundum, pro sola ista adoratione, pro solo isto peccato? Quia peccatum illud in homine, quamvis certò non tollebat salutem, dubio nihilominus & discrimini eam exponebat; & ad dubiam tantùm reddendam animæ salutem, dabit datque Diabolus totum mundum. Porrò si diabolus, cujus non æquè ac meâ interest, totum dat mundum, ut dubiam faciat animæ salutem, quare ego dubiæ salvationi meam exponam animam etiam pro toto mundo?

Christiani, Deus nos præservet, ne dubiæ salvationi, licet pro totius mundi, & millenorum mundorum pretio animas nostras exponamus. Quod in dubium vocatur potest esse & non esse; etsi fuerit? si dubium in pejorem partem inclinaverit, si me non salvem, sed condemnem, sicut multi damnati eodem sunt modo ratiocinati, consultumne erit animam in istis contingentibus relinqui? ô infelices nostras animas! ignoro sanè quo pacto meruerit à nobis, sibi tale quid induci. Certissimum est quodin temporalibus longè aliter nos gereremus. Negotium à quo vita vestra, facultas, honor & gaudium dependent, nunquid hujuscemodi dubiis & perplexitatibus involvi susque deque ferris? nunquid tutiora semper eligitis? solum ergo, vale Deus, vale salus, infelici animæ relinquitis! Ecce quomodo Christus de tanta fuerit injuria lamentatus: *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem*! Exteriora Christi vestimenta milites inter se fuêre partiti; super interiorem verò tunicam fuêre sortiti, cuinam integra obtingeret. Porrò *Psalm. 27. v. 35.*

quæ-

quænam est hæc tunica interior, & qualia exteriora ista indumenta, quæ homines à Deo acceperunt? indumenta exteriora sunt bona temporalia: tunica interior est anima. Ecce nunc quàm justè Christus conqueratur: *Diviserunt sibi vestimenta mea*? Vestimenta exteriora, id est, bona temporalia tanti æstimant, ut dubio sortium ea subjicere nolint, ad filum usque attenti ea partiuntur, & quilibet suam sibi partem assecurat. *Et super vestem meam miserunt sortem.* Tunicam verò interiorem, id est animam, ita vilipendunt homines, ut sortibus fortunæ & jactui aleæ eam subjiciant. Consultumne putamus æternum degere in inferno? ad quid nostrum nobis judicium? ad quid mens nostra & ratio? quare prudentes fuisse putatis quinque Virgines Evangelicas? an quia rationabiliter loquebantur? Non: sed quia sociabus, ad occurrendum sponso, oleum petentibus
Matt. 24. v. 9. responderunt: *Ne fortè non sufficiat nobis & vobis.* Non amicæ & sorores, non: quia nescimus, num sufficiet nobis, quod habemus. Introitum in regnum cœlorum, animæ salutem, nec amicarum amore, neque nuptiarum amore, neque amore sponsi, in dubium & discrimen vocamus.

§. VII.

NOn dico animæ salutem non solùm dubii discrimini non objiciendam; sed etsi quispiam ex revelatione foret certus, animam suam non salvandam, nihilominus, ex eo tantùm capite quod sit anima, pro nullo mundi pretio esse dandam. Est de fide, filium Dei pro omnibus hominibus mortuum fuisse. Ita Innocentius X. hoc nostro ævo, contra Jansenistarum errores definivit: quod idem S. Paulus duobus epistolarum suarum locis jam ante affirmârat 2. Cor. cap. 5. *Christus pro omnibus mortuus est.* Et 1. Tim. cap. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Quotquot homines in mundo fuerunt, sunt, aut erunt, vel prædestinati sunt ad salutem, vel præsciti ad damnationem. Porrò Christum pro animabus mori prædestinatorum benè est; sunt enim animæ salvandæ, Deumque visuræ & amaturæ in omnem æternitatem. Sed Christum etiam mori, infinitumque sanguinis sui pretium pro animabus præscitorum ad damnationem dare? etiam. Mortuus est pro animabus prædestinatorum, quia salutem consequentur; & similiter mortuus est pro animabus præscitorum; licet enim non salvabuntur, sunt tamen animæ. In prædestinatis, mortuus est, pro animarum salvatione, in præscitis, mortem oppetiit pro animabus sine salvatione. Tam enim ingens valor & dignitas est animarum in se ipsis, & sine salvationis respectu; ut Deus infinitum sanguinis sui pretium, vel benè impensum, vel benè in iis perditum dederit. Audite memorabile in anima particulari exemplum.

2. Cor. 6. 5. 1. Tim. cap. 2. v. 6.

Christus pro anima Judæ egit extrema, quæ quidem omnes nôrunt, sed non pro merito pensant. Quod si Christus certitudinaliter ipsum salvandum præsciviſſet, optimè collocata fuissent laboriosa & dolorosa, illa amoris argumenta: & si, ut minimum, salus Judæ fuisset dubia, etiam hoc contingente dubio, bonum erat illam sollicitudinem adhibere: Sed Christus ipsum ad damnationem noverat præscitum. Ut quid igitur, Domine, infinitum verborum, actionum, lachry-

marumque tuarum pretium tam infelici homini impendis & expendis ? nunquid animam illius damnandam nôsti ? Equidem novi ; sed quamvis damnabitur, est anima. Damnationis illius certitudo non sustulit ei esse, sed potius tantæ perditionis auget dolorem. Et nihilominus adhuc dantur animæ, qui sese perditum eant ! adhuc dantur Judæ, qui introitum in animas suas, non pro mundo toto, neque pro triginta argenteis, sed pro longè vilioris, & erubescendi pretii reculis diabolo concedant !

Agedùm, Christiani, si anima una, absque salvationis respectu tantum valet, quare animas nostras adhuc in salvationis statu versantes ita vilipendimus? quid, quæso, in nos peccârunt, quod tantum illis superinducere malum, sic despicere non vereamur ? Christus Dominus immò ipse diabolus animam meam toti mundo in pretio præfert : & ego omnibus mundi reculis eam postponam? Quænam res in mundo adeò vilis & abjecta, sive sit vita, sive honor, sive commodum, sive sit gaudium, sive oblectamentum, cui non in pretio animam postponamus, & vendamus ? In Christum crucifixum oculis conjectis, in illa trucis statera animas nostras ponderare & æstimare discamus. Quânam figurâ Christus conspicitur in cruce ? nudus, ignominiâ & contumeliis affectus, pœnis tormentisque excruciatus, mortuus : nudus pro mea anima, ut ego pluris eam faciam, quàm quodlibet commodum : ignominiâ contumeliisque affectus pro mea anima, ut ego omnibus eam honoribus præferam : pœnis tormentisque excruciatus pro mea anima, ut ego omnia illi oblectamenta postponam ; mortuus denique pro mea anima, ut ego pluris eam æstimem, quàm ipsam vitam. Ah ! ponderemus & expendamus benè quid sit, quidve futurus sit mundus : quid sit, quidve futura sit anima nostra. Hæc primaria hujus Quadragesimæ sit devotio, hæc potissima sit pœnitentia. Majorem in Quadragesima hac devotionem & pœnitentiam à vobis non exigo : unam tantum commutationem ejus à vobis peto, ut scilicet stateram istam accipiatis in manum. Quotidie, si placet, vel dimidiam seligamus horam, quâ nos cum anima simul & nobiscum sequestrantes cum illa, & de illa tractemus. S. Joannes inquit in Apoc. *Factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ.* Scilicet quam diu de terrenis petitionibus tractabatur. Enimverò, si in cœlo, ubi tuta & fausta sunt omnia, media accipitur hora ad tractandum de terra : quare in terra, ubi securum est nihil, sed omnia miseriis plena, media non acciperetur hoc ad tractandum de cœlo : Ex viginti quatuor diei horis non sufficient corpori vinginti tres cum dimidia, ut animæ non vacet vel media, si velit ? Et hoc, quod necessarium est, à vobis & efflagitare & petere non sufficiat ? Eja Christiani fideles, faciamus omnes ita in hac Quadragesima : ut etiam Quadragesima sit Christiana : animam nostram tantum unam esse, immortalem & æternam consideremus : unionem ejus cum corpore (quam vitam vocamus) hodie posse dissolvi : omnia hujus mundi hic remansura : solamque animam nos comitaturam. Ipsam denique animam, alterutram ex duabus, manere æternitatem. Si fuerimus boni, æternitatem gloriæ : si fuerimus mali, æternitatem pœnæ. Hoccine veritas an mendacium ? credimusne nos habere animam, an non credi-

Apoc. 8. *v.* 1.

credimus? Suntne animæ illæ nostræ, an alienæ? quid igitur facimus?

Etiam aliorum animabus valde compatiendum est! totus mundus hodie Christo, pro alterius anima fuit oblatus à diabolo. Porrò si diabolus totum dat mundum, ad unam animam perdendam, quare non dabimus faciemusque aliquid pro tot animabus quæ pereunt? hoc ipso temporis momento, in Asia, in Africa, in America animæ pereunt innumeræ, (quibus remedium quæsiturus adsum) culpâ & negligentiâ nostrâ. Verè non est regnum pietate simile Lusitaniæ. Sed pietatem, fidem, devotionemque nostram non capio. Pro animabus in Purgatorio detentis tot sunt confraternitates erectæ, tot dispensationes & indulgentiæ; tot expensæ & procurationes, tot nocturna diurnaque suffragia: quibus istæ infelices periclitantes, & jam inferno proximæ animæ destituuntur. Animæ purgantes, licet patiantur, cœlestis gloriæ sunt securi. In Gentilismo adhuc versantes, mortui non solum dubium habent cœlum, sed damnationem infernumque certum, absque omni suffragio & succursu. Nunquid hoc majus misericordiæ est opus? Quare igitur non etiam horum juvamini confraternitas aliqua, congregatio aliqua, & procurator aliquis constituitur? Domine, nonne omnes istæ animæ tuo sunt sanguine redemptæ? Domine, nonne omnes istæ animæ Christi sanguine sunt redemptæ? Domine, animarum istarum conversionem, nonne Regibus regnoque Lusitaniæ commisisti? Domine, omnes istæ animæ, nunquid majestati tuæ simul cum regno sunt commissæ? Domine, eritne bonum, quod omnes istæ animæ pereant & ad infernum tendant, contra placitum tuum & desiderium? Domine eritne consultum, quod animæ istæ pereant & in infernum descendant, nostrâ culpâ? nec de tua divina, nec de humana majestate hoc mihi persuadere possum. Cum igitur tot sint constituti qui negotia mundi expediant; vel unus constituatur, qui animarum negotia curet: quarum vel una toto pretiosior est mundo. Nemo dubitet, quo magis animarum negotium fuerit promotum, eò feliores quoque negotia mundi sortitura fore successus. Diabolus totum obtulit mundum pro animæ unius jactura & perditione: Et Christus, qui animarum salvationem in se suscepit, absolutissimus nunc omnium mundi regnorum Dominus existit. Idem eveniet nobis, idemque ejusdem Dei vice, futurum promitto. Permittite jam mihi diaboli sanctificare verba, in os Christi eadem transferendo. *Ostendit ei omnia regna mundi.* Deus ostendit nobis omnia regna mundi, quæ, pro sua in nos liberalitate nobis dedit, & pro nostra culpa, ex magna parte denuò abstulit: digitoque monstrando Africam, Asiam, Americam, nobis dicit: *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me.* q. d. Regnum Lusitaniæ. Ego omnium regnorum, quæ tibi antea serviebant sub tributo, restitutionem, nec non plurium aliorum opulentissimorum hujus novi mundi acquisitionem tibi appromitto, si (ad quod te elegi) effeceris, ut in me credentes, me adorent: *Si cadens adoraveris me.* Ita hoc de bonitate Dei confisus promitto, ita hoc de magno Majestatis tuæ zelo & pietate spero, ita hoc de insigni ministrorum omnium Religionis Christianæ amore confido. Et si sedulò & solicitè alienarum

NB. Author hic alternatim cum Deo, & Rege loquitur.

animarum curaverimus salutem, quo tanquam gratissimo sibi sacrificio tantopere DEUS delectatur, efficacissimum erit medium, ad propriarum animarum salutem, cum ingenti gratiæ in hac, & gloriæ in altera vita incremento consequendam. Amen.

SERMO
IN
FERIAM QUARTAM POST DOMINICAM SECUNDAM QUADRAGESIMÆ.

Habitus Ulyssippone, in Capella Regia Anno 1670.

Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.
Matth. 20.

§. I.

VErsamur in sermone de prætendentibus: & pro usitata sive ratione consonâ, sive dissonâ experientiâ & querelâ, prætendentes in aulis, suis in postulatis, argonautis nostris & primis Indiæ detectoribus simillimos deprehendo; hoc solùm discrimine, quod inverso navigent modo, & itinere ambulent retrogando. Detectores nostri, primò Promontorium, *Non*, deinde promontorium *Bonæ spei*, præternavigârunt; prætendentes è contrariò, à promontorio *Bonæ spei* laxatis velis, in promontorio *Non*, subsistunt. Hoc filiis Zebedæi similiter hodie navigantibus evenit. In promontorio *Bonæ spei* vela laxantes adeò prospero & optato usi sunt flatu, ut unico velut impulsu illud prætervolârint; vento flante favonio & mari tranquillo. Anchoram spei firmaverant in favore & gratia Christi suique electione, nec non alacri promptitudine, quâ non solùm navim suam & retia, velut Petrus & Andreas, sed proprium etiam reliquerant Patrem. Vim spei addebat, quod Joannes & publicè & privatim, præ cæteris, à Christo dilectus videretur. Spem suam in sanguinis propinquitate fundabant, cùm ipsius Domini consanguinei essent, non considerantes, quòd Principes non habeant cognatos, multò minùs juxta se. Spem denique firmabant in intercessione Matris suæ, quæ tanquam Matrona omni respectu, & tanquam vidua, omni benevolentia & favore dignissima videbatur. Sed quantumvis adeò feliciter à promontorio *Bonæ spei* solvendo, promptam sibi & favo-

tabilem

rabilem expeditionem promiserint; nihilominus more cæterorum, ad promontorium, *Non* repulsi ibi substiterunt: *Non est meum dare vobis.* *Non* verbum est terribile; Non habet rectum nec transversum, à quacumque parte sumptum semper sonat & dicit idem: Legite illud à principio ad finem & retrogradè, semper est, *Non.* Virgâ Moysis in serpentem, & quidem terribilem adeò, ut fugeret Moyses ne moderetur, conversâ jussus est Moyses apprehendere caudam ejus; quo facto, speciem, terribilitatem virusque omne mox dimisit. Alia est ratio istius, *Non.* Quacumque demum sui parte apprehensum, semper est coluber, semper mordens, semper feriens, virusque secum ferens. Perimit spem, ultimum rebus omnibus afflictis relictum à naturâ remedium. Non datur correctivum illud temperans, neque ars illud mitigans, neque blandimentum illud dulcorans. *Non*, quomodocunque conditum semper est amarum; quocunque colore tinctum, semper est fœdum: quantumcunque auro superinductum, semper est ferreum. In nullo, Sol, Fa, collocare poteritis. *Non*, quin sit durum, asperum & malè sonans. Duritiem istius, *Non*, nosse vultis? nihil in hoc mundo durius, quàm ad petendum necessitate compelli, & petitum venienti responderi *Non.* Quid hoc erit? attendite. Lingua Hebraica, quâ locutus putatur Adam, quæque naturaliter magis rerum essentiam significat & exprimit, negare petitum; vocatur confundere faciem. Sic Bethsabee Salomonem allocuta ait: *Petitionem unam precor à te, ne confundas faciem meam.* Quare petitum negare, faciem confundere, vocatur? quia petenti

3. Reg. 2. v. 16.

respondere, *Non*, est lingua illi alapam infringere. Tam durum, tam acerbum, tam ignominiosum est unum, *Non.* Durum necessitati, ignominiosum honori, intolerabile merito.

Enim verò, si, *Non*, durum adeò est audienti, non minus illud durum credo proferenti: eóque amplius, quo generosiore pectore majoréque fuerit animo illud pronunciaturus. E tribus Angelis Abrahæ in convalle Mambre apparentibus, duo tanquam ministri divinæque punitionis executores ad infames perrexêre Civitates; tertio, seu primo vices Dei fungente apud Abrahamum remanente. Porrò quia solum cum solo agere Deo, optimam occasionem copiámque cum Deo agendi præbet, S. Patriarcha, sumpto animo, sententiæ revocationem deprecari cœpit, Civitates erant quinque. Exorsus itaque dixit: Domine, quod si in quinque istis Civitatibus fuerint justi quinquaginta, nunquid non illis majestas tua parcet ac dimittet? parcam & dimittam respondit Deus, seu vice ejus, Angelus. Si verò pauciores quinquaginta fuerint quinque, delebisne eos propter quadraginta quinque? non delebo, inquit. Imminutione numeri audacior factus Abraham, ad minorem continuò numerum processit; Si autem quadraginta ibi fuerint inventi? non percutiam propter quadraginta. Quod si triginta? non faciam, inquit, si invenero triginta. Si viginti: non interficiam. Si decem tantùm? & dixit non delebo propter decem. Quo dicto Angelus disparuit: *Abiitque Deus.* Abitus notabilis! Uberiorem petitionem & instantiam Abrahami cum imminutione numeri Angelus non expectavit. Submissio, ac-

Gen. 8. v. 33.

commodatio, & urbanitas Abrahæ, quâ instando de petitione ad petitionem transibat admirabilis omniumque lectione dignissima, quæ Angelum ad auscultandum moraretur. Age, si non patienter tantùm, sed singulari etiam complacentia à prima instantia, usque ad sextam expectavit, quare, non exspectatâ septimâ tam subitò & inadvertenter recedendo disparuit? ratio est: ne ad dicendum, *Non*, deveniret, Angelo duo commissa fuerant decreta; conditionale unum, absolutum alterum. Conditionale, ut, si in quinque istis civitatibus decem invenirentur justi, sententia suspenderetur. absolutum, si pauciores decem, sententiâ executioni datâ incendio perirent. Porrò Angelus, qui ad sex Abrahæ petitiones semper tam humanè & benignè responderat, *Ita*; illo continuante, septima vice respondere debebat, *Non*. Ne durissimum illud verbum *Non*, pronunciare opus haberet, disparendo se subduxit, sic ratiocinatus secum. In civitatibus illis non plures justi quàm quatuor commorantur, scilicet familia Loth: nepotis Abrahæ. Ergo si Abraham ad hunc numerum descenderit, sicuti ipsum facturum certum est, petitioni ipsius annuere nequeo, inquit Angelus, sed *Non*, ipsi respondere necesse est. Ne igitur ex insipidi hujus verbi prolatione mihi nausea, ipsique ex auditione nascatur molestia, fugâ recessuque nihil est consultius. *Abiitque Dominus.*

Reges, Supremique Principes Deum repræsentantes, ejusdem vices gerunt instar istius Angeli: proinde, velut ille in hoc casu, petitiones audire, supplicationibusque fatigari necesse est, quibus semper annuere, non oportet. Porrò quia prætendentibus dicere, *Non*, his æquè ac Principi durum est; propria huic loco & Evangelio materia erit, duo in quæstionem adducere & probare. Primum, utrum conveniat, Regemque deceat, dicere *Non*. Secundum, quonam illud modo dicendum, ubi conveniens aut necessarium judicaverit. Utrumque allegata, thematis loco, verba nobis resolvent: *Non est meum dare vobis: sed quibus paratum est à Patre meo.*

§. II.

DE Imperatoribus Romanis Trajani, in Imperio successoribus Panegyrista ejusdem. Plinius narrat, quod cumprimis aliquid rogari amârint, non alia de causa quàm quod dicere *Non*, eos delectabat. *Priores Principes à singulis rogari gestiebant, non tam præstandi animo, quàm negandi.* Verùm sicut isti, quos Principes ille vocat, verè tyranni, magisque monstra naturæ, quàm homines erant: excluso isto rationis & humanitatis scandalo, quæstionem nostram à probabilibus dubitandi motivis auspicando, neque conveniens, neque Regiæ Majestati & authoritati decorum videtur, vel unum *Non*, aut ore proferre, aut calamo firmare. Rex dicit, *Non*, vel, quia non vult; vel quia non potest. Si, quia non vult offendit charitatem: si, quia non potest, derogat Majestati. Casu quo petitiones, seu supplicationes sint ejusmodi, ut fas non sit exaudiri: prætendentes illud *Non* intelligant: sed non audiant. Discursus sit eorum, & responsio seu resolutio non sit Regis. Negativa magis decora est regimini, & repulsa minus publica, petentibus; ut ipsimet interpretentur. Doceat eos tempus, doceat eos dilatio: & si diu noctuque nihil *Plinius.*

aliud

aliud somniant, animo versant aut cogitant quàm prætensionem suam, ipsi dies noctesque illis dicant, quod ab alio non audiunt; hincque sciant quod intelligere nolunt. Spe sua, licet falsâ sustententur, integerque remaneat Principis honor, eò quod non negavit. Suspensis hoc modo petitionibus & supplicis, si foveantur & multiplicentur prætendentes; indubitatum magnificentiæ & authoritatis genus est multos habere prætendentes. Sumptus illorum & expensæ majestatem aulæ sustentent, etiam aulas eorum qui majestate inferiores sunt Quia petunt & prætendunt sine merito, ambitionis suæ solvant expensas: quod ipsis sit pro supplicio, reliquis serviat pro exemplo.

Contra rationum harum sophismata (multum enim habent vanitatis) multò solidiores videntur esse, dictaminis contrarii. Tam probrosum in mendacio est, *Ita*: quàm glorioſum in veritate est, *Non*. Veritas (quæ propterea nuda depingitur) simulare, fingere, coloribusque fucare, nedum decipere nescit: Primaque Throni, Justitiæ & gratiæ virtus, est veritas. Omne artificium mechanicum est & ignobile, Regique indecorum. Sol liquefaciens ceram, indurat lutum, secundum dispositionem enim subjectorum operatur; sed in & cum omnibus candidè & apertè: hinc calor inseparabilis est à luce. Inter baculum & sceptrum oportet discernere. Incongrua sunt aulæ expeditionibus stratagemata: Pro campo igitur, & non pro aula deserviant, contra hostes & non contra subditos adhibeantur. Examinent prætendentes, utrum spes affulgeat necne, ne desperent in fine. Qui dicit artem esse, non displicere: nec loquitur, nec cogitat bene. Satius est semel, quàm sæpius displicere. Conquerantur sibi non esse satisfactum: sed deceptos se ab illis veraciter dicere nequeunt. Porrò si durum est unum verbum, *Non*; multò sanè duriora sunt verba bona, quæ illud suspendunt & contegunt, donec illud retegat effectus. Qui fecit, *Non*, tam breve, noluit illud dilatari.

Philippus Rex Macedonum, à Republica Athenienſium transitum cum Exercitu, per terminos eorum petiit, quem Senatus ipsi denegavit. Sed quia stylus Athenienſium (qui hodiedum adhuc dicitur Laconicus omnia respondenda, succinctè, & pauciſſimis insinuare debebat verbis: acceptâ magnâ membranâ (quæ tum tempori, chartæ officium supplebat) tantis ei characteribus unum inscripserunt, *Non*, quod totam occuparet; quam clausam subsignatamque, Legatis Regis Philippi, responsi vice deferendam tradiderunt. Historiis græcis valde celebratum constat breve & longiſſimum illud, *Non*: In nostra verò Athenienſi adhuc dantur majora. Tot petitiones, tot remiſſiones, tot proviſiones, tot parentes, tot assecurationes, tot justificationes, tot folia involuta, tot solicitationes, tot informationes sæpius petitæ ex Asia, ex America, tot consultationes, tot interlocutoriæ, tot replicæ, tot denique aliæ cæremoniæ & secreta, in scriptis, ut numerus & nomen nesciatur: & elapsis quinque aut sex diebus, expeditio seu expeditionis significatum aliquot chartæ voluminibus conscriptum, est unum *Non*. Nunquid claritas ista melior fuisset in principio? cuinam verò tam injustæ circumductionis aut

ſuſpenſionis expenſæ vel in hac vel in altera vita reſtitutioni obnoxiæ, veniunt imputandæ? cum igitur prætendenti gratiam denegetis in petito, quare ſaltem eam non præſtatis in eo quod petendo infructuosè conſumit? Certo cuidam memoriale ſuum præſentanti Rex Joannes Secundus dixit, incongruum eſſe loco quod peteret. Quo audito exoſculatus eſt manum ejus. Interroganti Regi num intellexiſſet, reſpondit, etiam. Replicanti Regi, quare ergo ſibi manum exoſcularetur: intulit alter, quia Regia veſtra Majeſtas eam mihi gratiam præſtitit, ut pecuniam, quam in aula conſumere decreveram, mecum domum reportem. Hæ ſunt gratiæ veritatis & expeditionis illius, *Non*, tempore ſuo pronuntiati. Illud non pronunciare, majoris eſt politiæ, authoritatis & decentiæ: in multis verò caſibus illud dicere, obligationis eſt & conſcientiæ.

§. III.

QUæſtione noſtrâ ſic problematicè diſputatâ ex hiſce aliiſve dubitandi rationibus certitudinaliter evincitur: quod *Non*, abſque eo quod in ſe nihil ſit, eandem cum aliis mundi rebus qualitatem participet, ut mala bonis & commoda ſuis incommodis permixta habeat; ut in iis non cadamus aut offendamus quæ quolibet caſu occurrunt ſibi invicem contraria: In tanta petitionum ſupplicationumve multiplicitate primam prudentis Principis curam & ſolicitudinem eſſe oportet, pro virili occaſiones dicendi, *Non*, evitare. Verùm quis modus eſt, omnes iſtas occaſiones evitandi, tantâ prætendentium & prætenſionum, petentium & petitionum copia? dico, ut dexteritate & magnanimitate ſingulæ adhibitis hunc in finem oportunis mediis, quæ notabo, & Evangelium ſuggerit, eorundem numerum imminuere ſatagunt. Quorum.

Primum medium eſto, ut Intimis & familiarioribus, quantumcunque Regiæ ſuæ perſonæ conjunctis, gratiâque potioribus in primis poſtulata denegentur; cujus ratio patet. Quia ſi à gratia remotiores videant, alios, qui gratiâ, & quidem in tantùm gratiâ valent, ſuis fruſtrari poſtulatis, quo pacto prætendere aut petere præſument? Interminatus fuerat Deus populo Iſraëlitico quatuor plagas, ſcilicet famis, peſtis, belli & ferarum. Porrò ut ſcirent nullius ſe precibus aut interceſſionibus placatum executionem dilaturum, addidit: Quamvis Noë, Job, & Daniel forent deprecaturi, non tamen obtenturos. Comminationis hujus per Ezechielem factæ modus oppidò ſingularis eſt: dicit enim, ut ſequitur: *Si miſero famem*: intercedant licet Noë, Job, & Daniel, exſiccabuntur nihilominùs agri, & ſata exareſcent. *Si miſero peſtem*: intercedentibus licet Noë, Job, & Daniele, Mors omnia conſumet. *Si miſero feras beſtias*: intercedentibus licet Noë, Job, & Daniele, omnia à feris devaſtabuntur. Commitationis hujus modum, ex ratione & propoſito ſingularem nuncupavi; ſimilem enim S. Scriptura ignorat. Enim verò, quorſum Ezechiel inſinuat, ipſeque Deus repetitis toties vicibus illud tam expreſsè fieri mandat, orationes videlicet, Noë, Job, & Danielis contra determinans plagas virium nihil aut effectus habituras? Ratio eſt, quia tres memorati, diverſis ſæculis maximi

Ezech. 5. v. 16.

ximi extiterunt amici Dei : & ad persuadendum palamque faciendum omnibus, non concedendum illis quod peterent, aut petituri forent, medium nullum aut exemplum efficacius dari potest, quàm, etiam intimis suis postulata negare. Si Noë, si Job, si Danieli petita fuerint negata, quo pacto mihi concedetur? sic in nostro textu habemus.

Apostoli Spiritu Sancto necdum è cœlo afflati, ambitionis spiritu multum inflati, velut homines terreni, vel pulveris adinstar marini gestiebant elevari : Hinc indigna sacro collegio contentio fuit exorta. *Facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major.* Altercabantur, contendebant apertè de prælatura : quilibet sese majorem & præferendum arbitrabatur; tamque pertinaciter singuli suæ inhærebant persuasioni, ut divinum suum desuper requirentes Magistrum non ante quieverint, quàm ille censurâ suâ, litem terminaret. Considerationè dignam auscultate circumstantiam : *Quis putas major est in regno cœlorum?* Non dixerunt, quis ex nobis major est : sed, *Quis putas?* Quis tibi major videtur esse? ut etiam post responsum, majoritas in opinione remaneret : & quælibet suæ insistere non cessaret. Porrò, si ambitio illa universalis erat omnium, nec solius Jacobi & Joannis, quomodo hi duo soli primas cathedras prætenderunt & petierunt, nec quisquam aliorum eodem morbo laborantium, tale quid præsumpsit? Ex eodem capite. Joannes & Jacobus notoriè erant Christi amici gratiâque pollentes, quam etiam in naturali illâ ratione valdè penetrante optimè fundatam habebant. Reliqui verò Apostoli videntes, loca, quæ appetebant singuli, familiarioribus negari, remis velisque ambitionis contractis, affectare seu prætendere non sunt ausi : quod illis fuerat negatum. Ecce hic unius, *Non*, efficaciam ad multis eorum viam obstruendam ! Christus semel respondendo, *Non*, *Non est meum dare vobis;* ab onere octoginta & duabus vicibus illud iterandi sese expedivit. Si enim Christus duorum Discipulorum petito annuisset, exemplò reliqui decem Apostoli, & hos è vestigio septuaginta duo discipuli subsecuti adfuissent tam optato favonio usuri. Verùm unum, *Non*, suis dicendo intimis, ab octoginta duobus *Non*, quæ reliquis Apostolis dicenda fuissent & Discipulus, Christus sese liberavit.

Luc. 22. v. 24.

Hocce exemplum Regis Regum quoniam Reges imitari detrectant, hinc prætensionibus circumvallati, supplicationibusque intricati expedire se nesciunt, consequentiâ magis constricti, quàm ratione obligati : coacti & volentes negare multis, & facere non ausi, quia concesserunt paucis. Joanni & Jacobo, quamvis familiarioribus & intimis unum *Non*, dicatur, & mox illud repetendi necessitas cessabit : replicabunt nihilominus ipsi intimi, aut alius aliquis pro illis; non satis æquo consentaneum, laudeve dignum in Rege exemplum videri, quod servi fideliores, qui semper lateri ipsius inhærent, quique in Regiæ personæ ipsius laborando præsentia pondus Monarchiæ sustentant, quibus prima merces deberi videretur, sine gratia, sine mercede, sine præmio remaneant. Exiguumve præmium & merces videtur semper esse intimos? Christus ministris suis præ-

mii loco promisit, quod secum essent futuri: *Ubi sum ego, illic & minister meus erit.* Neque Rex præmium amplius dare, neque minister mercedem ampliorem desiderare potest. Verum est, id Latroni uni fuisse concessum, *Hodie mecum eris in Paradiso*: quod etiam proprietate suâ & applicatione non vacat. Sed S. Paulo quid evenerit, qualiterque in uno tantùm petito à Christo fuerit habitus, quamvis minister fuerit, qui plus omnibus in servitio ejus sudavit, expendamus.

Joan. 12. v. 26.

Luc. 23. v. 43.

S. Paulus à certa quadam pensione ratione modici terrei, quod à suis nostrisque communibus parentibus hæreditârat, exonerari optabat. Exactor illum importunè urgendo valdè fatigabat: adornabat supplicam, & trina vice iterabat instantiam: *Propter quod ter Dominum rogavi*: sed nec ad primam, nec ad secundam, nec ad tertiam instantiam exauditus, sed repulsam passus rediit. Evenit hoc Paulo? qui si non intimus erat primus, non erat secundus: Ex duobus enim primis aulæ regnique Christi ministris erat unus? Evenit hoc Paulo, quem ut in servum assumeret, Christus iteratò descendens de cœlo, viventem adhuc rapuit in cœlum, ut sua illi secreta communicaret? Huic tali ministro, tam intimo, tam familiari suo Principi, petitionem tam justam & facilem Dominus negat; nec semel tantùm rogantem, sed instantem, tertióque urgentem repellit? immò verò. Ut nec intimi mirentur aut ægrè ferant repulsas; nec Principes trepident, timeant, putentve se gravari aut obligationi suæ deesse petita negando. Paulus non erat minister sub deauratorum laquearium umbrâ servi-

2. Cor. 12. v. 8.

ens in palatio, nec luto inferens pedem nec campo: sed minister qui promovendo Principis sui honori, tanquam peregrinus totum ab Oriente in Occidentem, adinstar rotæ percurrebat mundum, Utrâque manu gladium vibrans, in perpetuis pugnis terrâ marique acquirendo occupatus, procellis naufragiisque jactatus, diu noctuque undis quandoque absorptus, *Die ac nocte in profundo maris fui.* Et quâ fronte (si sic loqui fas est) quibusve verbis Christus tali ministro suum ausus fuit denegare petitum? ipsemet S. Paulus, verbis se dignissimis, illud refert: *Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea.* Q. d. denego tibi, Paule, quod petis à me, sufficit tibi gratia mea quâ gaudes. Intimis familiarissimisque Principis gratiâ gaudentibus, hæc ipsa mercedis loco sufficit, & reliquæ omnes gratiæ confidenter ipsis negari possunt. Dixi, confidenter, & cum sensu & diffidentiæ nota dicere potuissem: Minister enim gratiâ non contentus, sed aliam insuper mercedem exigens, non mercede tantùm, sed gratiâ etiam indignus existit. Sed multi pretii illius, ignari, cum ejusdem gratia nec non Principis injuriâ, ex gratia gradum ad alia commoda faciunt! quod idem est, ac ipsam conculcare.

2. Cor. 11. v. 25.

Ibid. 12. v. 9.

Verùm, ipsum S. Paulum de sua loquentem gratia audiamus, contingere enim potest, ut excusationem mereatur: *Gratia Dei sum, id quod sum*: Totum meum esse Domini mei gratiæ debeo. Idem dicendum & confitendum est nobis, qui meritis ipsius, & non peccatis nostris, in gratia existimus: contrarium enim, magna superbia & maxima foret ingratitudo. Ulterius, *Et gratia ejus* (prose-

2. Cor. 15. v. 10.

quitus

quitur S. Paulus) *in me vacua non fuit.* Ubi excusatio sese insinuare videtur. Porrò si gratiam vacuam manere non oportet, nunquid implendae est : Hinc gratiâ plenos, videmus adeò plenos; & nihilominus ad magis adhuc sese implendos, ipsâ gratiâ uti. Verùm sanctus Paulus non dicit gratiam impletam se ipsâ, sed in ipso: *Gratia ejus in me vacua non fuit.* Et quomodo impleta est gratia in ipso ? multum sanè implere debebat, siquidem vas capacissimum erat. *Vas electionis est mihi iste.* Et ita in glorioso Paulo factum est. *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius omnibus laboravi.* Modus, quo gratia in me est impleta, fuit quod non solum multum, sed abundantius omnibus serviverim laborando, hoc etenim discrimine à cæteris discerni oportet, qui gratiâ gaudent. Non se gratiâ, neque gratiam mercedibus, sed novis majoribusque servitiis implere fas est. Proinde juxta hanc obligationem, Principes illis jure optimo petita negare, & hi de ipsa hac repulsa gloriari possunt.

2. Cor. 15. v. 10.

Philosophi duo negationum genera distinguunt : quorum aliæ, puræ negationes, aliæ privationes appellantur. Negatio pura, actum simul & aptitudinem negat: privatio, suppositâ aptitudine, negat actum. Silentium est negatio loquelæ, sed magno cum discrimine in homine, & statuâ, in statua pura est negatio, quia nec loquitur, nec loquendi capax est. In homine verò est privatio: licet enim non loquatur actu, loquelæ tamen capax & ad loquendum aptus est. Ex quo sequitur, quod sicut silentium in statua incapacitas est, & non virtus: sic quod negatur indigno, pura ipsum confundens est negatio: quod verò negatur digno, privatio honorem illi & gloriam adaugens, eóque magis quò dignior existit. Hujuscemodi sunt negationes, quas Principes intimis suis faciunt, & facere debent. Sunt privationes, quibus non sibi solis, sed etiam illis authoritatem acquirunt. Maxima etenim privati Gratia est, quod familiaritas ejus privatio existant. Unde & intimi familiariores que nobilissimâ & heroicâ Etymologiâ privati vocantur. Porrò si tales se esse gauderent, vel Princeps effecerit, ut sint licet non gaudentes ; privationes privatorum tolerabiliores reddent negationes eorum, qui hoc non sunt: & reliqui exempli hujus veritate docti neganda petere non præsument, nec Princeps petita negare cogetur, hocque medio ab innumeris molestisque occasionibus liber manebit; in quibus contra Majestatis suæ placitum aut decorum, dicere, *Non*, obligaretur.

§. IV.

SEcundum medium seu dexteritas præcavendi seu impediendi illud, *Non*, seu occasiones aut necessitatem illud proferendi, est ut Princeps in omnibus suis expeditionibus & resolutionibus integer, justus æquique tenax sit, & quâ talis cognoscatur. Ex hac justitiâ: & integritate (ad quam aliàs vel maximè obligatur) duo notabiles subsequentur effectus. Primus, quod nullus, nisi quod justum fuerit, petere præsumet: Secundus, quod omnibus nonnisi justa petentibus, concedendo petita, nunquam dicet, *Non*:

Justitiæ, rectitudinis, integritatis, constantiæque, omnium Romanorum Imperatorum tenacissimus, fuit

Marcus Porcius Cato. Et quidnam istâ suâ integritate, inflexibilique animi constantiâ fuit assecutus? Id referente Plinio, ut nemo improbum quod ab ipso consule petere fuerit ausus. De quo eloquenter Tullius acclamat: *O te felicem, Marce Porci, à quo rem improbam nemo petere audet!* Hujusmodi erit regiminis reverentia, Regisque felicitas, qui in omnibus expeditionibus & resolutionibus justitiam constanter & sanctè coluerit. Justitia à Theologis & Juristis definitur non esse aliud, quàm constans perpetuaque voluntas, tribuendi cuilibet, quod suum est. Porrò si voluntas illa (quæ ordinariè in affectibus humanis instabilis adeò & ambulatoria est) constans & perpetua perseveraverit, experientur omnes, se nihil ab illo, nisi servitiis debitum meritisque proportionatum obtenturos; & hâc experientiâ ejusque evidentiâ mediante, consequetur Princeps, quod nihil nisi justum quisquam à se petere ausit. *O te felicem, à quo rem improbam petere nemo audet!* O verè felicem! nullo enim iniquum quid petere auso, petitiones utique minuentur. Verè felicem; nemine enim nisi debitum petente, suppetet, quo omnibus satisfaciat. *O felicem!* Petentibus enim & supplicantibus justè, Princeps semper postulata concedet, nunquam pronunciare coactus *Non*. Nunquid igitur multò decentiùs, compendiosius, & utilius est, ut sibi ipsi illud *Non*, dicant petituri, quàm petitione jam insinuatâ, illud à Principe audire? illud verò eveniet, nullo præter meritum postulante.

Plinius.

Isaias, Regi Achaz, in probationem & confirmationem annunciationis sibi factæ à Domino signum pro arbitrio suo sive in cœlo sive in inferno petere mandavit: *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni sive in excelsum suprà.* Quid verò respondit Achaz? *Non petam.* Sic resolutè dixit, & implevit. Sed quare adhortante Propheta ut peteret, & quidem tanta arbitrii & optionis largitate, quantum cœlum distat ab inferno, quare non petit? ipse rationem reddit: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Tentare Deum, est velle aut aliquid faciat, quod non debet, quod etiam tentans nos diabolus exigit à nobis. Achaz hunc in modum secum est ratiocinatus, Deus justus, & justissimus, immò ipsa justitia est: ego nulla ei servitia præstiti (aliis enim diis doservio) quibus tantas gratias promeruerim, qua igitur fronte ab illo petere præsumam, quæ Isaias promittit? Illud erit tentare Deum & velle, ut justus, immò justissimus faciat, quod non oportet: proinde nullatenus petam, *Non petam.* Princeps justi sit tenax, adeóque constanter, ut nulli quicquam, nisi meriti debitive intuitu largiatur; & mox subditi iniqua & exorbitantia petere cessabunt, quæ videmus; à petitione non secus, quàm à tentatione abstinentes. *Non petam, & non tentabo Dominum.* *Isai 7. v. 1.*

Utinam Reges toties tamque injustè tentati, ad minùs saltem in tentationem non consentirent! nolo dicere, ut petitiones quasdam severè puniant: posito, quod in hoc Salomonem imitarentur, qui propter petitiunculam (sic eam nominavit, quæ intercessit, *petitionem parvulam*) Adoniam interfici mandavit. Enimverò dantur petitiones, quæ rectè interpretatæ, libelli ipsis Principibus, quo- *3. Reg. 2. v. 10.*

quorum manibus traduntur famosi jure sunt censendæ. Si enim sunt dolosæ, sicut illa Adoniæ, supponunt ipsos esse fatuos : Si exorbitent, supponunt ipsos esse prodigos : Si Canonibus Apostolicis contraveniant (quod multis eorum frequens est) supponunt non esse Catholicos : quocunque demum modo iniquum aliquid petunt injustos esse supponunt. Verùm, si, antequam petitoria supplicationesve nihil sibi, nisi juxta justitiæ rectitudinisve dictamen, obventurum esse prævideren t, missâ ambitione, non petere resolverent, *Non petam.* Notate quo loco positum sit, *Non*, & videte quantò convenientiùs pro subdito, utilius pro regimine, decentius pro Rege, illud *Non* collocatum sit ante, *Petam*, quàm post petitionem. Convenientius est subdito : melius enim illi est, ut tanquam certus illud, *Non*, ante petitiones suas sibi usurpet & præmittat, quàm postea audiat. Utilius est pro regimine ; cessante enim supplicationum tumultu & inundatione ipsum suffocante, negotia faciliorem sortientur expeditionem. Honorificentius denique pro Rege : quisquis enim vel munus vel remedium petiturus majestatis ejus pedibus fuerit advolutus, malè contentus abibit. Hocque modo & medio aulæ nostræ petitiones, non secus ac illæ in curia cœlesti expedientur. David loquebatur Deo : *Intret postulatio mea in conspectu tuo.* In aulis terrenis prætendens petitionem suam exire desiderat : in illa cœlesti ut intret, postulat. Cùm etenim petitio fuerit talis ut intrare mereatur, infallibiliter exibit expedita. Idem hic accidet, nullo, nisi quod justum est, petente : Justus enim Rex, petitioni justæ nunquam dicere audebit *Non.*

Ps. 118. *v.* 170.

Verùm enim verò, quid faciendum est Regi, ut famam istam justique opinionem universaliter sibi apud omnes acquirat, qua mediante petiones supplicationesque injustas evitare queat, sine quibus ab incongruentiis fastidiisque, *Non*, immunem sese conservare nequit ? respondeo non alio medio id consecuturum, quàm illud, *Non*, etiam sibi applicando ; & priùs sibi, quàm subditis. Hoc textus noster tanquam singulare, notatuque dignum nobis insinuat documentum : *Non est meum dare vobis*, inquit Christus. Ly *Non*, prius cadit in ipsum, quàm super binos, quibus petita negavit. Prius cadit super *Meum*, deinde super *Vobis*. Ita faciendum est Regi, Justitiæ virtutem & famam affectanti. Reges putant, *dare*, esse suum : & Rex Regum, *dare*, esse suum negat : *Non est meum dare vobis.* Nunquid Christus, quà Deus & homo, Dominus est omnium ? immò verò : ergò dare potest cui & quomodo vult ? distinguo : justè, concedo ; injustè, nego. Hinc S. Ambrosius, *Non est meum, qui justitiam servo, & non gratiam* : Q. d. Ego do per justitiam, & non per gratiam. Per justitiam dare, est meum : dare verò per gratiam, uti vos vultis, non est meum : *Non est meum dare vobis.* Cujus ratio est, quod Christus ita suum ordinaverit & formaverit regnum, ut nihil in illo gratis & pro gratia daretur, si non pro meritis & justitia. Hinc S. Paulus, quam expectabat coronam, vocat Justitiæ, quamque Dominus redditurus erat, non quà Dominus, sed quà justus Judex : *Reposita est*

S. Amb.

2. Tim. 2. v. 8. *mihi Corona Justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus Judex.* Loca dexteræ & sinistræ quæ illi Fratres prætendebant, erant Regni Christi, *Ad dexteram & sinistram in regno tuo.* Modus quo petebant non fundebatur in meritis & justitia, sed gratiâ & consanguinitate: *Dic, ut sedeant hi duo filii mei*: propterea respondit Christus, non esse suum dare: dare enim per justitiam, *Suum* erat: & non per gratiam dare, *Suum* erat. *Non est meum dare, qui justitiam servo & non gratiam.*

Nihil pejus intelligitur & observatur in aulis quàm discrimen inter justitiam & gratiam: ex quo sequitur, vix esse mercedem, & gratiam aliquam earum, quæ gratiæ vocantur, quæ non sit injustitia, multa injusta complectens. Non inficior, Reges posse facere gratias, illudque munificentiæ majestatique Regiæ valdè proprium esse: sed illud non faciendum, nisi priùs obligationibus justitiæ fecerint satis. Zachæus dimidium bonorum suorum se pauperibus erogaturum, reliquo verò dimidio se debita, aliisque illata damna

Luc. 19. v. 8. soluturum resolvit: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Dixit quidem & resolvit bene, perverso tamen ordine: primò enim solvenda erant debita, & resarcienda damna, quod est justitiæ obligatio, & deinde dandæ eleëmosynæ, quod liberalitatis opus est. Enimverò quis inversus foret ordo, largiri pauperibus, & non solvere creditoribus, quàm inversus foret ordo (ne aliud nomen accipiat) quibusdam violenter auferre necessarium, ut aliis prodigè daretur superfluum? Quia verò solvere, est actus subjectionis; dare verò superioritatis & magnificentiæ, Principes dare magis, quàm solvere delectat. Dent; sed de suo, si habent: dare enim & non solvere, est dare alienum. Et Zebedæis (quales sunt qui gratias petunt) gratias importunè extorquere satagentibus cum Christo respondeant: *Non est meum dare vobis.* Quod regimen destruxit, & conscientias animasque Principum perdit, est quod omnia sibi licere putent, quia omnia possunt. Hoc illis dicere, est adulari; & credere, est decipi. Rex potest omnia quæ justa sunt: quæ verò cum justitia pugnant, potestatis ipsius sphæram excedunt. Illa verissima & vanissima est adulatio, quâ Reges decipi queunt; est enim illos æquiparare Deo, potentiâ. Deus est omnipotens, & nunquid injustum quid operari poterit? absit. Eodem igitur modo Reges potentiam suam interpretari oportet. Porrò si subditi de Rege suo persuasum sibi habeant, quod taliter de sua potestate sentiat, & ita observet: veritate docti, nonnisi quod justum fuerit petent; & Rex omni importunitate liber, dicendi *Non* occasione carebit.

§. V.

TErtium medium præscindendi occasiones dicendi *Non*, est inviolabilis observantia legum. Porrò si leges in totali suo vigore, sine dispensatione, sine privilegio, sine exceptione personæ observarentur, non Regi, sed Legi dicere, *Non*, incumberet. Leges Dei prohibitivæ omnes incipiunt à *Non*, *Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non falsum testimonium dices.* Nunquid hominum quispiam, etiam audacissimus

&

& insolentissimus, in præsentem usque diem, occidendi, mœchandi, furandi, falsumve testimonium dicendi copiam à Deo petiit? nullus omninò, leges enim istæ inviolabiles & indispensabiles sunt. Idem igitur etiam Principi leges suas inviolabiliter & sine dispensatione observanti eveniet: & hac tam facili & gloriosa methodo à dicendo, *Non*, sese expediet, quia illud lex jam dixit.

Post primum peccatum Adæ, Deus universale emanavit mortis Decretum, Adamum cum omni sua posteritate complectens, eodem statuti decreti momento inviolabile illud faciens. Lex mortis ex natura sua inviolabilis videtur: sed tum temporis facilè violari potuisset: Adam enim, seu quilibet alius ex ligno vitæ comesturus immunis mansisset à morte. Quid verò Deus? *Ne fortè etiam sumat de ligno vitæ & commedat, & vivat in æternum.* Non fortè sicut Adam primam transgressus legem de arbore scientiæ comederat, secundam similiter transgressus legem, de ligno quoque vitæ sumendo evaderet immortalis: *Collocavit ante Paradisum Cherubim, & flammeum gladium ad custodiendam viam Ligni Vitæ.* Id est, ad introitum paradisi constituit Cherubinem cum ignito gladio, ut sine exceptione ab aditu arceret omnes: & si quis mortem conaretur evadere, moreretur primus. Adeò rigidum fuit Cherubim mandatum, adeòque inviolabilis legis istius severitas, ut ne proprium quidem filium privilegio quocunque ab ea voluerit exemptum. Privilegium, in jure vocatur, vulnus legis, proinde potestas gladiusque legislatoris, non ad ipsas vulnerandas feriendasque leges, sed ad feriendos, occidendos, concremandosque præsumptuosos illarum violatores exeri debet. Propterea Cherubini gladius, gladius erat, & igneus. Non erat difficile Deo, arborem vitæ vel exscindere, vel arefacere; ut sic omnis iste horribilis apparatus cessaret; Sed arborem permanere, legemque nihilominus inviolabiliter voluit observari, ut omnes intelligerent Legislatores, quamvis in legibus suis dispensare possint, modusque dispensandi facilis sit, non tamen propterea debeant. Verùm Domine, arbor vitæ fructibus abundat, hi nascuntur, alii decidunt, omnesque otiosè pereunt; cum tanto usui esse possint. O maledictæ utilitates & usus! iste est dolus, Principes perdens deceptio. Dispensatur in legibus, pro commodis (quæ ordinariè particularium, & non eorum sunt) universalique ruinæ panditur porta, quod solâ inviolabili legum observantiâ evitari potest. Pereant infructuosè fructus arboris vitæ, licet res inter creata Dei præstantissima: ipsæ pereant vitæ nec recuperetur immortalitas: moriatur sepeliaturque mundus totus; lex inviolata & sine dispensatione perseveret.

Gen. 3. v. 21.

Enimverò quidnam ex hoc indispensabili Legis rigore fuit consecutum? Ista universalis agnitio, de qua David: *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* Quis est homo, qui vivat non morituras? quod homines cognoscentes, simulque Legis indispensabilitatem, quamvis mors terribilium omnium sit terribilissima, vita verò desideratissima, nullus unquam fuit, cui vel in mentem venerit, ad non morien-

Psal. 88. v. 4.

dum,

dum petere dispensationem. Leges adeò sanctè inviolabiliterque observentur, ut omnes, in illis nullatenus dispensatum iri cognoscant : Et illo *Non*, quod leges dicunt, ab eodem pronuntiando Principes liberabuntur. Quia verò Principum nonnulli adeò misericordes seu pusillanimes existunt, ut nec Matri Zebedæorum, nec filiis dicere ausint: *Nescitis quid petatis* : hinc petere præsumunt, & pro voto expediuntur ; & illud *Non*, legum, super ipsas cadit leges, & non super id quod vetant, Mox ut in vetito dispensatur, lex desinit esse lex ; non solùm, quia concessum uni negari nequit alteri : sed multò potiùs, quia concessum uni petenti, etiam aliis, licet non petentibus est concedendum.

Matth. 20. v. 22.

Filius prodigus à Patre adhuc vivente substantiæ suæ portionem petiit : *Pater, da mihi portionem substantiæ meæ, quæ me contingit.* Ostendit petendo, quod futurum, aut jam præsens erat. Age, fatue & frontose juvenis, num ignoras quod filii non, nisi à mortuis parentibus hæreditent ? Qua igitur ratione aut fronte à Patre tuo adhuc vivo hæreditatem audes postulare ; tibique in primis rem adeò à recta ratione legeque communi exorbitantem concedi ? præsumebat de excessivo parentis in se amore. Porrò ! sicut amor cæcus est ad concedendum, ita infirmus est ad negandum. Bonus tandem Pater, seu importunitate filii, seu proprio victus amore in lege communi dispensando, contingentem ipsum portionem notabili concurrente circumstantiâ, extradidit. Duo erant filii, & data parte huic, similiter & suam alteri tradidit : *Divisit illis substantiam.* S. Petrus Chrysologus, casu hoc diligentius expenso, non sine ratione admiratur : cum unus tantum fuerit filius dispensationem à Patre postulans, cur mox illam concesserit utrique ; *Uno petente, ambobus substantiam mox divisit.* Quod Pater adhuc vivens filio suo petenti partem hæreditariam tradat, dubio quidem & quæstione non vocat : transeat tamen. Sed filio alteri nil tale desideranti nec petenti, quare similiter suam, non expectata morte, tradit ? Certum est imprudenter egisse Patrem tantum indulgendo filio, eóque magis quod ipsum illud intelligere oportuisset. Verum, data jam parte sua uni, ad suam etiam alteri tradendam æqualiter processit : Dispensatio enim concessa petenti, etiam alteri non petenti negari non potest : *Uno petente, ambobus mox divisit.* Hujuscemodi Evangelii nostri est casus, sed sublimiùs à Christo decisus. Apostoli erant duodecim ; sed duobus tantum petentibus reliqui sese continuerunt. Casu quo verò, Christus duobus illis petentibus concessisset, quia petierant ; etiam aliis decem licet non petentibus idem fuisset concedendum. Sed sicut filii Prodigi Pater æqualitate servata operatus est concedendo etiam non petenti, quod concesserat postulanti : pari modo Christus æqualitate sublimiore petentibus duobus negavit, quod concedi non oportebat, simulque decem non petentibus. Pater unius petitione motus expedivit duos, Christus expeditione negatâ duobus, respondit omnibus. Pater verò imprudenter, quia legem relaxavit concedendo : Christus verò divinè, quia illam constabilivit negando.

Luc. 15. v. 12.

S. Petr. Chrysol.

Inficias non eo, in materia negandi, & concedendi, majorem hujus quàm illius ratio-

rationem habendam : sed consequentia, quod alii est concessum, mihi non est negandum : est argumentum nec ratione gravissimâ solubile. Rachel sterilem se considerans, sorore filios multos feliciter enixâ, petiit à marito suo Jacob, ut ancillam suam Balam in conjugium acciperet, quo suscitandi ex ea filii ad se quatantenùs tanquam sui pertinetent. Jam ante conjugium Rachelis, de conjugio Liæ quod abhorruerat, constabat : & jam conjugium inire cogitur cum Bala, quod satis indecorum sibi scire debebat. Sed omni se subjicit, qui diligit & amat. Balâ jam filios enixâ ; Lia non contenta quatuor uterinis quos ipsa pepererat, etiam à Jacob importunè extorsit ut ancillam suam, nomine Zelpham in thorum admitteret. Nunquid hujuscemodi mulierum datur æmulatio? Quid vobis, hoc casu, Jacobo faciendum fecisse videtur? Ad consolationem Rachelis, ex obligatione amoris qualitercunque rationi consonum videtur. Verùm ad instantiam Liæ minùs amatæ, prolibusque jam stipatæ quid fecit Jacob? nihilo secius importunitati Liæ cedens Zelpham in thorum admisit. Si igitur Liæ instantia nullo justi aut decori prætextu erat vestita, sed in sola æmulatione & zelotypia fundata, quare Job tam justus & prudens petitioni ipsius & importunitati condescendit? quia jam ante idem indulserat Racheli; Lia repulsam passa, petitioni sororis suæ expeditâ & impletâ, conveniret Jacob, non acquietura sibi negato, quod sorori fuerat concessum. Etiam inæqualitate tam manifesta, quod Rachel sterilis, Lia fœcunda, hæc pro libus uterinis ditata illa, nullum enixa ; nulla horum omnium consideratio Liam pacare potuisset. Quare contra argumentum : Non negandum alteri quod conceditur uni, contra vim (sive cogentem, sive extortam (hujus consequentiæ vel maximè in ratione fundatæ, non valet solutio.

Persuasum sibi habeat Princeps, quod conceditur uni, quia petit, consequenter concedendum esse aliis, etsi non petant, Intelligat dispensationes & privilegia non solùm esse legis vulnera, sed vulnera lethalia : & legem mortuam non posse reipublicæ dare vitam. Consideret leges suos esse muros, quorum apertura hodie unius tantum hominis capax, cras ita dilatabitur, ut integer per eam intrare possit exercitus. Attente examinet leges politicas : consideret ordinationes bellicas, tot Pragmaticas, sanctiones œconomicas, quæcum institutæ sint pro remedio, hac via fidem & authoritatem perdent. Sola & finalis Principis justi resolutio esto ; tractare leges suas, tanquam suas, illas corroborando, protegendo zelando, & in suo vigore inviolabiliter sine dispensatione conservando. Quod enim lex sine injuria negat omnibus, si uni (quamvis rationabiliter) fuerit concessum, alteri negari nequit sine gravamine. Et melius, facilius, decentiusque est, ut leges ipsæ dicendo, Non, sese conservent, quàm ut Princeps subticendo Non, illas infringat.

§. VI.

QUartum & ultimum medium evitandi illud, Non, est provisiones anticipare, & loca vacua non habere : mox enim ut locus fuerit vestitus prætensiones cessabunt. Admiranda

planè naturæ ineſt diligentia impediendi vacua : & ut nullus in toto univerſo detur locus vacuus. Hunc in finem aſcendere videmus aquam, & deſcendere aërem, moveri terram, marmora rumpi, crepare æs, omneſque crearuras in ſuas impetu ferri inclinationes. Ex quo frequentes exurgunt terræ motus, & quidem extraordinarii & vehementes, qui totas frequenter ſubvertêre civitates. Porrò quod natura facit ad vacuum impediendum : idem ambitio facit ad occupandum. Cum fuerint loca vacua, undique certatim convolant prætendentes, non ad impediendum (cum ſe invicem & mutuò tantùm impediant) ſed ad occupandum vacuum, tantóque majore impetu quantò majore natura ad bonum commune fertur univerſi, & ambitio ad privatum uuiuscujuſque. Quales verò inde terræ motus & reipublicæ perturbationes, Romanorum domeſticæ & civiles, in Conſulatuum concurſu, pugnæ loquuntur. In Monarchiæ gubernatione, omnia iſta inconvenientia, præcavere & ſubmovere facillimum eſt præoccupando vacuum omnium illorum, quæ peti aut prætendi poſſunt : Vigilanterque præcavendo, ne locus vacuus detur. Hæc faciendi methodus Principi venit obſervanda.

Reverſurus in cœlum Chriſtus Apoſtolis Diſcipuliſque ſuis mandavit, ut in Jeruſalem, propediem affuturi Spiritus Sancti adventum expectarent, quod etiam fecêre in cœnaculo congregati. S. Petrus jam prævie de Eccleſiæ Principatu inveſtitus, non expectato Spiritus Sancti adventu, id præ cæteris ſolicitè curavit, ne vacuus per proditoris mortem locus ita diu relinqueretur : unde ſanctum Matthiam in eum ſurrogare feſtinavit. Vix putem futurum, qui tam notabilem Sancti Petri reſolutionem & actum tali loco talique tempore non obſtupeſcat. Nondum aderat tempus, quo Apoſtoli per univerſum diſpergerentur mundum, necdum futurum erat, ſicuti nec fuit, niſi aliquibus ab hinc annis, & poſitis ante & firmatis tanti ædificii univerſalis, ſcilicet Eccleſiæ fundamentis. Ut quid igitur ſanctus Petrus proviſionem hanc ad aliquot ſaltem dies non diſtulit? Cur S. Spiritûs non expectatur adventus, ut ſic electionem certiorem infallibilioremque reddat? ratio eſt, quia tanti refert, atque intereſſe intellexit S. Petrus, quod ne ad momentum temporis loca vacua relinquantur. *Oportet.* Hoc primo verbo magnus Apoſtolici Collegii Princeps præpoſitionem ſuam fuit exorſus, & his ultimis concluſit : *Accipere locum miniſterii hujus, de quo prævaricatus eſt Judas, ut abiret in locum ſuum.* Act. 1. v. 25. Recenſiti ibidem viri erant numero centum viginti : *Erat autem turba hominum ſimul ferè centum viginti* Ibid. Eodem die converſi illiſque aggregati, in quos Spiritus Sanctus deſcenderat, erant numero ter mille : *Et appoſitæ ſunt in die illa animæ circiter tria millia.* Act. 2. v. 41. Accreſcenſque poſtea numerus multò evaſit amplior? & in tanti populi multitudine, in qua omnes capaces erant locumque ambire poterant, ſi vacuus adhuc fuiſſet, quis non videt, quàm periculoſa occaſio fuiſſet, perturbandi pacem, diſſolvendique concordiam & animorum unionem in eis, quos oportebat eſſe, & Evangeliſtâ teſte, verè erant *Cor unum & anima una*? ad præveniendum igitur periculum & inconvenientias quæ humanitùs ab illo timeri Act. 4. v. 32.

meri poterant : Locus iſte (inquit S. Petrus) ſtatim occupetur, & ne ad momentum quidem temporis vacans remaneat : unde ſequetur, quod præſentes illum videndo, & videntes illum jam occupatum inveniendo nullâ prætendendi aut petendi cupidine tententur. Neque dubitari poterat, quin proviſio, electioque ejus rectè & quaſi acu tangeretur : Siquidem S. Petrus ratione officii ſui infallibili Spiritûs Sancti aſſiſtentiâ regebatur, qui quamvis decima poſt aſcenſionem die deſcenderit in omnes, hac ipſa inviſibiliter deſcendit in eum, ſicut jam ante deſcenderat, quando proviſionem accelerare efficaciter inſpiravit.

Idem practicantibus Principibus ſæcularibus, quibus etiam ſuo modo Spiritûs S. aſſiſtentia non deeſt, diſcreta ſanè foret politica, quâ prætendentes à labore & tentatione petendi, & ſemetipſos ab occaſione negandi præſervarent. Maxima & difficillima hujus generis fuit occaſio in ſucceſſore Davidis deſignando. Decreverat David, prout convenientiſſimum Regno, nec non à Deo definitum eſſe ſciebat, ut Salomon ſibi ſuccederet, cui obſtare videbatur, quod Salomon ad ſuccedendum illegitimus, anniſque foret minor : Adonias verò non legitimus ſolum, verùm etiam omnium ſuperſtitum Regis filiorum natu maximus eſſet, & quâ tali nobilitas, clerus, populuſque cum magna militiæ parte adhæreret Conſummatum jam videbatur negotium, quando in convivio ab Adonia omnibus ſuæ partis Principibus & potentibus magnificè inſtructo inter epulas & pocula, acclamationeſque fauſtas Neo-Regis ſanitas hilariter promovebatur. Quo cognito eâdem horâ, quid faceret David? Sternite (inquit) mulam meam (hujuſmodi enim tum temporis equorum & caballorum loco, Reges utebantur) cui Salomonem filium meum imponite, unctumque à Nathan Propheta in Regem per plateas Jeruſalem circumducite clangentibus tubis ſonantibuſque tympanis & cymbalis acclamantes : *Vivet Rex Salomon.* Quod eodem mox momento executioni fuit datum Buccinarum clangor & tympanorum ſtrepitus in convivio Adoniæ actutum fuit auditus, cauſa innotuit, exterritique convivæ ſine mora ſeſe ſubduxerunt, eodem die Neo Regi Salomoni gratulando manus exoſculati. Quam verò hujus facti ſui David dedit rationem? Et quid juri, juſtæque prætenſioni reſpondit Adoniæ? Et quo fuco aut dulciario illud. *Non*, texit aut condivit : ipſum rejiciendo? Nihil protinus dixit, nec dicere opus habuit. Adonias enim locum jam occupatum cernens, ſuæ ſe fortunæ accommodans, exoſculatâ Salomonis manu, nec ipſi, nec Patri vel verbum replicavit. Tanti refert ſolicita locorum proviſio ad injiciendumfrænum ambitioni prætendentium, & excuſandum *Non* Principum.

Politicæ hujus praxin gloriosè in noſtro exercuit regno Joannes Secundus, exinde Rex, *Boni memorialis*, nomen ſortitus: ſicut Joannes Primus Rex, *Bonæ memoriæ*, fuit, appellatus. Hic Regum prudentiſſimus occultum habebat pugillarem, cui præcellentiores in ſuo ſervitio, ſeu ſtatus, ſeu juſtitiæ, ſeu cameræ, ſeu militiæ miniſtros inſcripſerat, & pro cujuſve meritis, ſingulis primò va-

catura destinaverat loca & præmia. Trito apud Hebræos ferebatur adagio, quo etiam Christus usus legitur : *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Loquitur de aquilis vulturinis ex rapacium genere visûs acumine & odoratûs sagacitate præpollentibus, quæ vel cominùs diso, vel eminus olfacto cadavere, concitis mox alis advolant ut sese impleant & exsatient. Idem ex ambitione prætendentium evenit omnibus, quorum morte vacat officium, Commenda, Virga, Cathedra, Mitra, gubernaculum, vel aliud quodcunque emolumentum utile vel pingue; cui (non dico ungues) sed manus infigant. Verùm quid in quotidianis hisce casibus Rex *Boni memorialis* faciebat ? quia ea jam certis & notis prædestinarat : locum, officium, sive beneficium jam occupatum respondebat. Aquilæ verò famelicæ quæ volatu præcipiti prædæ defuncti inhiabant, complicatis alis, etiam ungues contrahebant, & crocitare volentes rostra offendebant.

Luc. 17. *v.* 37.

Idem hodie binis nostris prætendentibus accidit, quibus Christus, petita loca jam aliis esse destinata respondendo, os obturavit : *Non vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Si sciretis, ad providendum Regni mei locis, non expectari prætendentium, ad petendum concursum, sed longè jam ante aliis, & certis esse destinata : utique illa non ambiretis. Verùm quia regni mei stylus vobis ignotus, hinc petitis, ignari quid petatis : *Nescitis quid petatis.* Eodem in itinere, quo petitio hæc adornabatur, Christus sese ad moriendum Jerosolymam tendere dicebat. Joannes erat Aquila, & Jacobus frater ejus ; & quia corpus mortuum jam olfaciebant, ad sui saginam occasione uti gestiebant. Verùm, licet loca petita fuissent alicujus mortui, & ipse instar aliorum mortuorum, qui non resuscitantur nec resurgunt : nihilo seciùs, quid peterent, ignorabant. Altissimum secretum etiam nondum vacantia destinandi loca id efficit, ut semper vivant. Imitentur igitur Principes hanc universalem naturæ regulam : corruptio unius est generatio alterius. Porrò sicut illa ne ad momentum quidem materiam relinquit informem, sic illi tollant è mundo locorum vacantiam, nec ad momentum vacare sinant, sed semper vivere faciant.

Verùm, ad istud præcedentes nostri replicare poterant, loca petita noti fuisse vacantia, sed creata, seu de novo creanda. Sed replica ista verbis illis, *Quibus paratum est* : nec non præventione vel prædestinatione provisorum eliditur Deus nova creaturus officia, prius officiales, quàm officia creat; & ita nascuntur provisa, & absque instante vacua. In mundi primordio Deus tres creavit præsidentias, duas in cœlo, & unam in terra : sed creatis prævie præsidentibus. Prima cœli præsidentia, fuit illa solis : *Ut præesset diei* : Secunda lunæ, *Ut præesset nocti.* Verùm antequam istas crearet præsidentias, utrumque jam creaverat præsidentem : *Fecit duo luminaria magna ; luminare majus, ut præesset diei : & luminare minus, ut præesset nocti.* Præsidentia tertia fuit illa hominis, super omnia animatio maris, aëris & terræ. *Sed* & similiter ante creationem præsidentiæ jam creatus erat præsidens. *Faciamus hominem ad*

Gen. 1. *v.* 16.

ima-

imaginem & similitudinem nostram, ut præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis universæque terræ. Eundem omninò stylum in omnibus creatis de novo officiis Deus observavit. Creandum erat regnum Israël; & antè per Samuëlem ungi jussit Saulem, quàm tradito regno Regem crearet. Creandum erat de novo officium Redemptoris mundi & prius, & quidem centum annis ante designavit Noë, mandans illi fabricare arcam, quàm dicti officii exercitium illi committeret. Non possum non, hoc passu meminisse, quoties naves nostræ Indicæ velis ad antennas jam explicatis sint visæ, nullo adhuc cognitio aut designato gubernatore. Nos naves nostras incipimus ab apluſtribus; Deus navem suam incepit à Navarcho. Idem observavit Christus. Paulò ante mortem designavit S. Petrum: & post resurrectionem tradidit illi navem. Politicam hanc cœlestem Principes imitentur terrestres. Pro officiis creandis creent primò officiales, quàm officina: & in ordinariis & successivis, successuri illa previè occupent, ne vacando vacua existant, & hac via & methodo, activè & passivè insipidum illud *Non*, ex maxima parte cessabit.

Gen. 1. v. 26.

§. VII.

ENumeravimus media & methodos quibus anticipativè evitari seu minui possint occasiones pronuntiandi vel audiendi acidum illud, & durum adverbium. *Non*. Cum verò nihilominus dari possint occasiones, quæ illud necessario exigant, restat nunc audire methodos & modos, quibus in hujuscemodi casibus, minore subditorum sensu, ipsiusque Principis mortificatione, *Non*, proferendum sit. Rex Joannes Quartus p. m. cuidam intimorum suorum aperuit, viginti quatuor modos sui esse negandi. Non latuit hoc Legatum quendam, à multo jam tempore, certam expeditionem urgentem. Hic veterani cujusdam à servitiis majestatis Regiæ confidentiâ usus resumpsit instantiam his verbis. Intelligo hic, Majestatem vestram viginti quatuor modos habere negandi; ast ego viginti quinque modos habeo postulandi. Porrò, quales isti viginti quatuor modi fuerint negandi, ignoro, nec occurrunt. Sed qualescunque sint; vel plures etiam possint esse petendi, prætendentium importunitas unico, *Non*, sive obscuro, sive plano, pro exigentiâ casus, venit retundenda.

Cum primis unum siccum & clarum *Non* mereri videtur certum machinatorum genus, qui novos Regium ditandi ærarium adinvenientes & offerentes modos & artes, adjungunt (hic latet anguis in herba) sibi executionem quoque demandandam authoritate sufficienti, aliisque ad hocce mediis requisitis debitè armatam. Christus inquit, natum esse zizanium inter semen bonum Patrisfamilias. Quod videntes servi zelo correpti, damnoque exaggerato, Dominum suum è vestigio accedunt promptam ad eradicanda zizania operam offerentes: *Vis, imus & colligimus ea?* Colligere, dixerunt: & non, eradicare; hujuscemodi enim zeli & oblationes semper adducuntur in collectionibus. Respondit illis paterfamilias, nullas prorsus pro solicitudine agendo gratias. Quid verò respondit? *Ait illis Non.* Ita similibus pro-

Matth. 13. v. 21.

Ibid. v. 29.

propositionibus unum siccum & resolutum *Non*, respondere fas est. Paterfamilias, melius quam servi agriculturam intelligebat. Servi utilitatem obtendebant; Paterfamilias inconvenientiam penetrabat. Illi ad zizania extrahenda promptos sese offerebant; hic verò & triticum eos evulsuros prævidebat. *Ne colligentes*

Ibid. *zizania, eradicetis simul & triticum.*

v. 29. Nec faciendum est quod vultis, nec à vobis: suo id tempore, & à messoribus fieri oportet, quorum hoc est officium, & qui intelligunt. *In tempore messis dicam messoribus.* Cum arbitria sua

Ibid.

v. 30. simulque seipsos ad exequendum offerunt rerum ignari & inexperti, apparente tantum utilitatis prætextu, occasionibus intempestivis damnisque certis (prout ordinariè accidit) Paterfamilias ipsos, eorumque propositiones uno nervoso resolutoque *Non*, repellat: *Ait illis*: *Non.*

In aliis occasionibus unum, *Non*, altero excusari solemne est. Porrò, quia hic modus, ordinarius, frequens & usitatus est, sine examine & censura eum transire nefas est. Laban pactam Jacobo septem annorum mercedem negavit, & loco Rachelis (quod negatione pejus est) tanquam adulterinâ monetâ solvens, suppositit ipsi Liam. Luce diurnâ detegente dolum; Jacob conveniens Labanum de negata sibi Rachele expostulavit; *Nonne pro Rachele servivi tibi?*

Gen. 29. *v. 25.* Quàm verò satisfactionem daret illi Laban, quod interpretatur, candidus? *Non*, unum, altero, *Non*, excusavit dicens, non esse moris in terra sua secundo genitas primò tradi ad nuptias: *Non est*

Ibid. *in loco nostro consuetudinis, ut minores*

v. 26. *ante tradamus ad nuptias.* Et est consuetudo terræ vestræ, promissa non implere? Est consuetudo terræ vestræ, decipere? Est consuetudo terræ vestræ, mentiri? Est consuetudo terræ vestræ, justitiæ & rationi contraire, & in excusationem obtendere, non est consuetudo? A terra Labani ad nostram transeamus. In omni terra, docente & demonstrante Aristotele, lex naturalis jubet præesse & regere sapientiores: subesse verò & parere debere minùs sapientes. Ubique terrarum lex naturalis sancitis confirmata civilibus vult, ut in quolibet genere eminentiores ad sublimiora ascendentes loca prima referant præmia? terra verò nostra ab hac lege eximitur, in qua ad illa obtinenda præmia, ad ista conscendenda loca non talentorum neque meritorum sufficit præcellentia, certo qualitatis desiderio gradu: Cum ista tantummodò sufficiat qualitas, secluso alio merito, seu talento ad prætendendum vel obtinendum: eadem loca absque prætensione obtinere. Extraneis verò & peregrinis admirantibus, & non sine stupore cernentibus: ista loca non occupari ab hominibus, quos mundus suspicit & veneratur: isti *Non*, alio, *Non* respondetur: *Non est in loco nostro consuetudinis.* Enim verò si quispiam ex nostris prætendentibus Evangelicis (sit Jacobus qui Lusitaniam venit) hodie accedens loco petitæ cathedræ, quemcunque hujus regni Episcopatum prætenderet, incolæ regni responderent, *Non*: quia filius esset piscatoris: majoremque illi honorem favoremque exhibere non possent, quàm Episcopatum quempiam ultra marinum conferre: moxque illum satyricè, de Meliapor Episcopum intitularent: quod Insulam respiciat piscariam.

riam. Josue triginta trium regnorum subactori, cujus militari generositati ipse sol fuit attestatus, generalatum hodie prætendenti, exhibitum Moysi ministerium opponeret: Et Josepho, cui in accumulandis Regis sui facultatibus, industriâ, & conservandis, fidelitate nemo fuit secundus Regiis facultatibus & reditibus, si tanquam Commissarius præfici peteret; considerate an non pastæ à Patre oves petitioni obicem ponerent? non loquor de Bartholo, utrum regimen justitiæ ipsi in mentem venerit: vel Navarro illud conscientiæ Hic enim cum in Lusitania docuisset cum stupore Universitatum omnium: Conimbricæ didicit unum sibi usurpare *Non*, & peregrinatum abire in terras alienas, ne audire cogeretur in nostra: *Non est in loco nostro consuetudinis.* Censura illius, quod consuetudo dicitur, est quod non sit consuetudo; sed naturæ rationique contrarius abusus, virtuti reipublicæque præjudicativus. Porrò Principes hoc modo dicendi, *Non*, sese excusantes, non modò non excusantur, sed accusandi potius sunt & reprehensione digni, dum hac via, subditis, orbi, ipsique Deo se reddunt odiosos, qui propterea ex uno patre eâdem matre omnes voluit procreari.

Excluso igitur isto nimis quàm proprio & particulari terræ nostræ abusu: modus omnium calculo optimus & optimorum quorumcunque opinione convenientissimus est, ut occasione occurrente negandi, ad emolliendam ipsius *Non*, duritiam, negando Principis jussu à Consiliariis ritè discusso, Consiliariorum arbitrio se Princeps excuset. Nihilominus & in hoc ipso medio cautelâ & circumspectione opus est, ne in obliniendo & emolliendo *Non*, ipsis Regis authoritas vel Consiliariorum periclitetur integritas, excusationisque motiva ab absurdo præserventur. Rex Achis in certo quodam bello contra Hebræos, fidelem suam, & subjectarum sibi turmarum operam promittenti David, secum egrediendi copiam negavit, Satraparum suorum, *Non*, allegando: *Satrapis non places.* Quod tamen antequam pronunciaret, & postquam pronunciâsset, omni laude plenam cum juramento, tam coram audientibus, quàm ipso cui jurabat, fecit protestationem: *Vivit Dominus, quia rectus est tu, & bonus in conspectu meo, sed Satrapis non places. Scio quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Domini*, q. d. Juro tibi David, quod rectum & bonum te judicem, & quidem rectum & bonum in oculis meis velut Angelum Dei, sed Consiliariis displices. Prô! quot & quantæ subjectis negantur capacissimis, veluti Davidi, non quod digni, immò dignissimi non sint, sed quia Regum consiliariis non placent! quod si dixisset, ipsam promptam Davidis oblationem sibi non placere, rationes & motiva ad hoc poterant subesse sed persona displiceat, *Satrapis non places*! Quod si verò judicium & opinio Regis tantum discrepabat, ut illum bonum & rectum hominem, immò Angelo similem æstimârit, quare non suo potiùs conceptui & judicio, quàm consiliariorum displicentiæ Rex sese conformavit? Et cum se illorum resolutioni conformârit, quare tot ornatam præconiis illam Davidi intimat, ut ipsa laudum præconia negativam confutent & condemnent? colorando isti, *1. Reg. 19. v. 6.*

Non

Non, quo Davidi petitum negabatur, illa ab Achis fuêre dicta, quibus ipsis coloribus Regiam authoritatem & superioritatem valdè deturpavit; sequendo etenim consiliariorum suorum sententiam, contra Judicium & experientiam propriam, illorum se subditum, & non superiorem & Dominum demonstravit. Consiliariorum quoque suorum integritati non minimam maculam inussit: dicendo enim, quod David illis non placeret, eos personarum magis affectu, quàm causarum merito agi ostendit. Ipsi denique rationi notam intulit, quâ se excusabat. Cum enim Davidis acta, propriâ ipsius Achis confessione, experientiâ & juratâ attestatione, tam recta & bona essent, ipsam sic dictam rationem, nullo excusationis velamine palliabilem confutabant: & purum putum prætextum tantum esse evincebant. Proinde Princeps consiliariorum suorum sententiis excusare & palliare se gestiens, dicat, se negotium examinandum discutiendumque illis commisisse, quorum conclusis se accomodarit; nec quippiam amplius.

§. VIII.

ISTud Clementissime Domine: nos docet politica humana, documentis sacræ desuper confirmata, quæ recensui. Porrò pro felici sceptri, singulari adeò providentiâ, Regiis celsitudinis tuæ manibus à divinâ traditi administratione, non aliud celsitudini tuæ medium offero & suggero, quàm exemplum Filii Dei, in verbis, thematis loco assumptis, tempori, circumstantiis, occasionique præsenti tam congruis, ut non nisi pro ea dicta videantur. Christus petita loca duobus fratribus negavit; mediumque quo insipidum illud *Non*, condiendo suo simul honori decoroque consuluit, fuit Patris sui dispositionem & decreta allegare: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Non est meum, inquit, petita vobis conferre loca, & concedere postulata, quæ aliis jam ante Pater meus decrevit; à quo, quia hæreditavi potestatem, etiam illum me sequi, ejusque decreta stabilire & confirmare fas est. Istud imitandum est Principibus hæreditareis, tantóque glorioſius, quantò filii parentibus sunt glorioſiores. Consequentia naturali, occidente sole loca quædam obscurantur: eodemque nascente alia illuminantur. Eò collimant prætensiones in ortu auspicantium, & in occasu regimen finientium. Princeps verò, favente fortunâ, succedens patri tam digno incrementis subditorum, quàm imitatione filiorum, paternis electionibus inhærendo, à necessitate eas innovandi se liberat. Si Joannes & Jacobus sive pro se, sive pro aliis instantias fecerint, formalibus istis Regis Regum respondeant: *Non vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Et illud *Non*, non facilè minùs, quàm decorum ipsi erit & glorioſum.

Verùm aderunt utique (more in regiminum auspiciis usitato) insinuare se gestientes ambitioſi ad suggerendum & persuadendum contrarium. Quinam verò novitatum harum, quæ tam blandè illabuntur auribus, adeoque pronis excipiuntur animis, sint effectus, seu eventus, ipsi facilè prævident Consiliarii, & consilia accipientes. Exempli vice (si vellent) deservire ipsis posset illud infaustum Regni Roboami Filii Salomonis

auspicium

auſpicium. Hinc ut in thronum defuncti Patris ſubſtituerent, omnes duodecim Tribus in Sichem convenerant à Neo-Rege univerſalem pariter gratiam poſtulaturi, ut videlicet tributa aliaque onera Patri ipſius præſtari ſolita, quæ ob fabricam templi, multóque potius obſumptuoſum exceſſivè tot Reginarum alimentum, jam eò uſque excreverant, ut jam amplius pendi non poſſent, non nihil alleviaret, Auditâ hac ſupplicâ (inquit textus ſacer) vocavit Rex Roboam Seniores, qui ſemper Salomoni parenti ejus à conſiliis aſtiterant; qui concorditer precibus populi benignè annuendum ſuggeſſerunt: hoc enim medio ſibi animos eorum regnique ſtabilimentum foret lucraturus. Roboam verò ſano utilique ſibi (inquit textus) conſilio ſpreto, cum juvenibus ſecum enutritis, & educatis ſemperque aſſiſtentibus, tanti ponderis tractavit negotium: ex quorum conſilio minimum digitum ſuum, dorſo Patris ſui greſſiorem eſſe reſpondit: & ad oſtentandam majeſtatis ſuæ differentiam, non ſolùm non ſe alleviaturum onus tributi, ſed inſuper flagella patris ſui ſe in ſcorpiones converſurum fuit comminatus: *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cedam vos ſcorpionibus* Ex iſto conſilio, tale reſponſum, & talis denique ſucceſſus & eventus, qualis ex tali conſilio & reſponſo poterat expectari, fuit conſecutus. Ex duodecim Tribubus Roboamo tanquam Regi jurare paratis, decem denegatam ipſi obedientiam, famulo quondam patris ſui Jeroboamo promiſerunt, potiùs uni famulo, quam tali Salomonis filio ſubeſſe eligentes.

3. Reg. 12. v. 14.

Inquirentes tam inopinati & infelicis eventus originem, quo Rex, ſine pugna, decem Regni ſui partes, & ſibi, & omnibus ſuis poſteris unicâ perdidit horâ, non invenimus aliam, quàm quod Rex veteranis Miniſtris parenti ſuo individuè aſſiſtere ſolitis valere juſſis & ex aula dimiſſis, alios introductos conſiliis adhibuerit teſte Scripturâ. *Reliquit conſilium Senum, qui aſſiſtebant coram Salomone patre ejus, cum adhuc viveret: & adhibuit adoleſcentes, qui nutriti fuerant cum eo & aſſiſtebant illi.* Notate illud, & hoc, *aſſiſtebant.* Cauſa proxima ruinæ Roboami, fuit maturum illud Senum expertorum conſilium derelinquere, & illud juvenum arrogantium & imprudentum amplecti. Porrò cauſæ hujus origo, unico tantùm paſſu retrogrado fuit remotior: videlicet mutare Miniſtros, qui patri ſuo ſemper à conſiliis aſtiterant: *Qui aſſiſtebant coram Salomone patre ejus?* novoſque creare, quibuſcum fuerat enutritus, ad aſſiſtendum: *Qui nutriti fuerant cum eo, & aſſiſtebant illi.* Ultima negotiorum decoctio fit inter Miniſtros à lateribus Regum prout in hoc caſu vidimus. Proinde ſi illi ipſi, qui à latere fuerant Salomonis, etiam à latere fuiſſent filii ejus Roboami, conſilium eorum prævaluiſſet; ex quo populus contentus quieviſſet, regnum manſiſſet integrum, Rex obedientiâ & amore ſubditorum gaviſus: & Roboam majorem ſe parte jactans, ipſi magnitudine fuiſſet æqualis.

3 Reg. 12. v. 8.

Neque ſine nota tranſmittendum videtur, quod ſingulari emphaſi repetitur. Poſtquam enim Sacer Textus dixit: *Aſſiſtebant cōram Salomone*: addit, *Patre ejus.* Superflua videtur hæc expreſſio, ex tota enim hiſtoriæ narratione jam conſtabat Salomonem patrem fuiſſe Roboami:

boami: nihilominus notâ consideratione quæ dignissima fuit, velut una ex circumstantiis maximis, quæ casum notabiliter aggravant. Quamvis enim ministri, quibus Salomon in vivis fuerat usus, ex hoc solo capite, quod omnium totius mundi Regum sapientissimo à consiliis astitissent, omni honore, & existimatione, lociisque apud ipsum obtentis forent dignissimi: Quia sui patris fuerant (quamvis ille non fuisset Salomon) eorundem ministerio uti, eos lateri suo admovere, eorum fidelitati, integritati, zelo, & amori, plusquàm omnium aliorum credere Roboamum oportebat. *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris*; inquit Spiritus Sanctus, ejusdem Salomonis ore, Enim verò quidnam habent amplius amici parentum, præ novis & specialibus amicis filiorum? Inter certum & dubium discernere nôrunt. Quos sibi filii eligunt, bonos esse & fideles, contingere potest: de illis verò qui parentum amici fuêre, id omninò certum est; experientia enim probati sunt, & illi nondum. Consequentia ista in ipsum cœlum probatur. Deus Moysi in rubo apparens nescienti quis esset, dixit. *Ego sum Deus Patris tui.* Ego, inquit, sum Deus Patris tui: Tu ibis liberatum populum meum; & ut tibi credant dices: Deum Patrum suorum te misisse. *Deus Patrum vestrorum misit me ad vos.* A servitute Pharaonis eos liberare decreverat, utque tanti beneficii eos redderet certos, non solùm se Deum hoc efficere potentem notum voluit; sed esse Deum Patrum ipsorum, ne diffiderent facturum. Hinc sapienter dixit Socrates securissimos esse amicos hæreditatos. Amicitia recens dubio patet, quæ verò quasi jure hæreditario transit ad filios, est certa. Proindè celeberrimus ille Philosophus concludit: *Liberos non solùm hæredes esse facultatum, sed amicitiarum paternarum.* Si Roboam cum corona hæreditâsset amicos sui patris, regnum non perdidisset: sed quia hæreditando coronam, novos sibi voluit assumere amicos, hi perdiderunt regnum.

Prov. 27. v. 10.

Exod. 3. v. 6.

Ibidem. v. 13.

Socrates.

Illis se ingerere volentibus, ut assistentes regium stiparent latus, facilè & sine offensa dicere potuisset: primas meritò illis dandas, qui in patris sui servitio, ab eodem electi consenuerant, *Non vobis, sed quibus paratum est à patre meo.* Porrò error Roboami in eo constitit, quod ab illis secum enutritis, persuaderi sibi permiserit mox in principio, consilia sua fore saniora. Si enim tantum suis effecêre adulationibus, & his adeò excœcatus fuit infelix juvenis, ut minimi sui digiti annulum, majorem crediderit habere rotam cingulo patris sui, quomodo non simul etiam capiti ipsius imprimerent, ut quamvis pater suus fuisset Salomon, nihilominus se plus scire, sapienioremque esse sibi imaginaretur? Hæc illa est cæcitas, quam ordinariè filii Regum incurrunt: & succedentes in regimine, famulos & officia, omniaque parentum statuta immutant, ignari nec advertentes, in distribuendis locis & officiis, pius scire parentes oculis clausis quàm filios quantumcunque sapientes oculis apertis. Patriarchæ Jacob præ senio caligabant oculi, quando Joseph filius, duos ipsius nepotes Manassen & Ephraim pro accipienda benedictione illi præsentavit. Manasses erat natu major, idcirco ad dexteram, Ephra-

im

im natu minor, ideo ad ſiniſtram eſt collocatus : nihilominus commutatis in formam crucis manibus, dexteram ſuper Ephraim, ſiniſtram verò poſuit ſuper Manaſſen. Non ſic, Domine parens, replicabat Joſeph : dexteram enim manum natu minori, ſiniſtram verò natu majori imponis. Sed quid reſponderet Jacob ? quid reſponderet pater cœcus ? *Scio fili, mi, ſcio.* Optimè ſcio, fili mi ; inquit, quis major minorve ſit natu. Item ſcio, quid facio, quia ſcio quod tu non vides : quia tu ætatem tantùm eorum attendis ; ego verò ætatem, indolem eorum ſimul & fortunam conſidero. Porrò quia fortuna Ephraim, fortunam Manaſſis excedet, hinc dexteram, opinione tuâ, minori, ſiniſtram verò majori impono. Joſeph ſapientiæ ſuæ excellentiâ jam celebri & notâ, totam in admirationem rapiebat Ægyptum, ubi caſus hic accidit : cæcus nihilominus ſeu caligans pater, duplo plus videbat & ſciebat quàm ipſe Joſeph : *Scio fili mi, ſcio.* Plus enim, ut dixi, pater oculis clauſis quàm filius ſapientiſſimus videt, apertus. Perſuadeant ſibi, nec dubitent filii, patres plus ſcire quàm ipſos.

Vice quadam Diſcipuli interrogârunt Chriſtum, quando reſtituturus eſſet regnum Iſraël : & aliàs quando dies judicii adventurus ? Reſponditque Chriſtus Patrem ſuum iſta ſibi reſervâſſe ſecreta : Age, magiſter divine, in quo ipſe Pater Sapientiæ recondidit theſauros, nunquid iſta duo arcana te latent ? non latent, ſed ſcio : ita tamen, ut celem, & non, ut revelem. Egregia reſponſio ? quæ vera duorum textuum horum eſt ſolutio. Enimverò, Domine, nunquid conſultum eſt, ut Diſcipuli tui, te non omnia ſcire exiſtiment ? Quandoquidem non alia eſt comparatio, quàm inter meum Patrem & me filium ejus, ſic ſentire, per me licet. Nulli filio diffiteri licet, ſe à Patre Sapientiâ vinci : quod ita intelligi & ſupponi oportet, prout Chriſtus quoque, qua homo, ſupponebat. Verùm, ſi quis replicaret, confeſſionem iſtam modeſtiæ fuiſſe, neque decoram æquè fore filiis aliis, ſicut Chriſto, quia Pater ejus erat Deus : dico, etiam alios Patres reſpectu filiorum ſuorum eſſe Deos, vel ſaltem pro talibus habendos & venerandos eſſe à filiis, ad eorum conſilia & monita ſequenda : *Filii probi parentes ſuos tanquam Deus quoſdam viſibiles colunt & obſervant.* Sententiam hanc Philo Hebræorum Plato, ex Græcorum Platone deſumpſit, qui parentes domeſtica numina vocavit : addens dictamina parentum, velut Deorum accipi & obſervari debere à filiis ; non ſicut conſilia & præcepta, ſed velut oracula. *Parentum dogmata à filiis velut oracula excipienda ſunt.* Denique, ne cui dubium moveat doctrina hæc, quàm Plato tradidit infidelis, & Philo non Chriſtianus : ut ſperatos ex illa poſſimus carpere fructus, irrefragabili Spiritus Sancti oraculo diſcurſum hunc concludamus, qui Siracidis ore hominibus voluit prædicatum. *Judicium Patris, audite filii, & ſic facite, ut ſalvi ſitis.*

Philo Heb.

Plato.

Eccl. 3. v. 2.

Amen.

SERMO
DE
S. ANTONIO,

Habitus Romæ, in Eccleſiâ Luſitanorum, & occaſione, quâ Marchio Das Minas, Extraordinarius Sereniſſimi Principis Luſitaniæ Legatus, obedientiâ ad Sanctitatem Clementis decimi Legatione fuit perfunctus Anno 1670.

Vos eſtis lux mundi. Matth. cap. 5.

§. I.

LUſitanum Italum, Italum Luſitanum, celebrat hodie Italia & Luſitania: Luſitania S. Antonium Ulyſſipponenſem: Italia S. Antonium Paduenſem. Ulyſſipponenſem, quia ibi natus: Paduenſem quia ibi terræ mandatus. Sic fuit, aſt ego, aliter eſſe debere putabam. Admirabilis iſte Joſeph, qui eò uſque extra patriam ſuam accrevit, corpus ſuum mortuum in Ægypto remanere nolens, in patriam ſuam illud tranſportari mundavit. In Ægypto mira operando, ſummos fuit conſecutus honores: ſed non in terra proſperitatis ſuæ, ſed nativitatis, oſſa ſua voluit quieſcere. Patriæ ſuæ voluit notum, majoris ſe facere naturam, quàm fortunam. Septem pedum ſpatium, pro ſepulturâ, in propriâ potiùs elegit terrâ, quàm mauſolæa magnifica, pyramideſque Ægypti in terra aliena. Idem planè ego, ſecundum genuini legem Luſitani, S. Antonium facturum fuiſſe putâſſem. Verùm, vice Patriæ mihi diſpoſituro querelas, os obturat Evangelium, illa obligatione: *Vos eſtis lux mundi.* Conſiderate, inquit Evangeliſta, quod S. Antonius lux fuerit mundi. Lux fuit mundi? Ergo Luſitania non habet: quod conqueratur. Quod ſi S. Antonius vice ſolis non fuiſſet natus, ubi nativitatem ſortitus, ibidem quoque ſepulturam fuiſſet conſecutus. Sed quia Deus illum, lucem mundi creavit, alibi naſci, & alibi eum oportebat ſepeliri: quod Solis eſt proprium. Malachias nativitatem vaticinans Chriſti, inquit, ipſum naſciturum tanquam juſtitiæ Solem: *Orietur vobis Sol juſtitiæ.* Quid verò fecit

Chri-

Christus tanquam Sol, & tanquam justus? Tanquam sol mutavit horizontes; tanquam justus, cuique tribuit suum. Tanquam sol mutavit horizontes. Siquidem in alio natus, in alio est mortuus. Tanquam justus cuique tribuit suum, Bethlehem enim honoravit præsepio: & Jerusalem sepulchro. Pari modo S. Antonius. Proinde si Ulyssippo aurora fuit ejus ortus: Padua sit sepultura ipsius occasus.

Construat Padua splendidum sacris S. Antonii Lypsanis Mausolæum, cujus quatuor angulis, quatuor elementorum, jussui ipsius parentium insculpta cernatur obedientia. Terra, cum animantibus prostratis; Mare, cum piscibus auscultantibus: Aër, cum tempestatibus & procellis sedatis & quiescentibus: Ignis, cum flammis repressis, incendiisque restinctis. Ex pyramidibus dependeant pro trophæis innumera beneficentiæ ipsius spolia, victorum vexilla, naufragorum anchoræ, captivorum catenæ & vincula, mortualia resuscitatorum indumenta, quorumcunque denique infirmorum anathemata. Diffundatur fama, ut Sacrario huic opere phrygionico (more aliàs usitato) fiant tapetes & cortinæ, auribus, oculis, linguis intertexta. Auribus, quia tot surdis donavit auditum: Oculis, quia tot cœcis contulit visum: Linguis, quia tot mutis donavit eloquium. Porrò, pro miraculosi hujus operis animâ videatur (uti hodie videtur) & honoretur in lypsanotheca crystallinâ ipsa S. Antonii lingua, post mortem viva: ante resurrectionem resuscitata: ad insultandum terræ, incorrupta: ad insultandum cineribus, integra: ad insultandum sepulchro, immortalis: ad insultandum denique tempori, æterna. Istud Paduæ videt Italia. Et Ulyssippone, quid Lusitania spectat & mundus? non ibi multa, sed unum tantùm conspicitur miraculum: non miracula Sancti, sed miraculum visitur Sanctorum. In altaribus cernitur S. Antonius tanquam primarius Dei amicus, manibus memorialibus & supplicationibus plenis: & quia singularis amicus, statim expeditus. Domus, in qua natus est, munificentiâ regali, in sumptuosissimum templum conversa est & consecrata. Et religiosa Statuum ratione seu intentione, super templi istius testudinem fundatum est capitolium, seu victoriosæ civitatis illius curia; civitatis inquam illius, quæ injectis indomito oceano frænis, detexit, acquisivit, subjugavit, Ecclesiæque Catholicæ vastissima illa mundialis corporis membra univit, quorum Roma quidem jam dicebatur, sed nondum caput erat.

In hoc templo, & illo sepulchro, Sanctus Antonius inter Lusitaniam & Italiam videtur esse divisus: in his duobus Horizontibus adeò dissitis, lux mundi inter Paduam & Lisbonam videtur divisa. Glorioſa Padua, cui dicere licet, *Hic jacet*: Glorioſa Lisbona, nam dicere potest, *Hic natus est*. Ultra verò harum glorioſior, magisve gloriari ausa? Quæstionem hanc dividere malo, quàm decidere. Sancti Antonii Paduani laudes & glorias, facundissima Italiæ Oratorum decantet eloquentia: ego verò, & loco, & auditorio me accommodare compulsus, de Sancto Antonio Lusitano tantùm, verba faciam.

Ad laudem igitur S. Lusitani, & honorem instructionemque Lusitanorum, qui ejus festum hodie celebramus, in-

tenta duo, ad unum reducam assumptum, in verbis istis : *Vos estis lux mundi*; fundatum. Porrò discursus mei argumentum erit, quod S. Antonius fuit lux mundi, quia verus fuit Lusitanus : & quod verus fuit Lusitanus, quia fuit lux mundi. Declaro me. Potuisset S. Antonius esse lux mundi, licet alterius foret nationis : sed quia semel natus est Lusitanus, non foret Lusitanus, nisi lux mundi esset : quia esse lucem mundi, in alterius nationis hominibus, non est nisi privilegium gratiæ ; in Lusitanis verò, est obligatio naturæ. Hoc Lusitani hodie de se, & Lusitano suo sunt dicturi, Ave Maria.

§. II.

Vos estis lux mundi.

Allegatis Christus verbis, suos inprimis alloquitur Apostolos : & in his successores ipsorum viros Apostolicos. Quia verò luce Evangelii illuminare mundum, Apostolis incumbit ex officio, hinc ipso illos charactere insignivit officii, tituli vice, ipsos lucem vocando mundi : *Vos estis lux mundi*. Prærogativa hæc adeò gloriosa, quæ in aliis nationibus est gratia particularis personarum : in Lusitanis non solum est gratia particularis personarum, sed universalis nationis. Petro & Joanni dixit Christus : *Vos estis lux mundi*: sed quamvis Petrus & Joannes essent Galilæi, non toti hoc dixit Galilææ. Basilio & Athanasio Christus dixit : *Vos estis lux mundi* ; sed quamvis Basilius & Athanasius essent Græci, non de Græcia tota hoc voluit dictum. Cypriano & Augustino dixit Christus, quod essent lux mundi : sed quamvis Cyprianus & Augustinus essent Africani, non tamen de tota Africa hoc voluit putari. Antonio verò dixit Christus, quod esset *Lux mundi* : Et non solùm Antonio, qui Lusitanus erat, sed cunctis protinus Lusitanis idem dixit. Enim verò quænam est, aut esse potest notabilis adeò discriminis causa? Hæc est, quod cæteri homines vigore otdinationis divinæ, obligentur tantummodò Catholici esse : Lusitanus verò tenetur esse Catholicus Apostolicus. Reliqui Christiani tenentur fidem profiteri, Lusitanus verò eandem profiteri, & insuper propugnare. Quis hoc dicit? S. Hieronymus, aut S. Ambrosius? Non : sed ipse Christus qui dixit : *Vos estis lux mundi.*

Illam gloriæ singularis prærogativam, præ omnibus mundi regnis, sibi vendicare potest Portugalliæ regnum, quod à Deo institutum fuerit & fundatum. Scio equidem Israëliticum etiam regnum à Deo sumpsisse exordium : sed non nisi permittente, & quasi invito, instantibus importunè, & contendentibus habere Regem, aliarum more nationum. Regnum verò Portugalliæ instituturus & fundaturus Christus. Regi (qui nondum erat) Alphonso Henriquez apparens, primum illi verbum locutus est, *Volo*. Quia regnum Portugalliæ tantum evasurum erat Ecclesiæ membrum, tamque eximia ei servitia præstiturum in mundo, idcirco similem illi institutionem voluit sortiri. Sancto Petro dixit Christus : *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam :* Alphonso dixit Christus : volo in te, & in semine tuo imperium mihi stabilire. Petro dixit : in te fundare volo Ecclesiam, non tuam, sed meam ; *Ecclesiam meam*: Alphonso dixit : in te stabilire volo regnum

Ex Alphonso Juram.

Matt. 16. v. 18.

regnum non tibi, sed mihi : *Imperium mihi.* Instituendo Ecclesiam , non dixit Petro : *In te & in semine tuo.* Sicut enim Universale Ecclesiæ regnum subditas sibi habiturum erat omnes mundi nationes, sic omnibus æquale jus esse voluit admittam. Hebræis, in Petro : Græcis, in Anacleto: Romanis, in Gregorio, Germanis , in Victore : Gallis in Martino: Hispanis , in Calixto : Lusitanis in Damaso. Ast in constituendo Portugalliæ regno , inquit Christus : *In te , & in semine tuo,* Quemadmodum enim particulare tantum nationis unius erat regnum, non electivum, sed hæreditarium; In successione & ejusdem sanguinis progenie illud voluit perennare. Et quare omne istud? non fine politico, cunctisque regnis & nationibus communi: sed planè Apostolico , huic Regno Nationique speciali. Quod ipsemet Christus verbis, quibus regnum illud constituit, insinuavit : *Ut deferatur nomen meam in exteras Gentes* , mediantibus videlicet Lusitanis. Porrò ad id usque temporis mundus exterarum illarum Nationum erat ignarus. Verùm quadringentis abhinc annis quando etiam mundus innotuit sibi, illas novisse cœpit. Notate num institutio fuerit Apostolica. De S. Paulo pronunciavit Christus : *Ut portet nomen meum coram Gentibus.* De Lusitanis idem dixit Christus : *Ut deferatur nomen meum in exteras Gentes.* Porrò Apostolis locutus est dicens : *Videte regiones, quia alba sunt ad messem.* Lusitanis : *Ut sint messores mei in terris longinquis.* Notate quod expressè Messores appellat, ut serviant sibi brachio & ferro. Christo sibi apparente , Alphonsus agebat in suo tentorio, historiæ Gedeonis, duplici mysterio, lectioni intentus; primò, ne Rex, considerata Lusitanorum paucitate, factæ sibi promissioni fidem denegaret : Secundò, ut iidem ipsi Lusitani, Gedeonis milites sibi imitandos, alterâque manu tubam , alterâ verò lampadem seu lucem ferendam intelligerent. Petrus à Christo, in signum futuri, Cephas, id est, Petra fuit appellatus : Lusitani primò vocati sunt Tubales, (de Tubal) quod mundanum significat , postmodum dicti sunt Lusitani, ut nomine ferrent lucem : Mundani, ut nomine ferrent mundum. Deus enim illos electurus erat, ut vice & officio Lucis fungerentur in mundo : *Vos estis Lux mundi.*

Act. 9. v. 15.

Joan. 4. v. 35.

Jud. 7. v. 20.

§. III.

SUppositâ veritate hac authenticâ , ut clarè pateat, quàm ritè S. Antonius veri Lusitani fuerit functus officio, Lucisque mundi dignus titulo : Ego in Luce ejus quinque , singulares cumprimis motus considero, quorum primus est mutare professionem : secundus, deserere patriam : tertius, conscensâ navi mari sese committere : quartus, vitam infidelium conversioni devovere : quintus Romam (ubi in præsentiarum agimus) venire, obedientiamque Christi Vicario promittere : sicut Lusitania jam solemniter , & quidem solemnissimè promisit. Motus videntur esse magni : sed quia sunt Lucis, erunt breves.

Nihil magis cum sanctitate pugnare videtur , quàm mutatio vocationis. S. Antonius Ordinem Sancti Augustini professus erat : ibi à Luce graduatus est, & gradum accipere oportebat. Ut quid igitur habitum professionemque mutat ? quod si hoc fecit propter Canonici

nonici Regularis clausuram, ut Lucis instar exiret in mundum: ad Eremitas sub Regula ejusdem S. Augustini transeundum erat. Quorsum igitur suo deserto Patriarchâ, inter omnes, S Franciscum elegit? quia erat Lusitanus, mundumque illuminare resignatus: Sub Quinis Portugalliæ, sub quinque Vulnerum vexillo militare oportebat. Ipse S. Augustinus Pater ejus, Christi vulnera, Lucis vocavit Vexilla: *Fulgentia redemptionis vexilla.* Porrò, quia inter Patriarchas omnes, militantisque Ecclesiæ Belliduces, solus S. Franciscus quinque Vulnerum præferebat vexillum; sub hoc velut Lusitanus & Lux mundi, S. Antonius inscribi & militare debebat. Velut Lusitanus, ad sequendos sacros Quinos: Velut lux mundi, ad illuminandos infideles.

S. Aug.

Incredulus erat Thomas, in tantum, ut diceret protestando: *Nisi videro fixuram Clavorum, & mittam manum meam in Latus ejus, non credam.* Hic considero, Ad credendum, fidemque faciendam testimonia duo sufficiunt. Porrò Clavorum quatuor erant vulnera. Quare igitur Thomas clavorum vulneribus non contentus ad credendum lateris insuper vulnus petit? ratio est, quia vulnera clavorum, licet essent vulnera, non erant quina: erant quatuor, & non quinque: ad infideles autem convertendos, superandos, fideique subjugandos, omnia quinque vulnera concurrere opertebat. Loquatur Tertullianus: *Omnibus divinitatis Christi probationibus instructus dixit: Dominus meus, & Deus meus.* q. d. Nunquid incredulitas Thomæ, virtute & efficaciâ vulnerum Christi victa fuit & reducta? Equidem: sed notate, inquit Tertullianus, non aliquibus eorum, sed omnibus simul victas dedisse manus: *Omnibus.* Credesne Thoma, visis manuum vulneribus? *Non credam.* Credesne Thoma, manuum pedumque vulneribus conspectis? *Non credam:* Visis igitur duobus manuum, totidemque pedum vulneribus, insuper & Lateris vulnere quinto credes? protinus credam: *Dominus meus, & Deus meus.* Hoc pacto convicta & victa Thomæ incredulitas cessit. Taliterque vinci, victasque dare manus infidelitatem mundi oportebat.

Joan. 20. v. 25.

Tertull.

Judiciosè proinde S. Petrus Chrysologus dixisse putandus est, illam S. Thomæ, in petendis quinque Vulneribus instantiam, non tam incredulitatem fuisse, quàm Prophetiam: *Prophetia sanè magis, quàm cunctatio fuit.* Multa S. Thomas in India de Lusitanis prædixit: Ista verò prophetia, omnium prophetiarum fuit completio. Infidelitatem scilicet gentium, virtute quinque vulnerum, fore subjugandam: infidelitatem gentilium non Lusitanorum, sed Lusitaniæ armis debellandam: Christus armorum insigniumque gentilitiorum loco, sacros nobis tradidit Quinos, ut armorum vice servirent. Filii Israël ex Ægypto terram promissionis occupatum egressi, inermes, ita caventibus Ægyptiis, exierunt. Armatos nihilo secius eos exiisse textus affirmat: *Armati ascenderant filii Israël de terra Ægypti.* Enim verò si exierunt sine armis, quo pacto armatos illos exiisse asserit scriptura? Originale Hebraicum illud mirabiliter insinuat: *Ascenderunt filii Israël armati: Ascenderunt filii Israel Quini, & Quini.* Armatos illos exiisse adstruit, quia sub mysterio, *Quini,*

S. Petr. Chrysologus.

Exod. 13. v. 18.

&

& Quini exierunt : porrò quia exierunt quinque & quinque, *Quini & Quini* : Quinarius iſte ordo ipſis loco armorum erat : *Aſcenderunt Quini & Quini* : *Aſcenderunt armati* : Iſtis armis terram promiſſionis ſibi ſubjecerunt Hebræi, & novum mundum acquiſiêrunt & ſubjugârunt Luſitani : Iſtis denique armis S. Antonius ſubegit, illuminavit, & innotavit veterem. O magnanime David Minorita, induteSyntheſi, Gigantiſque, ſacrorum virtute Quinorum, proſtrator!

Natu minimus fratrûm ſuorum David, contra Gigantem in arenam deſcenſurus quid fecit ? depoſitis armis Saulis, ſuâ reindutus ſyntheſi cucurrit ad torrentem, unde ſumptis ſelectis quinque lapidibus proceſſit : *Elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente.* Pro jactu unus ſufficiebat lapis, prout etiam ſuffecit. Si igitur ſternendo hoſti, unus ſufficiebat lapis, quare ſecum defert quinque : Quia licet unus ſufficeret pro jactu : quinque neceſſarii erant pro Sacramento. Illi lapides quinque, Vulnera Chriſti quinque denotabant: Torrens, de quo Loti ſumpti erant, torrentem Sanguinis Chriſti deſignabat. Et quod homo, vel tantillæ ſtaturæ adoleſcens, tantæ molis ſterneret Gigantem, quinque Vulnerum virtuti tantùm erat tribuendum. Depoſito igitur ſancti Auguſtini habitu, aſſumptoque vili & aſpero S. Franciſci veſtitu, S. Antonius, præcedentibus ſacris Quinis, prodeat ſecurus, nihil hæſitans quin minor ſeu Minorita Gigantem ſit proſtraturus. Concionanti vice quadam S. Antonio, expanſis in formam Crucis brachiis vulnera oſtendens S. Franciſcus apparuit. Franciſcus erat Moyſes, Antonius Joſue; Franciſco agitante vexillum, Antonius vibrabat haſtam Franciſco circumagente Quinos, Antonius obtinebat victorias. In corpore S. Franciſci fixarum quoque ſtellarum fulgor emittebat ſcintillas : ex ore Antonii, radii Luciſque influentiæ exibant, quæ mundum confundebant & illuminabant; *Vos eſtis Lux mundi.*

§. IV.

VErùm enim verò, ſi S. Antonius erat Lux mundi, quonam pacto ipſi ex patria non fuit exeundum ? Hic ſecundus fuit motus. Egreſſus eſt, ut Lux mundi, egreſſus eſt velut Luſitanus, ſine egreſſu nemo magnus evadit. *Egredere de terra tua, & faciam te in gentem magnam*, dixit Deus ad fidei, ſeu aredentium Patrem. Egreſſus eſt, ut eſſet magnus ? & quia erat magnus, egreſſus eſt. Quinto die mundi, Deus de elemento aquæ creavit piſces & aves. Quid verò utriſque illis evenit? Piſces velut qualitatis frigidæ aliſque deſtituti, in loco nativitatis ſuæ reſederunt : Volucres verò alis inſtructæ, & velut generoſæ, locum mutârunt. Has imitatus eſt, & imitari debebat generoſus S. Antonii ſpiritus, quia Luſitanus eſt natus. Quod à multo jam tempore ſingulariter mecum expendi, eſt, quod Chriſtus venditionis ſuæ pretium, triginta videlicet argenteos, dupliciter voluerit impendi. Primò in emptionem agri, pro peregrinorum ſepultura : *Emerunt ex eis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum.* Secundò, ut iiſdem inſignium Portugalliæ ſcutum encauſto pingeretur, *Et pretio, quo ego genus humanum emi, & quo à Judæis emptus ſum, inſigne tuum componet.* Notatu

Gen. 12. v. 1.

Matt. 27. v. 7.

digna impendia! enim verò, quænam proportio ſcuti Luſitaniæ, cum peregrinorum ſepultura ut pretium unius ſit encauſtica pictura alterius? magnam ſanè habuit proportionem. Chriſtus voluit, ut pretium ſepulturæ Peregrinorum, eſſet encauſtica pictura inſignum Luſitanorum: ut intelligeremus, gloriam illam, naſcendi Luſitanum, obligationem eſſe, moriendi peregrinum. Inſignibus nos Chriſtus obligavit ad peregrinandum: & ſepulturâ nos expoſuit ad moriendum. Quemadmodum gloriam nobis contulit, quæ nos ex patria exigat: ita terram providit, quæ nos extra illam cooperiat. Naſci parvum & puſillum, morique magnum, eſt evadere hominem. Hinc tantillum nobis terræ Deus aſſignavit pro nativitate: & tot terras, pro ſepultura. Ad naſcendum, terræ modicum: ad moriendum, terram omnem. Ad naſcendum, Luſitaniam; ad moriendum, mundum. Avos veſtros interrogate, quod exierint, & quàm pauci fuerint reverſi? Sed iſta ſunt oſſa, de quibus ſanguini veſtro vel maximè gloriandum.

Porrò debitum egregiendi de Patria, fundatur in obligatione mundum illuminandi. Quo pacto Sanctus Antonius Galliæ & Italiæ Lux eſſe potuiſſet, niſi Luſitaniâ egreſſus? Ad introducendam fidem in Palæſtinam, Abrahamo exeundum fuit de Chaldæa: ad deſtruenda Ægypti Idola, Chriſto exeundum fuit Nazaretho: ambo peregrini, ſed Lucis inſtar exeundo, tenebras fugabant. Plantari nequit fides: niſi tranſplantentur ejuſdem diſſeminatores. Non ſine ratione inquit Chriſtus: *Pater meus agricola eſt.* Deus ſe geſſit cum Luſitanis, ſicut agricola, cum lucibus. Agricola in modico terræ ſpatio ſeminat, quod poſtmodum in longè capaciore tranſplantare debet. Auguſtum terræ ſpatium erat Luſitania; ſed Deus inde Lucis ſeminarium fecit, ad illam per totum mundum diffundendam. Deus lucem primo creavit die: tranſiit ſecundus, tranſiit tertius, & quarto lucem eandem dividendo, ex ea ſolem, lunam, ſtellaſque formavit, quas per totum diſtribuit firmamentum. Quæro igitur: Quare Deus haſce planetas, hæc aſtra, hæc ſigna, & conſtellationes, non primo ſtatim formavit die, ſed poſtea? Myſterium fuit, inquit ſanctus Baſilius, quia ſupremus univerſi artifex inſculpere operibus voluit naturæ ſemitam, quam poſtmodum ſequeretur in operibus gratiæ: quod in novi mundi converſione factum videmus. Sicut enim lucem materialem Deus primo die, in uno loco, creavit in concreto, unde illam poſtmodum, per omnes cœli, & ſuper omnes terræ regiones diviſit: ſtellas aliquas pro polo arctico, alias pro antarctico. Illas pro Oriente, has pro Occidente: alias pro Meridie, alias pro Septentrione diſtribuit: Pari modo ad novum illuminandum mundum, qui tot alioquin ſæculis tenebris infidelitatis immerſus manſiſſet, hominibus quidem cognitus, ſed non niſi veri Dei notitiâ deſtitutis, quid author gratiæ fecit? creavit primò & in Portugallia ſeparatum conſervavit electum illud lucis fideique ſeminarium, unde tempore ſuccedente, diſtributione factâ, Lux aliqua Africæ, alia Aſiæ, alia Americæ, alia Braſiliæ, alia Æthiopiæ,

Joan. 15. v. 1.

piæ, alia Indiæ, alia Cappadociæ seu Cæsareæ, alia Japoniæ, alia denique Chinæ lucis radios inferret : & hoc pacto è Lusitania, in tres mundi partes fides transplantaretur.

Extra controversiam est, Lusitaniam angulum, seu angellum fuisse Europæ : sed in hoc angulo terræ puræ, Deoque gratæ : *Fide purum & pietate dilectum* : In hoc inquam angulo terræ, Deus ad custodiam voluit deponere fidem, unde advastissimas illas regiones foret derivanda, animis adeò heroicis, tanto labore exculta, tanto irrigata sanguine, tantis sudoribus collecta : tandemque in solariis Ecclesiæ, sub clavoribus S. Petri collata. Lusitania semetipsâ se meriendo, tam exiguam, tantoque molimini imparem se agnoscens, verba Jeremiæ, quando gentibus prophetarum destinabatur, usurpare sibi meritò potuisset : *Et Prophetam in Gentibus dedi te.* Et quid respondit Jeremias ? *Et dixit : A, A, A, Domine Deus, quia puer ego sum.* q. d. Domine Deus, parvulus nimis ego sum, tantoque molimini, cui me destinas, sum impar. Idem inquam replicare potuisse Lusitania : Verùm Deus ex ore illi ista rapiendo, loco primi A. scripsit, Africa : loco secundi A. scripsit, Asia ; loco tertii, A. scripsit, America, omnes illas tres, ejus subjicient imperio, tanquam Dominæ : & ejus doctrinæ, tanquam luci : *Vos estis Lux mundi.*

Jerem. 1. v. 6.

§. V.

VErum enim verò, sicut S. Antonius (tertium jam motum ingredimur) omnium luminum istorum erat lux prima, sic viam ex Occidente pandit in Orientem. Non quidem solis iste est cursus, talem nihilominus, oportebat esse : S. Antonius quippe sol erat, pennis suis deferens salutem : *Et sanitas in pennis ejus.* Rex Ezechias signo quopiam solis salutem sibi assecurari petebat. Et quali ? ut sol gradu seu cursu relicto, ad Orientem retrograderetur, & non ad Occidentem pergeret. Sic Antonius, sicque Lusitani. Ipse ab Occidente ad Orientem : ipsi ab Occasu ad Ortum : Luce enim salutem afferebant mundo. Porrò, quia sol ad antipodas tendens, currum immergendo mari, equos lavat in undis ; ut idem facerent Lusitani, Antonius terrâ derelictâ maris se profundo committens solutis anchoris, dans vela ventis, navigare incepit, intentionem & scopum simul cum prora, in Africam dirigendo : quod etiam à nostris attentatum fuit iter, primumque Argonautarum nostrorum cordatum molimen.

Mal. 4. v. 2.

Verûm ne caballorum seu equorum, curruve solis in mare missorum Historia nudum videatur figmentum Poëticum ; à Propheta Habacuc, eam inusitato turgentique stylo decantatam audiamus cap. 3. *Viam fecisti in mari equis tuis, & quadrigæ tuæ salvatio.* Tu Domine, inquit Propheta, viam fecisti in mari equis tuis, & curribus tuis salvationem. Currus salvationis, & equi ambulantes in mari ? Quinam, quæso, isti sunt currus, & quinam isti sunt equi ? *Portugallenses in suis navigationibus, & conversionibus* : ait Genebrardus. Sed ipsum libeat audire textum. Primò inquit Propheta, Deum illis in mari patefeciisse viam : *Viam fecisti in mari equis tuis.* Via, quam panderunt Lusitani, nondum

Hab. 3. v. 8.

Genebr.

erat facta per maria nunquam ante fulcata. Deus illam prius pandit Lusitanis: & hi postmodum aliis nationibus. Navigabant mare sine præhabita mappa, quæ illi primitùs, pro navium directione erat facienda. Victoriæ eorum complanârunt terras: discrimina eorum retexerunt profunda: experientia eorum astronomica, dimensa est altitudines: eorum denique infatigabilis resistentia perfregit torrentes. Porrò navigabant sine mappa, sine astolabio, per nova marita, per nova climata, ventis usi insolitis, & stellis cœlisque nondum visis; nihilominus nunquam aberrârunt à via, & scopo, directore utique Deo: *Viam fecisti in mari equis tuis.* Isti generosi & impavidi erant equi. Currus verò salvationis, quinam & quales erant? Erant illæ aquis innatantes civitates, illa vastissima primæ in Orientem destinatæ navalis expeditionis vasa, ab extraneis, ob modicum curruum discrimen, carruccæ appellata, quas Propheta salvationis quadrigas appellat: *Quadrigæ tuæ salvatio.* A summo enim usque ad imum nihil aliud secum vehebant. Vehebant pro saburra, Ecclesiarum delineationes, & ipsas quandoque Ecclesias partitas, ut ibi exstruerentur: in vexillis præferebant Vulnera Christi, in antennis crucem, in acu nautica fidem, in anchora spem, in gubernaculo charitatem, in laterna, Evangelii lucem: & in omnibus salutem: *Quadrigæ tuæ salvatio.* Hoc modo novi isti currus solis ingressi sunt mare ad afferendam lucem antipodis. Quod sic ad literam loquendo de Lusitanis, Propheta Isaias vaticinatus est. Quæ non mea nec Lusitani cujusquam, sed Vatabli. Cornelii, Malvendæ, Thomæ Bossi, aliorumque est expositio: *Ite Angeli veloces ad gentem expectantem, expectantem, ad gentem conculcatam.* Ite velociter Lusitani, accelerate gressum legati cœlestes; lucem Evangelii genti huic afferte festini, quam mille quingentisque expectavit annis: *Ad gentem expectantem, expectantem.* Ite, *Ad gentem conculcatam.* Ad gentem conculcatam? quænam illa gens est conculcata? nolite illam quærere, longè etenim distat. Sunt antipodæ, sub pedibus nostris degentes. Illi agunt ibi subter, quos nos calcamus hic desuper? elegantiâ tali, ut Isaias, velut Propheta aulicus videatur fuisse locutus.

Vatab. Cornel. Malv.

Boss. Isai. 18. v. 2.

Lect. Hebr.

S. Augustinus, non dari antipodas opinatus lib. 26. de Civ. Dei, sic inquit: *Absurdum est, ut dicatur, homines aliquos ex hac, in illam partem trajecta Oceani immensitate navigare, & pervenire potuisse, ut etiam illis ex uno illo primo homine genus institueretur humanum.* Sanctus Augustinus hunc argumentabatur in modum: Si tales dantur homines, sunt utique Adæ filii: si sunt Adæ filii, ex hisce partibus trajectâ navigiis oceani immensitate ad illas transierunt: sed talis trajectio & transitus videtur impossibilis: ergo tales non dantur homines. Grandis hinc gloria, Antoni, tuæ nationi! Quod ibi Lusitani suis fundum explorando invenerint anchoris, ubi S. Augustinus fundum suo non invenit intellectu: quod Lusitani generoso possibile reddiderint ausu, quod ille impossibile summo putabat intellectu. Hinc Isaias illos plus quàm homines appellavit. *Ite Angeli veloces.* Unus tantùm homo, ante Lusitanos Bonæ spei promontorium transivit. Et quis ille, & quomodo? Jonas,

S. Aug. lib. 26. de Civ. Dei.

in

in ventre ceti. Projectum ex navi Jonam Balena deglutivit, in Mediterraneo : aliam enim viam non inveniebat. Hinc viam exorsa versus Africam, à sinistris ad promontorium *Bonæ spei* deflectendo, per vagata Æthiopiam, transiit Arabiam, ingressa Sinum Persicum, appulit ad oram Ninive in Euphrate, linguâque trajectitiæ tabulæ vice usa Jonam vivum evomuit, & exposuit in terram *In profundum projectus est, exceptusque est à ceto marino monstro, ac devoratus, post triduum ferè Ninivitarum littoribus ejectus jussa prædicat* : inquit Sulpicius Severus lib. 1. historiæ sacræ.

Sulpic. Sever. Lib. 1. hist. sac.

Quare verò Propheta, iter illud in Maris imo, visceribus Balenæ inclusus confecit? quare non in maris superficie, eâdemque quâ vehebatur navi peregit? quia illud generositatis prodigium, naturæque victoria non nautis Tyri debebatur, sed Argonautis Tagi à Deo, fuerat reservatum. Tago imperium maris, Tago victoria & triumphus de ventis debebatur & undis. Tagi erat officium, evulsum è manibus Oceani tridentem, reverenter ad Tyberis deponere pedes. Tres quasi circuli partes annulo deerant piscatoris, quas arenarum suarum auro Tagus supplevit. Aberro enormiter, si non David hoc ita ceninit: *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* Id est, Ecclesia dominabitur à mari usque ad mare: & à flumine, usque ad ultimos fines terræ : Quodnam verò illud est flumen, à fine ad finem terræ finibus oppositum? Est flumen Ulyssipponense, Tagus. De flumine Ulyssipponensi egressus S. Antonius, tempestate jactatus appulit in Italiam, ut Lux esset Europæ. De flumine Ulyssipponensi egressi Lusitani metientes Africam, retegentes Americam, ad Asiæ usque fines cum Luce pervenerunt Evangelii : ut Antonio optimam mundi illuminante partem, tres majores ejusdem partes illuminantibus Lusitanis reliquis omnibus quatuor sibi unitis, ex integro, nomini deberetur Lusitano titulus, Lux mundi: *Vos estis lux mundi.*

Psal. 71. v. 8.

§. VI.

NOn devovit se Antonius (quartus hic motus erat, quem nos, brevitatis studio, cum quinto & ultimo combinabimus) non inquam devovit se Antonius Christianis, utpote Hominibus jam luce gaudentibus: ad infideles agebatur & impellebatur à Spiritu; erat enim Lusitanus. Peculiaris Portugalliæ gloria est, quod nec in Regno, nec in tota Monarchia, vel palmo dominetur terræ, quem non manibus extorserint infidelium. Quantocunque spatio Lux dominetur in hoc mundo, totum à tenebris, quæ illud primitùs occupaverant, fuit acquisitum. *Tenebræ erant super faciem abyssi, & dixit Deus : fiat Lux, & facta est Lux.* Porrò sicut Solis est officium, in-& persequendo tenebras, illas fugare è mundo: Sic Lusitani idem faciunt infidelibus. Lusitania, universali Hispaniæ calamitate, à Mahometanis erat occupata. Quid verò Lusitani? à flumine Minio usque ad fluvium Douro, à Douro usque ad Estremaduram, ab Estremadura ultra Tagum, & hinc in Algarviam, ab Algarvia usque ad partes & oras Africæ illos profligârunt : ubi illos semper sunt insecuti, & subegerunt, donec armorum mole ad subi-

Gen. 1. v. 2. & 3.

ſubigendam infidelitatem conversâ idem effecêre, ſemper milites Chriſti, pro fide & contra infideles.

Negari non poteſt, Luſitanos etiam quandoque bellum geſſiſſe cum Catholicis, ſed defenſivum tantum: Offenſivum nunquam. Luſitania pro Catholicis habet ſcutum : contra infideles gladium. Chriſtus S. Petro, tanquam fidelium capiti, gladium in vaginam recondere præcepit ; S. Paulo, ad ſubjugandas fidei gentes , gladium dedit in manum. Contra infideles, gladius ſemper in manibus : contra fideles in vagina. Cum Catholicis pax : cum infidelibus perpetuum bellum. Porrò S. Antonius militiæ ſuæ arma in Italia & Gallia vibravit : ſed hi lucis ipſius radii fuêre reflexus. Redacta tendebant in Africam : ſed reflexè ferebantur in Europam. Veruntamen uſque huc (notate) Antonius non vitiorum , ſed hæreticorum mallens fuit appellatus : *Perpetuus Hæreticorum malleus.* Vitia quippe etiam inveniuntur in Catholicis : hæreſes tantùm in infidelibus. Ad formandum igitur iſtum malleum, Deus ferrum quæſivit in mineris Portugalliæ : naturalis enim ferri Luſitanici durities, ad conterendum,& convertendum infideles deſervit.

Ferrum Luſitanicum , eſt inſtar ferri lanceæ, quæ Chriſti latus aperuit : Primò ſanguinem, poſtea aquam eduxit; *Exivit ſanguis & aqua.* Sanguis , ad debellandum : aqua, ad debellatos baptizandum. Quânam verò ratione, quove myſterio , miles non vivo, ſed jam mortuo Corpori Chriſti intulit ictum ? ob cauſam jam tactam & immediatè relatam. Myſticum Chriſti Corpus materialiter conſideratum, totum eſt genus humanum : horrò fideles ſunt corpus vivum, quia fide informatum : infideles corpus mortuum , quia informe. Recipiendo fidem, accipiunt formam, myſticique corporis ipſius , quod eſt Eccleſia , viva efficiuntur membra. Ad hoc Chriſtus milite , ejuſque lanceâ eſt uſus , *Ut ſibi Eccleſiam fabricaret* : ait S. Cyprianus. Milites Luſitani ſemper fuerunt , velut ſecundi templi iſtius Jeroſolymitani fabricatores , qui unâ præliantes manu , alterâ ædificabant: gladius eorum nullum dedit ictum, qui non Eccleſiæ adjiceret lapidem. Si pugnabant, ſi vincebant, ſi triumphabant, non niſi regna idololatriæ erepta Chriſto ſubjicere : fama & idolorum delubra in templa, idola imagines ſacras, Gentiles in Chriſtianos, Barbaros in homines, feras in oviculas convertere , & ex remotis adeò terris, ad ovile Chriſti , ſupremique Paſtoris ſeu Pontificis obedientiam adducere ſatagebant.

Hoc Romæ præſtitit S. Antonius, & ſe , & tot hæreſiarchas à ſe victos, Sanctitatis Gregorii IX. pedibus proſternendo. Idem fecit Portugalliæ Rex Emmanuel , totum Orientem ad pedes Sanctitatis , Leonis decimi deponendo. Idem denique Sereniſſimus Portugalliæ Princeps Regens Petrus , quem Deus diutiſſimè incolumem conſervare dignetur, imitatus, ad Beatiſſimos Sanctiſſimi Domini noſtri Clementis Decimi pedes , regnum ſuum , totam Monarchiam ſuam , & in excellentiſſima Legati ſui Perſona, Regiam ſuam perſonam velut hæres , veruſque glorioſorum ſuorum progenitorum imitator obtulit. Regi Sebaſtiano , paulò ante, quàm vitam ſuam fidei dilatandæ conſecraret

Joan. 10. v. 34.

SS.

SS. Dominus Pius V. optionem tituli obtulit. Quid verò Rex Religiosissimus responderet ? nullum alium, quàm obedientissimi Sedis Apostolicæ filii titulum sibi arridere respondit. In cujus tituli stabilimentum, tres ejusdem ordine successores, viginti & octo annorum spatio eandem filialem obedientiam Sanctæ Sedi obtulerunt. Porrò si actus hujus publica acceptatio fuit aliquando dilata, consideratione, Paternâque Christi Vicarii providentiâ gestum est, ut interim Ecclesia frui posset, & gaudere toties repetitis tam constantis subjectionis, & obedientiæ exemplis, Rege primo, secundo & tertio, non solùm obedientis, sed obedientissimi instar filii, perseveranter instante.

In prodigo filio signanter notavit Sanctus Petrus Chrysologus, quod Patrem appellando Patrem, filii nomine se judicaverit indignum : *Pater, non sum dignus vocari filius tuus.* Videtur esse implicatio : denominatio filii, fundatur in relatione filii : denominatione Patris, in relatione Patris : porrò secundum veram Philosophiam, in relationibus mutuis & reciprocis, sic deest una, deest & altera. Si deest relatio Patris, cessat relatio filii : & si deest relatio filii, cessat & Patris. Si igitur ex parte prodigi deerat denominatio, & relatio filii : *Non sum dignus vocari filius tuus* ; quonam pacto, ex parte Patris, non defuit relatio & denominatio Patris, *Pater* ? Sanctus Chrysologus respondet, mirabile illud plus quam naturale fuisse, ut cùm in filio deesset filii relatio, in Patre non deesset relatio Patris : *Ego perdidi quod filii est : tu quod Patris est non amisisti.* Vertamus parabolam, Ex parte Patris universalis nunquam defuêre proxima relationis fundamenta, quæ erant voluntas, affectus, & Paternus amor, quod semper experta recognovit Lusitania. Verùm, deficiente quantumvis relatione Patris, integra semper esset relatio filii ? Hæc fuit admiranda veræ filiationis probatio ! Tantùm participavit de divinâ, ut non solùm fuerit relatio, sed subsistentia. Ita esse oportebat, ad qualificandam Portugalliam, quæ non obediens solùm, sed obedientissima erat filia.

Luc. 15 *v.* 19.

S. Petr. Chrysol.

Toti quidem constat Europæ, quibus mediis, quot discursibus licet rectis, tamen malè interpretatis minùs Christiana politia, obedientiam Lusitanorum tot annis tentare laborârit : ejus verò obedientia perfectissima, tantum abfuit, ut tentamentis aures præberet : ut in præsens usque, non tentata nedum victa perseveret. Mandante Deo Abrahamo, filium suum immolare, inquit scriptura, Abrahamum à Deo fuisse tentatum : *Tentavit Deus Abraham.* Meo quidem judicio, Isaac, hoc casu tentatus dicendus erat. Quod Pater unicè sibi dilectum filium immolare juberetur, erat tentatio : sed quod filius se alligari, ligniſque imponi se sineret, læthalique expectato ictu vitam profunderet, terribilis tentatio erat. Quare igitur scriptura, non Isaac, sed Abrahamum tentatum dicit ? quia Isaac filius obedientissimus erat, amor in Patre tentari poterat sed non vinci : obedientia in filio nec vinci poterat nec tentari.

Hujuscemodi fuit illa Portugalliæ. Tantum abest fuisse victam, ut nec tentata

tata quidem in omnium tentamentorum illorum medio, obedientissimi instar filii obedientias cumulârit obedientiis, legationes legationibus, tot tamque variis modis. Porrò, primus duabus, sese obedientem, tertiâ & quartâ obedientiorem, quintâ & ultimâ, obedientissimum sese ostendit. Semel tantùm Reges ab Oriente in Bethlehem, obedientiam suam protestatum, coronasque suas pedibus Christi Submissum venêre: & quomodo? primò stellâ exciti: *Vidimus stellam ejus.* Obedientia Portugalliæ adventum stellæ non expectavit: sed quinque vicibus sine stella veniens, etiam sextâ vice sic venit. Verùm quia sex vicibus sine stella venit, idcirco cœlum sex eam stellis excepit. Hoc modo S. Antonius patriæ suæ uno recuperavit die, quod tot perdiderat, & petierat annis.

Matth. 2. v. 2.

NB. Insignia Clementis X. sunt sex stellæ.

§. VII.

IO! Vivant æternùm Clementissimæ stellæ! *Quasi stellæ, in perpetuas aeternitates.* Vivant Clementissimæ stellæ, & si Deo placet, annos excedant Petri: *Stellæ manentes in ordine & cursu suo.* Ut sub hisce stellis, instar fortis & generosæ Debboræ, de Barbaro Sisarâ triumphet Ecclesia, qui eò usque nobis appropinquat, sed in suam perniciem & ruinam. Et sicut Reges, incognitâ sibi apparente stellâ, *Gavisi sunt gaudio magno valde*: Gaudiis istis coronidem imponat Lusitania, clementissimam illam venerando faciem, divinamque stellarum istarum adorando majestatem. Si enim stellam illam, quorumdam opinione, dirigebat Angelus, hasce stellas Deum moderari, fide tenendum est. Lætetur Ulyssippo, totaque exultet Lusitania, se modò credens restitutam verè, cùm se videat restitutam, & canonizatam. S. Antonius ipsa mortis suæ die triumphans ingressus est cœlum: Filii verò Ulyssipponenses, non nisi in die Canonizationis illius frequentamenta ediderunt campanarum. Portugallia enim glorias non æstimat glorias, nisi cum eas Romæ stabilitas viderit & confirmatas. Maximas gratias Romæ, maximas gratias stellis beatissimis, quæ illi dominantur. Et quoniam aliud illis offerre nequeo tributum, meum ad pedes earum Thema depono: *Vos estis Lux mundi.*

Dan. 12. v. 13.

Judic. 5. v. 2.

SERMO

SERMO

DE

S. ROCHO,

Habitus in Capellâ Regali Anno 1559. Tempore peſtis in Regno Angarviæ.

Beati ſunt ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, & invenerit vigilantes : quod ſi venerit in ſecunda vigilia, & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi. Luc. 11.

§. I.

SI quæ datur beatitudo in hâc vitâ, ſervi Dei illâ gaudent: & ſi detur gemina, eâdem illi gaudent & perfruuntur; quia ſervorum potiorum propria eſt. Porrò Chriſtus duplicem vigilantium ſervorum differentiam, in Evangelii hujus inducit parabola: ſunt ſervi, qui horis minus periculoſis & laborioſis ſive de die, ſive de nocte vigilant & hos Dominus beatos appellat: *Beati ſunt ſervi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes.* Sunt alii ſervi, qui ſecundâ & tertiâ vigiliâ noctis vigilant, quæ horæ majorum ſunt tenebrarum, profundioriſque ſomni, majoris laboris & difficultatis, majoriſque diſcriminis & fiduciæ: & hoſce, præter beatitudinem primam, dupliciter beatos affirmat: *Quod ſi venerit in ſecunda vigilia: & ſi in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati ſunt ſervi illi.* Magnus ille Chriſti ſervus S. Rochus, cujus glorioſas hodie celebramus vigilantias, quod ſecundæ tertiæque vigiliæ fuerit ſervus, nemo in dubium vocabit. Nemo vigilavit ſolicitiùs, nemo inclamavit altius, nemo reſtitit fortius, nemo perſeveravit conſtantius, nemo denique illo diligentior, oculiſque ſemper apertis vigilantior, periculoſiore noctis tempore, profundiore hominum ſomno, denſioribuſque noctium tenebris. Et quando, juxta regulam promiſſionemque Evangelii, propter iſtas vigilantias, me S. Rochum dupliciter beatum viſurum ſperabam; non ſolum non dupliciter beatum, ſed quadrupliciter etiam miſerum & infelicem invenio. Infelicem in

necessariis & propinquis, infelicem in popularibus infelicem in infirmitatibus, infelicem denique in remediis. Quod si beatitudines in Evangelio promissæ, alterius tantùm forent vitæ, facilis & prompta admirationis illius esset solutio. Christus verò servis suis, non in altera solum vita beatos fore promittit, verùm in præsenti etiam, tales eos futuros, & jam esse affirmat: quod sic iteratò uterque textus asseverat: *Beati sunt servi illi, quos cùm venerit Dominus, invenerit vigilantes: quod si venerit in secunda vigilia, quod si in tertia vigilia venerit, & ita invenerit, beati sunt servi illi.* Ita ut non dicat, beati erunt: sed sunt: *Beati sunt*, semel: & *Beati sunt*, iterum. Si igitur servi vigilantes, & in secunda & tertia vigilia vigilantes, bis sunt felices, dupliciterque beati etiam in hac vita, quo pacto regula ista in S. Rocho sic videtur immutata, ut cujuslibet, in Evangelio promissæ beatitudinis vice, duplicatam in eo miseriam, & loco felicitatis geminata in eo infortunia inveniamus? bis beatum Evangelii vocibus: quaterque miserum & infelicem successibus, eventibus, & hujus vitæ tragœdiis? ita est. Verùm, ad intelligendas & conciliandas promissiones illas cum his eventibus, illasque beatitudines cum hisce miseriis & infelicitatibus, terrena Lux non sufficit, cælesti lumine protinus opus est: quod à Spiritu sancto, intervenientibus B. Virginis Mariæ meritis & precibus postulemus. Ave Maria.

§. II

Beati sunt, Beati sunt servi illi.

IN eo quandoque consistit beatitudo, quod miseriæ & infelicitates duplicentur. Dubio uni remedium quærens, incidi in aliud, & majus. Primis Evangelii sui clausulis, Christus sibi servientes similes esse jubet hominibus expectantibus Dominum suum: *Et vos similes hominibus expectantibus Dominum suum* S. Rochus tantùm Christo serviens, servireque gestiens, quid fecit? Loco ejus, quod se servis Dominum suum expectantibus similem redderet: ipsi Domino potius à servis expectato sese assimilare satagit. Porrò, servi illi, sunt Sancti; & Dominus, est Christus. Proinde vitam S. Rochi ritè expendentes, non aliis Sanctis, sed ipsi Christo; nec semel tantum, sed quater quàm simillimum deprehendemus: similem Christo nato, similem Christo capto, similem Christo crucifixo, similem denique Christo mortuo. Eja Sancte singularis, Sancte admirabilis, Sancte, qui in omnibus, Evangelii terminos excedere videris, si te jubent assimilari servis, quis te fecit, aut quâ ratione, tu temetipsum Domino similem fecisti? Hocce (ut dixi) dubium est secundum: sed in eodem habemus responsum, primumque resolutum. Nunquid major dari potest beatitudo, quàm ut servus similis evadat Domino suo? non potest. Videte igitur, quàm gloriosè S. Rochi infelicitates, in beatitudines conversæ & transfiguratæ fuerint. Infelicitates quadruplices fuisse diximus. Primam ex propinquis & consanguineis: secundam ex popularibus: tertiam ex infirmitatibus: quartam ex remediis Porrò in omnibus istis, quas natura infelicitates nuncupat, quia S. Rochus se Christo similem fecit: per eadem, quibus miserum ipsum & infelicem

cem vocamus, verè quadrupliciter beatus est effectus. Beatus ex parte propinquorum, quia Christo nato: Beatus ex parte popularium, quia Christo capto: Beatus ex parte infirmitatum, quia Christo crucifixo: Beatus denique ex parte remediorum, quia Christo mortuo similis fuit. Ita ut iisdem extremis, quibus S. Rochum ab Evangelio excluſum cenſebamus, glorioſius intromiſſum, nec dupliciter tantùm, ſed quadrupliciter etiam beatum habeamus: *Beati ſunt ſervi illi, beati ſunt.* Ad quatuor iſtas beatitudines, totidem S. Rochi infelicitatibus ſuper impoſitas accedamus; nec erit, opinione meâ, viſio ingrata, infelicitates cernere beatificatas.

§. III.

PRima S. Rochi infelicitas ex parte fuit propinquorum, quia ſanguinis ipſius participes, bonorumque temporalium inſtituti adminiſtratores, tanquam peregrinum eum habuerunt. Hæreditaverat S. Rochus à Parentibus ſuis oppidum, Montem-Peſſulanum dictum, quod jure proprietario velut legitimi Domini cum multis aliis facultatibus poſſederant. S. Rochus verò reſolutione generoſiore, quam anni promittebant (erat enim juvenis valde) idem oppidum cum inquilinis & ſubditis, cuidam patruo tradidit adminiſtrandum. Porrò mobilibus aliis inter egenos & pauperes diſtributis, velut unus illorum peregrinatum profectus eſt in Italiam, loca ſancta Romæ inviſurus. Non multis poſt annis, eodem, quo egreſſus fuerat habitu in Montem-Peſſulanum eſt reverſus; ſed nec à Patruo, nec quopiam propinquorum alio agnitus, pauperis in modum, reſiduum vitæ eleëmoſynis tranſigere compulſus, in patria, ſeu terra propria peregrinus, in medio divitiarum indigus, & à conſanguineis minimè fuit agnitus.

Verum, hic admirari ſat neſcio, quod cognati ſubditique S. Rocho, à tantillo interlapſo tempore, juvenem ibi natum, inter ſervitia ibi educatum, ibique terræ Dominum non cognoverint. Mutatio agnitioniſve impedimentum, vel in facie S. Rochi, vel in oculis intuentium reſidebat. Si in oculis, tam citò obliviſcuntur? ſi in facie, tam facilè mutatur? Ego affirmare auſim, non in oculis intuentium mutationem, ſed in venientis reſediſſe fortuna. Veniebat S. Rochus in Montem-Peſſulanum diversâ valdè fortunâ, ab ea, quâ nuper ipſum ibidem conſpexerant, nihilque adeo faciei lineamenta immutat, quàm fortuna. Filii Jacob durante ſeptennio famis triticum empturi deſcendentes in Ægyptum, in conſpectu fratris ſui Joſeph regnorum iſtorum Proregis comparebant. Sed quid deſuper Scripturæ Sacræ textus? *Cognovit eos, & non eſt cognitus ab eis.* Id eſt, Joſeph agnovit fratres ſuos, qui non agnoverunt Joſeph. Caſus notabilis! nec ita eſſe debuiſſe videtur: Fratres enim tempore longiore agnoverant Joſeph; à teneris quippe annis, & incunabulis noverant eum, quando hic illos necdum noviſſe poterat. Fratres una vice adfuerunt numero decem, alterâ undecim; faciliuſque eſt multos noviſſe unum, quàm unum multos. Tempus abſentiæ mutuæ utrimque erat æquale: tanto enim tempore Joſeph non

Gen. 47. v. 8.

viderat fratres, quanto non fuerat visus ab eis. Si igitur omnes cognitionis rationes, vel æquales erant, vel ex parte fratrum majores, quomodo Joseph agnovit eos, non agnitos ab eis? ratio naturalis est, quia Joseph mutaverat fortunam, fratres verò minimè. Fratres olim fuerant pastores, & adhucdum erant pastores: Joseph olim pastor, jam erat Prorex: Proinde sicut fratres non mutaverant fortunam, sic neque faciem. Porrò Joseph mutaverat vultum, quia mutaverat fortunam: ille agnoscebat fratres, quia erant iidem: ille non agnoscebatur à fratribus, quia jam erat alius.

Videtur res difficilis, quod fortuna faciei formam immutet: est nihilominus veritas experientiâ quotidianâ confirmata. Ponamus exemplum. Maximus quidam amicorum vestrorum, prosperiore fortunæ afflatu ascendit altius: altero mox die aliis jam vos aspicit oculis, aliis auscultat auribus, aliâ jam vobis loquitur linguâ: quod heri erat amor, hodie est gravitas; quod heri erat facies, hodie est affectatio. Ecquid amice, quænam, amabo, hæc tam subitanea mutatio? Quis tibi faciem immutavit? Quænam ista vultûs metamorphosis? Ubinam illa oculorum benevolentia, quâ me intuebaris? ubinam illa aurium promptitudo & attentio, quâ me auscultabas? ubinam ista faciei suavitas quâ nos mutuò contuebamur? Eheu! mutanti fortunam, clarum est, faciem quoque esse variandam.

Enimverò si variationes hasce fortuna operatur prospera, minorem certè vim non habet adversa. De Jobo pristinæ jam fortunæ restituto, tot prævie exantlatis calamitatibus & ærumnis, inquit S. Textus; *Venerunt ad eum omnes amici & cognati ejus, qui cognoverant eum prius.* Notate Verba: *Qui cognoverant eum prius.* Job triplicem in hac vita expertus est statum: primum prosperitatis, secundum ærumnarum, tertium restitutæ, & duplicatæ fortunæ. Si igitur amici & cognati ejus eum in statu agnoverant primo, quare eundem non cognoverunt, neque visitârunt in statu secundo? & si illum non cognoverunt nec visitârunt in statu secundo, quare cognoscunt, & in statu invisunt tertio? hujusce quidem non datur ratio: sed est iniquitas, & quidem ista, quia homines non personam, sed agnoscere & respicere solent fortunam: Proinde quia dicti amici & cognati Job non personam recognoscebant, sed fortunam: hinc non invisserunt ærumnis & egestate afflictum, sed mox ut fortunam viderunt restitutus. Ita ut amici Job, actibus eorum consideratis, ingratitudinis labe carere videantur: quia amicitia eorum fortunam respiciebat, & non personam: & quamvis defuerint personæ, non tamen debitum neglexerunt fortunæ. ideoque ab ingratitudinis notâ remoti. Si debitum negârunt personæ, negârunt quasi ignotæ, fortunæ verò agnitæ officium non negârunt, illâ enim reversâ, mox etiam ipsi adfuerunt. Quoniam igitur homines ex fortuna se potius noviſse solent, quàm ex persona, quid mirum, quod proprii cognati in patrio solo sanctum Rochum non agnoverint, cùm, licet personâ est idem, fortunâ tamen totus alius videretur?

Heu miseram rerum humanarum conditionem! miseram in prosperis, miseram in adversis. Nulla est fortuna, quæ

non

non ſecum vehat ignorantiam. Si eſt proſpera, non cognoſcitis vos ipſos; ſi eſt adverſa, non cognoſcunt vos alii. Porrò ſi adeò fallax eſt fortuna, ut homines ignorent ſeipſos: quid mirum, ſi tam eſt iniqua, ut ipſi ignorentur ab aliis? ſolus S. Rochus illam non merebatur ingratitudinem: nam cum in fortuna ſeipſum noverit proſpera, ſui illum non noverunt in adverſa. Et quod S. Rochus à ſuis, & quibus ſua omnia fuerat elargitus, non agnitum ſe viderit, grandis fuit infelicitas. Si agnitum illum ſui malè tractârunt, erat ingratitudo, ſed tolerabilis: aſt malè tractari, & inſuper non agnoſci, adverſitatum omnium maxima erat.

Divinus Sponſus tardantibus Virginibus januas cœli claudens, vocibus inſtantiiſque pulſantium & clamantium reſpondit: *Neſcio vos.* q. d. Non agnoſco vos. Breve verbum ſed conſideratione dignum. Quod ſi dixiſſet, ſe illas non intromiſſurum, à ſervitio ſuo velle eſſe excluſas, & deinceps à domo, & multò magis à gratia ſua velle extraneas, eò quod tanti gaudii, tantique occaſione impendi ſuo defuerint officio, condigna tantæ negligentiæ cenſeri poterat pœna: ſed Deus omniſcius, quemque nihil latere poteſt, qui novit omnia illis dicat, *Neſcio vos*: id eſt, non novi vos? Hujuſce admiratione raptus S. Chryſoſtomus, cum non occurreret, quo eam condignè exaggerare poſſet, exclamavit dicens: *O verbum ipsâ gehennâ durius!* q. d. O verbum, *Neſcio vos*, ipſo inferno durius. Infeliciſſimus enim illis januam cœli occludere, fuit illis inferno adjudicare. Verùm, licet inferni pœna acerbiſſima & terribiliſſima ſit, quam Deus irrogare poteſt, cum ſit æterna beatificæ viſionis privatio, verbum illud *Neſcio vos*, durius adhuc terribiliuſque extitit. Quare? quia adjudicatus inferno quamvis Deus à ſe ſepulerit æternum, nihilominus adhuc acognoſcit: ſtatus verò, in quo miſera creatura, præterquam quod irremediabiliter ſit damnata, inſuper ſe non agnitam ſcit & conſiderat, omnem miſeriam, omnem cruciatum & deſperationem, & ſi quid ipſo inferno terribilius imaginabile eſt, infelicitate ſuâ tranſcendit. *O verbum, neſcio vos, ipſa gehenna durius!*

Matt. 25. v. 12.

Ad eum uſque ſtatum (quantum vita præſens patitur) S. Rochus, amore Chriſti redactus eſt. Non ſolùm ad carcerem perpetuum irremediabiliter (uti mox patebit) condemnatus, ſed inſuper agnitus non fuit: *Neſcio vos.* Cumque ſtatus iſte ipſo ſit inferno acerbior, Evangeliſta nihilominus S. Rochum beatum aſſerat. *Beati ſunt ſervi illi?* Ita planè. In eodem quippe infelicitatis genere S. Rochus Chriſto nato parilis fuit. Quænam verò major felicitas aut Beatitudo ſervo obtingere poteſt, quàm ſimilem eſſe Domino ſuo, in quocunque demum is ſtatu verſetur?

Chriſtus in hunc mundum, eâ, quam novimus derelictione fuit natus, quam S. Joannes Evangeliſta exaggeraturus his ponderavit verbis: *In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognovit: in propria venit, & ſui eum non receperunt.* Deus bone! Evangeliſta docte & prudens, Evangeliſta amans & amare, ſi conſiderare & expendere libet occurentia

Joan. 1. v. 10.

in Christi Nativitate doloris motiva, nunquid etiam aliæ, temporis & loci concurrebant circumstantiæ ? Hyemis sævitia, Tuguril nuditas, palearum asperitas, despicabilis præsepii duritia? Et, si nihil, nisi hominum inhumanitatem perstringere tibi mens est, quare non ingratitudinem non amantium, sed non cognoscentium tantum cœcitatem pensas & exaggeras, *Et mundus eum non cognovit* ? Ratio est, quia Christus doloris motiva ritè ponderare sciens, in illa hora sensit acerbius, videre se non agnitum, quàm non amatum. Ingratitudo non amans, ingratitudo magna est : sed ingratitudo eò usque procedens, ut nec agnoscat, maxima omniumque ingratissima est. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est.* Evangelista illud iteratò, mundum vocare videtur : *In mundo erat :* & quamvis per ipsum factus esset mundus, mundus eum non cognovit : illud est, esse mundum. *In propria venit, & sui eum non receperunt.* Duplici titulo Christi erant, qui eum non receperunt : erant sui titulo creationis, & sui titulo incarnationis. Titulo Creationis, quia erant factura ipsius : titulo incarnationis, quia erant sanguis ipsius. Cumque tot titulis essent sui, de suo venirent, nihilominus eum non agnoscerent? Singulariter pensandum est, quod Christus ab hominibus voluit tolerare: nec minori pariter consideratione dignum est, quod S. Rochus in Christo novit imitari. Parilitas est tanta ut non indigeat applicatione : *In propria venit, & sui eum non receperunt.* S. Rochus venit in propria, sive sua, nec sui eum receperunt. Venit in sua, in suum venit Patrimonium, in suam familiam, in suam venit domum & aulam : & sui eum non receperunt, sui quippe vasalli, subditi, famuli, amici, cognati & propinqui non aliter eum, ac peregrinum & extraneum habuerunt. *Mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit.* Ipsæ adeò suæ quasi creaturæ quas exaltârat, quibus esse dederat (illis enim dederat quod erant, quando ipsis resignavit quod fuerat) ipsæ inquam eum non cognoverunt.

Enim verò ne in hac sui ignoratione, S. Rocho omnis Christi nati deesset similitudo, bruti cujusdam societate & commiseratione fuit gavisus, quod victum ministrando, vulneraque leniendo, ingratitudinis vulnus exulcerans, hominum inhumanitatum immaniorem convincebat. Quod Christus in præsepius gravius sensit, fuit quod ipsum non cognoverint homines, cognoscentibus ipsum animalibus; quemadmodum ipsemet Christus necdum loquelæ capax, alterius ore, jam ante fuerat conquestus : *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui ; Israël autem me non cognovit.* Isai 1. v. 3. Quod Christus derelictum se viderit ab hominibus, afflatum verò, & halitu fotum ab animalibus : quod similiter S. Rochus ignoratum se viderit à suo sanguine, pietate verò & commiseratione bruti pastum, est dolorem valde aggravans circumstantia. Nihil enim æque cor humanum vulnerat, quàm quod homines id denegent, quod ipsa etiam bruta præstant. Enormis fuit iniquitas, quod Babyloniæ Principes, Danielem in lacum leonum miserint, sed visus simul respectus, quem Leones ipsi exhibebant, iniqui-

tatem

tatem oppidò aggravarit. Famelicæ beſtiæ ſervi Dei innocentiam agnoſcant & revereantur, & homines ſubSapientum tum nomine & officio, illam perſequantur & condemnent ? rara inæqualitas ! magna fuit Jezabelis Reginæ crudelitas, quod perſequendo vitæ Eliæ Prophetæ inſidiaretur : attentâ nihilominus paſcentis ipſum corvi pietate, terribilior evadit. Eliæ vitam corpi ſuſtentet voracitas, quam eripere ſatagit mulieris impietas ? rara diſſonantia ! Peſſima fuit præſumptio, quâ Propheta Balaam populo Dei maledicere fuit conatus : ſed aſinæ, cui inſidebat loquentis intuitu, majores ſortitur deformitates. Brutum laxet linguam ad petendam à Propheta rationem, & Propheta tam parum utatur ratione, ut linguam laxare auſit contra Deum ? nimis exorbitans indecentia : Ecce quod doloris ſenſum aggravabat S. Rocho, ſicut Chriſto nato : videre ſe non agnitos ab hominibus : quando ſe cognitos videbant à brutis animalibus. In Chriſto hoc dici poterat infelicitas, quia aſſimilabatur nobis : In S. Rocho verò erat verè felicitas & beatitudo, quia aſſimilabatur Chriſto : *Beati ſunt ſervi illi.*

§. IV.

SEcunda S. Rochi infelicitas, fuit ex parte conterraneorum. Si Rocho peregrinationem ſuam ex Gallia in Italiam inſtituente, Italia & Gallia bellum in invicem gerebant, ex quo Sancto Rocho duo memorabilia evenerunt. Primum, venientem in Italiam mox Itali velut hoſtem excipientes vulneribus affecerunt : ſecundum, reverſum in Galliam, mox Galli velut proditorem excipientes, tanquam exploratorem apprehenderunt. Nunquid infelicitas dari poteſt major illâ ? in Italia me tractent velut hoſtem, quia ſum Gallus : & in Gallia me tractent velut proditorem, quia venio ex Italia ? S. Rochus, amore Dei, ex Gallia peregrinatum abiit in Italiam, & amore patriæ, ex Italia reverſus eſt in Galliam : & abeuntem ad ſerviendum Deo, me habeant pro hoſte, redeuntemque ad ſerviendum patriæ, ipſi concives me habeant pro proditore? Magna infelicitas !

Porrò maxima infelicitatis circumſtantia, quam hodie conſidero, eſt quod cum injuſta ſit ex parte patientis, juſtificari videatur ex parte inferentium : Vigente enim actuali Italiam inter & Galliam bello, alterutrum pro libitu intrare, ſuſpicione non vacat. Quarto mundi die creavit Deus Solem, Lunam, & ſtellas : & ſacro atteſtante textu, officiorum cœleſtibus hiſce luminaribus à Deo aſſignatorum fuit unum, ut noctem diemque dividerent : *Ut dividant diem ac noctem.* Ut Sol & Stellæ noctem diemque dividant, ſapienter valde diſtributa mihi videntur officia, Sole enim ſuo fungente officio, nox fugit : prodeuntibuſque ſtellis dies abit. Verum quo ad lunam, quânam ratione Deus eam feciſſe putandus eſt, ut noctem à die divideret? Luna quandoque de die, ſi obſervâſtis, quandoque comparet in nocte. Porrò ſi Luna eâdem libertate egreditur in die, qua in nocte, quomodo creavit illam Deus, ut diem dividat ac noctem ; ratio eſt, quia nemo dividit melius, quàm qui ingreſſum participat cum ambobus. Sol & Stellæ valde bene dividunt, Sol enim diem dividit à nocte, & ſtellæ noctem dividunt à die : Luna

Gen. 1. v. 14.

Luna verò dividit meliùs, quia enim ingressum participat cum ambobus, dividit dupliciter. Sicut cum sole participat ingressum de die, dividit diem à nocte: sic quia cum stellis introitum participat de nocte, dividit noctem à die. Ita ut Luna bellum inferat utrisque, quia licenter æquè intrat cum eisdem. O! Deus nos ab istis liberet lunis! vel bene à parte diei, vel bene à parte noctis: vel bene cum sole, vel bene cum stellis. Homo duplicis Hemisphærii geminus est hostis. Idem de S. Rocho præsumpserunt Itali & Galli. Galli cùm viderent eum licenter intrare Italiam: Itali cum eadem viderent libertate intrare Galliam, utrimque hostem sibi esse suspicabantur. Nihil horum erat, sed esse videbatur. Enimverò erit civis fidelissimus, erat filius amicissimus, erat veritatis zelator tantus, ut in hocce similem illi patria nunquam viderit, captivitas nihilominus seu apprehensio ejus, quantumvis immerita justificabatur. Non suppetebat probatio pro crimine, sed indicia habebantur pro dubio. Proinde in materia fidelitatis amorisque patriæ, pectus adeò nobile, adeò heroicum, velut illud S. Rochi, injuriam incivilitatemq; hujus experiri dubii, & pati, maxima erat infelicitas, cui poterat subjacere.

Christus S. Petrum, utrum se diligeret, tertiò interrogavit: *Diligis me? Diligis me? Diligis me?* Certum est, trinam hanc interrogationem à magno non vacare mysterio. S. Augustinus, & S. Thomas concorditer affirmant, trinam hanc interrogationem fuisse ordinatam, ut S. Petrus tertiò ad illam respondendo pro trina negatione sua satisfaceret; *Trinæ negationi redditur trina confessio.* Animadversio divina! Verùm concedant mihi jam ista duo magna Ecclesiæ lumina, ut in propriis lucis ipsorum radiis, in hac S. Petri satisfactione quid ampliùs contemplet. In tribus S. Petri negationibus tres fuêre culpæ, & tres injuriæ. Tres fuerunt culpæ, tribus enim vicibus suo defuit officio & obligationi: tres verò injuriæ, quia tribus vicibus injuriam suo intulit Magistro & Domino eundem negando. Porrò injuriæ, satisfactionem; culpæ exigebatur pœnam: & hæc omnia, hoc casu facta sunt. Tribus injuriis, Petrus tribus satisfecit responsionibus: tres culpas, Deus tribus castigavit interrogationibus. Tribus injuriis Petrus tribus satisfecit responsionibus, & istud SS. Augustinus, & Thomas asserunt, quia Petrus trina vice confessus est, quod trina vice negavit: *Trinæ negationi redditur trina confessio.* Tres culpas tribus Christus castigavit interrogationibus: & hoc est, quod ego addo & probo. Christus enim ter interrogando S. Petrum, num se amaret, ostendebat se de fide ipsius & amore dubitare; Et Principem de subditi sui animo dubitare, maxima est pœna & punitio, quam ipsi infligere potest: & vel maximè in tali persona, qualis erat S. Petri, qui in materia ista operculo tegebatur vitreo. Si minus; videte, num dolorem intulerint interrogationes: *Et contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò amas me?* Quod interrogationes eum contristârint, signum est manifestum, quod vivaciter cor ejus tetigerint. Enimverò, ne quis me solùm id dicere existimet, consideret & attendat, pœnam seu punitionem fuisse interrogationes: S. Augustinus de tristitia ab illis nata loquens, idem affirmans inquit, in

Joan. 21. *v.* 16.

S. *Aug.* S. *Tho.*

Joan. 21. *v.* 17.

pœnam

pœnam fuisse præteriti peccati : quod quamvis remissum erat quoad culpam, necdum tamen remissum erat quoad pœnam : cujus vicem agebat dubium illud in materia amoris & fidelitatis. Ita ut Christus in plenariam nagationis sui satisfactionem, non aliam S. Petro intentârit pœnam. Ternas negationes ternis dubiis castigavit : & quia tribus illum vicibus negaverat, tribus vicibus dubitare eum fecit amor. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me.*

Verùm enim verò objiciet fors aliquis Negationes dubiis castigari, improportionatam esse pœnam, dubium etenim non æquivalet negationi. Meo nunc judicio, punctum hoc ad trutinam vocare, consultum puto, & si non nihil immorari nos oporteat : cum sit materia tempori præsenti adeò congrua, & honori dubia patientium, nec non conscientiis illa causantium conducibilis. Respondeo igitur, pœnam vel maximè proportionatam fuisse culpæ, quod Christus tres negationes tribus emendaverit dubiis : in puncto quippe amoris & fidelitatis, dubium negationi æquivalet.

Cap. 1. de Hæreticis definitur. *Dubius in fide est Hæreticus.* Quæ definitio in communi Patrum doctrina fundata, à multis Pontificibus confirmata, ab omnibus Canonistis & Theologis, universaliter est recepta : nihilo seciùs difficilis videtur ejus ratio. Hæresis est error contra fidem; ut sit error requiritur judicium : qui dubitat non judicat, quia neque negat, neque affirmat : ergo neque est hæreticus. Porrò si hæreticus est qui dubitat, in quonam hæresis consistit? Dicam. Propositionem fidei negans, eam falsam esse asserit : de illa dubitans, licet non dicat esse falsam, supponit tamen esse posse talem : & tantundem offendit fidem, supponens esse posse falsam, quantum qui dicit esse falsam. Immò verò majorem fidei injuriam irrogare dico dubitantem de illa, quàm negantem eandem : negans quippe, in uno offendere potest articulo, dubitans verò illam offendit in omnibus. Idem de fide humana esto judicium, quam in generosis animis æquè oportet esse delicatam & teneram, nec minus esse sensitivam, fidelem me negans infidelem me adstruit : fidelem me esse dubitans, infidelem me esse posse supponit; quamvis me esse infidelem non dicat : & tantundem me, non solum in honore fidelitatisque excellentiâ, sed & in integritate & constantia, ejusque essentia lædit, qui infidelem me esse supponit; quantum ille qui talem me esse affirmat.

Age, hac super materia unum ex fidelioribus hominum, quos mundus novit discurrentem audiamus. Ægyptiæ inverecundè se tentanti respondit Joseph, se non posse Domino suo infidelem esse, cui tot titulis fidelitatem deberet. *Ecce Dominus meus, omnibus mihi traditis ignorat, quid habeat in domo sua, quomodo ergo possum hoc malum facere?* Ly *Quomodo possum*, valde consido. Quare Joseph non dixit non volo, sed non possum? Quare non dixit, non volo, ne Domino meo sim infidelis & suspectus? Quare non dixit, ne fortè innotescat? Quare non dixit, nolo timore infamiæ, nolo ne vitæ discrimen incurram? Quare denique non dixit, ob qualecunque denique motivum aliud, non volo, sed non possum? quia magis se læsum majoriquę injuria sensit affectum, ex suppositione Gen. 39. v. 9.

Ægyptiæ, quàm ipsâ tentatione. Mulier illa (argumentabatur secum Joseph) ad infidelitatem me provocat, & qui ad perfidiam seu infidelitatem me provocat, suâ jam imaginatione, infidelem me esse posse supponis, & qui imaginatione suâ, infidelem me esse posse supponit, hac ipsa suppositione gravissimè me lædit. Imò magis me lædit, istâ suppositione & infami conceptu, quàm ipsâ tentatione; tentatio enim respicit perfidiam, quæ esse deberet, & non est : suppositio autem admittit infidelitatem quod infidus esse debeam, & sim. Proinde ut sciat agnoscatque Ægyptia, quod impossibile quippiam supponat, & ego opinioni ipsius conformiter infidus esse nequeam, hinc supponenti cogitationi, & non solicitanti tentationi respondeo, non dicens, non volo, sed, non possum : *Quomodo ergo possum?*

O servum verè fidelem ! ô animum vere generosum ! Quod videntur servi fidi & fideles, quia non est qui eos pallio trahat ? propterea Joseph illud tanquam non suum, sed violatum dimisit. Porrò sine consideratione, quæso, non transmittamus : quod verbis istis : *Quomodo possum hoc malum facere*, adjunxit dicens : *& peccare in Deum meum?* Sequitur ergo. Joseph (attende quid dicas) sequitur ergo, quod in materia perfidiæ peccare non possis. Protinus hoc sequitur, sic est, mihique persuasum habeo, ait Joseph. In aliis materiis sufficit culpâ vacare, in materia fidelitatis oportet impeccabilem esse. In puncto fidelitatis qui non est irreprehensibilis, perfidus esse convincitur. Ecce tenerum anxiumque famæ & existimationis sensum, quem sola impossibilis alicujus imaginatio valde vivaciter afflixisset ; fideliter ipsi impar, valde grossa est. Vera fides, alicujus cogitatu impossibilis suppositione offendi debet : nec minus hæreticus circa fidem meam judicandus est, qui eam mihi in dubium vocat, quàm qui illa mihi negat.

Dubia ista & dubitationes, suspiciones istas & suppositiones, & injurias S. Rochus in sua captivitate patiebatur, cunctaque discursus nostri considerata & asserta erant annuli, ex quibus multò duriorem nobilitatique animi sui graviorem conficiebat catenam ipsis ferreis, quæ corpus in carcere constringebant. Memorati Josephi fratres, velut exploratores, citra culpam, in Ægypto se attineri videntes magnâ fuêre tristitiâ affecti : sed punitionis istius culpam, nec non infelicitatis istius causam, in crudeli adeò perfidia in fratrem insontem exercitâ ibi reperêre : *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* Sed innocentia semper fida, fideque semper innocens S. Rochi, occasione adeò piâ, qualis est peregrinatum ire Romam, in eadem patria cum honore videatur in suspicionibus, cum vita in periculis, manibus pedibusque in catenis? barbara infelicitas! nihilo seciùs Evangelium beatum illum prædicare non cessat : *Beati sunt servi illi.* Quare? quia in captivitate illa S. Rochus Christo capto fuit assimilatus. Gen. 42. v. 21.

S. Rocho in carcere constituto omnis generis infirmi ad carcerem confluebant, cœci, cludi, manci : cernebaturque cum stupore, quod Sanctus in tenebris daret visum, ligatis manibus, manus restitueret, ipse sine pedum usu, aliis gres-

greſſum repararet, omnes denique ſanitatem conſequerentur. Agedum, homines crudeles, homines impii, homines barbari, iſta cernentes miracula, iſta intuentes prodigia, cœleſtia illa videntes teſtimonia, manifeſta illa conſpicientes omnipotentiæ ſigna, in carcerem non irrumpitis, neque vincula & catenas confringitis? Eſtne poſſibile, quod viſis tot tantiſque miraculis, authorem eorundem captivum relinquatis? etiam. Sic quippe fieri oportebat: ut S. Rochus Chriſto capto aſſimilaretur. Hoſtes Chriſti tanquam zelo pro patriæ ſalute acti, eundem comprehenſum acceſſerunt (captivatio S. Rochi tam causâ quàm innocentiâ illi fuit ſimilis) quibus Chriſtus dixit: *Ego ſum*, quo dicto abierunt retrorſum cadentes in terram quotquot captum advenerant. Porrò S. Petrus ſuum, hoc paſſu, animum oſtenſurus, proſtratiſque jam hoſtibus proſecuturus victoriam, exerto gladio primi invaſoris capiti illato ictu auriculam amputavit. Chriſtus verò gladium in vaginam actutùm recondi mandans, ſuo ſimus loco auriculam reſtituit: quæ in præſentia oculiſque omnium ſic reſedit, ac ſi amputata non fuiſſet. Quid proinde hominibus iſtis faciendum fuiſſe videtur, duobus tam ingentibus, tam manifeſtis, ſubitaneiſque miraculis conſpectis? meâ quidem ſententiâ mox erectos à terra pedibus Chriſti debuiſſe advolvi. Sed ecce è diametro contrarium. *Injecerunt manus in Jeſum & tenuerunt eam.* Ecce num captivitas S. Rochi ſit ſimilis illi Chriſti. Neutri contra captivitatem miracula quicquam profuerunt. Chriſtus mirabilium patrator, ſimiliter & S. Rochus: Chriſtus captus, & S. Rochus captus.

Joan. 18. v. 5.

Matth. 26. v. 5.

Similitudinis excellentia necdum eſt detecta. Si Chriſtus verbis illis, *Ego ſum*, omnes derepentè humi proſtravit, quare capi ſe ſivit? Etſi volebat (uti ipſum voluiſſe certum eſt) ut ſe caperent, quare illos prius proſtravit in terram dicens. *Ego ſum*? ratio fuit, quia Chriſtus oſtendere nobis voluit, quantæ excellentiæ eſſet, pro nobis ſe capi permittere. Quod homo quantumvis ſit innocens, capi ſe ſinat, non eſt quid novum: ſed quod homo, qui dicendo, *Ego ſum*, ad pedes ſuos in terram proſternere poteſt capturos, nihilominus, alterius amore, capi ſe ſinat, grandis eſt excellentia. Talis fuit illa Chriſti: talis & fuit illa S. Rochi. Comprehenderunt S. Rochum proprii ſui ſubditi, in oppido ditionis ipſius, quia, ut diximus, ſic habitu & perſonâ mutatus veniebat, ut non agnoſceretur. Porrò ſi S. Rochus dixiſſet, *Ego ſum*, ipſimet comprehenſores protinùs ad pedes ipſius collapſi, manus eidem tanquam Domino fuiſſent exoſculati. Cumque in S. Rochi poſitum eſſet poteſtate, facere, ut ad ſuos corruerent pedes, qui ſe ceperant, dicendo, *Ego ſum*, & nihilominus amore Chriſti ſe capi permiſit? hoc excellentiæ ſoli Chriſto, & ipſi tribuendum eſt. Sanctorum plurimi multis annis vincula & carceres ſunt perpeſſi, ſed captivitas & libertas Tyrannorum ſuberat arbitrio: S. Rochus verò omnibus quodammodo vitæ annis fuit captivus, captivitate & liberatione ſuo arbitrio ſubjectâ.

De Sancto quondam in Vitis Patrum legitur, quod ſemetipſum in eremo, velut captivum catenâ conſtrinxerit, clave, ne totâ vitâ ſuâ ſe ſolvere poſſet, in præterfluentem aquam conjectâ: ſubſe-

quente die piscis clavem ore ferens ad littus prodiit, fuitque revelatum Sancto, gratius fore Deo, si clave manu retentâ, ita captivus remaneret : quod verum est libertatis sacrificium. Captivare se clave in mari projectâ, est semel tantum se captivare: captivare se retentâ nihilominus clave, est semper se captivare. Ecce discrimen inter S. Rochi, & S. Petri, necnon aliorum Sanctorum catenas. S. Petrus aliquot diebus fuit incarceratus clavem habente Herode : Joseph biennii spatio fuit compenditus, clavem habente Pharaone. Ast sanctus Rochus totâ vitâ suâ fuit captivus, clavem propriâ tenens manu. Sancto Rocho suffecisset dicere tantùm, *Ego sum*, & carcer protinus in palatium transîsset, ferra in cymmelia, infamia in honorem, injuriæ in applausus, contumeliæ in acclamationes & præconia abiissent : neque tamen dicere voluit. *Ego sum*. Altero, *Ego sum* in Ægypto, *Ego sum Joseph frater vester*, fratribus Josephi tristitiæ mox conversæ sunt in tripudia, fames in epulas, timores in congratulationes, captivitates in amplexus. S. Rochus verò in tenebricoso captivitatis suæ theatro, Christi potius tragœdiam, quàm Josephi comœdiam repræsentare eligens non dixit, *Ego sum*, quia ille esse nolebat ; sed vivaci imitatione volebat esse Christus ; & ita ille fuit. Proinde qui eò felicitatis pervenit, ut cùm esset servus, similis fuerit Domino suo, non infelicem se seu infortunatum, sed terque quaterque beatum se pronunciet : *Beati sunt servi illi*.

§. V.

TErtia sancti Rochi Infelicitas fuit ex infirmitatibus. Verùm pace vestrâ Auditores, infelicitati huic locum commutabo : ipsam pro coronide reservans ; illâ etenim finem sermoni huic imponam punctum istud abbreviaturus. Primò igitur de infelicitate tractabimus remediorum, postea de infelicitate acturi infirmitatum. Utinam disponente Deo, vestra fecisset cura & industria, quod meus nunc conatur facere discursus. Quia prius patimur infirmitates, & deinde tractamus de remediis, hinc remedia sunt infelicia & infructuosa seu otiosa.

Sanctus Rochus infelix fuit remediis, omnes quippe peste correptos miraculosè sanans, eâdem correptus ipse extinctus est. Nunquid infaustiùs quicquam accidere potest ? præscriptum aliisque utiliter applicatum remedium, ipsi non profit danti ? nihil infelicius ! Major universaliorque miseria non supervenit mundo quàm universale diluvium. Enimverò si communi hac miseria & infelicitate homines fuêre risu digni, & infortunati, quis dubitabit, quin ipsemet arcæ Noëticæ fuerint fabricatores? tot annos novæ illi, & nunquam ante in mundo visæ machinæ, quâ mediante, reliquiæ eorum salvandæ erant, homines isti, nunc secando, nunc serrando. nunc dolando, nunc demetiendo, nunc coaptando, nunc acclavando, nunc pice & bitumine obliniendo, tot inquam annos impenderant : & tandem Noë tantùm cum filiis suis, & omnium specierum animantibus ingrediatur, ut à diluvio salventur, ipsi verò ejusdem fabricatores arcæ, foris manendo aquis absorbeantur ? immanis infelicitas ! nos salutis instrumentum fabricemus pro aliis, cujus beneficio aliis salvis, nos pereamus ? arca nostet sit labor, & non nostri ; sed illorum salvatio?

sudoris

sudoris brachiorumque nostrorum impendiis, illi salutem consequantur, nosque eorum intuendo salutem pereamus, O infelicitatem ! ò non ridendam illusionem ! ô infortunium incomparabile ! Age, nunc verborum quorundam S. Pauli sæpius quidem citatorum, sed non ritè forsan expensorum energia & emphasis patebit. *Castigo corpus meum : & in servitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* Pœnitentiam agendo carnem meam macero, inquit sanctus Paulus, ne prædicando aliis viam mediaque salutis consequendæ, ipse damnationem incurram. Notate bene illud : *Ne cum aliis prædicaverim.* Ratio, quare homo damnationem sibi inducere nolit, adeò gravis est & efficax, ut alterius adminiculo non indigeat. Enim verò, si pœnitentiæ castigationisque suæ, non aliam S. Paulus rationem allegat, quàm nolle damnari, quare circumstantiam adjungit, quod Prædicatoris fungatur officio, *ne cum aliis prædicaverim*? ad infernum pergere, qui non sunt Prædicatores, nunquid exigua est miseria? Grandis sanè, verùm in genere infelicitatis multò minor est. Infelicitatum omnium maxima est, quod homo salutem non consequatur. Sed quod homo, cujus exercitium est, ad salutem adducere alios, non salvet semetipsum, omnium infelicitatum maximam sua gravitate transcendit. Porrò talis fuisset illa S. Pauli, si Prædicator existens, si alienæ salutis minister, salutem non fuisset consecutus. Eheu, quot hujuscemodi infelices inveniuntur in hoc mundo ! Quot Prælati commissarum sibi ovium animas curando, suas relinquunt infirmas ! Quot Gubernatores subjectum sibi populum bene regendo, semetipsos negligunt & errant ! Quot Consiliarii saluberrima aliis consilia suggerentes, sine consilio pereunt ! Caiphas Pontifex summus, ne tota Hebræorum gens deleretur, remedium oportunum suggerens, sine remedio periit. Moyses dux populi Dei, Tribus in terram promissionis introduxit, à qua tamen ipse fuit exclusus. Achitophel optimus temporis illius Consiliarius, ex cujus consiliis tot pendebant, & vivebant Principes, pessimo consilio sibimetipsi vitam ademit. Heu quanta est infelicitas illa ! Omnes remedia præbere aliis omnibus, & neminem remedium sibi adhibere ! non solùm in hominibus, in quibus miseriæ vitiorum sunt consequentiæ, sed in ipsis adeò virtutibus, miseriam istam invenio. Quæ enim virtus major est fide ? sine fide nemo salvari potest : sed in omnibus, qui salvantur, fides perit, quia visu conservari nequit. Cœlum sine fide obtineri nequit, & fides in cœlo esse nequeat ? Virtus alios in cœlum mittens, ipsa foris maneat ? Virtus alios salvans, ipsa pereat ? si in virtutibus infelicitas esse potest, infortunata est virtus. Talis erat miraculosa sancti Rochi virtus : remedium impendebat aliis, ipse sine remedio mortuus. Cumque illa sit infelicitas tanta, Evangelista nihilominus S. Rochum beatum asseverat : *Beati sunt servi illi.* Aliis enim remedia impertiendo, & ipsemet sine remedio moriendo, S. Rochus similis apparuit Christo mortuo.

1. *Cor.* 9. *v.* 27.

Mors Christi remedium fuit nostrum : sed non ipsius. Christus remedium contulit nobis, quia nobis largitus est vitam : non verò usus sibi, quia fuit mortuus. Hæc maxima Salvatoris mundi fuit excel-

cellentia, ab hominibus benè ponderata, sed malè intellecta : & pejus applicata. Christum in cruce morientem, Principes Sacerdotum blasphemabant dicentes: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* Matth. 27. v. 42. Atrox quidem in Christum blasphemia, sed ingens patientiæ, mansuetudinis, & amoris Christi præconium! Enim verò dicendo quod non posset, blasphemabant : dicendo verò quod salvatis aliis (sicut tot à morte salvaverat) seipsum non salvaret, prædicabant, recensebantque quod Salvatori salvationisque modo honorificum cum primis, & glorioſum erat. Glorioſissimæ excellentiæ, supremæque generositatis actus, in eo, qui vitam donat aliis, est non sibi eam usurpare, sed suo etiam dispendio, eam aliis impertiri. Hoc fecit Christus hæcque nobilissima hominis Dei fuit actio. O Roche divine! quàm rectè blasphemare te poterant Judæi, & quàm justè oportet nos te laudare! S. Rochus miraculosè curabat & sanabat omnes peste infectos : mundo autem ipsummet correptum videnti non aliud sibi imaginabantur omnes, quàm quod semet foret curaturus, insultantes cum latrone & dicentes: *Salva temetipsum & nos.* Sanctus verò tanquam Germanus Christi imitator in morte, salutem contulit aliis, quam sibi negavit : *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* Matth. 27. v. 40. Revertamur ad illud, *Non potest.* Quod benè examinatum aliam adhuc majorem, S. Rochi, similitudinis, cum Christo excellentiam continet. Christus absolutè, non interveniente morte sua, genere humano vitam conferre potuisset, sed conditionatè nullatenùs : quo passu Principum Sacerdotum exprobratio erat vera, quamvis ab illis non intellecta. Supposito enim decreto divino, Prophetarum toties ore decantato, quod nimirum Dei filius pro hominum foret salute moriturus, non poterat non mori. Proinde sicuti divino supposito Decreto, quod mediante morte sua Christus mundum esset redempturus, non poterat non mori : pari planè pacto, supposito favore (qui etiam divinum erat decretum) quod S. Rochus imitari deberet Christum similitudine mortis, non poterat non mori S. Rochus. Christus, mediante cruce, moriendo vitam aliis donabat, & similiter S. Rochus, mediante cruce, moriens aliis vitam conferebat.

Modus mediùmque quo S. Rochus peste correptos curabat, erat crucis signum, quod super illos formabat; eadem crux tam sibi quàm aliis, cruci Christi fuit perfimilis Crux Christi velut vitæ nostræ, mortisque ipsius instrumentum, si benè advertimus, lignum continebat rectum, & transversum exterius impertiendo vitam, interius mori sinebat. Porrò vitam impertiebat exterius, quia crux arbor fuit vitæ toti generi humano. Interius sinebat mori, quia Christus inter brachia ipsius moriens expiravit. Talis fuit Crux seu miraculosum crucis signum quod S. Rochus manu sua effigiabat. Nullum unquam crucis signum, sive in cœlo, sive in terra similius, sive magis signum visum fuit quem istud. Exterius conferebat vitam, omnes enim à maximo lethifero pestis malo sanabat : interius verò permittebat mori, quia S. Rochus eodem malo fuit extinctus. Christus mortuus est cum remedio brachiis ipsius acclavato, quo vitam dabat omnibus: S. Rochus mortuus est cum remedio, quo

mani-

manibus efformato, vitam dabat aliis. Quis proinde servo sic ad vivum Domino suo in morte assimilato, nomen Beati denegabit, quod Evangelium illi tribuit : *Beati sunt servi illi.*

§. VI.

AD ultimam tandem S. Rochi, devenimus infelicitatem, loco huic reservatam, ut altiùs memoriæ infigeretur : pro peccatis enim nostris non eminùs eam considerare fas est, tanquam infelicitatem ejus, sed cominùs intueri & introspicere tanquam nostram. Jam ardet peste Regnum Algarviæ, & si vel passu incendium proserpserit, quid fiet Lusitaniæ ? Quemadmodum S. Rochus infelix fuit remediis, sic etiam fuit, & jam fuerat infelix infirmitatibus, morbo & infirmitate affligi, arguit esse mortalem, proinde natura magis quàm infelicitas dicenda videtur. Nihilominus infelicitas esse non desinit, & quidem notabilis, quod cum homini infirmitas subeunda sit, in pejorem mox omniumque horribilissimam incidat. Hoc S. Rocho, evenit, infirmitatem incurrit, & peste correptus est. Inter alias miserias, quæ pestem horribilem & formidabilem reddunt, duæ sunt, quæ singularem mihi horrorem incutiunt : Prima, quod pestis sit malum, ex elemento vitæ, mortis nobis conficiens instrumentum. Elementum vitæ est aër, quo respiramus, pestis idem ipse est aër corruptus & infectus ; & homo haurire habeat venenum respirando ? Et respiratio quæ elementum & alimentum est vitæ, in instrumentum mortis convertatur ? Atrox sævities ! expirari ex mori, respirari vivere : hominem expirando mori, mors est ; sed mori respirando & vitam extinguere, quod vitam conservare debebat. Crudele tormentum !

David Judæ assectis ejus malè precando, cum Deo loquens ait : *Fiat mensa eorum in laqueum.* Age, cum infamis iste discipulus, tam ingratus, tam infidus, talisque proditor existat, divinatuâ, Domine, justitia ordinet, ut ipsi & sequacibus ejus, de mensa fiat laqueus : *Fiat mensa eorum in laqueum.* Non hîc discutio, utrum de mensa laqueus fieri possit, siquidem omne suffocativum laquei vices subire potest. In alia simili maledictione idem prædixerat David : *Pluet super eos laqueos.* Prô, quanta de cœlo venisse videntur, & sunt laquei ! Alios texit diabolus, alios plectunt homines, alios pluit Deus. Quid universale fuit diluvium, nisi pluviæ instar, descendentes laquei ? Illâ cœlitus depluente aquâ, inundatus & suffocatus est mundus. Porrò si laquei dantur, qui bibuntur, quare non etiam dantur, commeduntur ? De hisce laqueis loquitur David : *Fiat mensa eorum in laqueum.* Sed cum tot laqueorum sint genera, quare zelosissimus justitiæ Rex, suffocativum Judæ laqueum de mensa fieri optat ? Ratio est, quia mensa nature instrumentum est vitæ, & vitam, per ejusdem instrumenta perdere, terribilissimum mortis genus est, quod sub imaginationem cadit. Ex funibus laqueum texere, eodem guttur constringere, respirationem seu anhelitum intercludere, sicque vitam intra portas eripere, acerbum, laboriosum, violentum, dolorosum, angustiis horroreque plenum denotat perimendi modum : verùm ex eo sequitur,

Psal. 22. *v.* 1.

Psal. 10. *v.* 6.

tur, mortis instrumentis inferri mortem. Sed sustentandæ reficiendæque vitæ ergò assidere mensæ, eundemque bolum ori ingestum, in faucibus in laqueum converti, atrox magis, violentum & dolorosum, terribiliusque mortis genus est, quia ipsius vitæ instrumentis vita eripitur. Vitâ privari, instrumentis vitæ, mensamque in laqueum converti, est morte proditoris mori. Bolus me perimens est proditor? sub prætextu enim vitam sustentandi, eandem mihi adimit. Porrò proditorem instar Judæ Proditoris morte mori congruum erat: *Osculo tradis filium hominis*? Tradidisti osculo: morieris buccellâ, sive bolo. Porrò sicut malitia Judæ, præ cæteris atrocius mortis genus merebatur: David, non ut de funibus, sed de mensa laqueus ipsi texeretur, imprecabatur. Atroicus enim mortis genus est, per instrumenta vitæ, quàm mortis vitam perdere. Sic Davide imprecante, Judas illud exactius fuit executus. David mensam in laqueum transire desiderabat: & Judas unam in se mortem laqueo, alteram mensâ fuit executus. Unam mortem laqueo, quia se suspendit: alteram mensâ, quia in peccato communicavit. Judas corpus suum occidit & animam; sed crudelior animæ suæ quàm corporis carnifex & latro. Corpus enim suum mortis occidit instrumento: *Laqueo se suspendit*: Animam verò suam instrumento vitæ: *Qui manducat hunc panem, vivet.* Et in manibus vitæ mori: eheu qualis infelicitas! Non applico, ne tempus geminum uni rei impendam.

Luc. 21. *v.* 48.

Matth. 27. *v.* 5. *Joan.* 6. *v.* 59.

Ad secundam miseriam transeamus Ratio secunda seu miseria, quare pestem infirmitatibus, allis acerbiorem judicem, est, quia in morbis allis, qui vos amat, majus vobis benevolentiæ signum exhibere nequit, quàm quod vos visiret, vobisque adsit: in peste verò, nihil majori vobis solatio esse potest, quàm quod fugiat, quem vos amatis. Malum, quod dicam, assiste mihi, est velle malè: quod dicam, fuge à me, est velle benè. Ingens sanè malum! Porrò si pestis ex se læthifera non esset, ex hoc talis foret. Ultimum Canticorum capitulum, loquente sponsâ cum sponso, sic finit: *Fuge dilecte mi.* Hæc ultima sponsæ fuerunt verba, quibuscum finitâ vitâ, etiam finem accepit historia. Quod sic considero, est, quod mortis sponsæ causam textus nobis non insinuet, cum in toto vitæ decursu sufficientes non defuerint, quæ adimere possent. Primò, sponsa binis vicibus periculosè fuit infirmata: *Quia amore langueo.* Secundò, belli periculis cum sponso fuit exposita: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te amica mea.* Spoliaverunt & percusserunt eam vigiles murorum: *Percusserunt me, & tulerunt pallium meum custodes murorum.* Deprehendit se quandoque malè habitam & neglectam à suo sponso: *Surrexi, ut aperirem dilecto meo, at ipse jam declinaverat.* Si itaque contra corporis ærumnas, ænimæque molestias sponsa adeò fuerat obfirmata: si binis vicibus infirmata vixit: Si vulnerata reconvaluit: si ex prælio vitam reportavit: si denique minus amatam, neglectam, contemptuique se habitam videns constans perseveravit: quantum, quæso, fuit illud malum, cui resistendo impar succubuit mortua, verba adhuc ore proferens? ipsamet illud innuunt verba: *Fuge dilecte mi.* In tali se statu (qualiscunque demum

Cant. 8. *v.* 14.

Cant. 1. *v.* 9.

Cant. 5. *v.* 7.

Ibid.

Ibid. *v.* 5. & 6.

demum is fuerit) versari deprehendit, ut fugam dilecto suo suadere necessarium putârit : *Fuge dilecte mi.* Et cum quis se in statu versari videt, ut vel maximè amato, necessarium putet dicere, fuge à me, mortis ipsius interrogare causam superfluum est : cum illud ipsum occidat. Magna sunt mala, infirmitates, vulnera, bella, languores, contemptus, timores, & cætera hujusmodi, quæ sponsa est experta, & tolerantur in mundo : malum verò, in quo vel maximè amatis dicendum est, ut nos fugiant, malorum omnium est maximam : istud animum in maxima patientia deficere facit ; istud vitam, in maxima constantia auffert. Hujuscemodi malum est pestis: malum, in quo vel maximè diligentibus & dilectis à vobis dicendum est: *Fuge dilecte mi.*

Pestem magis exaggerare nescio, quatenus malum est particulare, & hominis singularis infirmitas, sicuti in Rocho erat : sed quatenus malum est universale, civitatum, provinciarum, regnorumque lues, quis infelicitates, miserias, afflictiones, horrores, quæ pestis secum vehit, ritè pensare & explicare sufficiet? portus vectibus clausos, navigantes in mari, non solùm ab oris eorum, verùm etiam à ventis procul fugientes : vias terrestres rigidissimis excubiis custoditas, commercia, communicationemque mutuam hominum totaliter sublata, plateas desolatas virgultisque obsitas & spinis : uti antecessorum nostrorum relatione accipimus, quod ipsi in hac Ulyssipponensi civitate portas viderunt lignis transversis obstructas, sepulchra semper aperta, non jam in Ecclesiis, sed in campis : & ipsos quandoque : vivos sepulturæ mortuorum intentos in easdem fossas corruisse extinctos : divitias & opes tanto labore acquisitas, tantâ tenacitate conservatas, tanti æstimatas, nunc neglectas, nunc velut in extrema necessitate, non in aquam, sed in ignem projectas, ardentes aspicere sine dolore : naturalem sanguinis (velut omnem alium) amorem vel suspensum, vel è memoria deletum : fratres à fratribus, parentes à filiis, maritos ab uxoribus, & vice versa, fugientes : omnes denique à semetipsis fugere conatos, sed frustra : cum exitus indispensabiliter prohibitus sit & impossibilis. Ratio & pietas ibi crudeliter captos & obsessos illos tenet miseros, ut se potiùs quieto pede invicem perimant, quàm ad perimendos alios foras exeant. Sed eheu ! quis dolor ! quis gemitus ! quæ angustia ! quæ afflictio ! quæ anxietas ! quæ violentia ! quæ desperatio adeò læthalis ! Et de hoc statu suo homines necdum cogitent & horrore concutiantur ! mors illis spatium tempusque denegat. Sex horarum spatio, tempore Davidis, pestis septuaginta millia ejusdem populi interfecit. Et in plaga tam terribili vel hominem fuisse putatis, non consternatum animo, & pedibus adhuc consistentem æquè præmortuum, atque illos, qui lue jam correpti cadebant ? Quod dico, quodve dicere nescio, faxit Deus, ut auditu tantùm, non autem visu etiam & tactu percipiamus !

Solicitudines, vigiliæ, cautelæ, quæ tam vicino opponuntur malo, rationabiles valde, debitæ sunt & necessariæ : verùm contra ictum gladii cælestis; parum valent circumspectiones terrestres.

In medio ſtragis, quam, ob culpabiliter numeratum à Davide Iſraëliticum populum, immiſſa divinitûs peſtis edebat, levatis in cœlum oculis Rex David afflictionibus & doloribus obrutus, vidit Angelum evaginatio gladio Hieroſolymæ, aulæque regiæ jam jam ictum interminantem. Ah! ſi Deus nobis aperiret oculos, quàm certò eſſemus viſuri eundem, jam noſtro ſanguine ſtillantem, gravioremque adhuc ictum Lisbonæ, totique Portugalliæ Regno comminantem! peccatum iſtud Davidis, cum noſtris collatum peccatis, innocentia reputari poteſt: ſed Hieroſolymis & Iſraëli tunc unus deerat S. Rochus, quo nunc Lisbona & Luſitania gaudet, qui in gladii capulo Dei manum retineret. Grandibus malis, grandibus occurrendum eſt remediis, tantoque malo, quantum eſt illud peſtis, tantus ſolummodo Sanctus, uti eſt S. Rochus, mederi valebat. S. Rochus in mundo canonizatus eſt, ſub titulo Patroni contra peſtem. Mihi verò titulus ille vulgaris nimis, nec magnitudinem poteſtatis ejus, prodigioſaque virtutis ejus opera adæquare videtur: proinde unicum tantùm nomen virtuti S. Rochi æquale reperio, quod eſt peſtem peſtis illum appellare. Nunquid injurioſa vobis videtur nominis novitas? agedum, ut ingentem injuriæ hujus excellentiam cognoſcatis, ſcitote, cum ſtupore S. Rochum peſtem fuiſſe peſtis, ut crucifixo Chriſto ſimilis eſſet. Hæc eſt ſimilitudo quarta, quæ nobis deerat, ad beatificandam quartam & ultimam S. Rochi infelicitatem. *Beati ſunt ſervi illi,*

Multis ante ſæculis, quàm Chriſtus crucifigeretur, ſententiam quandam comminatoriam contra peſtem promulgari fecit, ex ore Oſeæ dicens: *Ero peſtis tua ô peſtis*, prout in textu Hebraico legitur; ubi Vulgata terminis univerſalioribus tranſtulit: *Ero mors tua, ô mors.* Major verborum proprietas eſſe nequit: veritas verò & applicatio, æqualem pati videtur difficultatem. Peſtis, prout diximus, eſt aër corruptus, & infectivus, quomodo ergo verificari poteſt in Chriſto crucifixo quod peſtis fuerit peſtis? reſpondebo, ubi ab aliis prius meæ fuerit ſatisfactum quæſtioni. Quæro. Quorſum Chriſtus in aëre, & aëri voluit mori? in aëre, exaltatus in cruce: aëri, crucifixus in monte edito & patente? potuiſſet Chriſtus mori in templo, & valde convenienter, quia erat victima, & holocauſtum noſtræ redemptionis. Potuiſſet etiam mori humi, non minùs congruenter, homines enim, quos ſalvaturus venerat, de humo erant. Quonam igitur motivo, aut qua ratione, Chriſtus non niſi in aëre voluit mori? interrogatio & reſponſio tota eſt S. Chryſoſtomi: *Quare in edito loco, & non ſub tecto? in excelſo loco, ut aëris naturam purgaret? oblatus eſt.* Chriſtus in aëre, & aëri elegit mori in monte, & cruce elevatus & ſuſpenſus: ſicuti enim vitâ & converſatione ſuâ ſanctificaverat terram, ita aërem morte ſua purificare volebat. In vita, de loco in locum peregrinando ſanctificavit terram: in cruce moriendo, elevatus, brachiis extenſis aërem purificavit. Enim verò quænam infectio & impuritas inerat aëri, ut purificatione indigeret? S. Athanaſius illud explanavit, rationi, quæ etiam S. Cypriani eſt, inhærens: *Solus ille in aere moritur,*

Oſei 13. v. 14. Lect. Hebr.

S. Chryſoſt.

qui

S. Athanasius. S. Cyprianus. *qui in cruce vitam finit : quare non sine ratione eam Dominus sustinuit : ita enim sublimatus aërem purgavit ab omni diaboli, omniumque dæmonium infestatione.* Deturbatus è cœlo spiritus reprobis, non omnes mox in inferni abyssum descenderunt : sed plurimi eorundem in inferiore aëris regione ad tentationem & exercitationem hominum sunt relicti, quos sanctus Paulus potestates aëris appellat : *Ephes. 2. v. 2. Potestates aëris hujus.* Proinde quia aëris elementum peste & contagione, immundorum contactu spirituum corruptum erat & infectum ; ut illud mandaret & expurgaret, Christus in eo redemptionis mysterium operari & peragere volens, inter omnia mortis instrumenta crucem elegit, quâ exaltatus à terra sustentaretur pendens, ut aërem in ipso aëre sanaret : *In excelso loco, ut aëris naturam purgaret.* Istudque erat crucis arcanum, omnibus retrò sæculis absconditum, quibus Christus per Propheram fuerat comminatus, se pestem futurum pestis. *Ero pestis tua, ô pestis.*

Benè habet. Sed necdum pensare cesso, num, pestem esse pestis, plus sit, quàm pestem sanare : ut sanetur pestis, sufficit q iscunque demum sanandi modus : verùm, ut quis pestis sit pestis, eodem illam curate opus est modo, quo ipsa inficere & perimere solet. Ita protinus est, & sic factum fuit à Christo, admirabili proprietate. Christus non solùm pestis fuit pestis, occidendo pestem : sed etiam eodem perimendi modo, quo illa perimit. Quonam verò modo infert aut inferre solet pestis mortem ? modus perimendi est, cum grassatur per contagium, infectioque serpit per partium conjunctionem. Venenum pestiferum, aliquâ prius infectâ aëris portione, ad aliam sensim transiens, omnia, totumque aërem corrumpit. Invadit domumque, totumque mox occupat vicum: occupatâ platea, totam pervagando devastat civitatem : devastata civitate, invadit, totumque depopulatur regnum. Talis in cruce fuit pestis contagiumque vitæ, contra pestem contagiumque mortis. Primæ, crucifixi virtute, purgata aëris partes, fuerunt illæ Calvariæ montis. Porrò de Calvario transiit contagium in Jerusalem; de Jerusalem, in totam Palæstinam : & hinc in omnes mundi partes. Ex una parte occupata Ægypto, corripuit Africam. Ex alia parte correptâ Arrabiâ pervasit Asiam. Ex alia parte, correptâ Græciâ, pervasit Europam. Quo pacto de terra in terram, vel de aëre in aërem transeundo, pestis salutifera operata purgavit mundum, & sic stupendo mysterio, proprietateque prodigiosa prædictio comminatioque Christi fuit verificata, quodque in cruce pestis fuerit pestis; *Ero pestis tua, ô pestis.*

Quemadmodum Christus crucifixus pestis fuit pestis ; ita & S. Rochus pestis fuit pestis. Minorem asserti hujus non habemus authorem, neque minorem veritatis hujus probationem, quam universale totius Ecclesiæ Catholicæ, in Consilio Constantiensi testimonium. Dum ibidem celebraretur Concilium, civitas ipsa à malo pestis fuit correpta. Porrò omnia ardebant, consumebantur, devastabantur. Congregatione sacra, ad remedia confugiente divina, in processione publica, S. Rochi imago de-

portabatur. Res mira; seu sine miraculo! Acti pestis contra pestem, seu contagium vitæ, contra contagium mortis prodiissent: quo passu incidebat processio, remittente & fugiente peste, redibat sanitas. Et veluti sæviente & grassante peste, non sine horrore, nunc hi, nunc *illi*, hic & ibi corruere cernuntur, ita in hocce vitæ triumpho, cum admiratione, & stupore præ lætitia, nunc hi, nunc illi surgere, & omnes tandem exilientes ex lectis, ad fenestras, ad portas, ad plateas, vocibus in cœlum pertingentibus acclamantes, potenti mortis triumphatori, prodigioso salutis restauratori, glorioso tanti miraculi thaumaturgo, novæ denique pestis suæ pesti applaudere videbantur. *Ero pestis tua, ô pestis.*

Maximum, in genere curationis miraculosæ miraculum quod mundus obstupuit, fuit, quod S. Petrus transiens, vel umbra tantum corporis sui infirmis sanitatem conferret. In quonam verò maxima hujus miraculi vis consistit? Consistit in eo, quod quamvis frequens esset infirmorum, per plateas dispersorum transitumque S. Petri præstolantium concursus, sufficeret, quod Apostoli umbrâ obumbrante unum, sanarentur omnes. *Ut saltem umbra illius obumbraret quenquam illorum & sanarentur omnes.* Hoc verba innuunt in rigore sumpta. Verùm quomodo ita esse poterat? instrumentum omnipotentiæ & curationis erat umbra Petri. Quod si ergo umbra Petri tantum unum vel quempiam infirmorum obumbrabat, *Quenquam illorum*, quomodo fieri poterat, ut sanarentur omnes, *Et sanarentur*: Fateri compellimur collatam à Petro sanitatem commune quid cum pestis curatione habuisse. Sicut in peste naturali sufficit, ut lues corripiat unum, ex quo transeat ad alios: pari ratione in divino hoc contagio sufficiebat, ut uno recipiente sanitatem, ex hoc in alios derivaretur. Istud potissimum fuit Apostolorum Principis miraculum. Sed S. Rochus, qui, vel in remunerationem suarum infelicitatum, vel excellentiæ suæ argumentum non alii, quàm Christo ipsi comparandus, ipsi etiam Christo in divino hoc contagio similis, duplici saltem notabili prærogativa S. Petrum excessit, ipso attestante textu: *Concurrebat multitudo vicinarum civitatum Hierusalem afferentes ægros.* Infirmis verò jam Jerosolymis præsentibus quid faciebant? *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis & grabatis, ut veniente Petro liberarentur ab infirmitatibus suis.* Ita ut S. Petro, ad impertiendam sanitatem duo forent necessaria. Primum, ut ex aliis civitatibus Jerosolymam confluerent, ubi S. Petrus agebat: Secundum, ut jam præsentes per plateas disponerent, quas S. Petrus transiturus putabatur.

Actor. 5. v. 15.

Collatione factâ nunc advertite, quantòmajus miraculum constantia viderit in S. Rocho, quàm Jerosolyma in S. Petro. Prodiit imago, quæ est umbra, S. Rochi in plateas, & infirmi, absque eo quod exponerentur in plateis, sanabantur in domibus, in nosocomiis: sanabantur in hospitalibus, in qualibet denique partis civitatis quantumcunque remotâ, dissitâ, & abditâ, sanabantur omnes. Nunquid hic stitit sanatio? Neutiquam.

quam. Non ſolum civitas Conſtantia peſte correpta ardebat : ſed omnis populus à minimo ad maximum, provinciæque Principes eodem correpti incendio abſumebantur. Sed mox ut S. Rochus proceſſit in publicum, aër præſentiæ ipſius recognovit imperium : perceptâ virtutis ipſius efficaciâ, ipſo inſtanti, omnis illa peſte laborantium multitudo,nec ad S. Rochum profecta ſeu adducta, nec illo ad ſe veniente , ſana & incolumis exurrexit. Iſtud eſt, aërem à vera contagione purgare : iſtud eſt verè peſtem eſſe peſtis. Contagio virtutis, erat illa S. Petri : ſed non contagio,de civitate ad civitatem, non de platea ad plateam , neque de platea tranſiens in domum, ſed de infirmo ſerpens ad infirmum : contagio denique nomine peſtis indigna. Porrò contagio virtutis S. Rochi peſtis erat peſtis, quia de infirmo ad infirmum,de domo in domum, de platea in plateam, de civitate in civitatem tranſiens in momento integræ provinciæ conferebat ſanitatem, ultrà non progrediens quia nihil ſanandum reſtabat. Denique Chriſtus brachiis crucis , S. Rochus hominum lacertis in aërem elevatus. *In edito loco.* Quare?uterque ad aërem purgandum : *Ut aëris naturam purgaret.* Uterque , ut peſtis eſſet peſtis : *Ero peſtis tua, ô peſtis.*

§. VII.

HOcce malum , Chriſtiani , nobis interminatum eſt & impendet : hic juſtitiæ divinæ eſt gladius , pectoribus noſtris jam immiſſus : nec deeſt, niſi ut profundius immerganæ , & cor tangat. Noſtra nunc res agitur, (niſi eadem peccata,quæ vindictam provocant, viſum nobis eripiant) ut ſuppetente nobis tam obvio potentique remedio ipſi nobis ſuccurramus : magna fide , & fiducia, in ærumna virtuti illius atque potentiæ adeò commenſuratâ & propriâ , S. Rochi opem imploremus : vel, ne videamur ingrati , non ut ſuccurrat , ſed ſuccurrere non ceſſet, ipſum rogemus: ipſe eſt enim qui nobis ſuccurrit , nec ope ſua deeſt. Quem putatis peſtem intra Algarviæ limites continere? Quem illam ab ingreſſu Luſitaniæ arcere putatis, niſi glorioſi hujus Triumphatoris ejuſdem , regno huic adeò ſemper propitii virtutem?miſit olim Deus ignem à cœlo , qui totum Iſraëliticum populum (ob minora noſtris peccata) conſumeret , jamque ſine limite graſſabatur incendium , quatuordecim millitibus jam in cineres redactis,quando arrepto thuribulo feſtinanter Aaron accurrit, ſeque medium, teſte textu,inter vivos & mortuos conſtituens oblato incenſo, fuſaque pro populo oratione compeſcuit incendium : *Stans inter mortuos & viventes , deprecatus pro populo, & plaga ceſſavit.* Agedum , Luſitani Chriſtiani , jam ira cœli egreſſa eſt è manu Dei , prout Moyſes , hoc caſu dixit : jam ignis nos devaſtatus eſt accenſus : *Jam egreſſus eſt ira à Domino, & plaga deſavit.* Sique incendium adeò validum, viribus ſibi additis & auctis , contra naturam limitibus iſtis coercitum ulterius graſſari nequit, inde eſt, quia S. Rochus velut alter Aaron , inter mortuos & viventes ſeſe interpoſuit : *Inter mortuos & viventes.* Inter mortuos Algarviæ, & viventes Portugalliæ, orationum ſuarum incenſo hujus partis aërem purum conſervando , & ne alterius partis aëre corrumpatur infecto præſervando.

Num. 16. *v.* 48.

Ibid. v. 46.

O potens Sancte! quis ad condignè te hoc casu celebrandum, hucusque miraculi excellentiam explicandam verba mihi suppeditabit! Quænam, quæso, tanta in mundo unquam visa fuit potestas, quæ lineâ factâ aërem disterminaret, ne ex una parte ad aliam transiret? Hoc à te patratum videmus. Maximum à Jobo consideratum divinæ potentiæ miraculum fuit terminum ponere mari, dicendo usque huc venies, ulterius nequaquam progressurum: *Circumdedi illud terminis suis, & dixi, huc venies, & non procedes amplius.* Enim verò quantò magis stupendum est miraculum, eosdem aëris elemento, tanto liberiori, mutabiliori, subtiliori, tantoque magis indomito & furibundo terminos posuisse? Illum S. Rochus in præsentiarum, in confiniis Portugalliæ, injecto quasi fræno ad nutum coercet, eò usque tantum venire permittens, *Huc venies*: potenterque imperans, ut ibidem subsistens, ne passu quidem pedis progredi ausit: *Et non procedes amplius.*

Job. 38. v. 10.

Enim verò quod potenter adeò hucusque restitum fuerit, gloriose Sancte, potentiæ tuæ gloriam, consummatâ victoriâ, augebit. Hoc talis Christi imitatio, nec non miraculosi & singularis tituli (*Pestis pestis*) cum ipso participatio postulat. Agnoscimus & fatemur nos prodigiosam contagii istius suspensionem, quæ naturam transcendit, hujusce tituli debere virtuti. Scimus & videmus in confiniis Portugalliæ mortem & sanitatem acerrimè duellare: quod autem fines nostros ingressa non fuerit, nec contra nos prævaluerit pestis hominum, factum esse, quod pestem pestis favorabilem nobis habeamus. Perge igitur gloriose Victor, & mediante intercessione tua, plus coram Deo valeant afflicti populi miseriæ, quàm culparum nostrarum continuatio, quâ pœnas illis aggravamus. Potentia tua nostræ infirmitati sit adjumento? Meritorum tuorum abundantia inopiæ nostræ sit supplemento: Tua denique apud Deum gratia iteratam nostram ingratitudinem compenset. Ita confidimus, ita ab intercessionis tuæ virtute speramus. Et sicut nostræ nos culpæ tuæ fecerunt infelicitatis consortes, ita tuus nos favor, remedii istius, quod ultimatam tuam beatitudinem constituit, reddat participes, quâ felices illæ quaternæ infelicitates quater te effecêre beatum. *Beati sunt servi illi.* Amen.



SERMO

SERMO
DE
S. PETRO NOLASCO
Fundatore Ordinis S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum.

Dictus in die ejusdem Sancti, quo dedicata est Ecclesia S. Mariæ de Mercede, in Civitate S. Ludovici, in Insula Marignana in America. Exposito SS. Sacramento.

Ecce nos relinquimus omnia, & secuti sumus te : Quid ergo erit nobis? Matth. 19.

§. I.

BInæ istæ S. Petri clausulæ, relinquere & sequi, gemini virtutis sunt poli; corpus & anima sunt sanctitatis: duæ sunt partes perfectionis Evangelicæ constitutivæ. Prima, omnia relinquere ; *Ecce nos reliquimus omnia*, Secunda Christum sequit : *Et secuti sumus te*

Oculis attentis mundum arbitrando universum, quatuor in eo hominum differentias invenimus : in quibus Evangelicum illud, *relinquere* O *sequi*, variè videtur implexum. Sunt enim, qui nec relinquunt, nec sequuntur: sunt alii, qui relinquunt, nec sequuntur : dantur alii, qui sequuntur, sed non relinquunt: dantur denique, qui relinquunt & sequuntur. Non relinquere, neque sequi, est miseria : relinquere & non sequi, est infirmitas : sequi & non relinquere, est illuminatio : relinquere & sequi est perfectio. Nullum horum prædicatorum quadrat mundanis, licèt Christianis : nullus quippe relinquere & sequi profitetur. Eorundem professio est obtemperare mandatis : non autem sequi consilia Christi. Profitentes relinquere & sequi, nos tantùm sumus : quotquot Religiosorum nomine gloriamur. Porrò ut quilibet cognoscat, ad quodnam horum prædicamentorum pertineat : utrum ad prædicamentum miseriæ : infirmitatis, illuminationis, aut perfectionis,

operæ

operæ pretium erit illa declarare nomina, istas definire differentias : ut innotescat nobis, quinam isti sint miseri, isti infirmi, isti illuminati, isti denique perfecti & Sancti.

Miseri nec relinquentes, nec sequentes sunt, qui religionem tanquam aliud quodcunque officium, victûs causâ subeunt. Remanet fors adolescens quispiam Patre orbatus in mundo, novercante fortunâ inops, naturâ ad militiæ nomen dandum, animam ; ad prosequendum studia, ingenium ; ad vitam honesto aliquo exercitio transfigendam, necessarium negante talentum & solertiam. Quid fecit ? minùs rigidam ingreditur religionem, vestitur, comedit, cantat, conversatur, circuit omni solicitudine vacuus, nullius rei sibi curâ commissâ, à decimis præstandis frænoque liber : denique bonæ Religiosus vitæ, non quod illam exerceat, sed ducat. Talis neque relinquit, neque sequitur. Non reliquit : quia quod relinqueret non habuit. Non sequitur : quia non animo sequendi Christum, sed victus tantùm gratiâ venit. Infirmi relinquentes, & non sequentes, sunt illi, quos tædium aliquod : infortunium, ærumna aliqua & non vocatio ad religionem trahit. Accidit quandoque nobilem quempiam heroici animi, saucium redire provocatum ad duellum, injuriam ipsi esse illatam, quam pro voto vindicare nequit : Regem ipsi prætensionem denegâsse, & placitum, non conferre Præbendam, Cathedram, vel officium militare quod ambiebat : vel rivalem ipsi intervertere matrimonium, cui tempus, fidem & amorem impenderat. Vitæ igitur tædio victus, nec non fortunæ indignatus, stemmatis sui domo in quempiam fratrum suorum resignata, in aliquam mox religiosam familiam se recipit, mundum ad Religionem secum deferens, quem cum mœrore respicit, & non pœnitentiæ desiderio impulsus. Qui talis est, relinquit : sed non sequitur. Relinquit : quia patrimonium & facultates reliquit. Non sequitur ; quia accepta in mundo injuria potiùs, quàm Christum sequendi, ipsique ex toto corde serviendi zelus & desiderium, ipsum ad Religionem traxit. Illuminati, sequentes, & non relinquentes, sunt qui malè ab hominibus remunerati, illuminatione verâ trahuntur ad Deum. Vidistis militem veteranum, multis in bello præclarè gestis appropiante fine vitæ, annis, servitiis, vulneribusque gravem sine præmio sese considerantem. Illuminatus cognoscit, quàm ingratus & iniquus Dominus sit mundus : desiderio igitur succensus serviendi deinceps melius solventi, nec non ponendi tempus inter vitam & mortem, sago, non cilicio, Baltheo, cum fune, galeâ cum cucullo communitatis, religionem pœnitentem ingreditur. Porrò cum nullum, præterquam semetipsum habeat hostem, acriter contra illam depugnat, illum subigit, deque subacto triumphat. Hujuscemodi non relinquit : sed sequitur. Non relinquit : quia quod delinqueret non habuit, nisi chartas & literas, quas combussit, quæ semper cineres fuerunt. Sequitur ; quia jam aliam ignorat scripturam, aliudque vexillum ; quàm vocem Christi, ejusque crucem. Perfecti denique & Sancti, qui relinquunt simul & sequuntur, sunt illi, qui vocati, & ad altissimum Evangelicæ perfectionis culmen gratiâ divinâ sublimati, gloriosè S. Petrum, reliquosque

Aposto-

Apostolos imitantur, qui quicquid habuerant vel habere potuerant, amore Christi dimittentes, in omnibus, quæ vel egerunt, vel docuerunt, operati sunt aut passi, vestigiis exemploque Christi inhæserunt. Hinc S. Petrus nomine omnium, & ore sancti Petri, omnes fidenter adeò & veraciter protestantur; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

Ista quatuor hominum genera degunt in mundo, & extra mundum, in quibus illud *relinquere* & *sequi*, Evangelicum variè videtur complicatum. Ast ego, licèt inter illos videam sanctum Petrum Apostolum, non invenio neque deprehendere possum S. Petrum Nolascum. Quod illum inter miseros inventurus non essem, clarum erat; quo enim pacto in miseriæ infelicitatibus ageret Sanctus, tot naturæ dotibus, tot fortunæ favoribus cumulatus, tantus gratiæ amicus? me illum inter infirmos non reperturum, magis liquebat: quâ etenim ratione, inter infirmitatum deliquia versaretur aliquis Sanctus, tantus miles, tam generosus, tam magnanimus, tam cordatus, tam fortis, tam constans, tamque invincibilis? inter illuminatos me illum reperturum credebam, propter ingenii ipsius acumen judiciique perspicacitatem, propter discretionis vim, plurimam rerum notitiam, mundique experientiam quà pollebat. Hæc verò illuminatio, quam describimus, necessitatis & non virtutis erat fœtus, talisque infirmitas & indispositio in tam nobile excelsumque pectus non cadebat. Sed nec inter Perfectos & sanctos tantum inveniam Sanctum? Saltem S. Petro consociatum non videam unum Petrum adeò ipsi similem? Hoc mirari me facit, & oppidò admiratus fui, quatenus causam ignoro. Enimverò, quia hæc sermonis præsentis erit materia paucis eandem verbis resumam. Quamvis in reliquis omnibus, uti jam vidimus S. Petrus Nolascus tam similis sit sancto Petro Apostolo, in utroque *relinquendi* & *sequendi* puncto; magna est differentia de Petro, ad Petrum. Quare? quia sanctus Petrus Apostolus reliquit: S. Petrus Nolascus plus fecit quàm *relinquere*. S. Petrus Apostolus fuit secutus; S. Petrus Nolascus plus fecit, quàm *Sequi*. Et quomodo hoc? Plus fecit, quàm relinquere; quia professus est *mendicare*; & mendicare plus est, quàm relinquere. Fecit plus, quàm sequi; quia professus est assimilari: & assimilari, est plus quàm sequi. Hisce binis super punctis, geminum formabo discursum, quem abbreviare intendo. Auscultate, prævie mecum gratiam necessariam postulantes, Ave Maria.

§. II.

Ecce nos reliquimus omnia.

DIco primò, sanctum Petrum Nolascum plus fecisse, quàm relinquere: quia professus est mendicare. Et sic est. Professio Sancti Petri Nolasci, & S. Religionis *De Mercede*, est eleëmosynas petere, ad redimendos captivos in terris Maurorum. Porrò ipsum petere (tametsi pro captivorum redemptione non foret) est plus, quàm relinquere. Ipsum sanctum Petrum reliquosque Apostolos ad comprobandum interpello. Christus SS. Petrum & Andream vocat, qui relictâ mox navi cum retibus sequuntur: vocat Christus SS. Joannem & Jacobum, qui relictâ navi cum retibus, insuper & Patre Christum sequuntur;

tur : vocat Christus Sanctum Matthæum publicanum, qui relictis telonio, nummis, contractuum instrumentis è vestigio sequitur Christum. Idem alii præstiterunt Apostoli, quorum nemo non, nec momenti quidem temporis interpositione omnia dereliquit. Ad scholam discipulatumque Christi jam receptis transiit annus, duo, immo tres transierunt anni, nec quisquam illorum vel minimum quid tot annorum intervallo à Christo petiit : ità ut Christus ipse desuper admiratus dixerit : *Usque modò non petistis quicquam*, illos exhortando ad petendum confidenter, sub certa spe obtinendi petita. Tertiâ vice Christum suos ad postulandum excitâsse lego in Evangelio : nihilominus nihil petiisse leguntur. Christo igitur admirante quod Apostoli non petant, toties ad petendum stimulati, quare non petunt ? enimverò si ad relinquenda omnia unum Christi suffecit verbum, immò nec verbum quidem fuit necessarium (Christus enim illis non dixit, ut relinquerent ea, quæ habebant, quando ea reliquerunt) quare tot non sufficiant exhortamenta, tot admonitiones & stimulationes, tanta denique familiaritas non excitet ad petendum ? Quia tanto discrimine distant relinquere & petere. Ad relinquendum omnia instantaneus transitoriusque sufficiebat aspectus ; ad petendum quippiam, tot familiaritatis cum Christo non sufficiebant anni. Ad relinquendum, Christi opus non fuit præcepto : ad petendum, Christi non suffecit jussio ut petant.

Joan. 16. v. 24.

Clariùs id patuit in duobus illorum duodecim, qui majorem prodiderunt ambitionem. SS. Joannes & Jacobus, duas dextræ & sinistræ Cathedras prætendentes, mentem desideriumque aperire non ausi, mediatricem advocatamque interposuêre suam matrem, quæ intercedendo negotium perageret. Interrogo : Quare Discipuli tot rationibus, animati, per semetipsos illud non petierunt ? Prima sit, quod ipsi præ cæteris plus reliquerunt pro Christo : alii enim Apostoli reliquerunt retia, quod erat officium : SS. Joannes & Jacobus reliquerunt retia, quod erat officium ; & reliquerunt Patrem, quod erat amor : *Relictis retibus & Patre.* Notat Evangelista. Secunda, quod erant consanguinei Christi. Et consanguinitatis, & talis quidem consanguinitatis ipsis patrocinabatur ratio. Insuper ex tribus Christo familiatoribus discipulis erant duo, & sanctus Joannes non familiaris tantùm, verùm etiam notoriè & evidenter dilectus. Discipulorum igitur fiduciâ tot tantisque rationibus innixâ quare subterfugiunt, quare declinant, quare à Christo petere non præsumunt ? quia à nullo magis quàm à petendo abhorrent homines : tantusque hic est horror, ut eum nec sanguis temperet, nec amor frangat, nec ipsa ambitio vincat. Ad relinquendum quod reliquerunt, magnam hi bini fratres repugnantiam patiebantur naturæ ; ad relinquendum scilicet Patrem & facultates : ad petendum desiderata, fiduciam maximam suggerebat natura & gratia : consanguinitas nimirum & favor. Et quid fecerunt ? ad relinquendum obluctante quamvis naturâ, reliquerunt, ad petendum quamvis tantis suffultâ rationibus fiduciâ animati, non petierunt. Tantò major difficultas est illa petendi, quàm illa relinquendi :

Matt. 4. v. 22.

quantò

quantò minor excellentia est illa relinquendi, quàm illa petendi. Relinquere, est magnificentia; petere subjectio. Relinquere, est proprias aperire manus: petere, est osculari alienas. Relinquere est se emere, qui enim relinquit se liberat: Petere, est se vendere; qui enim petit; captivum se facit. Denique relinquere, est actio habentis: petere, est actio non habentis; tantundemque distat petere & relinquere, quantum non habere, & habere. Plùs igitur hoc casu præstitit, præcellentiúsque vestigiis Christi inhæsit S. Petrus Nolascus, quàm S. Petrus Apostolus: Quia S. Petrus Apostolus reliquit, & professus est relinquere; S. Petrus Nolascus reliquit, & professus est mendicare.

Enim verò, si mendicare; solùm quia mendicatur, magis ardua est actio quàm relinquere; mendicare ad dandum, & ad dandum in Captivorum redemptionem (quæ glorioſi hujus Mendicare finis est) quantò nobilior erit actio atque perfectio! perfectionis regula, quàm Christus futuris suis discipulis præscripsit, fuit, ut quæ habebant, vendita pauperibus erogarent: *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus.* Ab hoc exorsus sanctus Petrus Nolascus, omnes facultates, quas in mundo velut magnus Dominus possederat, vendidit, earum pretio redimendis Captivis applicato. Verùm in hocce perfectionis gradu constitutus sublimiorem profiteri decernit; videlicet ad dandum non solùm quod habebat, sed ad petendum etiam, quod non habebat, ut similiter dare posset. Omnia, quæ quis habet, dare Christus homini non mandavit, sed consuluit: verùm præter hoc, quod quis habet, dare, insuper etiam petere, quod quis non habet, ad illud etiam dandum, Christus nec mandavit, nec consuluit unquam. Petenti ut daremus, consuluit, *Qui petit à te, da ei*; Sed petere ad dandum alii, humano animo imponere non præsumpsit. Illud verò & fecit, & professus est facere S. Petrus Nolascus transcendendo seipsum & omnes, qui Deo, & pro Deo dederunt quicquid habuerunt. Dans quod habet, facultates suas dat: Mendicans, ut det, sanguinem suum dat; & quidem nobiliorem magisque sensitivum sanguinem, scilicet, qui à facie exit. Dans quod habet, vile quid & nullius pretii dare potest; dans verò quod mendicat, dare nequit aliud, quam quod carissimum sit & maximi constet: nihil enim tanti constat, quanti mendicare. Vix unquam durius prolatu verbum multa alia supprimens verba de ore egreditur, quàm illud *peto*, seu *rogo*. *Molestum verbum est, onerosum, & demisso vultu dicendum, Rogo*, ait Seneca, additque: quod nec à Diis homines petituri essent, nisi secretò hoc facerent. Certum est fuisse hominem, quem Deus ad petendum pro libitu invitavit, qui respondit: *Non petam.* Considerate, quæso, ad quid quandoque deveniant homines, ne ad petendum perveniant: & qui illud experti non estis, videbitis, quàm id caro constare oporteat. Denique antiquissima omnium Philosophorum sententia, *Nulla res carius constat, quàm quæ precibus empta est.* Expectans ad dandum, donec rogetur vendit. Dari verò sibi petens emit, & pretio carissimo. Ex quo liquidò infertur, Religiosis Redemptionis Captivorum cariùs constare redemptiones, quàm redemptos: redemptos acquirunt

Matth. 5. v. 42.

Seneca.

Isai. 7. v. 11.

Matt. 19. v. 21.

dando, redemptiones verò petendo. Ad redemptos acquirendos dant semel : ad comparandas redemptiones mendicant frequenter. Porrò si Turcæ lytrum captivorum carum præcisè decernunt, carius illud S. Petro Nolasco constitit, quia petendum mendicamendumque fuit.

Primitivæ Ecclesiæ fidelibus, persecutione, post mortem S. Stephani Jerosolymis in eos excitatâ, omnibus suis facultatibus spoliatis, S. Paulus discipulum suum Titum ablegavit Corinthum à fidelibus opulentissimæ illum civitatis incolis eleëmosynas collectum (postmodum Collectas dictas) quibus spoliatorum in Jerusalem inopiæ succurretur. Exhortatus igitur Corinthios, ut in tantæ pietatis opere Titum adjuvarent, Apostolus exemplum Christi imitandum proponit, admirabile pro intento suo, & admirabile pro nostro. Ait igitur: *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum dives esset, ut illius inopia vos divites essetis.* Originale Græcum in quo epistola illa fuit conscripta, significantiùs & nervosiùs, loco, *egenus factus est*, habet, *mendicavit.* Et Apostolus vult dicere. Ut intelligatis, O Corinthii, quàm gratæ Deo futuræ sint eleëmosynæ, quas collectum Titus venit, memores estote exhibitæ nobis à Christo gratiæ, dum amore nostri ipse mendicavit; ut nos divites essemus.

2. *Cor.* 8. *v.* 9.

Ita Suar. ex versione S. Basil. Corn. ex versione

Hoc posito, quæstio agitatur inter Theologos, utrum Christus adeò fuerit inops, ut opus ipsi fuerit mendicare. Et videtur quod non : siquidem usque ad trigesimum ætatis annum ex artificio Josephi, propriarumque manuum labore vitam sustentabat. Prædicationem jam publicè auspicato, absque mendicandi necessitate ex devotarum fœminarum largissimis eleëmosynis, quibus totum Apostolorum sustentabatur collegium, tantum suppetebat pro victu, ut & aliis simul pauperibus, immò ipsius Judæ concupiscentiæ sufficeret : quod ex Evangelio patet. Quæ multorum graviumque authorum est opinio. Nihilosecius autumant alii probabilius, Christum verè mendicasse non quidem semper, aliquoties tamen : quod isto psalmi loco probatum eunt : *Ego autem mendicus sum & pauper* : Et supra citato S. Pauli textu. Sed enim, sive Christus hoc modo mendicaverit, sive non : Cum Apostolus eum mendicasse asserat, ut sua mendicatione & paupertate Corinthios ditaret, & omnes homines, *mendicavit, ut ejus inopia divites essetis* : hinc patet non illum esse gravium istorum verborum sensum : sed alium magis universalem atque sublimem. Qualis igitur illa fuit mendicatio, quæve summa emendicata, quâ Dei filius sibi eligendo paupertatem nos divites effecit? S. Gregor. Nazianzenus & S. Chrysostomus præstantiora duo Theologiæ & eloquentiæ græcæ lumina, propterea que vim & significationem textus in sua lingua conscripti melius penetrare valentes, S. Paulum de sublimissimo redemptionis mysterio locutum fuisse affirmat; summamque collectam, quâ nos Dei filius ditavit, carnem fuisse & sanguinem; quæ à natura humana mendicavit : & in cruce vice lytri pro generis humani redemptione obtulit. *Nostræ salutis causa eò paupertatis devenit, ut corpus etiam acceperit* : ait Nazianzenus. Et significantiùs S. Chrysostomus : *Ut ejus paupertate ditescere-mus.*

Eraſmi D. Tho. p. 3. q. 40.

Nazian.

S. Chryſoſt.

mus. Quâ paupertate, quia assumpsit carnem, & factus est homo, & passus ea, quæ passus. Nunc attendite,

Ex Adæ peccato genus humanum captivum tenebatur & egenum. Quâ captivum gemebat captivitate pressum : quâ egenum redemptioni necessario carebat lytro. Quoniam verò divina justitia infra unigeniti sui filii sanguinis pretium non taxaverat lytrum, ecquid immensa hujus Domini charitas fecit ? Hic locum invenit, *Mendicavit.* Cum non haberet, nec habere posset qua Deus, taxatum pro redemptione, lytrum, carnem & sanguinem à natura mendicavit humana, quæ naturæ suæ univit divinæ. Et hoc pacto, uti subtiliter inquit Apostolus, nos qui captivi eramus & egeni, mendicatione Christi & inopiâ divites evasimus : *Ut ejus inopiâ divites essetis.* Ille quippe inopis adinstar mendicando acquisivit ut Redemptor esset : & nos mendicati illius lytri beneficio habemus, quod redempti simus. Ita ut in opere redemptionis (quod maximum divinæ charitatis argumentum) Deo non sufficerit nobis impendere quod habebat; sed mendicare insuper voluerit quod non habebat, ut idem nobis impenderet. Dedit divinitatem, dedit attributa, dedit personam, quæ habebat; carnem verò & sanguinem, quæ non habebat, mendicavit, ut in redemptionis pretium offerret. Et istud dicit S. Paulus : *Propter vos mendicavit, ut ejus inopia divites essetis.* Istud verò præ omnibus notatu dignissimum videtur, quod istam redemptionis nostræ pretium mendicandi circumstantiam Apostolus gratiam, nec non beneficii redemptionis excellentiam appellavit : *Scitis gratiam Domini nostri Jesu Christi quoniam mendicavit* : quasi magis censendus filius Dei, Redemptor ex circumstantia, quàm ex opere : & mendicando potius, quàm redimendo. Redimendis nobis divinæ ipsius sapientiæ modi mediaque suppetebant : sed non nisi sanguinis sui pretio, id peragi voluit. Porrò cum pretium illud ex se valoris esset infiniti, ut duplici titulo foret pretiosum, voluit ut infinito adderetur mendicatum ; *Mendicavit.* Adeò glorioſus & heroicus est actus, mendicare ad redimendum ! Et hoc attendit suoque comprobavit instituto S. Petrus Nolascus. Ordinavit ut filii sui profiterentur paupertatem captivorumque redemptionem. Quo fine ? ut ex voto paupertatis relinquerent omnia quæ habebant, quod fecit S. Petrus : & ex voto redemptionis mendicarent quæ non haberent ; quod fecit filius Dei.

Verùm, ne suo nobis desit exemplo, quomodo suâ nobis adest præsentiâ in Sacramento : & divinum Sacramentum ultima glorioſæ hujus excellentiæ confirmatoria sit clausula. De diviniſſimo hoc, aliisque similiter Sacramentis Tertullianus loquitur profundè : *In Sacramentis suis egens mendicitatibus Creatoris, nec aquam reprobavit qua suos abluit : nec oleum, quo suos ungit : nec panem, quo ipsum suum corpus repræsentat.* In nullo se Christus liberaliorem ostendit, quàm in suis Sacramentis : & præ cæteris, in omnium maximo ; ubi continuò præsens gratiæ suæ erogat thesauros, redemptioniſque suæ applicat effectus. Quoniam verò modo Christus istas suas exercet liberalitates ? Hic Tertulliani profunditas locum accipit. Christus liberalitates istas velut redemptor Tertull.

erogat, primo pro illis eleëmosynam petendo, & à semetipso tanquam Creatore illam mendicando : *In Sacramentis suis egens mendicitatibus Creatoris.* Deus Redemptor in Sacramentis, fit mendicus Dei Creatoris: usque in Baptismo redemptionem nobis impertiat, prius aquæ eleëmosynam petit : *Aquam, qua suos abluit.* Ut unctione nobis Redemptionem applicet, primò, olei eleëmosynam mendicat : *Oleum quos suos ungit* Ut redemptionem in SS. Eucharistia nobis conferat, primò panem mendicat : *Panem quo corpus suum repræsentat.* Ita ut tam glorioſum, tam sublime, tam gratum ac meritorium opus sit coram Deo, mendicare ad redimendum : ut cum Deus non haberet, à quo peteret, nec à quo acciperet, distinctionem de se, ad seipsum fecerit. De se, quatenus Redemptor: ad se ipsum, quatenus Creator. Et primò, pauperis adinstar medicando à natura, liberalitates istas, & liberationes gratiæ impertiit velut Redemptor: *In Sacramentis suis egeno mendicitatibus Creatoris.* Proinde, si petere, quia petitur, tam est glorioſum ; & petere ad redimendum tantò glorioſius : sine injuria Petri unius & sine adulationis nota, respectu alterius, repetere concludereque licet : S. Petrum Nolascum multò plus præstitisse mendicando, quàm S. Petrum Apostolum relinquendo : *Ecce nos reliquimus omnia.*

§. III.

EX hac prima Sancti Petri Nolasci cum sancto Petro Apostolo collati prærogativa, alia non minor S. Religionis de Mercede, non cum Religionibus aliis (uti postea faciemus) sed cum semetipsâ collatæ consequitur prærogativa. Et quænam illa ? Quod liberaliſſimo hoc petendi, & glorioſiſſimo hoc mendicandi modo Religioſi de Mercede, majores intentione & opinione sua evaserint Redemptores. Non enim captivorum tantùm in terris infidelium, verùm etiam in terris fidelium seu Christianorum degentium, non solùm in Africa, sed etiam in Europa, Asia & America liberatorum Redemptores exiſtunt. Et quomodo hoc ? dicam. Nunquid S. hujus instituti Professores, in omnibus Christianorum terris eleëmosynas colligunt, ut redemptum pergant in terras infidelium ? immò verò. In terris ergò infidelium sunt Redemptores per lytra quæ pendunt : in terris fidelium seu Christianorum sunt Redemptores per eleëmosynas, quas colligunt : ele mosyna enim tanti valoris est apud Deum, ut quasi secunda sit peccati Redemptio. Quod sic Nabuchodonosori, Daniel prædicavit, consulens, ut tam graviter offenso Deo, peccata sua eleëmosynis redimeret : *Peccata tua eleemosynis redime.* *Dan. 4. v. 24.* In captivitate peccati, captivi catenis duabus, alterâ culpæ, alterâ pœnæ tenentur astricti : porrò talis eleëmosynæ est efficacia ; ut non solum velut opus pœnale & satisfactorium, quale est, redimat & liberet à catena pœnæ : Verùm etiam à catena culpæ : vel formaliter, ritè procedens cum actu charitatis conjuncta : vel ad minus dispositivè ; quia inter omnia hominum opera, illa vel maximè divinam misericordiam, ad impertiendam peccatorum remissionem disponit. Sic docet Theologia, & omnes post Danielem prædicant Patres. Et sicuti à captivitate peccati, eleëmosyna amore Dei data

data redimit dantem; & hisce amore Dei mendicatis, Religiosi S. Ordinis de Mercede, suas exequuntur Redemptiones; Sic iisdem mediantibus duplices fiunt Redemptores. Redemptores eorum pro quibus dant: eorumque à quibus petunt. Redemptores eorum pro quibus illas dant; qui sunt Christiani in Barbaria, quos ab infidelium vinculis & captivitate liberant: Redemptoresque eorum à quibus illas petunt: qui sunt fideles ex omnibus mundi partibus; quos eleëmosynarum suarum medio à captivitate peccati absolvunt: *Peccata tua eleëmosynis redime.*

Verùm notâ consideratione q; dignissimum est, quod redemptiones istæ secundæ eleëmosynarum, quæ petuntur, multò frequentiores sint redemptionibus primis, quæ dantur. Sicut enim eleëmosyna misericordiam respicit Dei; redemptio avaritiam respicit Barbari: unâ tantùm eleëmosyna, pro redemptione unius scilicet dantis sufficiente, necesse est pro liberatione unius à vinculis Barbari colligi multas. Et consequenter paucis liberatis multi milleni sunt redempti. Liberati enim tantum sunt, pro quibus lytrum est datum: redempti verò, quotquot rogati eleëmosynas sunt elargiti. Non obstat, valorem & meritum eleëmosynarum esse illas dantium, quò minùs & procurantes & mendicantes illas (ut dixi) eorum sint redemptores. Quidam redemptor priùs captivus sententiam confirmabit. Joseph ipsam Ægyptiam confirmabit. Joseph ipsam Ægyptum, nec non eos, quibus ab Ægypto succurrebatur à fame liberando, celebri hac jam actione, Ægypti, mundique redemptoris sibi nomen comparavit: *Vocavit eum linguâ Ægyptiacâ Salvatorem mundi.* Examinato verò redemptionis istius modo in sacro Textu invenimus, extraneos æquè ac indigenas triticum sibi pretio pecuniâque comparâsse. Si igitur æquè ac illi non gratis, sed pecuniâ à famis sævitie vitam redimebant, quo pacto non illi, sed Joseph redemptor appellatur? Quia licet illi concurrerent pretio, industriæ illius invento ac solicitudo Josepho debebatur. Illi redimebantur à semetipsis, quilibet eo, quod dabat: & Joseph redemit omnes eo, quod recipiebat, non pro se, sed ut aliis daret. Proinde dupliciter redemptor, non Ægypti solius, sed etiam mundi: *Salvatorem mundi.* O familia sacra, semper totque modis redemptrix! Redemptores semper magni, semperque glorioси! magni & glorioси redemptores, quando datis quod mendicastis: & majores glorioсiores que redemptores, quando mendicastis, quod daturi estis. Ut etiam in vobis, ut in initiatore vestro appareat, quod plus faciatis vos Apostoli secundi omnes mendicando, quàm fecerunt primi, omnia relinquendo. *Ecce nos reliquimus omnia.*

Gen. 41. v. 45.

§ IV.

Et secuti sumus te.

SAnctus Petrus Apostolus secutus est Christum: & ego dico, plus quàm sequi, fecisse sanctum Petrum Nolascum: quia professus fuit assimilari. Ita fuit. Professio quam fecit S. Petrus Nolascus, quamque similiter sancti instituti ipsius faciunt alumni, est, in terris Maurorum redimere captivos: non solùm ad illos libertati pristinæ restituendos: verùm etiam

etiam à discrimine fidem amittendi eximendos. Ita ut faciendo unum, aliud principaliter intendant. Opus ipsorum est, liberare corpora, primaria verò illorum intentio est, salvare animas. Istud S. Petrus Nolascus est professus; in hoc (ut dixi) non solùm quàm proximè vestigiis inhæsit Christi : *Et secuti sumus te*, sed etiam modo possibili eadem expressit. Dico, modo possibili : iste etenim imitationes seu similitudines, semper cum aliqua differentia suprema & infinita, quæ inter Dei filium, Deique purum servum intercedit, veniunt intelligendæ. Ad illas nunc accedamus.

Christus de portentosis extremum judicii diem præcessuris signis loquens ait : ubi illa viderimus, animum spemque de redemptionis propinquitate concipiamus : *respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Benè prænoniti sumus de futuro ! Ego putabam, & adhuc puto, nec solùm puto, sed credo de fide, jam à mille sexcentis & quinquaginta annis redemptionem venisse in mundum : primoque Christi in mundum adventu omnes, mediante sanguinis ipsius pretio, fuisse redemptos. Mundo igitur jam redempto, ipsaque redemptione tot centenis jam annis præteritâ, quomodo Christus inquit, quod visis præviis extremo judicio signis, redemptionem nostram appropinquasse sciemus? dubium est bonum, neque minus bona erit resolutio : literalis enim est & vera. Attendite.

Luc. 21. v. 28.

Genus humanum inobedientiâ Adami in geminam incidit captivitatem : peccati scilicet & mortis. Captivitas peccati respicit animam : captivitas mortis respicit corpus. Ex quo sequitur, quod, sicut duæ sunt captivitates, duæ quoque nostræ debeant esse redemptiones. Una, quâ animæ nostræ à captivitate liberentur peccati : altera, quâ corpus nostrum à captivitate redimatur mortis. Redemptio prima jam est peracta, quæ est præterita, quam Christus perfecit, cùm animas nostras suo sanguine redemit. Secunda adhuc restat peragenda, quæ est futura : quam idem Christus exequetur, quando omnipotentiâ suâ corpora nostra resuscitabit. *Ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei expectantes, redemptionem corporis nostri*, ait sanctus Paulus : Porrò quia ista secunda redemptionis nostræ pars adhuc peragenda restat, corporibus nondum à sua captivitate redemptis, posito animas jam esse in cœlo. Hinc Christus absolutè in die judicii venturam esse redemptionem asserit. Quia redemptio integra & perfecta, Christoque perfecti & consummati Redemptoris nomen concilians, non solùm animarum aut corporum, sed utrorumque simul est redemptio.

Rom. 8. v. 23.

Si verò id aliter se habere putatis : in primo actu seu effectu Redemptoris Christi id considerate. Instans, in quo Christus mundi Redemptor est factus, est momentum, quo Christus in cruce expiravit. Quid verò tunc accidit? Eodem momento Christus ad limbi carceres descendit, ut detentas ibidem animas liberaret : & quo tempore inferiùs animarum claustra reserabantur, hîc superiùs similiter corporum carceres aperiebantur : *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt*, inquit Sanctus Matthæus. Notate. Non dicit, multi homines; nec, multi Sancti; sed multa corpora, referendo

Mat. 27. v. 52.

rendo ad animas limbi. Ex carceribus limbi exierunt animæ ; & ex carceribus sepulchrorum prodierunt corpora : eodem enim momento, quo Christus animas liberavit à captivitate peccati, etiam corpora à captivitate mortis voluit esse liberata : ut non dimidiatam, sed integram perfecti absolutique Redemptoris tituli acciperet possessionem, non animarum solùm, aut corporum solùm, sed utrorumque simul Redemptor.

Talis fuit & esse debuit consummata redemptio Christi : & talis est semperque fuit redemptio, quam insignis Christi imitator S. Petrus Nolascus, cum omnibus S. Ordinis sui Religiosis professus est. Perfecti consummatique redemptores : quia & corporum & animarum sunt redemptores. Vulgus errat opinando, S. Religionis hujus institutum non aliud spectare, quàm corporale illud misericordiæ opus, quod in captivorum redemptione consistit : cum non corporale solum, verum etiam spirituale existat. Corporale : quia liberat corpora à captivitate infidelium. Spirituale : quia ab infidelitatis captivitate liberat animas. Excellentissimum illud misericordiæ opus, duo maxima præsentis futuræque vitæ bona & mala includit. Maximum præsentis vitæ malum, est captivitas ; & futuræ vitæ maximum malum est damnatio. Porrò à geminis hisce malis, redemptores isti captivos liberant, è terris infidelium eos educendo. Maximum è contrario hujus vitæ bonum, est libertas ; futuræque vitæ maximum bonum, est salvatio. Porrò geminum hoc bonum redemptores isti captivis suis conferunt, Christianorum terris illos restituendo. Propter bonum malumque vitæ hujus, corporum sunt redemptores ; propter bonum malumque vitæ futuræ animarum sunt redemptores : & propter utramque hominis totius ex anima corporeque compositi redemptionem, redemptores sunt qualis fuit Christus.

Enim verò dubio vacat, illud quod in Barbaria venditur & solvitur, quod ex ergastulis educitur, quod ferro exoneratur, quod à catenis liberatur, esse corpora : quod verò principaliter emitur & acquiritur, quod principaliter redimitur, quod primariò à captivitate liberari intenditur, esse animas Animæ & corpora redimuntur ; animæ & corpora liberantur : sed animæ sui ipsarum, corpora verò amore redimuntur animarum. Negotiatorum horum cœlestium contractus persimiles sunt fortunati negotiatoris illius Evangelici contractibus. Iste, invento alieno in agro thesauro, quid facit? *Vadit, & vendit omnia quæ habet, & emit agrum illum.* Non considero totum illud pretii : jam etenim dictum est, prodigos illos negotiatores plus dare quàm totum. Emptor ille Evangelicus dedit totum quod habebat, *omnia quæ habet* ; sed non petiit : Nostri dant quod habent, & insuper, quod petunt. Quid venditum, quidve comparatum fuerit aut emptum, tantùm expendo : quod consideratione diversa factum videtur. Venditor vendidit agrum ; emptorque similiter emit agrum : verùm non agri, sed thesauri agrum emit amore. Ita se res habet hoc casu. Barbarus vendit corpus quod tenet captivum ; redemptorque similiter emit corpus, sed emit corpus principaliter non corporis, sed animæ amore. Scias velim, utinam esse thesaurum,

Matt. 13 v. 1.

rum, corpus verò esse agrum : emitque Redemptor terram seu agrum amore thesauri. Emit terram seu agrum, ne in eo zizania seminet infidelis : ne cum zizaniis simul ager & thesaurus comburatur. Ita negotiator fecit Evangelicus. Quis verò ille erat, aut quem significabat ? *Quem qui invenit homo*, erat, significabatque illum, qui cum Deus esset, homo factus est, ut homines redimendo, hominum redemptor esset. Supremum hunc redemptorem redemptores nostri proximè imitantur ; tamque ordinatè bini & bini comitantur (quamvis reverentialiter) ut clarè peteat, intentum ipsorum esse, assimilari potius, quam sequi, *Et secuti sumus te*.

Porrò ut glorioſa illa assimilatio, non in objectis solùm intentionis, verùm etiam in modo modisve redimendi eluceſcat; singulariter consideranda venit differentia, quam redemptores isti in corporum animarumque redemptione observant. Corpora redimunt jam captiva: animas verò prius quàm captiventur. Corpora libertate jam perditâ : animas verò, antequam, & ne fidem perdant. Ita ut corporum redemptio, sit medela : animarum verò redemptio, sit præservativa : qui alius est redimendi modus perfectior atque sublimior, quo similiter (quamvis semel duntaxat) Christus fuit usus. In quæstionem vocant Theologi, utrum Christus etiam matris suæ fuerit redemptor? ratio dubitandi est, quia redimere, est à captivitate liberare. Beatissima Virgo sine peccato originali concepta, nunquam peccati fuit captiva: ergo si non fuit captiva, nec redimi poterat, nec liberari & per consequens Christus esse non potuit ejus redemptor. Nihilo secius de fide est, Christum matris suæ fuisse redemptorem, nec solùm quocunque, sed multò perfectiore modo, quàm cæterarum creaturarum fuisse redemptorem. Alios quippe redemit posteà : Matrem suam redemit ante. Alios redemit jam peccati captivos : Matrem suam necdum captivam, & ne talis fieret, præservando. Et secundus hic redimendi modus sublimissimus est & perfectissimus. Sic Christus redemptor fuit suæ matris : eodemque modo isti ejusdem matris filii redemptores existunt animarum, quas cum corporibus liberant. Sunt redemptores corporum simul & animarum ; sed differentia notabili : Corpora redimunt, animas præservant. Corpora liberant à captivitate : animas à periculo. Corpora à magna liberant miseria : animas à majoris miseriæ occasione : Corpora liberant ab infidelium potestate, in qua jam sunt constituta : animas liberant ab infidelitatis potestate, non jam tum illi subditas, sed ne in eam deveniant. Et hæc est glorioſa illustrissimæ Religionis illius prærogativa præ cæteris, quæ in salvandis animabus occupatur. Aliæ Religiones laborant, ut infideles conversos ad Christianismum traducant : illa facit, ne fideles ad infidelitatem transeant. Aliæ animas retrahunt à peccato : illa retrahit à tentatione. Aliæ efficiunt, ut in Christum credatur : hæc verò, ne Christus abnegetur. Aliæ dirigunt Zachæum, ut fiat discipulus : hæc Judam sustentat, ne apostata fiat. Aliæ denique Religiones tractant animas, sicut Christus universaliter redemit omnes : hæc universaliter tractat omnes, sicut Christus peculiariter illam suæ Matris redemit. Ecce nunc, an sequantur, vel assimilentur.

Ve-

Verùm enimverò, maxima, ad dicendum, in hoc casu, excellentia restat. Præter tria essentialia omnibus Religionibus communia vota, S. Petrus Nolascus cunctique ejusdem Professionis filii quartum addunt votum, tanquam captivos se tradendi in manus Turcarum, toties quoties ibidem anima de fide periclitabitur, nec aliud suppetet medium, semetipsos in lytri pignus tradentes. Quænam hominum facundia, divini hujusce voti nobilitatem explicare sufficiat! Quodve exemplum in hominibus inveniri poterit, illud excellentiâ & charitate exæquans! maximum quidem, in hac materia, quod in scripturis reperio, vir ille secundùm cor Dei, David de se præbet exemplum, multis nihilominus parasangis ab eo distans. David à facie Saulis vitæ suæ insidiantis profugus, cum asseclis suis in terra Moabitarum commorabatur. Ecce die quodam cum suis terrâ illâ egressus venit in Judæam ditionis ejusdem Saulis Regis, Hoc casu, nisi David Prophetam Gad prævièconsuluisset, uti consuluerat, nemo non actum illum præcipitem & temerarium, omnibusque hominum, sive sanæ, sive insanæmentis ausibus inconsiderationem judicaret. Quod Nicolaus de Lyra meritò admirans ait: David de terra in terram fugiens, in terris exemptis agit securus, & in terra sui hostis capitalis, hostisque adeò infensi & inexorabilis, uti Saul erat, qui bina vice eum lanceâ ad parietem confodere fuerat nisus, commoratur? ità planè, citatus inquit Lyranus, rationem adjungens: *Ne viri qui erant cum David declinarent ad idololatriam, si diu manerent in terra idololatria subdita.* Terra Moabitarum erat regio idololatrarum: comites Davidis parum stabiles in fide: infidelitatis & ad idololatriam proclivitatis non obscura dabant argumenta. Heu! inquit David non fiet ita: exeant illi de terra ubi fides ipsorum periclitatur: & me in terra capitalis mei hostis discrimini expositum esse quid refert? ita magnus ille Davidis spiritus fecit: sed quamvis discrimini se exposuit, non tradidit. Instituti hujus professores non solùm sese exponunt, verùm etiam se tradunt. Deficiente auro & argento, quo captivos redimere possint, suo illos ferro redimunt, transferentes catenas de manibus eorum ad manus suas; compedes eorum ad pedes suos, semetipsos in mancipium tradentes Turcis; ne vel unica anima mancipium diaboli fiat. Similem huic actum de sancto Paulino Episcopo Nolano celebrat Ecclesia. Hic cum non haberet, quo captivum viduæ filium redimeret, semetipsum vendens pro eo captivum se tradidit. Hoc sanctus Paulinus fecit: sed attendite & videte ubi. In Nola. Inde nunc radices charitatis Nolasci. In sancto Paulino Nolano seminata; in sancto Petro Nolasco nata: in gloriosis ipsius filiis adulta floreścit. Multi eam hodie exercent in Barbaria; omnesque in quacunque mundi parte eam exercere sunt parati: quia omnes ad id voto sunt obligati.

Nic. Lyran.

Ita se res habet. Ubinam verò in Christo excellentiæ hujus similitudinem habemus, ad quod docendum præsentis discursus ratio me constringit: Christus tanquam Redemptor perfectus nos redemit: nunquam tamen se apprehendit, captivavit, aut in carcerem misit pro redemptione nostra. Quid

foret, Domine Jesu Christe, nisi in ista custodia Sacramentali præsens esses ? Christum pro nobis se comprehendisse, se captivâsse, se in carcerem misisse affirmo. Ista custodia est carcer, ista accidentia sunt catenæ, istud Sacramentum firmum est ergastulum, in quo piissimus Redemptor se captivari, se alligari, & incarcerati permisit: ut nostras animas liberaret. Christus in die judicii suos ad regnum cœleste invitaturus, singularis servitii loco, pro tanti merito præmii recensebit : *In carcere eram, & venistis ad me.* Non est necesse nos dubium ponere, quod verba secum vehunt : ipsi quippe accepto jam præmio beati illud ponent. *Domine, quando te vidimus in carcere, & venimus ad te?* evolutis omnibus quatuor Evangelistis, non invenietur Christus aliquando incarceratus fuisse. Porrò si certum est, Christum alicubi incarceratum fuisse, (cum ille ipse hoc dicat) dicat mihi quispiam, ubinam? Sanctus Bonaventura hoc dixit, & affirmat quod in sanctissimo Sacramento : *Ecce, quem totus mundus capere non potest, captivus noster est* ! Nonne videtis, quomodo illum claudunt, quomodo includunt; quomodo illum de una parte ad alteram semper captivum ad motum nutumque accidentium deducunt? si minùs, dicite, quare sacram istam pyramidem, in qua sanctissimum Sacramentum asservatur, Ecclesia custodiam appellavit ? Quia custodia idem quod carcer significat. Ita illam non solùm tam Græcæ, quàm Latinæ linguæ authores, sed ipsi etiam Evangelistæ nominant. Sanctus Lucas Evangelista narrans, quod Apostolos comprehensos in carcerem publicum conjecerint, carcerem custodiam appellat : *Injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica* : Similiter iste Dominus expositus in carcere publico : clausus in carcere secreto : sed semper incarceratus; semper captus : & semper noster captivus : *captivus noster est.* Quia verò eò devenit Christus, ut caperetur, & pro animarum nostrarum remedio captivus duceretur : glorioſos hosce amoris ipsius passuum æmulatores similiter pro illis captivari, captivosque circumduci oportebat. Christus captivus voluntariè, illi captivi voluntariè. Christus, pro animarum remedio : illi similiter. Christus, velut Redemptor : illi velut redemptores; illi concomitando Nolascum: Nolascus imitando assimilatus Christo; cui se assimilaturus hic magnus venerat Petrus, quando aliter, plus quàm magnus multum fecit illum sequendo : *Et secuti sumus te,*

Matt. 25. v. 36.

Ibid. v. 39.

S. Bonav.

Actor. 5. v. 18.

§. V.

EX hac secunda sancti Petri Nolasci circa sanctum Petrum Apostolum prærogativa, alia non inferior, S. Religioni de Mercede, non jam secum ipsa, sed cum aliis religionibus collatæ prærogativa accedit. Et quænam ista? quod ob perfectionem, & quarti hujus voti præstantiam (aliquid adhuc amplius dicere, præsumptio non est) Religio ista religiosissima cæteras omnes Ecclesiæ Religiones longo post se intervallo relinquat. Quam non meam, neque privati cujusdam opinionem, sed supremi illius oraculi esse, quod solùm omnium veritatem authoritativè qualificat, propositionis fiducia demonstrat. Quod clarioribus significantioribusque verbis

Ca-

Callxtus VIII. affirmare nequivit quàm his: *Ratione quarti voti, pro redimendis captivis; quo se pignus esse captivorum Fratres hujus instituti promittunt, meritò potest Ordo aliis Ordinibus c lsior & perfectior judicari.* Patienter feramus: Religiones aliæ: Ita enim dixit Pontifex summus. Quando Calixtus illud scripsit, quod factum est anno 1466. Societas JESU, aliaque recentiora Religiosorum instituta fuerunt exclusa. Sed anno 1628. Urbanus VIII. idem elogium S. Religionis de Mercede, quando Religiosa omnia instituta, nullo excepto, iisdem connumerabantur, repetendo confirmavit. Et Papa Martinus V. propter altissimam voti istius perfectionem, omnium aliarum Religionum professos ad illam de Mercede posse transire, Professos verò dictæ Religionis, ad alias tanquam minùs rigidas transire non posse declarat. Tantum semper pondus habuit in Summorum Pontificum judicio, notabilis illa obligatio! tantumque est, ad solvendos alios ligare se ipsum: & ad liberandos alios captivare seipsum. In hac verò prærogativa, quam agnoverunt confirmâruntque Pontifices, injuriam nullam aut gravamen aliis Religiosis intulerunt institutis. Quid enim magnum, quod in isto suo voto nos excedat Religio sic assimilata Christo? quod ipsa ejusdem institutio innuit, quamvis gloriosæ humilitatis verbis: *Exemplo Domini nostri JESU Christi, qui semetipsum dedit pro nobis, ut nos à potestate dæmonis liberaret.* Quia verò summorum Pontificum verba, sunt voces de ore sancti Petri, excellentias easdem & prærogativas, quas omnes agnoscunt & huic instituto sancto concedunt, etiam S. Petrus concedit & confitetur. Concedit & confitetur Sanctus Petrus excellentissimum hoc institutum omnibus aliis supereminere institutis. Concedit & confitetur sanctus Petrus illustrissimum ejusdem initiatorem fuisse primum maximumque illius exemplar. Concedit & confitetur sanctus Petrus, se nominis ejus glorias non multiplicatas solùm, sed amplificatas etiam & auctas videre. Denique concedit & confitetur sanctus Petrus, se in materia sequendi, uti etiam relinquendi ab alio Petro victum. Ab alio Petro: nam cum S. Petrus reliquisset omnia, ille plus fecit, quàm relinquere, Ab alio Petro: nam cum S. Petrus secutus fuisset Christum, ille plus fecit, quàm sequi. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.*

§. VI.

ABsolvi sermonum succinctum respectu ejus, quod dici potuisset: quamvis prolixum, respectu temporis quod ei determinaveram. Porrò si devotio & patientia vestra nondum fatigata de consequentia seu consequentiis totiusme interroget: concludendo cum sancto Petro: *Quid ergo erit nobis?* consequentia sit totius. Ut congratulemur omnes Beatissimæ Mariæ de Mercede, propter gloriam, quæ hinc ipsam, nobis verò ipsis, propter commoda & utilitates, quæ nos omnes in hujus operis, & hujus diei dedicatione expectant.

Cum sacrum illud Institutum tam excellens sit inter omnia & pro tanta Dei gloria, universalique mundi bono, & velut secunda Redemptio: non summopere miror, quod ipsa Angelorum Regina (singulari hujus instituti privilegio) fundatrix ejus esse decreverit;

& ad idem revelandum, animosque eorum, quos prima operis tanti instrumenta destinaverat, excitandos, in propria persona de cœlo descenderit. Res notatu digna, eadem nocte Beatissimam Virginem Mariam apparuisse primò Sancto Petro Nolasco, mox Domino Jacobo Aragoniæ Regi, mox S. Raymundo Pennaforte ex S. Ordine Prædicatorum, cuilibet in particulari novum Ordinem revelando, quem in mundo, sub nomine patrocinioque suo fundare intenderet: ut omnes tres hanc sibi factam revelationem concorditer referentes, de veritate minimè hæsitantes, eam quantocyus executioni mandarent; veluti etiam executi sunt, quæ à Beatissima Virgine Maria in mandatis acceperant. Quorum primus S. Petrus Nolascus habitu assumpto in eo professionem emisit. Christus Dominus noster die resurrectionis suæ, si bene observaverimus, triplicis diversi generis hominibus apparuit. Apparuit Mariis: apparuit Apostolis: apparuit in Emmaus euntibus discipulis. Ad quid tanta festinatio, tanta solicitudo, tot apparitiones, omnesque in eodem, & tali die? Ita fieri oportebat: siquidem gravitas, pondusque negotii id exigebat. Omnis nostræ fidei spesque fundamentum, resurrectionis est mysterium. *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra*, inquit S. Paulus. Proinde quia non minùs ad Christum & mundum mysterii illius fides pertinet, quàm ad totale Ecclesiæ fundamentum & stabilimentum: hinc illa festinatio, illa solicitudo, hinc triplex illa eodem die, diversisque personis & locis facta apparitio. Sic filius: sic mater. Quod Christus ad suam fundandam fecit Ecclesiam: idem Mater ejus Beatissima Virgo Maria ad suam fundandam fecit Religionem. Eadem nocte tendit ad aulam Regi locutura Jacobo; ad Conventum pergit Prædicatorum locutura Raymundo: eâdem denique ædes adit privati locutura Sancto Petro Nolasco. Ergo Angelorum Regina, mundi Domina, eadem die (& quod plus est) eadem nocte, Regum palatia, Religiosorum Conventus, ædes denique pervagatur privatorum? omninò. Tanti momenti negotium est, quod ipsam traxit in terram. Ordinem de Mercede fundare parat solicitatrix facta mercedum, non quas sperat, sed quas impertiri desiderat. Porrò si suprema hæc regina tantum suæ in mundo fundandæ Religioni curam impendit, quantâ hodie gloriâ gaudebit in cœlis, ubi se cum nova hac domo, in hac insula & statu, & cum instituto suo quadringentis ante annis in Lusitaniam introducto, contemplatur? Notet hoc obiter Insula Maragnana, valde deprædicet, singulariterque sibi de hac gratuletur prærogativa, quæ ipsi peculiariter præ omnibus Regni hujus conquisitis obtigit. Omnes conquisitionum nostrarum status in Africa, in America, in Asia è Portugallia Religiones acceperunt, quibus condecorantur & proteguntur: Solus status Maragnanus novam Religionem dare potest Portugalliæ, cui illam dedit de Mercede. Hic cæpit, & hinc prodiit, & jam incipit habere ibi Domum. Placeatque eidem Beatissimæ Virgini Mariæ, ut brevi Conventus habeat & Provinciam.

1. Cor. 15. v. 17.

Sed revertendo ad Domum hanc, quam hodie consecramus Beatissimæ V. Mariæ de Mercede; non filiis hujus Dominæ, de tanta & tali Matre (cum privile-

vilegium istud sit perantiquum) sed ipsi B. V. Mariæ de talibus congratulabor filii, qui tam paucis manibus effecerunt tantum : filiis, qui tam exiguâ summâ tantas fecere expensas : filiis, qui tempore tam modico absolverunt tantum : filiis denique, qui domum non habentes pro se, construxerunt domum suæ Matri. Nescio, utrum potissimam architecturæ hujus Ecclesiæ notetis excellentiam. Hæc est quod non correspondeat tuguriis istis de paleis, quæ Religiosi inhabitant : quod illi in tuguriis commorentur de paleis, & nihilominus Deo & Matri ejus adeò splendidum & sumptuosum, sicut istud, extruant templum; hæc maxima est excellentia, & gratiosa magis totius operis hujus correspondentia. Actio denique filiorum talis Matris, ad quam per majorum seu antecessorum suorum lineam pertinere videntur. Salomon vigesimus quartus hujus Matris Dei Avus Hierosolymitanum ædificavit templum. Et Sacra Scriptura, in modo, duo notatu digniſſima observat. Primum, quamdiu Salomon templi structuræ fuit intentus, de ædificanda sibi domo nec cogitavit nec tractavit unquam, nec operi applicavit manum. Secundum, quod Palatiorum Salomonis de post ædificatorum structura minoris fecerit molis, quàm templum. Templum septennio fuit absolutum : Palatia verò tredecim annorum spatio. Notabilis est casus; quod in hujus templi constructoribus Salomonis inventum fuerit judicium : cum inter hujus Dominæ filios non essent seniores, nec de pristinis annis. Optimè, instar Salomonis, ante domum ædificârunt Dei; quàm manum applicarent suæ. Et optimè, Salomonis instar, tantâ *festinatione* opus istud absolverunt : illud Conventus dimittendo, ut tardius fieret. Opus verè dignum propter hanc aliasque rationes, ut fideles omnes in tam pio & religioso, nec non Deo ejusque Matri tam grato opere habeant partem.

Quomodo verò nostro Statui & civitati huic ejus capiti congratulabor, dum se, de novo, cœlesti illâ turri defensam, & novâ istâ B. V. Mariæ de Mercede, Ecclesiâ honoratum contemplatur? Quod Domina ita radices agit in hac terra, magnum prognosticum est, quod eam elegerit pro sua. *In electis meis mitte radices.* Beatissima V. Maria de Victoria. Beatissima V. Maria de Carmelo. B. V. Maria de Exilio. Beatissima. V. Maria de Luce. Beatissima V. Maria de Mercede. Ecce pulchram in capite Status nostri coronam. Quam benignas quinque formosæ istæ stellæ in nos effundent influentias ! omnes valde sunt splendidæ : sed, pace aliarum quatuor, nostra de B. V. Maria de Mercede largiores promittit influxus, quia sunt universaliores. Beatissima V. Maria de Victoria, est finium dilatatorum. Beatissima V. Maria de Exilio, est peregrinorum. Beatissima V. Maria de Carmelo, est contemplativorum. Beatissima V. Maria de Luce, erraticorum seu errantium. Sed B. V. Maria de Mercede stella & Patrona est omnium ; quia omnibus indifferenter quascunque petitas promittit & offert gratias. In thesaurario Mercedem hujus Dominæ, non solum pro milite habetur victoria : pro exule Patria ; pro errante lux : pro contemplativo cœlestes favores; sub quibus titulis Dominam illam in hac urbe veneramur ; sed nullus in mundo

Eccles. 24. v. 31.

mundo est titulus, sub quo Beatissima Virgo Maria sit invocata, qui non amplissimo hoc nomine Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede sit inclusus; & sub quo non, æquali fiduciâ ab hac Domina debeat peti. Estis tristes, solatio destituti, non est opus invocare Beatissimam Virginem Mariam de Consolatione, invocate eandem de Mercede, & illa suâ vos gratiâ consolabitur. Estis afflicti & in angustiis constituti, non est necesse confugere ad Beatissimam Virginem Mariam de Angustiis; confugite ad eandem de Mercede: & illa vobis in angustiis vestris tribuet mercedem. Estis inopes & desolati; non est opus confugere ad Beatissimam Virginem Mariam de Refugio: confugite ad eandem de Mercede; & illa vobis pro mercede illam faciet gratiam, ut sub alas suas vos recipiat. Estis perplexi & pusillanimes in vestris prætensionibus, non est necesse recurrere ad Beatissimam V. Mariam de bono successu: recurrite ad eandem de Mercede, & illa vobis pro mercede convenientem magis tribuet successum. Estis infirmi, remediis destituti: non est opus succursum petere à Beatissima Virgine Maria de Salute: petite illum ab eadem de Mercede: & illa pro mercede vobis conferet sanitatem, si fuerit ad vestram salutem. Denique paratis conscendere navem, vel vestra illi committere; non est opus invocare Batissimam Virginem Mariam de Felici itinere; invocate eandem de Mercede, & illa gratiam vobis & mercedem tribuet deducendo vos in pace & cum salute, ita, ut omnes expeditiones, quas Beatissima Virgo Maria in tot, tamque diversis Regni nostri Tribunalibus dare consuevit, ad hanc Domum de Mercede sint revocatæ, quia in illa expediuntur omnes.

Enim verò, ne hanc Dominæ Domûs prærogativam admiremini, scitote, Domum Dominæ eadem gaudere. Qualem Domum, qualemve Ecclesiam esse putatis, in qua sumus? Pater, respondent aliqui, est nova Ecclesia Beatissimæ Virginis Mariæ de Mercede, in civitate S. Ludovici, & Insula Maragnana. Estne aliquid amplius? Vos dicitis, quod non: & ego dico quod sic. Ecclesiam hanc dico esse Ecclesias omnes & sanctuaria omnia, quæ in - & extra Christianitatem similiter in vera ratione sunt. Hæc Ecclesia est Ecclesia S. Jacobi in Galicia. Ecclesia de Guadalupe in Castella. Ecclesia de Monte Serrato in Catalonia. Ecclesia Lauretana in Italia. Ecclesia SS. Petri & Pauli, nec non Sancti Joannis Laterani, & Beatissimæ V. Mariæ Majoris Romæ. Et ut de Christianitate ulterius progrediamur; est templum Hierosolymitanum non eversum. Est Mons Oliveti, est Thabor, est Calvarius, est Bethlehemitica specus, est Cœnaculum, est hortus, est Sepulchrum Christi. Ad hoc affirmandum redeo, & ita est. Scitis quomodo? quia omnes gratiæ & indulgentiæ in omnibus istis Templis, Sanctuariis, omnibus istis terræ sanctæ & mundi totius locis concessæ, omnes à diversis Summis Pontificibus huic Ecclesiæ sunt impertitæ, eò quod sit B.V. Mariæ de Mercede; & ejusdem Instituti sint Religiosi. Ita ut exeundo è vestra domo tantundem lucremini, ac si fuissetis Compostellæ, Laureti, Romæ & Jerosolymis: Num major iste thesaurus, major illa felicitas & facilitas dari potest? nostrâ tantum interest, scire divitias illas thesaurosque cœlestes in usum utilita-

temque

remque nostram convertere. Deus tantâ sollicitudine & expensis tantis investigatas hoc anno terræ mineras nobis non retegit: & cœli mineras etiam non investigatas, tantùm ut æstimemus, revelat. Agedùm, ita faciamus Christiani, diligenter & devotè deinceps hanc Domum & Ecclesiam frequentemus. Et propter tot pessimæ conversationis domos, hæc, quæ ad conversandum cum Deo, ejusque Matre est consecrata, non sit desolata; ea deinceps nos ad egrediendum civitate, salutari motivo invitet; & non exeamus ad loca & domos, ubi nec stare, nec intrare expedit, nec morari. Huc veniamus, hîc perseveremus, huc confugiamus, in ærumnis pro remedio; in mœrore pro solatio; in lætis pro perseverantia; & in omnibus votis nostris & postulationibus: huc supplicas nostras afferamus & memorialia: hîc petamus, hîc instemus, & hinc omnes gratias cœlestes & terrestres speremus; quæ cum mercedum Dominæ sint mercedes, semper erunt gratiâ stipatæ, & & ad gloriam directivæ. Quam mihi & vobis &c.

SERMO

PRO

DOMINICA QUINTA QUADRAGESIMÆ,

Habitus Ulyssippone in Ecclesia Cathedrali. 1651.

Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?
Joan. 8.

§. I.

VErba hæc, quæ hodie proponit, nobisq. Populo prædicare præcipit Ecclesia, sunt eadem quæ contra scribas & Pharisæos olim intonuit Christus: si verò sunt eadem, dissonum videtur illa prædicari nobis. Christus istis incusabat Judæos, quod sibi non crederent. *Quare non creditis mihi?* & nunquid incongruum nostræque credulitati foret injuriosum, si in auditorio tam Catholico eandem quæstionem in medium producerem, & de nobis affirmarem, aut supponerem, nos cùm simus Christiani non credere Christo? Hæc prima mea consideratio fuit, ex qua arbitratus sum, Ecclesiam proposita ex Evangelio verba tantummodò quasi præteriti jam temporis historiam, & non veluti necessariam tempori moribusque præsentibus doctrinam recitare.

Joan. 8. v. 46.

Vel unico tantùm passu in hac consideratione progresso, dubium de hoc mox

oboriri cœpit. Intuitus fidem, de qua gloriamur, examinavi vitam & opera, quomodo eidem correſpondeant : contemplatus ſum parvos & multò magis magnos : conſideravi Laicos, & ſimiliter Eccleſiaſticos, & non ſine magna confuſione mea deprehendi, mihique perſuaſi, non minùs præſenti, quàm tempore Chriſti ſermonem hunc neceſſarium eſſe. Quare? Hæc dies, dies eſt veritatis : quare dicendum eſt mihi valdè clarè. Quia ſicut Scribæ & Phariſæi non credebant Chriſto : etiam nos Chriſtiani & Cathoilci non credimus Chriſto Indignamur valdè, graveſque illius temporis Judæis imprecamur pœnas : & nos illis ſimiles ſumus. Contra illos prædicabat Chriſtus: contra nos intonat Evangelium. Et ſi Chriſtus nunc exillo loqueretur Sacrario, ſicut tunc locutus eſt, dicens Judæis: *Quare non creditis mihi* ? dicentem nobis audiremus: Chriſtiani, quare non creditis mihi? ſi eſtis & vocamini Chriſtiani, quare non creditis Chriſto?

Videor mihi auditores, cernere vos ex propoſitione iſta turbatos, & commoto in me eſſe animo, & ſingulos veſtrùm non ſolùm me arguere, ſed etiam jam convictum arbitrari. Nos (dicitis omnes) gratiâ Dei Chriſtiani ſumus ; idemque Chriſtus, in quem credimus, & cujus fidei vitam immolare parati ſumus, eſt ille, quem hodie negârunt Judæi : illi crucifixerunt eum, quem nos adoramus : illi non crediderunt eum eſſe verum Meſſiam, nos credimus verum eſſe Deum & verum hominem, qui incarnatus, qui natus, quui mortuus, qui reſurrexit, qui redemit ſalvavitque mundum. Grandem igitur fidei noſtræ, necnon Chriſtianitati irrogat injuriam qui Judæos nos eſſe dixerit, Chriſto non credentes. Sed quid, quæſo, eſſet, ſi ego hac in parte etiam Judæis nos pejores aſſererem?

Intelligite bene quid textus dicat de Chriſto, & mox videbitis, quomodo replicata ſeu inſtantia veſtra propoſitionem meam non diſſolvat, & contra illam nihil evincat. Chriſtianos vos eſſe dicitis? ſit ita. In Chriſtum vos credere aſtruitis? id ſimiliter concedo. Chriſtus non, quod in illum, ſed quod illi non credatur, conqueritur. Notate verba. Non dicit: *Quare non creditis in me*? ſed; *quare non creditis mihi* ? Aliud eſt credere in Chriſtum; & hoc vos probatis : & ego concedo. Aliud eſt credere Chriſto, & in illo probando deficitis : & ego vos convincam. Utroque iſto termino Chriſtus frequenter fuit uſus Alloquens Diſcipulos ait: *Creditis in Deum, & in me credite.* Martham : *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, vivet.* Mutatis verbis dicit Samaritanæ ! *Mulier, crede mihi.* Et ipſis Judæis; *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Ita ut oporteat credere in Chriſtum & credere Chriſto. Qui credendi modi multùm inter ſe diſcrepant. Credere in Chriſtum, eſt credere ipſum eſſe, quod eſt. Credere Chriſto, eſt credere illis, quæ dicit. Credere in Chriſtum, eſt credere in illum : credere Chriſto, eſt credere illi. Judæi nec credebant in Chriſtum, nec credebant Chriſto; nec credebant in Chriſtum, quia ejus Divinitatem non credebant : nec credebant Chriſto; quia veritatem ejus non credebant. Et in hoc ſecundo credendi modo, fides noſtra & incredulitas fidem ipſorum & incredulitatem adæquare, imò turpiter excedere videtur, Judæus nec in Chriſtum, nec

Joan. 14. v. 1.
Joan. 11. v. 25.
Joan. 4. v. 21.
Joan. 10. v. 38.

Chriſto

Christo credit; & non credere Christo eum, qui non credit in ipsum; consequenter procedit. E contra nos credimus in Christum, & non credimus Christo; & non credere Christo, qui credit in Christum, non credere ipsius veritatem, qui in illius credit Divinitatem, tam est aliena ab omni ratione contradictio, ut non nisi de impotentis & mentis possit præsumi. Propter quod idem Dominus nos interrogat. *Quare non creditis mihi?* q.d. ob quam rationem mihi non creditis?

Quod jam dixi, declarandum & probandum restat. Christi Salvatoris nostri ingeminatam contra Scribas & Pharisæos querimoniam etiam præsens auditorium concernere demonstrabo: & si partem ejus sæcularem convincat, etiam Ecclesiasticam vellicet. Verba habent: *Non creditis mihi?* Perquàm propriè & ad magnam verecundiam nostram videbimus, quod quantumcunque nos Christianos, & in Christum nos credere gloriemus; nihilominus Christo non credamus. Hæc est veritas, quam hodie prædicare proposui: quæ si visa fuerit nova, ex eo erit capite, quod ignorata, nec debitè fuerit penetrata. Si amara est & insipida: iste est sapor veritatis. Si denique creditu difficilis, id vos audituros putate. Materia nec Christiana, nec conveniens, nec utilis magis dari potest. Deus suâ nobis gratiâ assistat. Ave Maria.

§. II.

AUditores Catholici, nos dimidiati sumus Christiani: unam habemus fidei partem, & altera nobis deest. Credimus in Christum: sed non credimus Christo. *Non creditis mihi?*

Quando Christus jam mundum ingressus primum omnipotentiæ & Divinitatis suæ creaturam unam convertendo in alteram in nuptiis Canæ Galileæ, specimen edidit, S. Joannes Evangelista miraculi narrationem notabili hac advertentiâ concludit. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilæa: & crediderunt in eum Discipuli ejus.* Joan. 2. v. 11. Istud primum fuit miraculum, ex quo Discipuli ejus crediderunt in eum. Animadvertere vos jam video & expendere unam alteramve consequentiam. Si post miraculum Discipuli ejus in eum crediderunt, sequitur, eos ante non credidisse in eum, & si in illum nondum credebant, quomodo Discipuli ejus erant? Jam erant Discipuli, quia ejus credebant doctrinam: sed nondum credebant in illum: quia Divinitatem illius non cognoscebant. Credebant illi, sed non credebant in illum. Credebant illi tanquam Magistro; sed non credebant in illum tanquam Deum. Ita, ut credere in Christum, & credere Christo, non sunt credulitates junctim semper ambulantes. Discipuli in tempore isto & statu credebant Christo, & non credebant in Christum: & nos modo illis contrario, nunc credimus in Christum: sed non credimus Christo. Credimus in Christum: quia credimus hoc, quod est. Non credimus Christo; quia non credimus, quod dicit.

Idem illud, quod nobis, eisdem evenit Discipulis, jam non minùs, quàm tribus annis in schola divina versatis, eodemque die, quo cursum suum absolvebant; in hac die (quæ Passionis erat vigilia) Christus ad omnes suos Discipulos dixit, omnes illa nocte scandalum passurus, fidei amorisque debito non satisfa-

cientes. Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte. Reſpondit Petrus. *Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ego nunquam ſcandalizabor.* Et Chriſtus. *Antequam gallus cantet, ter me negabis.* Repetit Chriſtus. *Et ſi oportuerit me mori tecum, non te negabo: ſimiliter & omnes Diſcipuli dixerunt.* Si antequam Chriſtus dixiſſet hoc, quod jam aſſeveranter adeò affirmabat, tantùm Petrus reliquique Diſcipuli idem dicere præſumpſiſſent, non equidem admirarer: quia ex ore oculis loquebatur; quod remotis adhuc occaſionibus nos ſemper decipit. Sed poſtquam Chriſtus dixiſſet Petro & Apoſtolis reliquis, quod ille nominatim illum negaturus eſſet, & reliqui omnes ipſo derelicto fugituri, *Percutiam Paſtorem, & diſpergentur oves.* Quare tam expreſſo Chriſti oraculo non crediderunt? nunquid Petrus & reliqui Chriſtum credebant eſſe Deum? omninò: ita enim Petrus fuerat confeſſus & omnes cum illo. *Vos autem quem me eſſe dicitis? Tu es Chriſtus Filius Dei vivi.* Si igitur credebant Divinitatem Chriſti, ſi credebant Chriſtum eſſe Filium Dei, quomodo non crediderunt hoc, quod illis dicebat? Quia iſtius temporis fides erat velut noſtra; & omnes credebant tunc, ſicuti nos credimus nunc: credebant in Chriſtum, ſed non credebant Chriſto. Apoſtoli & Diſcipuli necdum accepto Spiritu ſancto, veluti homines defectibus erant obnoxii, & eoſdem quandoque patiebantur, quos nos currimus. In principio & fine ad medietatem credebant: & in utroque caſu fides eorum fuit dimidiata; diverſimodè partita. In principio propter ruditatem & imperfectionem credebant Chriſto, & non credebant in Chriſtum; in fine propter fragilitatem & tentationem credebant in Chriſtum, ſed non credebant Chriſto: quia verò iſte credendi modus erat periculoſus, propterea adjecit Chriſtus, quod diabolus inde ſumptâ occaſione illos foret cribraturus. *Ecce Sathanas expedivit vos, ut cribraret ſicut triticum.*

Matt. 26. v. 31. 33. 34. 35.

Matt. 16. v. 16.

Luc. 22. v. 31.

Diabolus eodem dolo & aſtu filios Evæ tentat & decipit, quo illam circumvenit. Sicut fides fundamentum eſt gratiæ, ita contra fidem ſerpens primum evomuit venenum, & in fide primæ mulieri laqueum tetendit. Sed quomodo? Intenditne forſan illi perſuadere, ut non crederet in Deum, vel de ejus Divinitate dubitaret? tantum hoc abfuit à diabolo, ut potiùs ſemel atque iterum credulitatem illam Evæ aſſeverando confirmârit, ſupponendo ſemper, illum, qui præceperat, eſſe Deum. *cur præcepit vobis Deus?* ſimiliter qui mortem illi fuerat interminatus, etiam eſſe Deum. *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis ex eo, &c.* In quonam igitur tentatio contra fidem conſiſtit? non conſiſtit in eo, ne Eva crederet hoc quod erat Deus, ſed in hoc conſiſtit, ut Eva non crederet, quod Deus dixerat. Deus Adamo & Evæ dixerat, eodem momento, quo de vetito veſcerentur ligno, ipſos morituros! & hoc ipſum, quod Deus illis dixerat, effecit Diabolus ne crederent: *Nequaquam moriemini.* q.d. Deus vos morituros eſſe dixit, ſi de ligno veſceremini, ſed tale quid vos nolite credere. Ille eſt Deus qui vos creavit; ille eſt Deus, qui Paradiſi vos poſſeſſores fecit; ille eſt Deus, qui vobis præcepit iſtud, credite. Sed poſtquam vos, tantamque fructuum diverſitatem vitæ ſuſtentandæ creavit,

Gen. 3. v 1. & 5.

Gen. 3. v. 4.

eandem

eandem vobis velle tollere, nolite credere. *Nequaquam, &c.* Nullatenus simile quid credatis, quamvis ille vobis hoc dixerit. Credite in illum, sed non credati illi. Istud diabolus intendit: istud est consecutus: & quo dolo primos nostros decepit parentes, eodem decipit & nos: cura minus pretio dimidium nobis fidei offert, ut alterum dimidium à nobis lucretur: credere in Deum, quantumcunque voluerimus, permittit; sed credere Deo, prohibet diabolus. Idcircò credimus in Christum, & non credimus Christo. *Non creditis mihi?*

Et ut videatis, quanti referat, hanc cognoscere deceptionem, quamque digna sit hæc doctrina, ut prædicetur: actionem aliquam Christi, nunquam fortasse à vobis auditam auscultate. S. Petrus primæ suæ Epist. c. 3. inquit. Christum, quando ad infernum descendit, animabus eorum, qui diluvio erant absorpti, prædicando, illas propter incredulitatem increpuisse; quia Noë, dum arcam fabricaret, non crediderant, Dei patientiam in vanum sperantes. *His, qui in carcere erant spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cum fabricaretur arca.* Locus iste ex difficillimis Scripturæ sanctæ locis unus, tria magna dubia complectitur. Primum, quomodo Christus damnatis in inferno prædicavit, si nullus in inferno converti aut emendari potest? Secundum, cum in inferno tot alii impœnitentes & obstinati sint peccatores; quare Christus, præ cæteris, suffocatis diluvio prædicare, eosdemque increpare voluit? Tertium, cum iidem homines tamque enormibus aliis peccatis fuerint obstricti, tam extraordinariam promeriti fuerunt pœnam, quare de sola incredulitate eos arguit & increpat: *His qui increduli fuerant.* Nec meliùs, nec formidolosiùs explanari posset, quod dicimus. Primò, Christus prædicavit in inferno, non ad damnatos convertendos, sed magis confundendos: ex majoribus enim inferni confusionibus una est tristis illa cognitio, quâ miseri illi damnationis suæ causas vident, quàmque facilè salvari potuissent, si voluissent: & Christus expresè & specificè damnatos tempore diluvii confundere voluit, quia homines erant, qui in Deum crediderant. Idololatria, omnesque Dii falsi ortum habuerunt post diluvium, cujusce cœcitatis author & inventor Nemrod exstitit, attestante S. Chronologiâ, quodque colligitur ex libro Sap. 14. cap. Et quia ad id usque temporis omnes acceptam ab Adamo fidem retinendo, in unum Deum crediderant; hinc Christus, omnibus aliis hominibus, & aliis omnibus peccatoribus præteritis, solos illos, qui diluvio perierant increpitos de sua incredulitate confudit. Maxima enim iniquitas, quæ in terra committitur, & maxima confusio in inferno toleranda, est, quod homines non credant Deo, qui credunt in Deum. Hominibus istis Deus per Noë intimavit, quod illos omnes, & montes, totumque inundaturus esset mundum, nisi emendarentur pœnitentiam agentes pro peccatis suis: Exhortationes istæ decem, viginti, immò centum integris continuabantur annis quilibet impactus arcæ mallei ictus, decretæ hujus à Deo exercendæ justitiæ erat præco: & credentes illi in Deum, expectando ejus patientiam, non credi-

Ita Dam. Ep. ad Epict. 1. S. Pet. 5. 19. & 20.

Descendisse Christum ad infernum damnatorum, sententia est Aug. Ambros. Fulgent. Greg. Niss. Cyrilli Hier. Eusebii Emiss. & alior. quos citat. & sequitur Bel ar. de Christi anima. l. 4. c. 16.

D. Thom. q. 52. art. 4. ad 2.

Sap. 14. v. 13. Clem. Rom. lib. 1. Recog. Epiphan. præfat. lib. de Hæres. Ciril. lib. 1. & 3. contra Julianum. Damascenum init. lib. de hæresibus. Hieron. Osea. 2. Euseb. in Chron. & passim alii.

diderunt Deo, ut timerent ejus Iram. Ad homines igitur credentes in Deum, & non credentes Deo confundendos in infernum descendat Deus. Ad confundendos illos Turris Babel fabricatores Deus descendit in terram: ad confundendos illos diluvii aquis perditos, Deus descendit in infernum. Istud Christus ibi prædicavit tunc, quod & hîc prædicat hodie. *Quare non credidis mihi*? Verùm video adhuc esse, qui contradicat, vel ut minimum dubitet & interroget, quomodo esse, aut veraciter dici potest, quod nos Christiani & Canonici non credamus Deo? non alia pro nobis fides, non alia pro nobis authoritas, non aliud infallibile oraculum pro nobis facit, quàm verbum divinum. Quo pacto igitur non credimus Deo? Idem ipse Deus ad dubium istud jam respondit, certam nobis præscribendo regulam, ex qua sine deceptione cognoscamus utrum illi credamus an non. Putamus nos Deo credere & nos decipimus. Sed qualis est ista regula? *Qui credit Deo attendit mandatis.* Vultis scire quis credat Deo, inquit Spiritus S. qui facit hoc quod ille mandat. Si facitis quod Deus mandat, creditis Deo: si non facitis quod ille mandat, non creditis illi, creditis vobis, credetis vestro appetitui, creditis diabolo sicut credidit Eva. Hinc dicebat David: *Quia mandatis tuis credidi*: hoc solum est credere Deo. Nostra fides sistit in *Credo*: non transit ad mandata. Dicente nobis Deo, quod sit unus, credo; dicente quod tres sint personæ, credo; quod cæli terræque sit Creator, credo; quod sit homo factus qui nos redemit, & qui venturus est judicare vivos & mortuos, credo; sed si dicat nobis, non jurabis, non occides, non adulterabis, non facies furtum, non credimus. Hæc nostra est Fides: Hæc vestra est Christianitas. Sumus Catholici, quantum ad *Credo*, sed hæretici, quantum ad *Mandata*. Ecce num Christo tali credendo methodo sit acquiescendum & mihi ratio suppetat ad prædicandum, quod credimus in Christum, & non credimus Christo. *Non creditis mihi.*

Eccles. 32 *v.* 28.

Psal. 118. *v.* 66.

§. III.

ET ut veritas hæc in communi tantummodo probata, etiam oculis cernatur, manibusque palpetur, ad particularia descendentes exempla, pro majore claritate, in materiis obviis, hominumque usui familiarioribus ea ponamus. Imò commoditati, lucro, & beneplacito.

Quis quæso hominum, Auditores, requiem non quærit? hæc omnium laborum hujus vitæ serpens & finis est. Miles per discrimina belli requiem pacis quærit. Navigans in mari, per tempestates & procellas requiem portus anxius desiderat. Agricola sudore, æstivam moderando, studiosus palpebras ustulando, mercator bona sua periculis exponendo, omnes velut diversa saltem flumina ad mare tentendo requiem quærunt; quæ solicitudinum desideriorumque omnium centrum existit. Enim verò, fuitne aliquando homo aliquis in mundo, tam amicâ sibi fortunâ usus, ut in aliqua, vel in omnibus ejus rebus, intentam & quæsitam requiem invenerit? *nullus.*

Demissa ex arca columba, S. attestante textu, in omnem partem circumvolitando, non invenit ubi requiesceret. *Cum non invenisset ubi requiesceret pes ejus.* Anteipsi lassatæ fueruntalæ, quàm inveniret,

Gen. 8. *v.* 9.

ret, ubi pedes ejus requieſcerent. Et quare non invenit columba ubi requieſceret? quia quæſivit requiem ubi non erat. Civitates, agri, campi, valles, montes, colles omnia erant mare. Iſtud eſt mundus, in quo vivimus. Ante & poſt Noë ſemper diluvium fuit: aliqui ex una, aliqui ex alia parte, omnes requiem quærendo ſe fatigantes, & omnes illam non inveniendo fatigati. Hujus rationem dedit Sanctus Auguſtinus libro quarto ſuarum confeſſionũ. *Non eſt requies ubi quæritis eam: quærite quod quæritis: ſed ibi non eſt, ubi quæritis.* Ratio quare requiem non inveniamus eſt, quia illam quærimus ubi non eſt. Non dico vobis (inquit ſanctus Auguſt.) ut illam non quæratis: quærite illam: ſolummodò vobis dico, quod non eſt ibi, ubi illam quæritis. Si igitur bonum eſt requiem quærere, illa verò non eſt, ubi eam quærimus, ubinam illam quæremus? ubi Chriſtus illam quærendam eſſe dixit: ibi enim ſolummodò eſt; & ibi tantùm illam inveniemus. *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos; tollite jugum meum ſuper vos; & invenietis requiem animabus veſtris.* Hæccine verba Chriſti eſſe creditis? omninò. Age, reſpondete mihi certum eſt vos omnes requiem deſiderare? certum eſt vos illam magno labore diverſiſque viis quærere, non tamen invenire: ſed quare eam non quæritis in obſervantia legis Chriſti? Chriſtus in lege ſua omnis laboris levamen conſiſtere inquit: *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis.* Chriſtus in ſua, & tantummodò in ſua lege requiem inveniri aſſerit, *Et invenietis requiem animabus veſtris.* Ergo ſi non quæratis requiem in lege Chriſti, certum eſt vos non credere Chriſto: quia ſi quæratis requiem ubi non eſt, cum labore: clarum eſt ipſam quærendam potiùs, ubi eſt ſine labore. Sed veritas eſt (quod etiam vos non latet) rationem, quod eam non quæratis in lege Chriſti, eſſe, quia eam non quietam ſed laborioſam reputatis. Vos eam laborioſam arbitramini, cùm dicente Chriſto, illa ſola vos in laboribus reficere queat? vos eam inquietam arbitramini, cùm dicente Chriſto, in illâ ſolâ requies conſiſtat? veſtræ ergo imaginationi, & non aſſertionibus Chriſti creditis; creditis in Chriſtum & non creditis Chriſto. *Non creditis mihi.*

Aug. L. Confeſſ 4. c. 12.

Matt. 11. v. 28. & 29.

A requie hujus vitæ, ad alterius vitæ requiem tranſeamus. Omnes dicimus, quod ad cœlum pervenire cupiamus: nec dubito quin omnes cupiamus; ſed ego noto, uti videtur, quod vertice illuc pertingere velimus. Caſtella quæ in noſtris capitibus conſtruimus, ſunt velut pinnaculum Babylonicæ turris, *cujus culmen pertingat ad cœlum.* Aſcendere & magis aſcendere, creſcere & magis creſcere. Parvi nituntur eſſe magni, & magni eſſe majores: majores quid eſſe velint ipſi neſciunt, nec ego ſcio *Superbia eorum aſcendit ſemper.* Nemo determinatâ ſibi à Deo ſaturâ contentus eſt: nec eſt homo adeò pigmæus aut formica, qui non aſpirat ut evadat gigas. Ad obtinendum regnum cœlorum ecce quid dicit Chriſtus: *Niſi efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Notate bene verba: *Non intrabitis.* Quæ valde notanda & timenda ſunt. Si dubium in eo conſiſteret, ut quis parvus ſit vel magnus in regno cœlorum, de noſtra devotione facilè credo, non facturos nos ſcrupulum magnum.

Gen. 11. v. 4.

Pſal. 78. v. 2.

Matt. 18. v. 3.

magnum, quod parvuli simus futuri in cœlo, si interim magni simus in terra. Magni dico; quia vestrâ linguâ loquor. Gentilis quidam meliùs nobis magnitudines metiri sciens ajebat, indignè Alexandro tributum fuisse nomen Magni, quamvis dominator foret orbis. Quia nemo in tam exiguo elemento magnus esse potest. In cœlo tantùm inveniri possunt magni. Sed dubium (ut dixi) in eo non consistit, ut quis parvus aut magnus sit in cœlo : sed in intrando, seu in non intrando in illud, consistit. *Non intrabitis.* Occasionem huic doctrinæ præbuit Discipulorum ambitio, quâ omnes & singuli eorum, quod fuerant piscatores obliti, majores esse prætendebant. *Quis eorum videretur esse major?* Tunc cœlestis Magister hoc illis detexit secretum, docens architecturam cœlestem non esse adinstar terrestris. Civitas tanta, quantum est cœlum, sublimes valde & latas videtur exigere portas : & non est ita. S. Joannes in Apocalypsi sua eandem contemplatus civitatem, Angelum vidit venientem cum aurea virga, ad metiendum totum, & muros & portas, *Ut mètiretur civitatem & portas ejus & murum.* Nihilominus Evangelista, circuitum & latitudinem civitatis, nec non altitudinem murorum declarando, altitudinis portarum non facit mentionem. Si igitur Angelus etiam portas metiri venit, & eas mensus est, quare sanctus Joannes mensuram earum non declarat? quia tanta portarum cœli est angustia, ut nec spatium nec nomen sit mensurarum, quibus exprimi possit. Evangelista hoc tantùm de mensura portarum asserit, quod quælibet earum (res magnâ admiratione digna) apericbatur in forma margaritæ : *Singulæ portæ ex singulis erant margaritis.* Videte, qualis porta in margarita possit aperiri. Hinc Christus alio loco, illam *foramen*, & non portam appellavit. Ego quidem video margaritas cœlestes multò majores esse posse illis maris Erithræi : portæ verò, quas in eis cœlestis Artifex aperuit, quia juxta proportionem eorum, qui intraturi sunt, fabrefactæ sunt, taliter quoque delineatæ sunt, ut non parvæ solùm, sed parvulæ essent : quia similiter decreverat, ut non nisi parvuli cœlum intrarent. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in Regnum cœlorum.* Sed istud dicit Christus : istud non unâ, sed multis repetit vicibus, videant nunc illi, qui omnem suam curam, omnem suam industriam, omne suum studium, conatus denique omnes eò conferunt, ut ascendendo & crescendo magni evadant (quamvis magnos & parvos annihilando fiant) videant inquam, quam fiduciam seu spem in cœlum intrandi sibi promittere possint. Vel verbis istis Christi credunt, vel non credunt. Si illis credunt, cœlum intrare recusant : & si cœlum intrare desiderant, sicuti sperant, quomodo intrabunt illac, quà Christus intrare posse negat? certum est omnes istos magnos Christianos, vel qui magni esse appetunt credere in Christum, sed non credere Christo. *Non creditis mihi?*

Seneca.

Luc. 22. v. 24.

Apoc. 21. v. 21.

Apoc. 21. v. 21.

Marc. 10. v. 25.

§. IV.

VErum enim verò, quia, ambitio ista, ut simus magni, est fastus, à quo natura & fortuna multos excluśit : in materia universali & quæ omnes

nes tangat, cauſam ponamus. Chriſtus univerſaliter, nemine excepto, inquit, neminem duobus Dominis ſervire poſſe: *Nemo poteſt duobus Dominis ſervire.* Quod intelligendum eſt ſimul & eodem tempore: diverſis enim temporibus fieri poſſe nihil impedit. Chriſto autem clarum valdè horum duorum Dominorum exemplum poſituro, quoſnam illos Dominos fuiſſe putatis? *Deum & mundum?* Deum & diabolum? Deum & carnem? *Non.* Deum & pecuniam: *Non poteſtis Deo ſervire & Mammonæ.* Si quid daretur in mundo, quod cum Deo concurrere poſſet in dominio, eſſet univerſale auri & argenti idolum. Multæ in mundo dantur nationes Dei ignaræ, nulla verò, quæ idolum hoc non veneretur & adoret, illique obediat. Immò ex ipſis, qui ſe Deo ſervire profitentur, quis eſt, qui huic idolo non ſerviat? Sicut igitur nemo aſſerento Chriſto poteſt duobus Dominis ſervire, ita nemo, eodem teſte, poteſt ſervire Deo & inſuper pecuniæ. Servire Deo pecuniâ facilè, & fieri conſultum eſt: ſervire verò Deo & ſimul pecuniæ, impoſſibile eſt. Zachæus ad ſerviendum Chriſto reſolutus pecuniæ nuncium remiſit: vice versâ Judas jam pecuniæ ſerviri paratus, abrenuntiavit Chriſto; ſed idem mox pœnitentiâ ductus, quod Magiſtrum ſuum vendidiſſet, triginta argenteos projecit in templum: *Projecit eos in templum.* Miniſtri verò templi, ſe eos in corbonam mitte non poſſe reſolverunt: *Non licet eos mittere in corbonam.* O abominanda & odioſa pecunia, quæ nec furto ablata, neque reſtituta, neque in templo, neque in corbona locum habuit cum Deo! & omnia ſic ſe habent, ſi pecuniam foramini, perditis Deum, ſi illam reſtitutis, perditis pecuniam: Si vultis ſervire Deo, Deus & pecunia eidem templo non congruunt; ſi vultis ſervire pecuniæ, Deus & pecunia non conveniunt in eadem crumena: *Aut unum odio habebit & alterum diligit: aut unum ſuſtinebit, & alterum contemnet.* Vel renunciandum eſt pecuniæ, ſi amatis & laudatis Chriſtum exemplo Zachæi; vel renuntiandum Chriſto, ſi amatis & æſtimatis pecuniam exemplo Judæ. O quot in mundo ſunt Judæ, & quam pauci Zachæi! Si Deus tot tamque induſtriis gauderet ſervis, quot & qualibus pecunia, quàm gratè ipſi ſerviretur! quot verò offenſæ ex peſſimi hujus Idoli ſervitio in Deum redundant! Sacrilegiorum omnium maximum eſt, quod homines loco ejus, quod pecuniâ utendum illis eſſet ad ſerviendum Deo, homines abutantur Deo, ad ſerviendum pecuniæ. *Serviſti me feciſti in peccatis tuis.* Quoties bona Eccleſiaſtica, quæ ſunt Dei, prophanis uſibus impenſa & inſumpta videmus? & vaſa templi Hieroſolymitani vel illata in theſauros Nabuchodonoſoris, vel ad ſerviendum in menſa Balthaſaris? Quando unquam Deus concurrit ad commodum aut lucrum, in quo non deſpectui haberetur? vel quis idola Jeroboami ſecutus terga non obvertit arcæ Teſtamenti? raptum ex Ægypto aurum Hebræi adorârunt in deſerto, & quot idem faciunt mutatâ tantùm figurâ? quid refert non adorare formam, ſi adoratis matter am? quid refert non adorare vitulum aureum, ſi adoratis vituli aurum? Deum & idolum (velut iſti Azotii) ſimul aræ eidem imponitis & hypocriſi affectatâ creditis quod utrique

Matt. 6. v. 24.

Matt. 6. v. 25.

Iſa. 43. v. 24.

Matt. 27. v. 6.

simul servire possitis ? Si Christus illud impossibile esse asserit, quomodo vos illud fieri posse putatis ? Sed hoc inde est quia creditis in Christum & non creditis Christo. *Non creditis mihi.* Age, cum loquamur in materia de pecunia & lucris, quæ hujus sæculi peccatum originale existunt, ipsis vos lucris convincere & constringere intendo ad fatendum sine replicâ, quod nec velut non negotiantes quales vos esse oporteret, nec velut negotiantes, quales estis, Christo creditis. Negotiationis industria & felicitas in eo consistit, ut modicis expensis lucremini multum : quantóque plus acquiritis & minus expenditis, tantò majus vestrum est lucrum majorque felicitas. Nunc ad rem. Omnes nôstis, quid Christus in Evangelio promittat, scilicet, quod qui aliquid propter ipsum reliquerit, aut dederit, centuplum & vitam æternam recipiet : *Centuplum accipiet, &* Matt. 19 *vitam æternam possidebit.* Circumstantia v. 29. lucri & vitæ insuper quamvis non æternæ, est conditio, quam nec mercator, nec assecurator quisquam contractibus suis inserere potest. Ne verò quispiam in excusationem sui, spem tarditatemque alterius vitæ, quamvis brevem adeò obtendat : Idem Christus per SS. Lucam & Marcum declarat vitam æternam alterius mundi, lucrum, & centuplum verò hujus mundi fore : *Centies tan-* Luc. 18. *tum in hoc, & in sæculo futuro vitam æter-* v. 30. *nam.* Hæc sunt verba, hæc sunt promissa, hoc est lucrum reale securum Christi & plus quàm reale quia divinum : utrum illud credatis, an non, vestri contractus & vestra lucra id loquantur.

Duo illi Regis servi, quibus ad negotiandum talenta tradiderat : *Negotia-* *mini, dum venio.* Tantâ illud fidelitate Luc. 19. industriâ, & felicitate peregerant, ut v. 13. uterque (inquit textus) creditam sibi summam duplicârit : duobus talentis negotiatus alia duo superlucratus est ; & quinque negotiatus talentis alia quinque superlucratus est : felix Rex ! honorabiles servi ! quod si similibus servis Reges bona sua traderent, brevi temporis spatio illa valde aucta viderent. Sed jam nec Regibus, nec famulis, sed omnibus loquor. Duobus talentis alia duo, & quinque alia quinque lucrari, est centuplum lucrari. Quis verò negotiator adeò erit avarus, adeò lucris inhians & insatiabilis, ut non contentus sit, nec maximas Deo gratias referat pro lucro tam utili, & quod amplius est sine periculo ? Si igitur Christus nobis non centuplum pro centeno, sed centuplum pro simplo promittit, quæ faciunt decem millia pro centeno, quare cum illo non negotiamur, nec contractum illum acceptamus ? Et si talem cum Deo contractum non acceptamus, quare alioscum hominibus inimus, de tot minutioribus lucellis, & ita diversis ?

Pecuniam vestram (loquamur clarè & familiariter) pecuniam inquam vestram ad annum censum seu canonem exponitis, & pro quanto ? ut recipiatis annuè quinque pro centum, aut minus : & si sex obtingant, est dispensatio legis, & ex magna gratia. Si igitur mercatori alicui, qui cedendo foro vos decipere potest, pecuniam vestram datis ad quinque pro centum : quare Deo qui pro fide jussore suum habet verbum, & pro assecuratore suam habet omnipotentiam, non datis simplum pro centuplo ? si pecuniam vestram creditis homi-

homini, facto desuper instrumento à Notario, quare illam non creditis Deo sub ttiplici instrumento, sub signo gentilitio S. Matthæi, S. Marci, S. Lucæ? Nervosè argumentum hoc urget S. Petrus Chrysologus: *Homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur, Deus tot ac tantis voluminibus cavet, & tamen debitor non tenetur?* Securi estis, quod homo promissum vobis lucrum aut censum fideliter solvet, quia chartæ folio sese ad hoc constrinxit, & Deum non soluturum timetis, qui tot sacris libris, & tot scripturis se obligavit? Certum est, si crederetis centuplum illud, pro simplo quod Christus promittit, pecuniam vestram voluntate promptissimâ daretis Deo, promissi census medietate remissâ. Quare verò paciscimini & acceptatis potius quinque pro centum ab homine? quia verbis Dei non creditis, quia Evangeliorum ipsius promissionibus fidem negatis; denique quia credimus in Christum & non credimus Christo. *Non creditis mihi.*

Petr. Chrys.

Infinita hæc foret materia, si dilatatis eam rationibus prosequi vellemus. Sed cum tanti momenti sit, operæ pretium erit, adhuc magis exiguam nostram convincere fidem. Terminis igitur brevissimis illud agemus. Quid Christus amplius dicit (& hoc est primum quod dixit) *Beati pauperes spiritu; quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: Omnes volumus esse beati, & omnes intrare regnum Cœlorum: cumque tam facile sit esse pauperem, & tam difficile esse divitem: nemo vult esse pauper, quare? quia non credimus Christus. Christus dicit: *Si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*: Et cum nobilior sit patientia quàm vindicta, vindictam nobis honori, patientiam verò dedecori ducimus. Quare? quia nos credimus Christo. Dicit Christus: *Omnis qui se humiliat exaltabitur, & qui se exaltat, humiliabitur.* Et nos putamus quod humiliando nos dejiciamus, & exaltando nos erigamus. Quare? quia non credimus Christo. Dicit Christus: *Sinite mortuos sepelire mortuos suos*. Et nox ex sepulchris eruimus mortuos, ad sepeliendum vivos. Dicit Christus: *Diligite inimicos vestros & illis benefacite*: Et quis est, qui verè diligat fidemque servet integram amicis? Dicit Christus: *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri qui in cœlis est*: Et nos dicimus non ero filius Patris mei, nisi inimicus meus mihi hoc luat. Dicit Christus; *Qui aufert tibi vestimentum* (via scilicet litis) *etiam tunicam illi noli prohibere*: Et nos litem intentamus non ad defendendum vestimentum proprium, sed ad rapiendum alienum. Dicit Christus: *Vigilate & estote parati, quia nescitis diem neque horam.* Scilicet mortis. Et quilibet vivit, & in utramque aurem dormit, ita solicitudine vacuus, ac si immortales essemus. Christus de Superioribus & Prælatis dicit: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit*: Et nos Superiorem & Prælatum etiam supremum audire contemnimus, contemptores verò illius & irrisores audimus & adjuvamus. Christus inquit: *Facilius est camelum per foramen acûs transire, quàm divitem transire in regnum cœlorum*: Et nos pro eo, quod camelo

Luc. 14. v. 11.

Luc. 9. v. 60.

Matth. 5. v. 44.

Matth. 5. v. 45.

Luc. 6. v. 29.

Matth. 25. v. 10.

Luc. 10. v. 16.

Matth. 19. v. 24.

Matt. 5. v. 3.

Matth. 5. v. 39.

timeamus, omni curâ id agimus, ut grossiorem illum faciamus. Dicit Christus: *Te autem faciente eleëmosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*: Et nos volumus tubis publicari, quod ambabus manibus damus & accipimus. Dicit Christus: *Quod si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te.* Et quis animo sic comparatus est, ut abscindere aut à se projicere velit rem quam amat sicut oculos, vel quæ ipsi servit sicut pedes & manus? Christus denique dicit, *Ego sum via, veritas & vita.* Et nos tali vivimus vitâ, talibus ambulamus viis, ac si totum istud mendacium foret. Quare? quia non credimus Christo. Maneat igitur pro conclusione certa & infallibili, licet cum magna confusione nostra, nec non nominis Christiani injuria, quod omnes, vel quasi omnes credimus in Christum, sed non credimus Christo. *Non creditis mihi.*

Matt. 6. v. 3.

Matt. 5. v. 29. & 30.

Joan. 14. v. 6.

§. V.

CHristus, cum suprema sit veritas, quare sibi non credamus, admiratus, incredulitatis hujus à nobis exigit rationem, petitque ut illud. Quare ipsi dicamus: *Quare non creditis mihi?* nihil est difficilius quàm iniquitatis reddere rationem: & hoc tantum discursui nostro supereſt, non ut respondeamus Christo, cui satisfacere non possumus: sed pro instructione & emendatione tantummodo nostra, tantique mali ut radicem intelligamus & cognoscamus. Quænam igitur est, aut qualis esse potest ratio, quod, cùm omnes credamus in Christum, tam pauci sint, qui Christo, credant? Fides quâ creditur in Christum; fides quâ creditur, Deum esse hominem crucifixum, omnes illas complectitur difficultates, quas in duobus populis, è quibus tunc constabat mundus, S. Paulus expertus est, dicens: *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam.* Si igitur credere, uti oportet Christum, in quo tantam difficultatem, immò horrorem humanus invenit intellectus, in quantum à Deo supernaturaliter non illuminatur: nos, qui tam facile, & sine repugnantia omnes credimus in Christum; quare etiam non omnes credimus Christo? *Quare non creditis mihi.*

1. Cor. 1. v. 23.

Iniquitatis hujus ratio est; quia difficultates credendi in Christum se tenent ex parte objecti: repugnantiæ credendi Christo se tenent ex parte subjecti, illæ procul à nobis absunt; istæ nobis insunt. Fides, quæ non dolet, facilis est ad credendum: Fides quæ sine dolore exerceri nequit, valdè difficilis est ad admittendum. Fides, quâ credo in Christum, præcipit mihi, ejus credere Passionem: Fides, quâ credo Christo, passiones mortificare meas mihi mandat: & hic difficultas consistit. Ad credendum in Christum sufficit, supernaturalem fidei actum elicere: ad credendum Christo, multos actus contra naturam exercere opus est: & facilius est, illam excedere semel, quàm continuò contra illam pugnare, sæpiusque illam vincere. Idem S. Paulus definiendo fidem, illam dicit esse *Argumentum non apparentium.* Et inter apparentia, & ea quæ non appetuntur, magna est differentia: ad credenda illa, quæ non apparent, potest non habere difficultatem intellectus: ad amplectenda ea, quæ non appetuntur, semper repugnantiam habet voluntas.

Heb. 11. v. 1.

Chri-

Christus voluntatem est allocutus, quando modo admirabili illam ipsam differentiam supponendo declaravit. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam,* Notate, non dixit, qui me vult sequi, confiteatur me, sed neget se. Nec dixit, adoret crucem meam, sed tollat suam. Christum confiteri, ejusque crucem adorare, est in illum credere: abnegare semetipsum, & tollere crucem suam, est credere illi. Quia verò istud infirmæ & corruptæ humanitati laboriosum est & difficile; illa ipsa doloris apprehensio, iste timor & horror mortificationis, ista naturæ contradictio, quam doctrina Christi secum fert in iis, quæ aut percipit aut consulit: ista ratio est, vel iniquitas, quæ nostrum credendi modum tepefacit, & quo minus credamus Christo, nos absterret.

Luc. 9. v. 23.

Homo omnibus sæculis de credendo celebratus; & hinc in scripturis credentium Pater nuncupatus fuit Abraham: celebrant istam ipsius fidem in testamento veteri Moyses: in novo S. Paulus & S. Jacobus, iisdem omnes verbis asserunt. *Credidit Abraham Deo.* Abraham antequam credidit Deo, credidit in Deum: & non credidit in Deum sicuti nos; qui fidem à Parentibus accipimus; sed majori merito, & per propriam electionem cum Parentum Idololatrarum esset filius, & similiter Idololatra. Si igitur Abraham adjuratis Idolis in verum Deum credidit; quare Fides, quâ credidit in Deum, in ipso non laudatur, sed fides, quâ Deo credidit: *Credidit Abraham Deo.* Quia credere in unum Deum, & non in multos: Credere in Deum verum, & non in Deos falsos: credere in Deum Creatorem cœli & terræ; & non in truncos & petras, est credulitas difficultate carens: lumen naturale illud monstrat, ratio dictat, intellectus assequitur: Sed credere Deo (quod non est speculativè credere, quod ille est; sed practicè, quod ille præcipit & consulit) multa naturæ contraria, & voluntati repugnantia præcipienti, & magis adhuc contraria & repugnantia consulendi: istud laudatur, quia istud dolet; istud exaggeratur, quia magni constat; istud est magnum & heroicum, quia arduum & difficile. Quod hoc ita se habeat, ecce illud in eodem Abrahamo, in eo quod Deus illi mandavit facere.

Gen. 15. v. 6. Epist. Jacobi. 2. v. 23. Rom. 4. v. 5.

Postquam Abraham jam credidit in Deum, jam credenti illi dixit Deus, ut exiret de Patria sua & domo Patris sui & consanguineorum suorum, ad peregrinandum in terra sibi monstranda. *Egredere de terra tua, & de domo Patris tui, & veni in terram, quam monstravero tibi.* Et crederem ego Deo mandanti mihi, commutare patriam cum exilio, requiem cum peregrinatione; domum propriam & amplam cum tugurio; consanguineorum meorum familiare consortium cum gente extranea & perigrina in moribus & incognitâ lingua: & super omnia, quod nesciam quò vadam aut ducat? Videte, num ista non ardua fuerit fidei probatio; & utrum in hoc actu multa occurrerint, quibus natura reclamaret. Sed hic non stitit. Deus Abrahamo promittit filium, dans illi Isaacum: in hoc illi longam promittit nepotum seriem felicitatesque stupendas: & in medio exspectationum harum Deus, quasi folio

Gen. 12. v. 1.

verso, promissionum suarum oblitus, aut dolore tactus, Abrahamo gladium, ignem & ligna præparare mandat, ad tollendam eidem Isaaco vitam, ipsumque in monte sibi monstrando sacrificandum. *Tolle filium tuum primogenitum, quem diligis, Isaac, & offerres illum in holocaustum super unum montium, quem monstravero tibi.* Et unus Pater credat Deo unicum filium, & unicè dilectum immolare jubenti, cum omnibus motivis horroris & compassionis, quod ipse Deus non tacuit, & idem ipse Abraham sacrificii sit executor; & non aliud sacrificium, quàm holocaustum, ex quo nulla pars alia seu memoriale, nisi dolor, desiderium & cineres remanerent? Hic quasi deliquium passa defecit natura; hic animus & generositas triumphavit; hic fides contra fidem pugnavit, & vicit seipsam: propterea non celebratur in Abrahamo, quod credidit in Deum, sed quod credidit Deo. *Credidit Abraham Deo.*

Gen. 22. v. 2.

Sed antequam discursum concludam, objectioni notabili, quam in litteris sacris versati replicare possunt, satisfacere volo. Quando scriptura de Abrahamo dixit; *Credidit Abraham Deo:* Isaac nondum erat natus, nedum immolatus; nam casus sacrificii viginti & sex abhinc annis accidit, Isaaco viginti quinque ætatis annos habente. Quonam igitur pacto, ad hunc actum, testimonium & elogium fidei ipsius potuit referri? quod idem testimonium ad exilium patriæ referatur, posito quod præcesserat, sicut omnes Commentatores dicunt, transeat: sed ad sacrificium futurum, & adeò remotum, quod nec erat, nec esset, nec futurum esset, nisi post tot annos, quomodo fieri potest? pro solutione novæ hujus & fortissimæ objectionis gratias debeo notabili cuidam textui S. Jacobi Apostoli in sua Catholica cap. 2. *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? & suppleta est scriptura dicens. Credidit Abraham Deo.* Notate benè illam ultimam clausulam, quæ mirabilis est. S. Jacobus inquit in memorabili illa occasione, quâ filium suum immolavit Abraham, Scripturam suppleisse celebre illud testimonium, quod fidei ipsius tribuerat dicens: Abraham credidit Deo; *& suppleta est Scriptura dicens: credidit Abraham Deo.* Ita, ut testimonium Scripturæ præcesserit; sacrificium verò Isaaci tot annis post fuerit subsequutum: nihilò seciùs testimonium præteritum ad sacrificium referatur futurum; quamdiu enim sacrificandi actus aberrat, Scriptura fuit velut suspensa & impedita, maximam illam fidei Abraham probationem per supplementam ejus, quod prædixerat, exspectando. Quousque Abraham non sacrificavit, nec magnanimitas ejus nec præstantia sufficienter erat qualificata, nec Scripturæ testimonium integrè completum: quando verò ad sacrificium peragendum se accinxit; & Scriptura & Abraham perfectè suum suppleverunt: Abraham suam fidem, Scriptura suam veritatem: *Et suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo;* ut pateat, quàm certa sit assignata à nobis ratio differentiæ inter credere in Deum, & credere Deo: credere in Christum, & credere Christo: & quod tantummodo Deo & Christo credat, uti

Epist. Jacobi c. 2. v. 23.

oportet,

oportet, qui contra naturæ repugnantias. & ſuper omnes proprii amoris leges promptè & conſtanter obedit : ſed quia iſta nobis deeſt reſolutio & animus ; & in iis, quæ Chriſtus aut præcipit aut conſulit, infirmamur, timori & horrori & difficultati ſuccumbimus ; idcircò credendo in Chriſtum, non credimus Chriſto. Hæc vera eſt reſponſio ad iſtam quæſtionem : & hoc eſt iſtud verum *quare*, *quare non creditis mihi*?

§. VI.

CUm jam ſatisfecerim themati, diſcurſum meum abſolvi, &, ni fallor, probavi, quod promiſi. Concludendo ; quemlibet Chriſtianum interrogare mallem, vel ut quilibet interrogaret ſeipſum : ſuppoſiro, quod non credimus Chriſto, cuinam credimus ? ſi non credimus Chriſto in eo, quod nobis velut legitimus Dominus mandat ; in eo, quod velut verus Magiſter nos docet ; & in eo, quod tanquam verus amicus nobis conſulit : cui credimus, ſeu credere poſſumus, niſi alicui Tyranno, qui vi nos opprimat ; alicui proditori, qui nos decipiat ; alicui adulatori, qui nos perditum eat ? *Ne credas inimico tuo in æternum*, inquit Spiritus ſanctus. Et qui ſunt iſti, quibus credimus, niſi tres illi animæ noſtræ hoſtes ? Tyrannus vim nobis inferens, & in ſervitutem redigens eſt mundus : Proditor mentiendo nos decipiens eſt diabolus : Adulator guſtui & ſenſui grata ſemper loquendo, nos præcipitans & perdens eſt caro. O caro ! ô natura corrupta ! ô apperitus depravatus ! ô fragilitas & miſeria humana ! quàm facilè apparenti bono delectabili te ſubditis ; & quàm cæcè & potenter honeſto & utili reſiſtis ? non credis illi, qui cœlum tibi reſeratum promittit, & credis illi, qui tibi illud occludit ; non credis illi, quia ex amore tibi minatur infernum, & credis illi, qui ſub dulcedine mentita, te ad illum adducit & præcipitat ! talis eſt noſtra cœcitas, talis noſtra inſania, talis noſtra infirmitas eſt & vecordia.

Eccl. 12. v. 10.

Abraham credidit Deo necdum homini : credidit Deo, antequam incarnaretur, & pro eo moreretur : & nos poſt vitæ ipſius exempla rebelles, & poſt mortis ipſius excellentiam ingrati non credimus Chriſto ? Poſtquam Chriſtus reliquit cœlum, non mandat nobis relinquere patriam, velut Abraham : Poſtquam Chriſtus cruci fuit affixus, non præcipit nobis ſacrificare filios : & non erubeſcimus, quod homo legem non habens, niſi illam naturæ, contra validiſſimas ejuſdem naturæ repugnantias fidem & animum habuerit ad credendum Deo, tam duras ſibi leges ponenti : Vivimus adeò ſalvationis ſecuri non credendo Chriſto, ſolummodò quia credimus in Chriſtum. Ecce, quid textus fidei Abrahami adjungat : *Credidit Abraham Deo, & reputatum eſt illi ad juſtitiam. Credidit Abraham Deo*, & ex hoc juſtus eſt habitus, & quà talis canonizatus. Quia credit Deo (inquit) & non, quia credidit in Deum. Fides, quâ in Deum & in Chriſtum creditur, eſt fides juſtorum & peccatorum ; fides, quâ Deo & Chriſto creditur, Juſtorum tantùm eſt fides : hæc enim alteram tranſcendens juſtificat & ſalvat. Multi, qui in Deum & Chriſtum crediderunt : agunt in inferno : & ex illis, qui ad rationis uſum pervenerunt, illi ſoli ſalvantur, qui credunt Deo & Chriſto.

Enim

Enim verò ne communi Christianorum & Catholicorum fide, quâ ab hæreticis discernimur, nobis blandiamur; veritates istas unâ veritate, quam nos Lusitani parvi pendimus, quæ tamen anxios nos & sollicitos valde reddere deberet, absolvam. Fiduciam magnam concipimus in eo, quod firmiter tanquam fideles Catholici credimus in Christum? Ego nunc ex parte ejusdem Christi vobis loquor veritatem; quod si defecerimus in secundo credendi modo, etiam primus deerit nobis: & si non credimus Christo, timendum nobis, ne etiam credamus in Christum. Anglia, Hollandia, Dania, Suecia & tot aliæ Provinciæ & nationes Europæ, vel totaliter perditæ, vel hæresi infectæ, etiam fuerunt Catholicæ sicut & nos; similiter floruerunt in fide, multosque & magnos Sanctos protulerunt Ecclesiæ. Quare verò illos ab Ecclesia eadem & sana doctrina, quam illa docet, defecisse putamus? Dicant hoc doctrina & Magistri eorum. Lutherus, Calvinus, & alii, qui illos in suos errores induxerunt, etiam credebant in Christum, sed quia non credebant Christo, jam non credunt in illum, impugnant, negant Evangelium, quia non crediderunt Evangelio. Tradiderunt se licenter vitiis & peccatis, quæ quia confiteri noluerunt, Sacramentum Confessionis negârunt: laxârunt frœna turpitudini & concupiscentiis; & quia noluerunt servare continentiam, abnegârunt castitatem; tradiderunt se ebrietatibus & gulæ intemperantiis; & quia sobrietatem colere detrectârunt: jejunium & pœnitentiam abdicârunt. In omnibus inclinationem naturæ & vitæ libertatem sunt sequuti: & quia noluerunt operari benè, necessitatem & meritum bonorum operum sustulêre. Relicta denique lege Dei tanquam fideles, & rationis tanquam homines; aliam formârunt, quam Religionem vocant; in qua tantùm creditur commodis, & obeditur appetitibus. Ecce quæ fides conservari poterat inter brutales mores? Retinent Baptismum & nomen Christianum, sed verè sunt athei: & quia non crediderunt Christo, eò devenerunt: ut nec crederent in Christum. Hisce mediis & dispositionibus invecta, tot Regna corripuit pestis, quæ dicitur hæresis. Et faxit Deus, ne ex Septentrione etiam ad Occidentem transeat: nondum hîc appulit, sed jam est in via; & quoniam vitia illi expediunt platea, haud difficilis erit transitus.

§. VII.

NOn erit illi (repeto) difficilis transitus; nam sicut illi, qui credunt Deo, facilè transeunt ad credendum in Deum: pari ratione de non credendo Christo, facilè transitur ad non credendum in Christum. Ninive maxima erat urbium totius mundi; inquilini infiniti, omnes Gentiles sine fide & cognitione Dei, moribus corruptissimi & abominabiles, Regique suo per omnia similes, qui tunc erat infamis ille Sardanapalus; nihilominùs, Scriptura teste, omnes Ninivitæ uno eodemque die crediderunt in Deum: *Cœpit Jonas prædicare itinere unius diei, & crediderunt viri Ninivitæ in Deum.* Jona 3. v. 5. Hi homines isti erant gentiles, & tot milleni; adeoque habituati in vitiis, quæ vel maximè tenebras offundunt intellectui, & indurant voluntatem; quomodo tam facilè crediderunt

runt in Deum? Crediderunt in Deum, quia crediderunt Deo. Deus prædicatione Jonæ ipsis notificare voluit, quadraginta dierum curriculo absoluto civitatem ipsorum terræ hiatu subvertendam. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Et ex prædicatione perterriti; & ex punitione interminata timore perculsi, Rex & populus credidit futurum, quod Deus per Prophetam illis intimabat: & quoniam crediderunt Deo, mox etiam crediderunt in Deum. *Crediderunt Viri Ninivitæ in Deum.* Agnoscamus igitur veritatem. Quod si de credendo Deo tam facile transitur ad credendum in Deum; similiter de non credendo Christo, eâdem facilitate transitur ad non credendum in Christum. Non ego, sed S. Paulus hoc dicit. Loquebatur S. Paulus cum Timotheo, meliore Christiano quam nos, & de cujus fidei ruina metus minor subesse poterat: Timotheus erat Apostoli Discipulus, adeoque in fide Christi provectus; ut in hujus ejusdem Epistolæ inscriptione ipsum dilectum in fide filium compellet; adeò in sanctitate profecerat, gratiis cœlestibus ita cumulatus, ut sublimissimas illustrationes, divinasque revelationes haberet: nihilominus magnus ille Magister, Gentiumque Doctor in primo mox capitulo, illum exhortando sollicitum esse cupit his verbis. *Commendo tibi fili Timothee secundum præcedentes in te Prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* Q. d. Commendo tibi fili Timothee, ne tantum revelationibus tuis credas, ut vitam negligas; in corde & operibus tuis semper cum fide conscientiam bonam, & cum conscientia bona fidem conjunctas habeas: multi enim in hoc Ecclesiæ primordio non facientes casum de conscientia, naufragium fecerunt in fide. Prô quantopere conspectis istis naufragiis timendum, ne & hæc navis, in qua navigamus, idem patiatur! Hæc in vexillis crucem & Christi vulnera præfert; sed quando conscientiarum futuræ adeò laceræ apparent; quando tam parum credimus Christo, & doctrinæ ejus, quid aliud sperandum restat, quàm quod tot aliis accidit? peccata nostra non magis sunt privilegiata, nec minora peccatis eorum: & si, peccatis eos demergentibus, naufragaverunt in fide; quare non similem nobis timeremus infelicitatem, & ne similiter quandoque dicatur de Lusitanis (quod Divina misericordia avertet) *circa fidem naufragaverunt.*

1. *Tim.* 1. v. 19.

S. Paulus Timotheo in exemplum ob oculos ponit binos in primitiva Ecclesia valde nominatos, Hymenæum scilicet, & Alexandrum; qui eò, quod statutis consiliisque Evangelicis se non accommodarent; receptâ jam fide, ab ea apostatârunt. Ego verò, epilogi loco, aliud exemplum, illis temporibus similiter vicinum, magis tamen terribile & horrendum memoriæ vestræ imprimere volo. Anno Christi 260. in civitate Antiochena (ubi prius fidei Cathedram fixit Petrus quàm Romæ) Sacerdos quidam Sapricius nomine, ob Christi confessionem fuit captus: carcere aliisque tormentis constanter toleratis, ad locum tandem martyrii, eâdem durante constantiâ deductus est. Struj lignorum jam imposito instar Isaaci, cum Tyrannus capiti

Baron. *Spondan.* *Christi Anno 260*

capiti amputando pararet ictum, Nicephorus, quo cum ipsi inimicitiæ fuerant, pedibus ejus advolatus petit, ut in illa saltem hora se in gratiam recipiat, benedictionemque impertiat. Quid putatis, Auditores, responsi dandum fuisse à Sapricio, & quid faciendum tali casu? clarum est, quod si illum non posset ambobus amplexari brachiis, eo quod manus haberet ligatas, omni saltem cordis affectu, & possibili suavitate verborum illum recipere deberet in animam, quæ tam gloriosè jam proficiscebatur in cœlum, quam pro Christo tradebat. Sed, casus inauditus, & supra omne imaginabile obstupescendus. Sapricius indignabundus eum à facie sua recedere jussit, quod tali homini reconciliari nollet, tantusque adhuc perseveraret, quantus unquam inimicus ipsius fuisset; seque hac occasione mundo palam facturum, quod usque ad mortem inimicus illius perseveret. Hujusmodi responsum à tali persona, & in tali hora omnem fidem humanam excedere videtur: Divina verò Providentia voluit, ut acta torius successus, & testimonia authentica hodiedum adhuc extent, teste Baronio, ne tam horrendi casus vacillaret fides, & illius, quod adhuc gravius est.

Sed, antequam progrediar, auscultet me Sapricius, cum jam audire dedignetur Nicephorum. Homo, Sacerdos, monstrum, vides ubi sis? recordaris quid tis? attendis quid esse velis? stas sub gladio Tyranni, vis esse Martyr, & non recordaris, quod sis Christianus? non meministi Christum dicere (& quidem graviter dicere) *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*? quomodo ergò non amas illum, qui si inimicus tuus fuit jam non est; &, quod plus est, quando ille pedibus tuis advolutus, à te veniam precatur? non recordaris eundem Christum dicere: *Si offers munus tuum ad altare, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo, si frater tuus habet aliquid adversum te.* Cum igitur Nicephorus veniat reconciliari tibi, tuque stes ad vitam sanguinemque tuum sacrificandum pro Christo, quomodo non aceptas amicitiam ejus, & sicuti vixisti; ita mori in odio non times? Hîc videbitis Christiani, quomodo certum est, quod prædicavi, quod nos omnes, qui credunt in Christum, credant Christo. Sapricius tam constanter credebat in Christum, ut ad confitendam suam fidem, vitam profundere esset paratus: & eodem tempore tam parùm credebat Christo; ut contra duo expressa doctrinæ ipsius præcepta, nec amaret suum inimicum, nec cum illo in gratiam redire vellet.

Matth. 5. *v.* 44.

Matth. 5. *v.* 23.

Et, ut etiam videatis in eodem casu, quam certum sit, quod pro conclusione dicere cœperam, quod, qui non credit Christo, facile transeat ad non credendum in Christum; majori cum stupore audite, qui ad istud Sapricii responsum fuerit subsecutum. Mox ut Sapricius responsum dedit Nicephoro, qui quamvis inimicus esset, illi reconciliari detrectans, ad carnificem ictum jam vibrantem conversus, ensem suspendi precatur. Et quare? quia jam (inquit Sapricius) non sum Christianus, abnegato Christo idolis incensum offerre paratus. Ita dixit & ita fecit verus & falsus Catholicus; in momento

mōmento de Sacerdote in ſacrilegum, de Martyre in apoſtatam, & de Chriſtiano in idololatram tranſeundo *Sapricius* (concludit in Baronius) *Vita jam oppignoratâ martyrio, quod veteri od o flagraret in Nicephorum, ipſum propè ictum vibrante carnifice, Chriſtum negans idolis ſacrificavit.* Poteſtne dari exemplum terribilius, quod magis timere & tremere faciat omnem Chriſtianum? ſed hoc modo deveniunt ad non credendum in Chriſtum, qui doctrinæ Chriſti non credunt Nondum ſatis eſt dictum. Solus Sapricius non eſt ille Chriſtianus & Sacerdos, in quo ſimilis tragœdiæ actus repræſentatur. *Confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant.* Non negant Chriſtum ore, ſed negant operibus: non offerunt incenſum idolis; ſed idola habent quibus corda ſua ſacrificent: non profitentur publicè gentiliſmum, ſed palam & clam vivunt ſicut athei. Credamus, credamus Chriſto, & ſecuram habebimus fidem, quâ credimus in Chriſtum: & ſi neceſſe fuerit pro illa vitam immolare, etiam illam dabimus conſtanter, & ſine vacillatione. Talis fuit (continuat hiſtoria) talis fuit admiranda cataſtrophe, quâ fortuna à Sapricio non merita, in eodem theatro, eodem momento, eodemque continuante actu tranſiit ad Nicephorum. Jam carnifex malè formidatum, ſine ſanguine in vaginam recondebat gladium, infirmitate & retractatione apoſtatæ contentus: cùm ecce à pedibus ipſius, ubi veniam petitam non obtinuerat, ſeſe erigens Nicephorus, & animosè in locum illius ſe ſubſtituens, hîc ſum (alta voce dixit) ſum Chriſtianus; iſte locus meus eſt: nec fidei Chriſti deeſſe poterunt propugnatores, nec altaribus ejus victimæ: ecce pectus apertum & collum nudatum; quod in altero inchoaſti ſacrificium, in me conſumma. Non ſuſtinuit plura verba furor Tyranni, neque patientiam habuit ad majora & prolixiora inferenda tormenta, ab ultimo executionem exorſus. Novus meliorque Martyr eâdem conſtantiâ & alacritate lethalem excipiens ictum, amputato ſibi capite reportavit coronam. Talis fuit finis Nicephori, taliſque Sapricii, uterque amborum fide dignus. Sapricius credidit in Chriſtum, ſed non credidit Chriſto, & perdidit Chriſtum æternum. Nicephorus credidit in Chriſtum, & credidit Chriſto, & fruitur & fruetur Chriſto per omnes æternitates,

Amen.

Baron.

Ad Tit. 1. v. 16.



SERMO
DE
BEATISSIMA VIRGINE
MARIA DE GRATIA,

Dictus Ulyssippone in Ecclesia Beatissimæ MARIÆ Reginæ Martyrium, Anno 1651.

Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus. Joan. 19.

§. I.

PRæsens Evangelium nobis hodie proponit Ecclesia: quod si penes me staret electio, illud non adducerem. Si Festum est de Gratia, quare similiter Evangelium non esset de gratia? quod in die Conceptionis & Nativitatis Beatissimæ Virginis Mariæ Ecclesia proprium nobis non proponat Evangelium; quodque nobis Prædicatoribus laborandum sit ut textum festo accommodemus, vel festum accommodemus textui, operosus est labor, sed necessarius: Evangelistæ enim mysteria illa silentio transierunt. Sed infesto Gratiæ tam expresso & ita exaggerato in Evangelio? Profectò, nisi tam vetusta esset accommodatio, cogitare liceret, etiam Evangelia temporum fortunâ comprehendi. Congruentioribus relictis, & iis, quæ minùs congruunt, accommodatis. Nunquid erat gratia, & plus quàm gratia in cap. 1. S. Lucæ? nunquid terminis claris ex ore audiremus Gabrielis: *Ave Maria gratiâ plenâ.* Nunquid ex eodem Angelico ore audiremus: *Invenisti Gratiam apud Deum*: Quænam meliores & aptiores duæ bases ad erigendum super illas Non plus ultra gratiam Mariæ, quàm bina ista magna Angeli testimonia: unum, quod plena sit gratiâ; alterum, quod inventrix sit gratiæ; & nihilominùs Ecclesia nobis in hac die neget aut dissimulet tam splendidas & duplices Mariæ luces? & venientes ad ejus audiendas & admirandas excellentias, inter tenebras & eclipses Calvarii collocet, arboream ob oculos ponendo crucem: *Stabat juxta crucem.* *Luc. 1. v. 30.* *Joan. 19. v. 25.*

Agedùm? inquirenti mihi mysteriosæ hujus improprietatis causam (quæ mysterio vacare nequit) & attentè crucem erectam, & stantem juxta illam Beatissimam Virginem contemplanti, crux in duabus illis figuris, quibus toties in veteri

teri teſtamento illam ſignificatam videmus; ſcilicet, in figura virgæ, & ſtateræ, repræſentata occurrit. Figura crucis fuit virga Joſeph à Jacob adorata: jam tunc temporis enim ſacrum & benedictum lignum adoratione latriæ cœperat venerari. Figura crucis fuit virga Aaronis germinans: Crux enim finaliter ſortitura erat titulum, Nazarenum, id eſt, floridum. Figura crucis fuit virga, quæ tangendo Gedeonis ſacrificium accendit: ſuo enim contactu Redemptor noſter crucem ſanctificavit, ſummum in ea ſacrificium conſummans. Figura crucis fuit virga Aſſueri, quæ ſuper Eſther extenſa, & illam & omnem populum ejus à tyrannide Amani; veluti crux nos omnes à generali ſententia mortis liberavit. Figura crucis fuit virga ex Sion emiſſa ad dominandum omnibus Gentibus, illaſque victas (ſicuti crux Chriſti eas ſuppoſuit) pedibus Chriſti ſupponendas. Denique figura crucis fuit prodigioſa virga Moyſes. Virga Jonathæ melle fluens: & ſuper omnes virga Jeſſe, de cujus radice natus eſt fructus coronatus & benedictus ſacratiſſimi ventris Mariæ.

Gen. 47. *v.* 31. *Septua.* *Heb* 11. *v.* 21. *Num.* 17. *v.* 8. *Judic.* 6. *v.* 21. *Eſth.* 5. *v.* 2. *Pſ.* 109. *v.* 2. *Exod.* 4. *v.* 2. *1. Reg.* 14. *v.* 27. *Iſai.* 11. *v.* 1.

Enimverò ſi Crux erecta in Calvario, figurata fuit in virga; non minùs propriè extenſa brachiiſque expanſis ſimiliter figurata fuit in ſtatera. Figura fuit crucis ſtatera Job, cujus uni lanci ſua peccata, alteri verò ſua tormenta imponi optavit, Redemptorem præfigurando. Figura crucis fuit ſtatera Jeremiæ, in qua Propheta pretium terræ authenticè appendit in fidem ejus, quod Deus illam à captivitate Aſſyriorum foret reſtituturus. Figura crucis fuit ſtatera Babylonica; in qua Balthaſar appenſus unâ horâ Monarchiam perdidit; quæ tota tranſiit ad Cyrum per antonomaſiam Chriſtum Domini vocatum. Figura crucis fuit ſtatera Iſaiæ, (velut libra firmamenti) in qua tribus Dei digitis tota terræ moles appenſa, non niſi unum atomum ponderat. Denique figura crucis Chriſti fuit ſtatera Ezechielis, in qua ille ſuos capillos non junctos, ſed diviſos appendit; Crux enim in die judicii erit illa fidelis libra, in qua omnium hominum merita ſeu demerita appendentur, ita, ut nec capillus remanſurus ſit non appenſus. Et, ut omnia nobis ſtabiliat & confirmet eadem authoritas, quæ nobis dedit textum: illa Eccleſiæ, præ cæteris omnibus magis idonea, hoc ita cantat: *Adſunt prodigia divina, in virga Moyſis primitus figurata.* Ecce hîc crucem in virga figuratam. *Statera facta corporis prædamque tulit tartaris.* Ecce hic eandem crucem in ſtatera figuratam.

Job. 6. *v.* 2. *Jer.* 32. *v.* 11. *Dan.* 5. *v.* 27. *Iſai.* 13. *Ezech.* 5. *v.* 1. *Eccleſia.*

Cum igitur Crux virga ſit & ſtatera, magnum illud nunc detegitur myſterium, quod in principio incongruentia videbatur: & apparet, quantâ elegantiâ & energiâ Beatiſſima Virgo Maria nobis oſtendatur juxta crucem, quando ad celebrandam ejus gratiam motiva quæruntur; quaſi eadem Eccleſia, quæ Evangelium applicavit, idem explicando nobis diceret: Vultis cognoſcere magnitudinem? vultis comprehendere gratiæ Mariæ immenſitatem? Ecce hic virgam, quâ illam metiri & menſurare: ecce hîc ſtateram in qua illam appendere oportet. *Stabat juxta crucem.* Menſurare & ponderare gratiam Mariæ, erit hodie meum aſſumptum. Quis verò immenſum menſurare? quis incomprehenſibile poterit ponderare? in crucis tantum ſtipite, ubi Deus fuit extenſus, menſurari; in crucis tan-

tùm brachiis, ubi Deus pependit, potest ponderari. In mensurando scio certò, vos fore attonitos : in ponderando optarem unicè, nos manere confusos. Ad omnia eadem gratia est nobis necessaria.

§. II.

Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.

NIhil diximus. Et ecce, unde mensuranda Beatissimæ Virginis gratia. Maternitate, & non cruce metienda foret. Per ly, *Mater ejus*, & non per ly, *juxta crucem*. Nam esse matrem Dei, est mensura gratiæ Mariæ proportionata. S. Damasc. S. Epiphan. S. August. S. Bern. S. Bonav. Sed quid opus est illos nominare ? Omnes Patres, omnes Doctores, quantò magis ponderant, quantò magis exaggerant ; quanto magis ad cognoscendam gratiam Beatissimæ Virginis demonstrare nituntur, illam maternitate Deiparæ metiuntur, Maria tantâ decorata fuit gratiâ, quantâ decoratam esse oportebat illam, quæ digna fuit, ut Mater Dei existeret. Hoc concorditer omnes Doctores asserunt, & hîc omnes exaggerationes sistunt. Sed pace omnium, eâdem favente Virgine, pro majori gratiæ ipsius gloria, hodie de illa dicere statui, quod hucusque non fuit dictum.

Dico, quod, cùm Maria sit Mater Dei, non sit illud mensura sufficiens, ex qua gratiæ ipsius magnitudinem cognoscamus ; gratia enim Mariæ fuit major, quàm gratia Matris Dei. Idem repeto, & magis explico. Beatissima Maria posset esse Mater Dei cum omni gratia necessaria, & maternitati Dei Genitricis proportionata, nec tamen tantam habere gratiam, quantam habuit. Ergò gratia Mariæ major est, quam gratia Matris Dei. Ergò maternitas Dei Genitricis absolutè considerata non est mensura gratiæ Mariæ Quoniam iste dicendi modus tam novus hodie primùm prodit in publicum, ut super fundamenta solida fundetur ; licentiam mihi utique dabitis, nonnihil scholasticè discurrendi.

Argumentor ita. Quando Beatissima Virgo Maria Verbum æternum suo in utero concepit, tantâ gratiæ abundantiâ eam Deus implevit, quantam congruum erat habere eam, quæ ab ipso instanti digna erat, ut Mater Dei esset. Quod Angelus significare voluit, dicens : *Ave gratiâ plena.* Illudque declarat sanctus Thomas hoc modo : Dicitur *gratiâ plen : quia scilicet habuit gratiam sufficientem ad statum illum, ad quem electa est à Deo, scilicet, ut esset Mater Unigeniti ejus.* S. Tho. Sed sic est, quod Beatissima Virgo Maria post mysterium Incarnationis, & ad pedem crucis potissimum meruit, & incomparabiliter in gratia crevit. Ergò gratia Beatissimæ Virginis fuit major gratiâ, quàm gratia Matris Dei absolutè considerata. Argumenti hujus efficacia adeò est evidens, ut illâ utique moti subtilissimus Scotus, S. Joannes Damasc. Guerricus Abbas, & nonnulli alii Patres ac Theologi istius fuerint opinionis, quod Beatissima Virgo ab instanti conceptus Verbi Divini in gratia non creverit. Eorum consequentia foret bona, si supposítum esset verum. Supposuerunt Beatissimam Virginem non plus habere gratiæ quàm quæ Matri Dei foret proportionata. Ergò si Beatissima

Virgo

Virgo Maria in instanti Incarnationis omnem habuit gratiam illi dignati proportionatam, benè sequebatur, quod in gratia crescere non poterat. Nihilominus cum sit certum (prout est communis Theologorum sententia, & doctè ac largè probat Suarez) quod Beatissima Virgo semper in gratia crevit, sequitur, quod majorem habuerit gratiam gratiâ Matris Dei.

Amplius. Casu quo Adam non peccâsset (poterat enim non peccare) quærunt Theologi, utrum Deus homo fuisset factus; communiusque resolvunt, quod sic. Tali casu Beatissima Virgo Maria habere debebat gratiam proportionatam gratiæ Matris Dei, & nihilominùs non habuisset magnam partem gloriæ ejus, quam habet hodie. Probo: nam tali statu abfuissent asperitas & abjectio præsepii: persecutiones Herodis: exilium Ægypti, gladius Simeonis; peregrinationes in Judæa: non fuissent prætorium Pilati, nec Calvarius, nec Crux, nec spinæ, nec lancea, nec deserta & solitudines, neque tot aliæ patiendi & merendi occasiones, quæ peccati Adami consequentiæ fuerunt. Verum est, quod horum actuum loco Beatissima Virgo Maria semper exercuisset actus alios gratiâ dignissimos, non tamen ita fuissent meritorii sicut illi: sicut nec alii, quos Beatissima Virgo totâ vitâ suâ exercuit. Benè igitur infertur; Beatissimam Virginem Matrem majori cumulatam fuisse gratiâ, quàm si Adam non peccâsset. Nihilominùs, si Adam non peccâsset, Beatissima Virgo Maria vera fuisset Mater Dei, cum gratis dignitati illi proportionata. Habuit igitur majorem gratiam gratiâ Dei Matris. Vota illa doctrina magis est conformis illi sancti Pauli, qui ait, peccatum Adami majoris fuisse gratiæ occasionem: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Si Adam non peccâsset, fuisset Beatissima Virgo cum gratia abundante: & quia peccavit, fuit Mater Dei cum gratia abundantiore: *Superabundavit & gratia.* *Ad Rom. 5. v. 20.*

Magis. Sicuti incarnata est secunda Sanctissimæ Trinitatis Persona; sic incarnari potuisset etiam tertia. Supponamus itaque Spiritum sanctum hominem factum, hoc casu duæ deberent esse Matres Dei. Una Beatissima Virgo Maria; & altera Mater Spiritus Sancti; sed Mater Spiritus Sancti non fuisset habitura tantam gratiam, quantam habuit Beatissima Virgo Maria. Ergò Beatissima Virgo Maria, plus habet gratiæ, quàm sit illa, Matris Dei absolutè. Et quod Mater Spiritus Sancti non tantam habuisset gratiam probatur: nam (sicut SS. PP. Theologia & divinæ Providentiæ ratio docet) Deus convenientem officiis, ad quæ elegit, gratiam largitur. Et Mater Spiritus Sancti, quamvis Regina foret hominum & Angelorum, & suprema omnis creaturæ Domina non aliis magnæ dignitatis & meriti gauderet officiis, quibus gavisa fuit Beatissima Virgo Maria, quia sicut mundus jam erat redemptus, errorum Evæ non fuisset correctrix, non fuisse corredemptrix, vel saltem Redemptionis cooperatrix, non fuisset Christo in fidei propagatione succedanea, Apostolorum Magistra, prima & suprema Ecclesiæ lucerna, nec aliis similibus gavisa titulis, &c. ex quorum exercitio ingentia gratiæ incrementa resultabant.

Ne-

Neque inconveniens est considerare, futuram fuisse Matrem unam quæ alteri gratiæ abundantiâ cedere debuisset: nam similiter humanitas Verbi aliquam habet gloriæ prærogativam, quæ tali casu Spiritus Sancti humanitati non competiisset: ut minimum enim Christum singularem esse oportebat, illâ incomparabili gloriâ Redemptoris, de qua loquitur S. Paulus. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen quod est super omne nomen.* Si igitur duo homines essent Dii: alter eorum majores gloriæ prærogativas habere deberet; quid ergò mirum, si duæ essent Matres, quod una earum gratiæ prærogativis excederet?

ad Philip. 2. v. 9.

Ulterius, Graves Doctores dicunt, Christum cruce onustum Calvariæ montem ascendentem, quando Beatissima Virgo vidit, ipso instanti spasmum fuisse passam; adduntque hodiedum adhuc videri vestigia templi, eodem loco exstructi, sub nomine & titulo spasmi. Historiæ hujus veritatem probare non attento: sed supponamus ita accidisse, Beatissimamque Virg. Mariam vel in hoc passu, vel quando filium quem intimè & plusquam se ipsam diligebat, acclavari, erigi & expirare in cruce vidit, non solùm animi deliquium passam, sed omninò præ dolore mortuam. Interrogo, num Beatissima Virgo Maria in tali statu moriendo habitura esset gratiam, & gloriam Matris Dei? Clarum est, quod sic. Nihilominus necdum habebat gratiam quam meritura erat ad pedem crucis; neque illam, quam toto vitæ suæ spatio postea promeruit, intensissimi amoris divini, omnium virtutum admirandis actibus ditata: ergo in cruce & consequentiis ejus (quæ omnia fuerunt consequentia ejus, prout mox videbimus) Beatissima Virgo crevit in majori gratia, quàm gratiâ Matris Dei.

Videmur probâsse rationibus; sed quid de Authoribus? & quænam mea culpa, si illi hoc punctum non tractârunt? sed jam cùm desint Authores homines, succedant Authores Angeli: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, amicta ut sol?* Ita dicunt Angelis in canticis loquentes cum Beatissima Virgine Maria: ubi triplici eandem luci comparant, scilicet auroræ, lunæ & solis. Triplicis hujus lucis unam tantùm intelligo, aliàs minimè. Quod Beatissima Virgo Maria luci comparetur auroræ, valde sit propriè: sicut enim ab aurora nascitur sol, sic ex Beatissima Virgine Maria natus est sol justitiæ Christus. Sed quod postquam B. Virginem comparârunt auroræ, illam etiam lunæ comparent & soli? Hoc non capio. Sol lucis magnitudine auroram excedit: & luna lucis magnitudine cedit auroræ, quæ est lux propria Matris Solis: quare illam etiam comparant Soli, qui plus: & lunæ, quæ minus habet lucis quàm aurora? Ex eodem capite & causa: quid B. V. Maria, pro vitæ suæ statuum diversitate comparata in uno gratiam habuit æqualem gratiæ Matris Dei: in altero minorem habuit gratiam gratiâ Matris Dei: in alio majorem habuit gratiam gratiâ Matris Dei. In incarnatione habuit æqualem, hinc aurora: ante Incarnationem habuit minorem, hinc luna. Post incarnationem majorem habuit gratiam gratiâ Matris Dei, proinde Sol. *Quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.*

Cant. 6. v. 9.

Enim-

Enimverò, ne Angelicas inter voces omninò desit aliqua humana, alicujus ex maximis scholæ D. Thomæ Magistris (quamvis etiam Angelica sit) doctissimi Soti referam verba : *Fuit quidem gratiâ plena ante conceptionem Filii, quantum par erat, ut fieret Christi Mater ; attamen gratia illa non fuit eo modo summa, ut non posset deinceps meritis augeri.* Dixerat sanctus Thomas, gratiam Beatissimæ Virginis Mariæ in Conceptione & Incarnatione Verbi fuisse consummatam : ast magnus ille Theologus explicat modum, quo consummata sive summa fuit. Fuit consummata & summa ; in Conceptione enim Verbi completè omnem illam accepit gratiam, quæ necessaria erat, ut digna Dei Mater esset : non tamen ea sic fuit summa & consummata, quin deinceps in majori merito & gratia crescere posset, sicuti verè crevit. Sotus ponit antecedens, & consequentiam deducere omisit. Ergò gratia Mariæ major fuit gratiâ Matris Dei, præcisè & absolutè consideratâ. Sed ad unam tantum Theologiæ istius objectionem (prima fronte non facilè solubilem) respondendo glorioſa ejus veritas magis patebit.

Sotus.

§. III.

Beatissima Virgo Maria ampliorem non habuit gratiam quàm officii, ad quod fuit prædestinata, fuit prædestinata ut Mater esset Dei ; cum gratia supremæ illi dignitati competente : ergò ampliorem non habuit gratiam, illâ gratiâ Matris Dei. Quod Beatissima Virgo Maria ampliorem non habuerit gratiam, quàm officii, ad quod fuerat prædestinata certum est : sed eodem ex capite ampliorem habuit gratiam, illâ Matris Dei præcisè. Quare ? quia prædestinata fuit, ut esset plus quàm Mater, & Mater Dei præcisè. Nunc videtè. Prædestinata fuit, ut esset plus quàm Mater, & Mater Dei præcisè : prædestinata enim fuit, ut esset Mater valde dolorosa, Mater afflicta, Mater anguſtiata, Mater mortificata & quasi crucifixa, qualis cum Filio fuit : *Juxta crucem* : & tormenta, afflictiones, anguſtiæ, cruciatus in præcisum Matris conceptum non intrant : sunt ad plus ultra. Beatissima igitur Virgo maria ad plus, quàm ad Matrem fuit electa. Et similiter ad plus quàm ut Mater esset Dei præcisè, fuit electa. Deus enim, cujus illa Mater fuit, fuit Deus Redemptor, fuit Deus passibilis, Deus crucifixus, Deus mortuus, Deus sepultus : & redemptio, passibilitas, crux, mors, sepultura in Dei hominis conceptum præcisum non intrant : sunt exceſſus multò majores. Ergò Beatissima Virgo Maria prædestinata & electa fuit, ut esset plus quàm Mater Dei præcisè. Quoniam Beatissima Virgo Maria ad quid ultrà matrem : & Matrem Dei absolutè, fuit electa. Hinc etiam gratia, ad quam fuit prædestinata, major fuit gratiâ Matris Dei.

Porrò punctum istud in toto Theologiæ rigore benè declaremus. Mysterium Incarnationis Verbi decretis duobus, uno ante, altero post Adami peccatum, determinatum fuit. Ante præviſum Adami peccatum decretum fuit, ut Filius Dei fieret homo, sine alio fine pro tunc, quàm illo gloriæ divinæ, & ut supremum humani generis caput, causa finalis esset, omniumque prædestinatorum exemplar, atteſtante sancto au- *Rom. 8, v. 29.* lo : *Quos præscivit & prædestinavit con-* *Coloſſ. 1, v. 18.*

formes fieri imagini filii sui : ut sit ipse primogenitus in multis fratribus : ut sit ipse primatum tenens. Post prævisum Adami peccatum extensum est decretum; ut Dei Filius fueret non tantùm homo absolutè; sed homo in carne passibilis, ut pati posset & mori, & ut mediante morte crucis, sanguinisque sui pretio, ejusdem generis humani gloriosus esset Redemptor, cujus jam Dominus erat, eodem testante Paulo : *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat authorem salutis eorum per Passionem consummare.*

Heb. 2. v. 10.

Bina hæc decreta, Michæas Propheta, proprietate hucusque non observata admirabiliter declaravit. Michæas Christum in Bethlehem nasciturum vaticinatus mox addidit, sicut Christus exiturus esset in mundum, sic illum ab æterno è mente divina fuisse egressum : *Egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Sed quod hucusque difficultatem faciebat, erat Verbum *Egressus* non accipiendum in singulari, sed plurali : nec significare velle exitum seu egressus, sed egressiones. *Egressus*, id est, *Egressiones.* Ita legitur in Textu Hebraico & Græco. Si igitur Verbum in tempore semel tantùm egressum est in mundum; egressum ab æternitate, in qua decretus & prædestinatus fuit idem egressus, quare Propheta non vocat egressum, sed egressiones, *Egressiones ejus*? Ratio est, quia propriè ita fuit, & ita Propheta dicere debebat. Christus egressus est è mente Dei ab æterno, non unâ solummodò, sed duabus vicibus prædestinatus. Primâ vice prædestinatus ante peccatum Adami, ut esset homo : secundâ vice post peccatum, ut esset homo mortalis & passibilis. Quia verò decreta prædestinationis fuerunt bina, unumque posterius altero : idcircò duo fuerunt egressus, & consequenter egressiones, & non egressio. *Egressiones ejus ab initio.*

Mich. 5. v. 2.

Verba, quæ sequuntur, mysterium mirabiliter amplificant & explanant : *Ab initio, à diebus æternitatis.* Binas istas egressiones, Propheta asserit fuisse ab initio, à diebus æternitatis : ergo ab initio, sine initio æternitatis fuêre dies? Intelligendum & supponendum est quod sic; quia Propheta id asserit. Et si fuerunt dies, quales isti fuerunt dies? duæ fuerunt luces scientiæ, vel præscientiæ divinæ secundùm ordinem decretorum distinctæ in Deo, quas necessariò præcedere debebant ipsa decreta. Attendite nunc etiam vos, qui Theologi non estis. Ut sint dies, ut minimum duos esse oportet, ut sint duo, nox una regulariter intercedere debet? & omnia ista fuerunt in casu, in quo versamur: quia inter diem primi decreti Incarnationis, & diem decreti secundi, nox peccati Adami media intercessit. In die primo ante prævisionem peccati, in qua solùm egressa fuerat lux scientiæ conditionatæ, Christus prædestinatus fuit, ut esset homo : in secundo die post peccatum prævisum, quod jam habebatur lux scientiæ visionis, prædestinatus fuit, ut esset homo passibilis. Et hi duo fuêre dies, duæque prædestinationes, quibus non unâ, sed duabus vicibus Christus ab æterno è mente divina fuit egressus : *Egressiones ejus ab initio, à diebus æternitatis.*

Ad

Ad intentum noſtrum nunc revertamur. In decreto primo quo Chriſtus prædeſtinatus fuit, ut eſſet homo, etiam ad gratiam & gloriam competentem homini, qui ſimul erat unigenitus filius Dei; fuit prædeſtinatus: *Gloriam quaſi unigeniti à Patre, plenum gratiæ.* In ſecundo decreto, quo prædeſtinatus fuit, ut eſſet homo mortalis & paſſibilis, prædeſtinatus non fuit ad majorem gratiam & gloriam eſſentialem, quia erat comprehenſor: ſed ad majorem gloriam & coronam accidentalem morte promeritam: *Videmus Jeſum propter Paſſionem mortis gloriâ & honore coronatum* Et ſicut, de illo, quod factum eſt ab æterno in prædeſtinatione filii, ita & pari paſſu, in prædeſtinatione matris philoſophari oportet. In primo decreto, ante præviſum peccatum B. V. Maria prædeſtinata fuit ut eſſet Mater Dei hominis, & ad totam illam gratiæ & gloriæ eminentiam non æqualem, ſed proportionatam tam ſublimi & ſublimiſſimæ dignitati debitam: per merita ſui ipſius filii in executione illi conferendam. In ſecundo decreto, poſt præviſum peccatum, prædeſtinata non fuit ut eſſet Mater Dei hominis (iſtam enim dignitatem, jam per decretum primum habebat) ſed ut Mater eſſet & ſocia hujus Dei hominis mortalis & paſſibilis: Et hinc omnes gratiæ & gloriæ exceſſus illi accreverunt, quos Beatiſſima Virgo Maria omnibus vitæ ſuæ actibus promerita fuit, qui paſſibilitatem & mortalitatem Chriſti, nec non pretioſiſſimam generis humani redemptionem, mediante morte crucis ſunt ſubſecuti. Revertantur Angeli, qui hodie ſunt Doctores noſtri.

Joan. 1. v. 14.

Ad Heb. 2. v. 9.

Angeli Reginam ſuam Matrem Dei in cœlum aſcendentem contemplantes admirati dicebant: *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum, ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris?* Comparatio Angelica! Incenſum in Chriſto denotabat divinum, & myrrha mortale: & ſub iſto myſterio, Magi jam mundum ingreſſo myrrham & Thus obtulerunt. Thus, velut Deo; Myrrham, velut mortali & paſſibili. *Quia Deum & paſſibilem credebant.* Aſcendit igitur Beatiſſimæ V. Mariæ anima tanquam aliquid ex thure & myrrha compoſitum, quod relictis cineribus in terra, in fumo recta tendit in cœlum: gratia enim, quâ mediante, B. Virgo ad ſublimitatem gloriæ aſcendit, partim illi tanquam Matri, à Chriſto quâ homine facto: partim, tanquam omnium ærumnarum ſuarum ſociæ à Chriſto, quâ mortali & paſſibili, fuit collata. Prima gratia fuit Maternitatis, & illa promerita per obſequia ſeu ſacrificia incenſi: Secunda fuit Crucis, & illa per tormenta ſeu ſacrificia myrrhæ promerita. In utra verò gratiarum harum Beatiſſima V. Maria magis crevit? in Maternitate, vel in Cruce? in thure, vel in myrrha; Idem Canticorum Textus hoc innuit: *Vadam ad montem myrrhæ & ad collem thuris.* Gratia myrrhæ & crucis vocatur mons: Gratia thuris & maternitatis vocatur collis: licet enim Beatiſſima Virgo, eò quod ſit Mater Dei præcisè omnem gratiam obtinuit ſublimiſſimæ huic dignitati proportionatam, nihilominus per aſſiſtentiam & ſocietatem, eidem Deo paſſibili in cruce exhibitam, & per immenſos labores & ærumnas cum ipſo & poſt ipſum in opere

Cant. 3. v. 6.

D. Anſelmus.

Cant. 4. v. 6.

redemptionis tolerata, tanta Beatissimæ Virgini gratia, præter illam primam accrevit, ut prima per se solam videretur esse collis, & secunda, respectu illius mons: *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Nolo dicere, quòd duplici illâ gratiâ seorsim consideratâ, major sit illa crucis. quàm illa maternitatis: sed tantùm dicere intendo, quod illâ crucis, huic maternitatis gratiæ superimpositâ Beatissimæ Virginis gratia longè major evaserit, quàm fuerat anteâ, & quod illa ejus debeat esse gratiæ mensura: non mensura, eò quòd *Mater ejus*, præcisè: sed præter, *Mater ejus*; quia *juxta Crucem. Stabat juxta crucem Jesu Mater ejus.*

Ibidem.

§. IV.

JAm video omnes mihi concedere, gratiam Beatissimæ Virginis Mariæ, per ly *Mater ejus* non sufficienter metiri: sed iisdem rationibus objicere mihi possunt, etiam non sustentialiter mensurari per ly *Juxta Crucem.* Gratia enim Beatissimæ V. Mariæ, non solùm crevit in die Passionis, quo ad pedem crucis stetit, sed toto vitæ ipsius tempore. Ita verum est, quod gratia Beatissimæ Virginis toto vitæ suæ tempore crevit: sed gratiæ incrementa, quæ majorem eam reddiderunt, quàm Matrem Dei, sola fuisse illa Crucis Gratia, quam B. Virgo meruit per alios vitæ suæ actus, pertinet ad gratiam Maternitatis: Conceptus enim Matris Dei præcisè vitam perfectissimam & sanctissimam includit: Gratia verò, quam meruit per mysterium Crucis, & per actus redemptioni annexos, sunt excessus, qui gratiæ Maternitatis accreverunt: nam in conceptu Matris Dei præcisè, nec redemptio, neque crux includitur: ergo per crucem tantùm, & non per mutationem, gratia B. Virginis mensuranda est; vel per crucem tantùm, & non per maternitatem, gratiæ ipsius immensitas potest comprehendi.

Gratia Beatissimæ Virginis Mariæ propter immensitatem suam aquæ elemento comparatur. Sub isto mysterio, Deus in principio mundi elemento aquæ nomen imposuit: *Congregationes aquarum vocavit Deus Maria: locus autem omnium gratiarum vocatur Maria*, inquit S. Albertus Magnus. Pro metaphoræ illius sequela valde considerandæ sunt duo illi termini, quibus, in veteri Testamento, maternitas B. Virginis & Crux Christi figurantur. Maternitas B. Virginis vocatur Navis: Crux Christi, vocatur arca Noë. Maternitas Beatissimæ Virginis vocatur Navis, in illa enim ex altero orbe delatus est panis, qui nobis vitam attulit in terram: *Facta est quasi navis Institoris, de longè portans panem suum.* Crux vocatur arca Noë, nam in illa, velut alterâ Noë Arcâ salvatum fuit genus humanum, ab universali naufragio mundi: *Sola digna tu fuisti ferre mundi victimam, atque portum præparare, arca mundo naufrago.* Ita ut gratia Beatissimæ Virginis Mariæ sit elementum aquæ; maternitas, navis; Crux arca Noë. Et quænam navis & arcæ differentia in elemento aquæ? differentia est, quia navis navigat per mare, arca per diluvium. Talis fuit gratia B. Virginis cum maternitate & cruce collata: sub maternitate fuit mare; sub cruce diluvium. Sub maternitate fuit mare, quod pro limite habet oras; sub cruce fuit diluvium, quod pro bolide habet horiz ntes.

Albert. Magn.

Prov. 31. v. 14.

Ita

Ita fuit, & necessariò esse debebat; gratia enim quam B. Virgo Maria promeruit ad pedem crucis, æqualis fuit ipsius dolori: dolor verò magnus fuit instar maris, *Magna est velut mare contritio tua.* Et mare unum altero mari auctum jam non est amore, sed diluvium. Et mare tantum facere potest ut crescat aliud mare: flumina continuò ad mare currunt, & illud non crescit: *Omnia flumina intrant in mare, & illud non redundat*; talis fuit maternitas Beatissimæ semper Virginis, inquit S. Bonaventura, *Maria dicitur mare propter fluentiam, & copiam gratiarum: unde dictum est; omnia flumina intrant in mare, dum omnia charismata Sanctorum intrant in Mariam.* Gratia Beatissimæ Virginis in maternitate fuit mare, ad quod cucurrerunt & concurrerunt omnes gratiæ, quas Deus seorsim omnibus Sanctis distribuit; sed sicut omnes istæ gratiæ non erant nisi flumina, adhuc mare mansit mare, neque gratia B. Virginis limites gratiæ Matris Dei excessit? verùm ad pedem crucis, quasi aperti fuissent abyssorum fontes, & solutæ cœli cataractæ, quasi mare pluisset super mare alterum; gratia B. Virginis tantùm crevit in se ipsa, ut mari matris egressa, intumescendo limites maternitatis transgressa gratia, major fuerit quàm gratia Matris Dei.

Thren. 2. v. 13.

Eccles. 1. v. 7.

S. Bona.

Omnes istos gratiæ excessus re vera B. Virgo jure optimo ad pedem crucis promeruit: justum enim erat, ut ad pedem crucis plus esset quàm mater in gratia, quæ ibidem plus quàm mater fuit in fortitudine & magnanimi constantia. In hoc Evangelio quod ordinariè magis considerandum, quod majorem movet scrupulum & afflictionem aggravat, sunt illa verba Christi, quæ asperiora videntur, quàm occasio dictaret: *Mulier ecce filius tuus.* Casus durus & acerbus, quod talis filius, tali matri, tali occasione nomen matris neget! Ego noto, in paucis hujus Evangelii verbis S. Joannem, Beatissimam Virginem, quater Matrem Christi appellâsse. *Stabat juxta Crucem Jesu Mater ejus*, primò. *Et soror Matris ejus*, secundò. *Cum vidisset Matrem*, tertiò. *Dixit Matri suæ*, quartò. Si Discipulus B. Virginem inquatuor verbis quater Matrem Christi compellat, quare Christus semel illam allocutus non vocat matrem? antequam respondeamus ad hoc dubium de Matre, eundem processum habemus in Patre. Post paulò, quàm Christus dicere absolvisset: *Mulier, ecce filius tuus*: elevatis in cœlum oculis ait: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* omnes considerant ly, *Dereliquisti*, ego non considero nisi ly, *Deus meus*, nunquid rationi magis fuisset consonum, quod Christus dixisset: Pater meus, Pater meus? videtur quod sic: saltem in aliis Passionis suæ actibus Christus sic fecit. Orans in horto dixit: *Pater, si possibile est.* Orans pro inimicis: *Pater, ignosce illis*: & spiritum suum commendans, *Pater, in manus tuas.* Si igitur Christus in aliis occasionibus Patrem suum patrem compellat, quare nomen Patris illi modo negat? num forsan ut satisfaceret Matri? non erat opus satisfactione, ubi non erant querelæ: sed factum est, quia in Patre & Matre eædem suberant causæ. Attendite hunc parallelum.

Joan. 19. v. 17.

Matth. 27. v. 46.

Matth. 26. v. 39.

Luc. 23. v. 34.

v. 46.

Christus cruci acclavatus levatis in cœlum oculis videbat quod Pater ipsum adeò derelictum morti tradidisset, ac si Pater non esset: demissis in terram oculis,

videbat Matrem, quæ tam cordatè ipsum offerebat Deo, quasi non esset mater: ita (ut inquit Rupertus) si Deus voluisset, B. V. Maria propriis manibus filium suum crucifixisset. Quoniam verò isti magnanimitatis & constantiæ excessus tam Patris, quàm Matris homines latebant, illis manifestandis filius, qui solus noverat, quid fecit? suppressis nominibus affectus, nomina naturæ expressit: & ad declarandum, quod Pater se non gereret ut pater, vocavit illum Deum: & ut manifestaret quod Mater se non gereret quasi mater esset; Mulierem, illam compellavit. Quod Patri dixit, videbatur querela, & fuit elogium: & quod Matri dixit, videbatur asperitas, & erat encomium. Ac si filius Dei, ac Virginis dixisset: noverit mundus tantam Patris mei esse integritatem, ut, cum Pater esset & Deus, me dereliquerit quasi pater non esset: noverit mundus tantam esse Matris meæ magnanimitatem, ut, cum sit Mater & Mulier, me offerat, quasi mater non esset. Utriusque encomium est grande, sed, pace Patris, B. Virginis fuit grandius. Pater sese gessit, quasi non fuisset Pater, sed Deus, *Deus meus*: Mater sese gessit, quasi non fuisset mater, sed Mulier, *Mulier*. Pater, contra se naturam, & pro se habebat affectum: Mater contra se habebat naturam, insuper & affectum; nam præter teneritudinem mulieris, pietatem & lenitatem habebat matris. O arma inæqualia! ast quænam victoria? Humanitas B. Virginis, ad pedem crucis in sese effigiando quicquid ibi agebatur, facta fuit speculum divinitatis Patris. Pater, velut qui nihil habebat humani: Mater, quasi tota fuisset divina: Pater immobilis; immobilis Mater, Pater firmus; Mater constans. Pater insensitivus; Mater quasi non sentiret. Pater impassibilis: Mater quasi esset idem: Ille, quia erat; hæc, quia videbatur. O Deus! ô Mulier! Una mulier eò perveniat per patientiam, quo Deus pervenit per impassibilitatem! *Per patientiam impassibilis* inquit S. Bonaventura. Mulier igitur vocetur & non mater, quæ sic se gessit ac si mater non esset: cumque plus sit quàm mater constantiâ, plus etiam sit quàm mater in gratia.

Rupert.

S. Bona.

Abraham quia suum immolavit filium, quasi non esset pater, in præmium accepit, ut esset Pater Dei: *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. Et Beatissimæ Virgini quæ suum obtulit filium, ac si non esset mater, quid præmii dabitur? si non esset Mater Dei, præmii vice, id ei dandum foret: sed quia jam Mater erat Dei, aliud Deo non suppetebat quod præmii loco staret, nisi ut ampliorem gratiam gratiâ Matris Dei acciperet: Maternitas dedit illi gratiam Matris Dei: Crux illi contulit ampliorem: non ergo rectè gratia ejus mensuratur maternitate, sed cruce: non per *Mater ejus*, sed per *juxta crucem*.

Gen. 28. v. 18.

§. V.

MEnsurasse jam videtur: restat nunc ut liberemus. Dantur quæ ponderosa apparent, & parum appendunt. Vidimus jam magnitudinem gratiæ B. V. Mariæ: restat nunc examinare quantum appendat. Circa gravissimam, & loco huic congruentissimam materiam versamur: scilicet ut gratiam Dei ponderemus. Quoties considero quàm leviter & facile homines gratiam Dei perdunt: quotiés oblivionem gratiæ considero, in qua homines vivunt; magis

adhuc

adhuc incuriam, quâ moriuntur, non aliam hujus cœcitatis invenio cauſam, quàm veræ cognitionis & conſiderationis defectum, quid ſit gratia Dei. Gratia Dei ſpiritualis eſt; & nos ſumus caro: Gratia Dei eſt ſupernaturalis; & nos in omnibus obſequimur naturæ. Gratia non videtur, non auditur, non palpatur; nos nihil percipimus, niſi quod per ſenſus intrat. Hinc venit, quod gratiam nec ponderemus, nec cognoſcamus, neque percipiamus, nec illam, ut par eſt, cognoſcere & ponderare ſciamus. Iſtud ego hodie à nobis fieri mallem. Enimverò quid in mundo tanti ponderis datur, quod cum gratia Dei in ſtatera poſſit apponi? per omnes mundi ſtatus diſcurrendo, valde utilem, ſed infinitam haberemus materiam; ut ſuccinctis illam terminis circumſcribamus, ad quatuor ſtatus, qui hodie cum Chriſto ad pedem crucis inveniuntur, illam reducam. B. V. Maria: *Stabat juxta crucem Jeſu Mater ejus*; Maria Cleophæ: *Et ſoror matris ejus Maria Cleophæ*; Maria Magdalena, *Et Maria Magdalenæ*; & Diſcipulus dilectus: *Et Diſcipulum ſtantem, quem diligebat*. In hiſce quatuor perſonis inveniuntur quatuor, quæ in opinione hominum maximi ponderis eſſe ſolent: Quælibet earum apponet in ſtatera, quod illam maximè concernit. A. S. Joanne incipiamus.

Titulus, ex quo Sanctum Joannem in hoc Evangelio cognoſcimus, eſt gratia ipſius apud Chriſtum, *quem diligebat Jeſus*: maximi omnium hujus mundi Principum dilectus, Regis Regum dilectus. Appoſito igitur in ſtatera maximi Principis favore appoſitâ in una ſtateræ lance gratiâ Regum, & in altera gratiâ Dei, utra præponderat? ſi hominum nos accommodaverimus judicio, præponderat gratia Regum. Sic ſentiant & dicant illi, qui toties, ut ſatisfaciant Principibus, gratiam Dei conculcant. Moyſes, ut ſerviret Deo, Regis Pharaonis gratiam dimiſit. Sed ecce quid de hoc actu S. Paulus dicat: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem*. q. d. Moyſen, amore Dei, neglexiſſe ſatisfacere Regi, & temporalis peccati jucunditatem deſpexiſſe. Dictum notabile! Apoſtolus, gratiam Regis Pharaonis vocat peccatum temporale. Curioſitate verè dignum eſt, ad eruendam detegendamque rationem, quare Spiritus S. Pauli adeò eruditus & illuminatus gratiæ Regum illud nomen & cognomen impoſuerit. Peccatum, & Temporale gratia Regum? Immò. Vocatur temporale? quia gratia Regum nunquam longo tempore durat: & vocatur peccatum; quia ſicut peccatum ex anima ejicit gratiam Dei; ita gratia Regum, & Dei difficulter in ea ſimul conſiſtere poſſunt. Qualibus quibuſve artibus plerumque utuntur, qui lateribus Regum aſſiſtunt? adulatione, ambitione: calumniâ, invidiâ: uni favendo alterum ſupplantant; hos exaltando, alios dejiciunt: proprii commodi ſtudioſi, nec vitam, nec honorem, nec ſtatum, nec ſucceſſum, nec ruinam alienam conſiderant aut æſtimant. Nunquid cum hiſce gratia Dei ſtare poteſt? clarum eſt quod non. Ergo Gratia Dei & hominum difficulter ſimul conſiſtere poſſunt. Hæc maxima eſt infelicitas Regum, meo judicio, quod qui gratiâ ipſorum gaudent, ordinariè extra gratiam Dei agant. Quod manibus agitur illius, qui extra gratiam Dei exiſtit, quomodo Deus proſperare poteſt? *Heb.* 11. *v.* 25.

Dicetis

Dicetis mihi rem ita se habere, gratiam scilicet Regum esse peccatum & temporale quid, prout sanctus Paulus illam appellat, sed pro tempore isto quo durat, negari non posse, gratiam Regum esse peccatum dulce & de genere eorum, quæ jucunditatem secum vehunt. Quod sanctus Paulus superiùs innuit : *Temporalis peccati habere jucunditatem.* Noluit habere jucunditatem peccati temporalis. Age, cum omni ista jucunditate, æquilibrium attendamus stateræ, & videbimus, utra gratiarum istarum alteri præponderet.

Ego vobis prædicare nolo, gratiam Regum non valde esse ponderosam & magnum habere contrapondium, sed quod levis sit ponderis. Hæc prima sit differentia inter Dei & Regum gratiam. Gratia Dei maximi est ponderis, & non gravis : Gratia Regum levis est ponderis, & res gravissima. Conservatio gratiæ Regis quantis non constat curis ? Gratia Dei, est contemptus & neglectus reliquorum omnium, & illam solam offendere possunt curæ aliæ. Gratia Regum est scopus, in quem collimant sagittæ omnes. Gratia Dei est scutum contra omnes nos protegens. Gratia Regum frequenter commoditas, frequenter necessitas, nonnunquam jucunditas est & gaudium ; sed exigui est pretii & valoris eorum voluntas : Gratia Dei, sicut ipse Deus, independens est, neque indiget : tota est amor. Gratia Regum quantumcunque familiarem extollat, semper tamen in sphæra Vasallum relinquit. Gratia Dei hominem ad familiaritatem amici, ad dignitatem filii, ad sui ipsius similitudinem sublimat. Gratia Regum communionem vobis non confert coronæ. Gratia Dei divinitatis ipsius est communicatio. Gratia Regum etiam sanguine pro ipsis fuso non acquiritur : Gratia Dei pro vobis sanguinem fudit, ut eam vobis conferat. Gratia Regum, si magna est, est unius solùm : si plurium est, exigua est & paucorum est. Gratia Dei est omnium eam ambientium, amor ponit mensuram, nec societas facit imminutionem. Gratia Regum nec propinqua est, nec longinqua, nam de propè offenditis, & de longè in oblivione estis. Gratia Dei nulla unquam est longinqua, sed quantò ipsi fueritis viciniores, tantò securiùs eâ gaudebitis. Gratia Regum est donum fortunæ : Gratia Dei est præmium meriti : & hæc sola proprietas, nullâ supperente aliâ, ad maximi eam faciendam, sufficeret. Ad gratiam Regum promerendam quantumvis laboretis, non tamen obtinebitis, immò frequenter eam minus meriti lucrantur : ad gratiam Dei promerendam si laboraveritis, illam Deus vobis negare nequit. Ut gratiæ Regum innotescat mutabilitas, sufficit quod non solùm fundetur in voluntate humana, sed etiam in voluntatibus coronatis ; quæ sicut magis sunt liberæ, magis etiam sunt indifferentes, ne dicamus, magis inconstantes : Gratia Dei in voluntate fundatur divinâ, quæ sicut in eligendo nequit errare : sic neque affectum potest mutare. Gratia Regum rarò cum vitâ familiaris & amici continuat, & quantumcunque duret, cum vita Regis finem accipit : Gratia Dei in vita crescit & augetur & confirmatur in morte : ex parte hominis immortalis existit, nam fundatur in anima : ex parte Dei est æterna : quia est Dei gratia. Gratia Regum est exaltatio ingens : Gratia Dei, certum est : quod locus sit sublimior, & quamvis

utraque

utraque combinetur in præcipitiis; ut gratia Dei poteſtis cadere: ex gratia Regum poſſunt vos præcipitare. Gratiam Regum vobis tollere poteſt calumnia: gratiam Dei ſola vobis tollere poteſt culpa. Gratiâ & familiaritate Regis privare vos poteſt Rex pro arbitrio ſuo: Gratiâ & familiaritate Dei, Deus ipſe vos privare nequit invitos, & ſi volueritis, ipſemet hoc invitus & cum diſplicentia facit. Gratia Regum perdita non recuperatur precibus: Gratiam Dei perditam ut recuperare velitis, ipſe vos Deus rogat. Perditâ gratiâ Regum remanet dolor ſine remedio: perditâ gratiâ Dei, non aliud remedium quàm dolor requiritur, ſi doletis, in gratiam rediiſtis, Gratia Regum conceditur fortunatis, poſt paulò futuri pœnitentibus: gratia Dei conceditur pœnitentibus, qui jam ſtatim ex hoc incipient eſſe felices. Utrique gratiæ pœnitet, eſt adjunctum, ſed illi Regum conſequenter, & huic Dei, antecedenter. Gratia Regum eſt gratia ſine Sacramentis: Gratia Dei continet ſeptem! Baptiſmum habet pro innocente, Pœnitentiam pro peccatore: Confirmationem habet pro vita; Extremam Unctionem pro morte: Ordines habet pro Eccleſiaſtico; Matrimonium pro laico: pro omnibus denique habet Euchariſtiam. Deus ſeptem habet portas ad intrandum in gratiam ſuam apertas, nec quiſpiam per eas ingreſſus, eas alteri claudere poteſt. In uno tantummodo gratia Dei & Regum ſibi ſimiles videntur, & eſt, quod utraque mutet homines. Hi & illi non ſunt quales ante fuerunt, ſed cum iſto diſcrimine: qui ſe in gratia Regum vident, obliviſcuntur quid ante fuerint, & ſimiliter quid fieri poſſint: in gratia Dei verſantes nullius meminerunt, niſi quid futuri ſint, nihilque eos niſi memoria ejus quid fuerint, affligit. Gratia denique Regum paradiſum dare nequit, ſed bene ſubtrahere: gratia Dei ſola Paradiſum tribuit, & defectus ejus ſolus infernum.

Sufficitne iſtud ad probandum, quod gratia Dei, gratiæ præponderet, Regum; ſin, finem cum principio connectemus. Si nobis velut Chriſtianis minùs ſufficit, noſſe gratiam Regum, maximum gratiæ Dei eſſe periculum: ſufficiat nobis tanquam politicis, noſſe gratiam Dei optimum eſſe gratiæ Regum ſtabilimentum, Nulla Regum gratia eſt ſecura niſi in gratia Dei fundata. Joſeph, Regis Pharaonis; Daniel, Regis Darii. Aman Regis Aſſueri intimâ fuerunt amicitia & familiaritate gaviſi. Sed quid intimis hiſce amicis accidit? Joſepho & Danielo in gratia ſtabilitis, Aman excidit. Quare? quia Amani gratia in Regis fundabatur affectu: gratia Joſephi & Danielis in gratia Dei. Quando Regum gratia fundatur in gratia Dei, nec illâ excidere, nec alius ex ea illos dejicere poteſt. Tanti eſt ponderis gratia Dei, ut illam Regum ad ſe inclinet.

§. VI.

Appoſuit ſuum & libravit in ſtatera Sanctus Joannes. Sequitur Magdalena; ſed quid apponet, cui Evangelium non tribuit? Sanctus Joannes ponderavit illud: *Quem diligebat*. Maria Cleophæ ponderabit illud, *Soror Matris ejus*. Beatiſſima Virgo Maria ponderabit iſtud, *Mater ejus*: quæ omnia illis Evangelium tribuit. Magdalena nihil dat

Evangelium, quid ergo apponet? illa ipsa scilicet sua nihila apponet; illa nihila frequente pro ipsâ plus apposuerunt quàm Dei gratia; illa venient in stateram. Vos qui primam Magdalenæ vitam in tantùm sequimini, & secundam tam parùm imitamini, appendite, appendite hic vestra nihila: ponderare bene vanitatum vestrarum, oblectamentorum vestrorum, & concupiscentiarum vestrarum nihila, & deceptionis & amoris illius cœci nihilum, per quem tam facilè gratiam Dei vilipenditis. Si modò probare vellem, gratiam Dei plus appendere, quàm jucunditatem, appetitus corrupti & depravati, nostram fidem vestrumque intellectum offenderem: solummodo vobis probare intendo, quod non creditis, & est; voluptatem & jucunditatem, quam gratia Dei gignit, etiam naturaliter, incomparabiliter majorem esse voluptate & jucunditate eorundem appetituum: non gratiam cum appetitu, sed jucunditatem cum jucunditate comparando.

Casus videtur difficilis, adhibeamus Judices. Ego pro parte mea accipiam Sanctum Augustinum, has aliasve voluptates expertum: pro parte vestra vos accipite, Epicurum judicem magis passionatum & subornatum, quàm habere potestis. Et quid quilibet horum judicum dicit, quamve fert sententiam? Sanctus Augustinus mox in conversionis suæ primordio, ubi differentiam jucunditatum gratiæ prælibare cœpit, respectu voluptatum priorum, dicebat ita: *Et quod admittere gaudium fuerat, jam dimittere gaudium erat.* S. Aug. Nôstis quantæ mihi delectationes & gaudia, postquam in hac nova vita me inveni? præteritæ vitæ gaudia cum præsentis conferendo, modò tam benè sentio, ut multò majus gaudium nunc percipiam illa deserendo & iis carendo, quàm olim percipiebam eisdem fruendo. Grave assertum! carere idem est quod nihil: nihilominus Augustinus gaudiis carendo, majus percipiebat gaudium, quàm unquam perceperat, quando vel maximè ipsis fruitus fuerat; nihila enim gaudiorum gratiæ; majora sunt gaudia omnibus gaudiis mundi.

Habet, quod huic opponat secta Epicuri? Lucretium ejus discipulum audite: *Persuasio infernum esse, & vindicem Deum, nullam voluptatem puram liquidamque relinquit.* Lucret. Ut voluptates sint puræ & sine admixtione pœnæ seu tristitiæ, inquit, necessarium est, ut homines sibi persuadeant primò: Deum non exercere justitiam, nec inferre pœnam, neque infernum esse. Habemus casum. Philosophi Epicurei beatitudinem in præsentis vitæ voluptatibus constituebant: hoc primum sectæ ipsorum erat principium. Et secundum, quodnam erat? Deum esse, sed sine providentia, & sicut providentiam non haberet, sic neque justitiam: & quia non esset justitia, consequenter nec esset infernus. O discursum discretum! fundamentum erat erroneum, discursus discretissimus. Consilium inierunt Philosophi Epicurei super fundamentis & principiis, quibus sectam suam stabilire conabantur, dicentes sic: nos beatitudinem in hujus vitæ voluptatibus collocamus: voluptates cum formidine inferni perceptæ, voluptates esse nequeunt; neque gaudium & oblectationem dare; Expedit ergò ut à secta nostra fidem in-

inferni includamus : & ita fecerunt. Ah ita ! & voluptates perceptæ cum fide & formidine inferni gaudium & voluptatem non afferunt: in solâ ergo gratiâ Dei veræ sunt delitiæ & voluptates : sola enim gratia Dei à formidine inferni securos nos reddere potest.

Enim verò si non creditis infernum, voluptates vestras, voluptates vocate potestis : sed si creditis Deum, & esse justitiam, & esse infernum, & nihilo seciùs vestris voluptatibus delectamini, pejores estis Epicuro. Propter honorem Dei, vel paululum hanc discutite doctrinam considerantes, utrum bonum sit, Christianum pejorem esse in operibus, quàm Epicurum in dictaminibus. Magdalena eandem sequebatur sectam, luxum, vanitates, delicias, concupiscentias, oblectamenta, voluptates : & quare eam sic vitam immutâsse putatis ? quia apposuit & appendit in statera voluptates mundi & gratiam Dei, quam pro illis dabat: & cognovit quàm exigui voluptates, & quanti ponderis esset gratia Dei. Non peto à vobis, ne gratiam Dei vendatis, sicuti singulis horis pro appetituum vestrorum nihili facitis : solùm rogo, ut non, nisi æquo pondere vendatis: Ponderate prius quod traditis & quod accipitis. Esau primogenita sua pro lentis edulio vendidit; & ecce, quomodo Scriptura hoc in Esau reprehendat ; *Abiit parvi pendens quod primogenita sua vendidisset.* Grandem adeò primogenituram pro tam vili & momentaneo appetitu vendidit: abiitque non ponderans quid fecisset. Scriptura non reprehendit quod vendiderit, sed quod non ponderârit ; quia si ponderâsset, utique non vendidisset. Ponderate, ponderate, & si nolitis voluptates vestras appendere cum gratia Dei ; cum suis saltem oneribus & pœnis eas appendite. Ita fecit Magdalena & proinde ad pedem crucis hodie est inventa. *Et Maria Magdalena.*

Gen. 25. v. 34.

§. VII.

JAm scitis quod Maria Cleophæ apponet illud, *Et soror Matris ejus.* Nihil in mundo tanti est ponderis apud homines, & de quo magis glorientur & evanescant, quanti sanguinis nobilitas. Si nobilitas & gratia, si maculæ sanguinis & conscientiæ ejusdem forent æstimationis, mundus esset reformatus. Evangelium Mariam Cleophæ Beatissimæ Virginis Mariæ sororem vocat, *Soror Matris ejus* ; non quod eisdem Beatissimæ Virginis Parentibus sit orta; sed quia Hæbræi nepotes fratres appellabant. Cognatio quam Maria Cleophæ cum Matre Dei habebat, qualificatissima erat nobilitas quæ unquam fuit in mundo, non ob legitimam sanguinem Davidis & Regum Israël, de quibus Beatissima Virgo per lineam rectam descendebat, sed ob sanguinem Dei. Et notandum quod nobilitas consanguinitatis cum Deo erat duplex: nam cum Christus non habuerit Patrem in terra, non aliud habuit dominium, quàm illud suæ Matris. Quapropter à gravibus Theologis Beatissima Virgo Maria appellatur Mater non simpliciter, velut aliæ Mariæ, sed Matri-Pater, ad significandam nominis hujus singularitate & novitate, supremam duplicis hujus & duplicatæ cognationis Patris & Matris unionem, quam in illo novo & inaudito mysterio cum suo Filio contraxisset Mater Dei hominis. Talis

erat nobilitas Mariæ Cleophæ. Sed tota istâ nobilitate, uni stateræ lanci impositâ, & alteri gratiâ Dei, quæ cui præponderabit? Fortuna voluit, quod in Evangelio alius de sanguine haberetur Princeps, qui nobis exemplum daret in hoc dubio: quo deficiente, licet omnia quatuor metalla statuæ Nabuchodonosoris, quæ ex quatuor partibus sanguine imperiali constabat Imperatoris Assyriorum, Persiarum, Græcorum, Romanorum stateræ imponerentur: omnis sanguinis nobilitas, cum illa Cleophæ comparata, ne atomum quidem appenderet.

Princeps de sanguine quem refero erat S. Joannes, cui eadem cum Christo, quæ Cleophæ cum Beatissima Virgine Maria consanguinitas intercedebat. Notate nunc differentiam, quâ S. Joannes de Cleopha, & de se locutus est. Mariam Cleophæ illæ Beatissimæ Virginis neptem vocat: *Soror Matris ejus*: se verò discipulum Christi dilectum compellat: *Discipulus quem diligebat Jesus*: Si igitur S. Joannes erat nepos filii, sicut Maria Cleophæ erat neptis Matris, quare illam neptem, se verò non nepotem, sed dilectum, appellat? Quia S. Joannes pluris fecit, magisque gloriatus est in titulo, dilecti, quàm nepotis. Titulus nepotis denotat sanguinem; titulus dilecti denotat gratiam, & in judicio tam illustri & illuminato, velut illud S. Joannis erat, majoris est ponderis, esse in gratia Dei, quam cognatum esse Dei. Immò accipiendo gratiam in ratione cognationis (audiunt hoc illi, qui propter unum vanitatis punctum, quod nobilitatem vocant, non dubitant toties periculo exponere & perdere gratiam Dei) immò accipiendo dico gratiam in ratione cognationis, S. Joannes rationabilius habuit motivum pluris faciendi gratiæ quàm sanguinis cognationem. Quare, quia cognatione sanguinis erat nepos Dei, quà hominis: & cognatione gratiæ erat filius Dei quà Dei. Quod idem Sanctus Joannes duobus astruit locis: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* Et iterùm: *Ut filii Dei nominemur, & simus.* Gratia essentialiter est participatio, tam sublimis, & tam intima ipsi divinæ naturæ, ut non solùm per ipsam nobis nomen, sed verum esse filiorum Dei communicetur: *Ut filii Dei nominemur, & simus.* Et quæ nobilitas sanguinis in mundo, quæ huic valeat comparari. *Joan. 1. v. 21. Joan. 3. v. 1.*

Profundè illud idem discipulus dilectus ponderavit, non solùm per allusionem, sed sanguinem vestrorum, de quibus tantum gloriamini, irrisionem: *Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt.* Regeneratos per gratiam, quam acceperunt à Christo, à quo descendere putatis? *Non ex sanguinibus.* Ibi non descendunt ex vestris sanguinibus, in quibus, præterquam quod evanescat rubrum, nescitur cujus sit coloris: non ex sanguinibus vestris, in quibus si unum filum pictum fuit purpurâ, quatuor tincta sunt de ochrâ non ex sanguinibus vestris, qui licet tam mundi sint sicut Abelis, ex eodem latere admixtum habent lutum, & duo quartalia Caim. Unde igitur descendunt illi, qui in gratia vivunt? *Non ex sanguinibus, sed ex Deo.* Per antiquitatem descendunt ab æterno: per magnificentiam ab omnipotente: per altitudinem, ab incomprehensibili, & per omnem nobilitatem & essentiam ejus, ab *Joan. 1. v. 13.*

eo,

66, qui solus habet esse à semetipso, & rebus omnibus esse donat : *Sed ex Deo nati sunt.* Nunquid hæc libra rectè ponderat ? O quantum in illa ascendi potest & descendi. Vos qui tantum de natalium vestrorum sublimitate gloriamini, si non estis in gratia Dei, descendite, descendite, & fumos abigite: vester enim famulus, ne dicam mancipium, si est in gratia Dei, majore vobis honore dignus est. Et vos, quos fortè Deus in majoris favoris sui argumentum, humiles & inferioris conditionis nasci voluit, non comtristemini, animum sumite : si enim estis in gratia Dei, de illustriori nobilitate, sublimioreque estis prosapiâ, quàm quotquot sunt in mundo aut extra mundum : solus enim filius Dei comprehendere sufficit, se tam bonam habere Patrem, sicut vos. Cleophæ sanguis erat Regius, quia erat Davidis, & Salomonis. Erat sanguis cum splendoribus divinis, erat sanguis sanguinis Matris Dei ; sed omnis iste sanguis & nobilitas, cum gratia appensus in statera. *Inventus est minus habens*, ponderat minùs & tanto minùs, ut quasi non habeat pondus.

§. VIII.

NUm quid amplius cum gratia appendendum restat ? omne, quod in cœlo est & in terra : *Mater ejus* : scilicet Matris Dei dignitas. Gratiam Matris Dei jam mensi sumus : modo non gratia, sed dignitas libranda est. Vos qui gratiam Dei toties conculcatis : Vos qui toties à gratia Dei descendendo, ad dignitates mundi ascendere contenditis, attendite nunc, & auscultate. Dignitas suprema magis supernaturalis & divina in puram cadens creaturam, est dignitas Matris Dei. Theologi illam in suo genere infinitam definiunt : omne enim nomen aliud ejus amplitudinem non adæquat. Positâ igitur dignitate hac tam infinitâ in statera, utranam appendet amplius : dignitasne Matris Dei, an gratia ? Dignitas Matris Dei cum gratia & magna gratia semper est conjuncta : Gratiâ verò à dignitate, & dignitate à gratiâ separatâ, dico, gratiam præponderare dignitati. Parum adhuc dixi, dico unicum tantum gratiæ gradum in quocunque homine multo plus appendere, quàm totam Matris Dei dignitatem. Non præsumerem dicere tantùm, nisi prodigiosæ hujus veritatis fidejussorem eundem Dei filium haberem, qui Virginem fecit suam Matrem. Exclamavit mulier de turbâ : *Beatus venter, qui te portavit.* Respondit Christus, *Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* S. August. Virginis maternitatem cum ejusdem gratiâ comparando, inquit, illam beatiorem fuisse per gratiam, quàm per maternitatem : *Beatior fuit Maria concipiendo mente, quàm ventre : felicius gestavit corde, quàm carne.* At Christus comparationem non facit inter dignitatem & gratiam Matris : sed inter dignitatem Matris, & gratiam cujuscunque hominis mandata observantis, *Quinimo beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Fili Dei, & Virginis Mariæ ! Ergone gratia cujuscunque hominis major est felicitas, majusque bonum, quàm summa felicitas, & immensa dignitas, esse tuam Matrem ? separatâ hac dignitate à gratiâ (prout mulier de turba illam consideravit) ita est. Et si non creditis, ecce illud in ejusdem dignitatis, ejusdemque gratiæ effectibus in eadem. V. Maria. Dignitas, illam fecit Matrem :

Luc. 11. *v.* 18.

S. Aug.

trem : ſed gratia illam fecit dignam. Dignitas illam fecit Reginam : ſed gratia illam fecit Sanctam. Dignitas illam ſuper omnes elevavit creaturas : ſed gratia illam ipſi univit Creatori. Dignitas fecit ut illa communicaret Deo hoc, quod Deus habet hominis : gratia fecit ut Deus communicaret illi, quod Deus habet Dei : *Communicaſti mihi quod homo ſum : communicabo tibi, quod Deus ſum.* Inquit Guerricus Abbas.

Guerricus.

Vultis, nunc eandem ipſam ſupremitatem, in uniuſcujuſque veſtrûm gratia videre? cùm ſtupore magnum auſcultate Auguſtinum, non jam Matris Dei dignitatem cum ejuſdem gratia, ſed cujuſque hominis gratiam cum dignitate Matris Dei comparantem : *Maternum nomen etiam in Virgine eſt terrenum in comparatione cœleſtis propinquitatis, quam illi contrahunt, qui voluntatem Dei faciunt.* q. d. Nomen & dignitas Matris Dei, licet Virgini Mariæ impoſitum, eſt nomen tituliſque terrenus, in comparatione ſublimitatis cœleſtis & divinæ, ad quam, mediante gratiâ Dei & unione cum ipſo, ſublimantur qui ejus faciunt voluntatem. Notate diligenter iſtam univerſalem : *Qui faciunt voluntatem Dei.* Ita ut gratia cujuſcunque creaturæ humanæ, quæ voluntatem Dei facit, quantumcunque aliàs vilis ſit & abjecta, majus bonum, majorque felicitas, nec non majoris ſit valoris & ponderis, quàm ipſa dignitas Matris Dei, & non in alio, ſed in ipſa Virgine Maria: *Etiam in Virgine.* Nunquid ſtupendum magis aut conſolatorium dari poteſt pro iis, qui in gratia Dei exiſtunt: & magis erubeſcendum pro iis qui illam perdunt : majoris denique deſperationis pro iis qui in inferno agunt, illam modo recuperare non valentes? Intelligamus benè, Chriſtiani, hoc punctum. State mecum. Dignitas Matris poteſtas eſt tam ſublimis & ſuprema, ut omnibus hominibus, Regibus & Monarchis mundi, omnibus Angelis & Hierarchiis dominetur : & ut ipſum Deum, quà filium, obedientem ſibi habeat & ſubjectum : *Et erat ſubditus illis.* Dignitas Matris Dei eſt altitudo tam ſublimis & elevata, tamque incomprehenſibilis, ut illam nec capere poſſint intellectus humani, nec aſſequi poſſint intellectus Angelici, & Seraphici : Sed nec ipſius Beatiſſimæ Virginis Mariæ ipſam comprehendere poſſit : Solus enim Deus ſeipſum comprehendens plenè comprehendere & cognoſcere poteſt, quid ſit eſſe Matrem Dei. Denique dignitas Matris Dei ultimus divinæ omnipotentiæ eſt terminus. Cum enim nihil tam præſtans ſit in mundo & tam magnum, quin Deus majora & meliora in infinitum producere poſſit, meliorem majoremque Matrem facere nequit. Et cum adeò ſit infinitè magna, nihilque dignitatis Matris Dei magnitudinem adæquare poſſit : poſito in altera ſtateræ lance vel unico gratiæ Dei gradu, modica hæc gratia plus appendit, quàm tota illa dignitatis immenſitas.

S. Aug.

Luc. 2. v. 51.

Quis mihi modò dabit vocem omnibus mundi aulis inſonantem, quâ non jam ambitio, ſed modica eorum confunderetur fides, quos tam inſanè & cœcè poſt ſe trahit vanorum iſtorum titulorum prætenſio, quos mundus brutalis & vilis dignitates compellat! tot labo-

res,

res, tot solicitudines, tot vigilantiæ, tot industriæ, tot negotiationes, tot suborationes, tot adulationes; tot adorationes, tot indignitates, tantum obruant rationem, justitiam, veritatem, conscientiam, famam & vitam, ad quid? ad obtinendam unam officii, loci, tituli, nominis, unius apparentiæ vanitatem: & eodem tempore: annicula Ecclesiam illam intrans, aquâ benedictâ, pietate Christianâ, se conspergit pro tam levi religionis actu unum gratiæ gradum acquirit, qui omnibus locis, officiis, honoribus, titulis hujus mundi præponderat, omnesque mundi dignitates, licet ipsius sit Matris Dei, excedit: *Mater ejus.* Creditisne illud Christiani, vel non creditis. Certum est, nobis aut deesse fidem aut esse valde infirmam.

§. IX.

VErùm enim verò quid nobis faciendum, ut convenientem ponderationi gratiæ Dei coronidem imponamus? Sanctus Joannes appositi valorem, Magdalena delicias, Maria Cleophæ nobilitatem, Mater Dei dignitates, & nihil horum stateram in æquilibrio continuit. Quid faciemus? adhuc superest in Evangelio persona quinta, quæ solùm scit & potest gratiæ dare pondus quod habet; *Stabat juxta crucem Jesu.* Jesus est, qui novit & potest ponderare gratiam Dei. Scitis quantum gratia Dei appendat? appendit Deum in Cruce positum: Deus in Cruce positus est pretium justumque gratiæ pondus: & nihil aliud. Quod Deus se appendi sinerit in cruce, non alio fine factum esse, credendum est, quàm ut gratiam nobis mereretur. Ita hoc fides & Theologia docet. simul asserens, Deum aliis modis gratiam nobis dare potuisse. Si igitur Deus aliis modis gratiam poterat dare, quare noluit, nisi positus in cruce? Eusebii Emisseni rationem audite; *In trutina crucis seipsum author salutis passus est appendi, ut homini, qui à statu gratiæ degeneraverat, dignitatem suam ostenderet pretii magnitudo.* Eusebius Emiss. Nostis, inquit Emissenus, ad quid se passus est appendi in statera crucis, *in trutina crucis?* ut positâ ab una parte gratiâ, quam homo perdiderat, & ab altera toto Deo qui vitæ sanguinisque sui pretio illam comparârat, homo intelligeret quanti ponderis sit ejus gratia. Tanti est ponderis ut cum toto Deo solummodò appendi possit. Ponite in illa statera regna, coronas, sceptra, ponite imperia, monarchias, ponite omne id quod dare potest natura & fortuna, ponite mundum, immò mille mundos, ipsum ponite cœlum cum omni sua gloria: nihil horum æquilibrium facit cum gratia appensum, quam tam leviter perdimus. Positâ in statera gratiâ, solus Deus æquare sufficit lances. Et si vobis non ita esse videtur, omne reliquum per oppositionem ejus quo constat videatur.

Bona hujus mundi, vel sunt bona naturæ, vel fortunæ, vel gloriæ, vel gratiæ. Bona naturæ, Deo non nisi uno verbo constiterunt suæ omnipotentiæ, quâ illa creavit: Bona fortunæ illi constiterunt unâ micâ suæ providentiæ, quâ illa distribuit: Bona gloriæ illi constant una visione suæ essentiæ, quâ se communicat: Et bona gratiæ quanti illa constiterunt? Crux illud loquatur; constiterunt vitâ Dei, constiterunt san-

sanguine Dei, constiterunt animâ Dei, constiterunt divinitate Dei, constiterunt honore Dei. Appendit multum gratia Dei? sed adhuc est alia res in mundo, quæ plus illâ appendit. Et quænam illa? Quilibet vestrorum affectuum. In trutina crucis tantum appendit gratia, quantum Deus: in trutina humani judicii quilibet appetitus plus appendit, quàm Deus & gratia ejus. Edicite vos, quoties Deum & gratiam ejus pro uno appetitu datis; *O mendaces filii hominum in stateris*! ô homines (inquit Propheta David) quàm estis fallaces in stateris vestris! stateræ non sunt fallaces seu iniquæ, fides enim & intellectus optimè dijudicare novit, quantò pluris omnibus, æstimanda sit gratia Dei: sed homines sunt fallaces & mendaces in stateris mentiendo sibi, & decipiendo se ipsos ad oculum: *Mendaces filii hominum in stateris.* Estne possibile, quod Deus donet seipsum per gratiam, ut nos ducat in cœlum, & nos Deum & gratiam ejus demus propter peccatum, quod nos ducat in infernum? Cum jam non amemus gratiam propter gratiam, non timeamus peccatum propter peccatum; non amemus gratiam propter gloriam, non timeamus peccatum propter infernum?

Psal. 61. v. 10.

Scio equidem vos vobiscum interiùs loqui: quamvis actu non sitis in gratia, non tamen propterea vos ituros in infernum; quia postmodum vos in gratiam restituetis. Ah cœcitas! ah miseria! ah tentatio infernalis! omnes Christiani, quotquot agunt in inferno, idem considerantes, eandem sibi spem fecerunt, & cum illa sunt damnati. Et quis promisit vobis, idem vobis non eventurum? multi in inferno existentes pauciora, & leviora vestris peccata commiserunt, nihilominùs in gratiam non sunt restituti. Cùm ergò peccata vestra plura sint & graviora, quomodo vos tam facilè impetraturos speratis, quod illi non obtinuerunt? Christiani, quos ex anima diligo, animæ Christi sanguine redemptæ, ne ad unum quidem temporis momentum in hac cœcitate persistamus, ad infernum enim nos tendere video sine remedio.

Si Domina de gratia, velut Gratiæ & misericordiæ mater vobis hac hora unam bonam immittit inspirationem, absque dilatione arripite. Si estis mancipia diaboli per peccatum, filios Matris Dei vos facite per gratiam: & hac eâdem fiet horâ sicut fecit Evangelista: *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* Hac hora generosè vos resolvite; hac hora peccata vestra detestamini; hac hora proponite relinquere, & cum effectu omnes occasiones eorundem relinquite. Repero: utsic fiat in hac hora: Gratia enim Dei habet horas, & mors similiter habet horas, & nescimus quando erit. Moveat nos pulchritudo ejusdem gratiæ; moveat nos beatitudo gloriæ, quæ per illam nobis promittitur: promoveat nos inferni æternitas, quo ibimus arsuti, si eam despiciamus: moveat nos denique pretium, quod pro illa Christus Jesus dedit, Sanguis Jesu, vita Jesu, anima Jesu, mors & crux Jesu. *Stabat juxta crucem Jesu.*

Amen.

SERMO

IN

FERIAM SEXTAM POST DOMINICAM PASSIONIS,

Habitus

In Capella Regia Anno 1662.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium. Joan. II. v. 47.

§. I.

QUidnam optimum & peſſimum eſt in hoc mundo? optimum & peſſimũ in hoc mundo, eſt Concilium. Si eſt bonum, bon eſt maximum: ſi verò eſt malum, malum eſt peſſimum. Malum maximum abhominum cœcitate & pertinacia in hoc mundo patratum, fuit peremptio Chriſti: maxima miſericordia quam in hoc mundo divina pietas & bonitas fuit operata, redemptio fuit humana. Hæc duo adeò ſibi è diametro oppoſita, hodie in uno Concilio agitata fuerunt & deciſa: *Expedit vobis ut unus moriatur homo, ne tota gens pereat.* Suppoſitâ hac veritate prima, Concilium eſſe maximum bonum, vel maximum hujus mundi malum; vel ad minus maximorum bonorum, vel malorum ſcaturiginem: exoptarem ego, ut hodierni diſcurſus noſtri objectum foret ipſa bonorum malorumve conſideratio, quæ in hoc Concilio concurrerunt. Concilium illud conſiderari poteſt, vel quà politicum, quale fuit: vel quà Chriſtianum, quale eſſe oportuit. Quà Politicum, dictamina quædam rectitudini conſona deprompſit: quà Chriſtianum, graviſſimum omnium commiſit errorem. Quia verò de erroribus ſeu incongruentiis, & rectitudinibus ſeu convenientiis, veluti ex ære & cryſtallo, componuntur & formantur ſpecula: de erroribus & perfectionibus hujuſce Concilii, aulæ noſtræ ſpeculum adornare ſtatui. Erit idipſum ſic politicum, ut ſerviat politicis, ut in eo contemplari, illique ſe conformare queat unum conſilium, unus conſiliarius, & unus conſiliis uſurus. Si fuerit bene terſum, & valde clarè, repræſentativum verè erit ſpeculum.

§. II.

Collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium.

QUatuor partes in hoc concilio Evangelico conſidero, ſine quibus nullum Concilium ritè formari & peragi, imò nec eſſe poteſt. Electio conſiliariorum, propoſitio debitè formata, opinionem congruentia, & executionis efficacia. Pars prima Concilii comprehendit principia, ſecunda, modum, tertia, media, & quarta, finem. Sine prima, Concilium erit imprudens; ſine ſecunda, diſtortum; ſine tertia, nocivum; ſine quarta otioſum & inefficax, Exordiamur à prima.

§. III.

PRima Concilii hujus Evangelici qualitas laudabilis, fuit quod materia tractanda & diſcutienda conſiliariorum concerneret profeſſionem. Materia erat de Religione, & illi erant Sacerdotes: materia erat de fide, & illi erant Theologi: Materia erat de Meſſia per Prophetas promiſſo, & illi Scripturæ S. erant Doctores: Materia erat de doctrina, & illi docti erant & literati. Ratio & cauſa, cur tam malè gubernetur mundus, & tantâ conſiliorum affluentiâ, ipſi tamen malè ſit conſultum, eſt, quia ordinariè Principes examinantes & diſcutientes metalla, non examinant neque diſcutiunt conſiliarios nec conſilia. Milite ſuffragium ferente de literis, literato de navigatione inſtituenda, & nautâ de armis tractandis, quodnam, quæſo, erit concilium, quiſve ſucceſſus? erunt literati, & non apparebit juſtitia: erunt nautæ, & ceſſabit navigatio: erunt milites & exercitus, & victoriam rapient hoſtes. Quilibet conſonum conditioni & profeſſioni ſuæ depromat oraculum, & mox in Conciliis erit conſilium: in caſibus ad Religionem Deique cultum ſpectantibus conſulantur Samuel & Heli: in negotiis bellicis, Joab & Abner: in rebus ſtatum ſeu rempublicam concernentibus, Chuſai & Achitophel: in pertinentibus ad navigandum in mari, (licet nomine & famâ non uſque adeò celebres.) Petrus conſulatur & Andreas. Videtur res prorſus indigna, & quidem ſcandaloſa, Phariſæos unà cum Pontificibus idem ſubintrare concilium: *Collegerunt Pontifices & Phariſæi Concilium.* Etiamne Phariſæo locus ſuus eſt in Concilio? Etiamne Phariſæo ſuam liberè pronuntiare licet ſententiam? omninò: materia ipſius profeſſioni reſpondente. Quamvis Phariſæi nomen tum temporis æquè vile & durum fuiſſet auditu, uti nunc eſt, non tamen propterea, in materiis profeſſioni ſuæ conſonis, à Concilio veniret excludendus: bonum etenim conſilium & conſiliarium, non nomen nec perſonæ, ſed dati conſilii qualitas facit. Et ne doctrina hæc, de tam mala vobis eſſe videatur ſchola, veluti illa Evangelii: Ecce totum quod dixi, in concilio unius Principis, optimis Pontificibus melioris, & in concilio unius conſiliarii peſſimis Phariſæis pejoris.

Michæas Propheta vidit Deum in magnificentiſſimo throno concilio præſidentem. Item Propheta caſum lib. tertio Regum cap. 22. narrat in hunc modum. Aſſiſtebant Deo ex utraque Concilii parte omnes grandiores trium hierar- 3. Reg. 22. v. 20.

chia-

chiarum personæ, Throni, Potestates, Dominationes, Cherubim, Seraphim, &c. Et Propheta se Sathanam quoque ibidem astantem vidisse asserit : Si in Concilium cœleste, præsidente Deo, & consiliariis Angelis, diabolus ingreditur : in Concilium terrestre, in quo præsidentes & consultantes sunt homines, & quandoque plùs nimiò carni & sanguini deferentes, quot dæmones intrabunt? Deus viva voce in Concilio propositionem faciens ità pronuntiat. Propter injustitias Achab Regis Israël, nec non Reginæ Jezabelis uxoris ejus, tum quas ipsi committunt, tum quibus ipsi in regno suo connivendo consentiunt, vitâ ipsos & coronâ privare decrevi. Quia verò justitiæ æquè ac meæ providentiæ stylus, est punire Reges, eos decipi permittendo, ut sic decepi & illusi præcipites in ruinæ & interitus sui vias ferantur, conceptus & molimina sua exequendo quæ non aliud quàm necessaria regni statûsve sui conservandi media putant, ex præsenti meo concilio indagare cuperem modum & media decipiendi Achab, ut deceptus bellum in Ramoth aggrediatur, in quo cadens moriatur, similiterque concilium suum mihi depromat arbitrium, cuinam aut quibusnam personis hocce negotium videatur committendum *Quis decipiet Achab Regem Israël, ut ascendat, & cadat in Ramoth.*

Propositione Dei auditâ, respondérunt Angeli suam quisque aperiendo opinionem : atque textus : diversimodè fuisse locutos : *Unus hujusmodi verba, & alius aliter.* Inter ipsos enim Angelos dari 3. Reg. 22. v. 21. potest opinionum varietas, absque sanctitatis & sapientiæ eorundem præjudicio: & ut innotescat mundus, quod tametsi opiniones quædam sint angelicæ, non tamen propterea minus angelicas esse contrarias. Postremò locutus est diabolus, & breviter, argutè, nervosè, & mactè resolvendo, *Ego decipiam illum : egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus.* Supposito, Domine, quod Divina tua majestas decrevit permittere, ut Achab, concurrente deceptione intereat, accommodatius ad decipiendum Achabum medium non extat, quàm ut omnes consiliarii sui, quos Prophetarum loco veneratur & consulit, uno ore mentiendo ipsum decipiant: Porrò persona, quâ agente, indubitare mentientur omnes (inquit diabolus) ero ego; transfiguratus enim in spiritum mendacem linguis eorum loquar, hucusque diabolus. Audite nunc & obstupescite. Vix diabolus sermonis sui periodum fœcerat, & mox Deus consilium ipsius approbans, non solùm executionem illi committit, sed simul omnes de optato successu certiores reddit. *Decipies, & prævalebis : egredere, & fac ita.* Magis adhuc obstupesco hærens attonitus, postquam hoc legi. Quis, quæso, huic fidem accommodâsset, nisi Michæas ipse tanquam testis ocularis asseverasset? Estne possibile, quod Deus in sacratissimi & secretissimi concilii sui consortium diabolum admittat? Estne possibile, quod non solùm ipsum admittat & auscultet, sed etiam arbitrium ejusdem approbando, tot Angelorum Principumque cœlestium opinionibus neglectis, illi se se accommodet? Immò verò. Quia supremi Domini seu Monarchæ prudentia & officium requirit non meliorum, sed melius consilium amplecti: non majorum, sed majores rationes attendere;

non consiliorum numerare multitudinem, sed eorundem ponderare momentum & energiam. Quonam igitur in hoc casu, diaboli consilium Angelorum opinionibus præponderavit, non Angelorum, sed diaboli arbitrio sese Deus accommodavit.

Angeli, licet essent Angeli, attestante textu, in discrepantes abierunt sententias aut opiniones: ast diaboli, ecce quàm prudens accommodatumque scopo consilium! præstantia & congruentia consilii in duplici proportione constat: ut videlicet medium cum fine, & instrumentum cum medio proportionetur. Hoc totum diabolus exactissimè præstitit. Proportionavit medium cum fine: Concilii etenim finis & objectum erat, ut deciperetur Achab, decipiendo verò Achabo accommodatius non dabatur medium, quàm omnium consiliariorum ipsius mendacium. Instrumentum itidem, medio proportionavit, nam ut omnes consiliarii mentirentur, magis idoneum atque subtile non dabatur, quàm spiritus mendax omnium linguas & ora occupans. Cum igitur consilium diaboli tam sit commensuratum proportioni, tam accommodatum fini, mediisque ex amussim respondens, quare illud Deus non approbaret. Hierarchiarumque omnium cœlestium opinionibus præferret? respicere Hierarchiam opinionem suam proferentem, est consilium dantis respicere personam, sed non attingere dati consilii scopum. In electione consilii non attendenda est dignitas personæ (hinc Deus se non conformavit Thronis) neque respicienda nobilitas (idcircò non sese conformavit Principatibus) nec respiciendi sunt tituli (propterea se non conformavit Dominationibus) non considerandæ potestas (quare sese non conformavit Potestatibus) non attendendus amor (quo circa se non conformavit Seraphinis) neque respicienda scientia (ideo non Cherubinis sese conformavit) neque respicienda est sanctitas (quare sese non conformavit Virtutibus) Nulla denique quantumvis Angelica qualitas respicienda, unde nec Angelis, nec Archangelis sese conformavit Quid igitur in consilio potissimè considerandum, & unde æstimandum? intrinseca ipsi merita sunt ponderanda, & ex hisce judicium de eo ferendum, & nihil ultra. Quamvis persona consulens, vel abjectissimum foret mundi subjectum, qualis erat diabolus: & vel maximè ab omni Principis gratia exclusus, sicut itidem erat diabolus: si consilium ipsius intento foret convenientius, sine hæsitatione venit præferendum.

Principaliter notandum nobis deest. Non Angelorum, sed diaboli arbitrio se se Deus conformavit, quia melius fuit arbitratus. Benè. Sed quare melius Angelis diabolus fuit arbitratus? an quod illis scientiâ præpolleret? neutiquam. An quod ingenii acumine, aut intellectûs perspicacitate illos præcellerat? nullatenus. An quod in amore Dei ferventior, ipsiusve servitio zelosior esset? nullâ ratione. An quod ipsi placendi, ejusdemque voluntatem exequendi majori desiderio augeretur? absit. Quare ergò melius in hoc concilio consilium unus suggerit diabolus, quàm omnes Angeli simul sumpti? Ratio est, quia propositio & materia concilii non Angelorum, sed diaboli professioni respondebat. Concilii propositio & objectum, erat decipere

Acha-

Achabum, & in ruinam impellere : *Quis decipiet Achab, ut cadat?* Et quia professioni diaboli proprium est decipere hominesque in lapsum propellere : convenientius huic fini consilium diabolus suggessit, scopumque melius, cæteris omnibus attigit. Quod si propositio fuisset de Achabo conservando, dirigendo & deducendo, ut sese defendendo imminentis prælii pericula evaderet, Angelorum consilium infallibiliter prævaluisset, eorum enim professioni & officio congruit, homines custodire, deducere, dirigere, defendere, & à periculis eximere: Quia verò negotium istud à professione & officio Angelorum usque adeò erat alienum, professioni verò & exercitio diaboli tam proprium, idcirco consilium ipsius omnium Angelorum opinionibus præponderavit. Tantum refert, ut quilibet professionis, seu exercitii sui sphæram consulendo non excedat. Maxima profectò ex hoc resultaret infelicitas, si politiæ hujus praxis & maxima in Conciliis Christianis & Catholicis non observaretur; siquidem in Concilio inimicorum Christi tam accuratè & ex amussim observatam videmus : *Collegerunt Pontifices & Pharisæi Concilium adversus Jesum.*

Joan. 11. v. 47.

§. IV.

SEcunda concilii istius laudabilis & eminenter bona qualitas, fuit propositionis modus : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Nescio, utrum advertatis quid dicant, quidque non dicant; non dicant, quid facturi sumus, sed: *Quid facimus?* Ah quantum concilium, & quàm magni Consiliarii! Ah quàm præclarum concilium, quamque præstantes Consiliarii! Consiliarii speculativi de faciendo in futuro, non sunt Consiliarii. Consiliarios oportet esse homines tractantes & discutientes id quod practicandum in præsenti & actualiter exercendum : *Quid facimus?* Et ecce, quàm prudenter & discretè, & pro contra propositionem, omnia examinantes & discutientes intulerunt. Illi erant implacabiles Christi inimici, Christum quoque infensissimum sibi inimicum arbitrantes dicebant : *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit?* Notate ly *Facit*, & *Quid facimus.* Nunquid sufficit inimicum nostrum facere, & nos non facere? Inimicus noster auctualiter operatur in præsenti, & nos operari proponimus in futuro? inimicus noster miraculosè operatur, & nos non operamur quæ sine miraculo fieri queunt? cùm igitur ille operetur, operemur & nos. *Quid facimus?* Quænam causa, quod tanta Monarchiæ Asianæ, tanto, tamque generoso & nobili sanguine effuso acquisitæ pars nobis jam deperierit? Quia hostis fecit, quod nobis faciendum erat. Non in tam dissita abeamus; in Lusitania pedem figamus. Quousque Lusitania habuit homines (quibus semper abundavit) tantùm tractantes & consultantes quidnam agendum in futuro, caruimus libertate, defuit nobis Regnum, nec gavisi fuimus coronâ : sed mox ut habuimus homines consultantes & tractantes de eo quod actualiter & in præsenti facimus, mox ad nutum paruerunt omnia. *Quid facimus.*

Christum celebre illud miraculum, in quinque panibus, patrantem in deserto, Regem proclamare voluerunt : at Chri-

stus non acceptat, Jerusalem ingresso tanquam Regi acclamârunt : *Benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israël*; & non solum admisit, sed laudavit & defendit acclamantes. Age, si Christus titulum regium admisit in aula, ubi magis erat periculosum, quare illum non admittit in deserto, ubi omni periculo vacabat? scitis quare ? Quia acceptare voluit titulum regium de manu hominum, qui Regem illum actualiter faciebant; & non de manu hominum, qui illum Regem facturi erant. Notate quid textus dicat. *Jesus autem cum cognovisset, quia venturi erant ut raperent eum, & facerent eum Regem, fugit.* Et vos estis mihi homines disponentes de futuro, ut facerent Christum Regem, non ut actu faciant, & iterum *Ut facerent*, Ecce quare Christus à talibus hominibus noluerit Rex acclamari. Titulum Regis ab hominibus actu ipsum Regem facientibus acceptavit, & ab illis, qui facere disponebant, aut facturi erant, renuit acceptare : homines enim speculantes quid faciendum sit in futuro, homines dici non merentur : quantò minus illi qui Regem facere, & sustentare tantum intenderent? Textus, Christus in montem fugisse asserit, unde fugerit, subticendo. Et hoc est, quod ego interrogo. Unde, seu quidnam Christus hac occasione fugit ? Communiter asserunt Christum fugisse à corona : ego verò affirmavero, si fugerit à corona, multò potiùs eum fugisse ab hujuscemodi hominibus : Nihil etenim magis fugiendum est Regibus, quàm homines, qui tantum consultant & disponunt de eis, quæ facienda sunt in futuro. Quod si homines isti de eorum sorte & genere fuissent, qui de præsenti tractant, *Quid facimus*, riderem sanè, si ab hujusmodi Christus fugisset. Et si fugere tentâsset, eum apprehensum tenere oportuisset : nam si illum comprehenderunt postmodum, ut spineâ coronâ redimirent, quare illum non comprehendissent ut coronâ aureâ decorarent? Sed quia homines illi de futuro tantum disposuerunt, peregerunt nihil, totumque illorum intentum abiit in ventum.

Joan. 12. v. 13.

Joan. 6. v. 15.

Primi in hoc mundo concilii tractatus fuit Turris Babylonicæ constructio. Congregatis omnibus, quotquot supererant communi decrevêre consilio, pro perenni nominis sui celebratione & memoriâ ædificare turrim, *Cujus culmen pertingat ad cœlum.* Incredibilis, ex hocce concilio, mox motus exortus est in cœlo. Mandante Deo classicum canere, mox omnes adfuêre Angelorum exercitus, quos allocutus sic ait : *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant : descendamus igitur, & confundamus linguas eorum.* q. d. Cœperunt hoc facere, scilicet tantæ celsitudinis turrim ædificare, neque à cœpto, cogitatione & proposito suo desistent, donec extremam structuræ manum imponant, omni igitur rupta mora statim descendentes linguas eorum confundamus, ut velint nolint, ab intento desistere cogantur. Domine ab intento ? Quid, quæso intenta & attentata hominum contra cœlum efficient ? Age, si cœlum, & Angeli, nedum ipse Deus ab hominum potentia adeò sunt securi : si omnia molimina hominum, eorundemque conceptus & manuum machinationes contra cœlum ipsis consilils sunt vaniora : ut

Gen. 11. v. 4.

Ibidem.

quid

quid turbatur Empyreum, cur trepidant Angeli, quare Deus ipse tantis cautelis, impedimentis, tantâ solicitudine & strepitu obicem immittendo occurrit? insuper. Si immensa illa attentatæ turris fabrica, ob infinitam terræ cœlique distantiam, non temeraria tantùm, verùm etiam impossibilis erat, quare constanter adeò asseverat Deus, non destitutos homines ab opere cœpto quin ad perfectum perduxerint? Ego dicam; & textus ipse innuit.

Homines illi machinationibus suis & intento, duo tantum concilia deputarunt: unum pro mediis, alterum pro fine. In primo concluserunt dicentes, *Venite, faciamus lateres*; in secundo, *Venite, faciamus turrim.* Et homines, qui in omnibus conciliis suis non dicunt, faciemus aut facturi sumus, sed faciamus, faciamus: *Faciamus lateres, faciamus turrim.* Isti inquam, licet quippiam ultrà vires & possibilitatem moliantur, ad finem nihilominùs perducent. Ab hominibus, qui consultando faciunt, ab hominibus, quibus tractantibus de latere & calce, consiliorum loco, jam exurgunt parietes & muri, caveat sibi mundus, caveat sibi cœlum, caveat sibi Angelus, (& si dicere fas est) caveat sibi ipse Deus. Non est exaggeratio mea, sed ipsius Dei, qui ne ad momentum quidem casui occurrere distulit: neque executionem alteri demandare contentus, personaliter de cœlo descendit, nec solus, sed exercitibus omnibus comitatus: *descendamus*, Hujusmodi fuit consilium à Consiliariis istis hodie collectum, & similes subsecuti effectus. Mox ut Christus propositum ipsius & conclusum, vidit, quid fecit? Evangelista inquit, Christum de Jerusalem egressum, secretò ad civitatem Ephrem descendendo secessisse in desertum: *Jesus ergò jam non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in civitatem, quæ dicitur Ehrem.* Christus secedit? Christus se abscondit? Christus non comparet? Etiam. Homines enim in propositionibus & consiliis suis non deliberantes, quid in futuro facere oporteat, sed quid in præsenti & actualiter facere velint, qui non dicunt, quid faciemus, sed quid facimus, Deum ipsum in solicitudinem, & timorem adigunt, neque securum esse sinunt ab hujusmodi consiliis: *Non palam ambulabat, abiit in regionem juxta desertum.* Joan. 11. v. 54.

§. V.

EXigebat nunc ordo concilii, ut propositionem sequerentur opiniones & decretum: sed pro majore discursus claritate, tertia hac parte pro coronide relictâ, ad ultimam transiliamus. Ultima hujus concilii bona reliquisque omnibus melior qualitas, fuit velocitas & efficacia executionis: *Ab illa autem die cogitaverunt illum interficere.* Textus Græcus habet, *Ab illa autem hora.* Eodem die & eâdem concilii horâ, concilii decretum omni curâ & solicitudine executioni mandari cœpit. Propositio fuit, *Quid facimus?* Conciliique finis, fuit hoc eâdem facere hora, quod ut fieret, fuerat decretum. Existimant Ministri, absolutis jam conciliis, consultationibus jam factis, factis jam decretis, omnia jam esse facta, & necdum cœpit fieri nihil. Negotiorum principium est executio: quamdiu executionem non sortiuntur, principio carent, *In principio creavit Deus cœlum & ter-*

& terram. Hæc ſunt prima S. Scripturæ verba. Quæro; antequam Deus crearet cœlum & terram, nunquid ejuſdem cœli terræque creatio, *ab æterno* in conſiſtorio ſapientiæ divinæ erat decreta? utique erat. Ergone creatio dicenda eſt pro tunc, quando principium creationis cœli & terræ fuit in mente divina, ab æterno? nullatenus, inquit Textus: *In principio creavit Deus cœlum & terram*: Quando Deus creavit cœlum & terram, eo ipſo actu principium illis dedit; quamdiu enim conſilia non deveniunt ad executionem, quotquot ſunt conſilia, quotquot ſunt decreta, nihil de principio participant. Quid prodeſt conſiliis addere conſilia, quid juvat decretis addenſare decreta, ſi inter decreta & executionem intermedia tranſeat æternitas? ſint decreta divina, immò diviniſſima, qualia erant illa Dei: ipſa etiam decretorum divinitas, non ſubſecuta executio quò devolvuntur; quò deveniunt? in nihilum. In idipſum, quod cœlum & terra ante ſui creationem erat, ſcilicet, nihil. Ante creationem mundi, decretum erat cœlum, decreta erat terra, decreta erant elementa, & quicquid Deus creavit, in conſilio divino jam ante totum erat decretum & concluſum: ſed omnia iſta decreta atque concluſa quid erant? cœlum erat nihilum, terra erat nihil: quatuor elementa, totidem nihila, & omne rerum creandarum infinitum totidem nihilcitatum ſeu nihilorum erat infinitum. Quis fructus ſententiæ in conſilio juſtitiæ decretæ, non ſubſequente executione? quid prodeſt arbitrium in conſilio negotiorum & rerum diſponendarum, niſi arbitrium ſequatur executio? Quæ utilitas apparatus in conſilio bellicoſi, niſi præparationem excipiat executio? Cui uſui ſunt omnia arcana in conſilio ſtatus, niſi executioni mandentur? ipſum ſublimiſſimum & diviniſſimum Incarnationis Verbi Dei myſterium ab æternitate erat decretum, & ante quatuor millia annorum tam variè revelatum, & tamen quid erat ante realem Incarnationem? Nihil.

Quid igitur ſupereſt remedii, ut nihila iſta ſint aliquid, & omnia; remedium eſt, novum adinvenire & inſtituere conſilium. Ergone pluribus opus eſt conſiliis? ſufficienter nobis proviſum eſt. Quodnam illud erit conſilium? Quo nomine indigitabitur? Salomon, & conſilium nobis dedit, & nomen ipſi impoſuit, *Conſilium manuum.* Prov. 31. v. 13. Iſtud conſiliorum eſt conſilium, cætera omnia, ſine illo, ſunt conſilia ſine conſilio. Conſilia intellectus diſcurrunt, altercantur, diſputant, conſultant, reſolvunt, decernunt, decidunt & hucuſque nihil. Conſilium manuum efficiens cauſas operatur effectus, ipſo atteſtante textu. *Operata eſt conſilio manuum ſuarum.* Alia conſilia ſpeculantur, hoc practicat. Sed pace Salomonis: ſi conſilium iſtud appellatur manuum, videtur non dicendum conſilium; ſiquidem conſilium cadit in actum intellectus, manus verò intellectu carent. Immò, immò, in ſolas manus cadit intellectus neceſſarius; ſolæ manus intellectu neceſſario ſunt perditæ. Caput intellectu gaudet ſpeculativo: manus verò intellectu perditæ ſunt practico: & hic ſolus cauſas producit, & operatur effectus. Hoc ita aſſeruit Rex optimo prædituſ intellectu, & manibus pollens apprimè bonis, David: *In intellectibus manuum ſuarum deduxit eos.* Pſal. 77. v. 17. David de proſperitate Reipublicæ illius loquitur: in cujus

concilio

concilio versamur, concludens quod in omni occasione felicem exitum sortita, Deus ipsos gubernarit, ipsosque manuum suarum: intellectibus sese gubernâsse: *In intellectibus manuum suarum.* Notate, non dicit in intellectu, sed intellectibus manuum suarum: *In intellectibus manuum suarum.* Caput, quod est unum, habet intellectum: manus, quæ sunt duæ, habent intellectus: *In intellectibus.* Hic intellectus est unus, & illic alter: unus ad dextram, & alter ad sinistram, & ubi duo isti intellectus mutuas sibi manus porrexerint, jam acta res est. Regnorum prosperitas non consistit in eo, ut literis exultissima habeat ingenia, sed optimè exercitatas manus. Ab intellectibus manuum prudentia cuduntur consilia, vel saltem ab intellectibus manuum dependet, ut pro prudentibus qualificentur: prudentia enim consilia, quæ ab intellectu non transeunt ad manus, fatuitatis & stultitiæ formam & notam acquirunt.

Rebellavit Absolon contrà Regem David, Voci Absolom conformârunt se omnes ex Regno, quorum sibi animos jam ante conciliârat: *Toto corde universus Israel sequitur Absolom.* Insperata ista nova, iisdem terminis, ad aures David sunt delata; & sicut gravibus casibus obruuntur corda, fortunæ tempestati sese accommodans, cum Ducibus custodiæ causâ sici adhærentibus & comitatis sese recollegit. Notabile jam spatium à monte Oliveti emensus altero certificatur nuntio, quod maximus pariter ipsius Consiliarios Achitophel, partibus Absolom accessisset: & hoc & illo, Rex corde & animo turbatus, flexis genibus, levatisque in cœlum manibus orando, Deo dixit: *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.* Nunquam linguam nostram verborum inopiâ laborare notati, nisi in hoc textu. Infatuare, significat facere insanum, imprudentem, ignorantem, stultum, & aliquid adhuc pejus significat; & omnia ista petebat David, ut Deus consilio Achitophel immitteret. Ecce quomodo magnus ille Rex judicio suo ponderavit; & quomodo omnium judicio ponderari oporteat magnum aliquem Consiliarium! David accepto nuntio, quod totum regnum, uno corde sequeretur Absolom, contra arma ipsius protegi à Deo non petivit: audito autem, quod etiam Achitophel partes illius fuisset amplexus, à consiliis ejusdem liberari instanter oravit. Magis caput unius tantùm hominis, quàm infinitorum brachia extimuit. In prostratione Gigantis expertus jam erat David, parùm prodesse corpus & brachia armata, capite debili & infirmo. David in casu non aliter se gessit contra Absolom, quàm contra Goliath Orationis suæ spicula, non contrà regnum, quod erat corpus armatum, sed contra Achitophel tanquam caput intorsit. Magnum aliquem Consiliarium Rex in suo consilio maximi faciat: & in adversarii & hostis consilio valde extimescat.

2. Reg. 15. v. 13.

Age, ad successum transeamus, in quo S. Scriptura duo memorat, quæ ex diametro sibi opposita videntur. Primum, quod Deus deprecantem contra consilium Achitophel Davidem exaudiret: secundum, quod Achitophel convenientissimum & utilissimum consilium Absoloni suggesserit: *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile.* Enim verò si Achitophel prudenter &

2. Reg. 15. v. 31.

2. Reg. 17. v. 14.

utiliter consuluit Absoloni, quomodo exaudita dicitur oratio Davidis ? David orando postulârat à Deo infatuationem consilii Achitophelis : si verò prudens illud fuit & utile, quo pacto illud Deus infatuavit ? Vultis scire, quo pacto fuerit infatuatum ? pergite legere textum. Quanquam Scriptura consilium Achitophelis prudens & utile asserat, Absolonem nihilominus non fuisse executum commemorat; & hocce pacto à Deo fuisse infatuatum meritò dicitur ; prudentia etenim consilia, non subsequente executione, non prudentia sed fatua habenda sunt. Duobus modis potuit Deus Achitophelis consilium infatuare : vel in ipsius intellectu, faciendo, ut ineptè consuleret : vel in manibus Absolonis, faciendo, ut quamvis consilium in natura foret bonum, Absolon illud non exequeretur : Deus verò, ut consilium Architophelis omnimodis infatuaret, prout David fuerat precatus, secundum hunc modum elegit : consilium enim intellectui difforme est erroneum, consilium verò intellectui conformiter initum & concluſum, & tamen executioni non mandatum, non solùm est erroneum, verùm etiam fatuum. Consilium erroneum cadere potest in homines prudentes : sed illud bonum malumve facere defectu executionis, non nisi fatuorum est proprium. O quot pessum eunt regna, ob prudentia consilia infatuata! Attendant ibi Principes, num infatuata sint in intellectibus Achitophelium, vel in manibus Absolonum. Hinc ego consilium manuum præelegissem, cumque illud foret tam malum, istam bonitatis particulam Evangelii nostri consilium habuit. Cœpit, admirando hoc quod non fiebat : *Quid facimus?* & finitum est, exequendo hoc quod fieri oportebat : *Ab illa autem die, ab illa autem hora cogitaverunt eum interficere.*

Verùm enim verò non capio, quomodo mox eodem die, immò eâdem horâ quâ consilium initum fuit, id fieri potuerit. Quando collectæ sunt opiniones? quando in scripturam redacta consultatio ? Quando sigillis consignata? quando concilium ascendit ? quando decidit ? quando descendit? quando factæ sunt expeditionis? quando in registrum translatæ ? quando rursus ascenderunt consultantes? quando subscripserunt? quando rursus descenderunt ? quando mandata ordinarunt? quando distribuerunt ? omnia ista unâ horâ, nec uno die, immò nec multis quidem diebus ad effectum potuerant perduci. Nostro quidem sæculo & in nostrâ terrâ sic fuisset : Totum verò istud & factum est, & fieri potuit. Quomodo vel quare? quia in isto concilio nec attramentum aderat, nec papyrus.

§. VI.

HÆc est quarta & ultima qualitas laudabilis, quam ego consîdero : dari scilicet concilium sine chartâ & attramento. Quo ad me jam dudum istius fui opinionis, chartam & atramentum esse quid non necessarium, seu quasi non necessarium in conciliis; quoniam verò id mundi improbatur judicio, non ego argumentabor cum mundo, sed mundus argumentetur secum ipso. Quid, quæso, antiquius est in mundo, concilium an papyrus? Si igitur tempore illo concilia habebantur sine papyro, quare idem fieri non poterit modò? dicet mihi fors quispiam; mundum illo tem-

pore

pore minùs fuiſſe politum, minùs fuiſſe politicum. Reſpondeo ego, quod magis fuerit politicus quàm modò. Prima gens ſeu natio legendi ſcribendive gnara, fuit illa Hebræorum. Prima populi iſtius gubernatio erat penes familias, poſtmodum tranſiit ad rempublicam, inde ad ariſtocratiam, tandem deſiit in regnum; & in omnibus iſtis ſtatibus nec atramentum invenietis, neque papyrum in eorundem conciliis: Princeps convocatis ad ſe conſiliariis, proponebat materiam; audiebant conſilia & opiniones; decernebat quid faciendum; deſignabat perſonam, quæ exequeretur: & finitum erat concilium. Nunquid non optimus erat ille ſtylus, Domine Munde? Modò potior eris in papyris, neque tamen propterea melioribus conſiliis adjutus. Verum eſt, illo tempore regiarum perſonarum lateri duos adhæſiſſe amanuenſes: & quales erant? alter Hiſtoriographus; alter Secretarius; quod ex libro Regum 2. capitulo 8. probatur, ubi officiales, quibus totius aulæ regiæque domus gubernatio incumbebat, recenſentur, & inter illos, Joſaphat à commentariis, & Saraias Scriba nominatur. Enim verò, quare Hiſtoriographum & Secretarium eſſe, erant duo officia calami? prudenter valde id fuit ordinatum: ſcribere enim inventum fuit in remedium abſentiæ & memoriæ. Secretarius exarabat literas pro abſentibus: & Hiſtoriographus exarabat memorias & memorabilia pro futuris & ſubſequentibus. Idcircò in ſacris hiſtoriis generaliter tantùm invenimus libros & epiſtolas: Libros pro venturis, & epiſtolas pro abſentibus. Similiter ſcriptio ordinata, & tanquam remedium adinventa eſt in gratiam mu-

2. *Reg.* 8. v. 17.

torum, prout accidit Zachariæ patri Baptiſtæ, qui requiſitus ad nomen, quod filio imponi vellet declarandum, deficiente ſibi linguâ accipit pennam. Conſiliariis mutis, Regibuſque ſurdis papyrus utique neceſſaria foret: ſed Conſiliariis linguæ uſu, & Regibus aurium officio præditis ad quid tantum papyri? nunquid præſtat Conſiliarium loquentem & reſpondentem voce viva audire quàm mutam chartam reſpondere neſciam legere? enim verò, quot Conſiliarii dicerent verbo, quod dicere & firmare trepidant ſcripto? Inter os Conſiliarii & aures Regis veritas tranſit ſecura: neque omnes eâ ſunt animi libertate & conſtantiâ, ut rimis periculiſve papyri ſenſa ſua & conſilia credant. Non loquor de eo, quod âtramentum, cùm ſit nigrum, variis coloribus chartam inficere poſſit; & penna, de quacumque demùm volucre ſit, totum ſuum eſſe carni & ſanguini debeat.

Introducere chartam & atramentum (ſaltem tantâ copiâ) in conſilia & tribunalia, fuit adinventio abbreviandi tempus, & prolongandi petitoria & ſupplicias, ut ante finiatur vita, quàm negotia. Evidentiſſimum hujus experientiæ exemplum, cujus meminerunt hiſtoriæ, in executione ejuſdem conſilii habemus, in quo verſamur: *ab illa autem die cogitaverunt eum interficere.* Executio hujuſce concilii, fuit peremptio Chriſti. Videtur autem res eſſe nulla fide digna (niſi Evangeliſtæ aſſeverâſſent) conſideranti geſtorum multitudinem, & temporis executioni impenſi brevitatem. Chriſtus horâ duodecimâ noctis captus, duodecimâ horâ diei in crucem fuit actus. Quid verò factum, vel non factum

fuit istius duodecim horis? Christus ad quatuor tribunalia longè ab invicem dissita ductus, & ad unum eorum iteratò fuit reductus. Congregatis adversariis bina instituta sunt concilia: oblatæ sunt utrimque accusationes; trina testium inquisitio adhibita: causa coincidens & dimissio Barabbæ expedita: contra Christum libelli duo porrecti? accesserunt instantiæ à parte rei & actorum: allegatæ sunt leges, factæ revisiones, fuerunt replicæ & triplicæ: binæ repræsentatæ sunt comœdiæ, una Christi Prophetæ oculis velati, altera ejusdem Regis sceptro & coronâ redimiti: tribus vicibus vestibus fuit exutus & reindutus: quinquies interrogationibus & examini subjectus; bis judiciali sententiâ damnatus: bis populo ostensus: vulneribus concisus, variis & indignissimis modis tractatus, toties palmis & pugnis, & arundine percussus; quinquies millenis ictibus flagellando impactis: prævie præparandæ erant lanceæ, gladii, faces, laternæ, funes, columna, virgæ, catenæ: toga duplex, altera alba, altera purpurea; arundines: spinæ, crux, clavi, fel, acetum, myrrha, spongia, titulus cum literis Hebraicis, Græcis & latinis, non scriptis, sed insculptis, prout hodiedum Romæ monstrantur: latrones Christum comitaturi: cruces pro iisdem; Cyrenæus, qui Christum in portanda cruce sublevaret: ter prædicavit, semel Caiphæ: semel item Pilato, semel denique filiabus Jerusalem. Denique cespitans, cadens & exurgens, ad Calvariæ montem deductus ibidem in crucem est suffixus. Et omnia jam memorata, duodecim horarum spatio sunt peracta, ex quibus nihilominùs tres quieti Ministrorum deservierunt, quæ fuerunt illæ ultimæ, manè & diluculò? Gravis & enormis casus! Quomodo possibile fuit, ut omnia ista numero tam multa, & specie adeò diversa & ab aliis dependentia fieri possent & executioni mandari in tam paucarum horarum angustiis, cum insuper medietas horarum fuerit nocturna? omnia ad exequendum fuêre possibilia, & executionem actualiter sortita; nam in omnia concilia ista & tribunalia, in omnia ista decreta & executiones atramentum & papyrus non fuerunt subintrare permissa. Enim verò si omnia fieri debuissent, cum moris, intervallis, dilationibus, tergiversationibus, & cæremoniis, quas involvit charta, genus humanum necdum esset redemptum. Quatuor tantùm verba in morte Christi fuerunt scripta scilicet illa tituli crucis: & mox adfuerunt oppositiones, petitiones, contradictiones, dissensiones, aliæque inconvenientiæ sunt exortæ: nisi Pilatus cordatè resolvisset, non plus nec aliter esse scribendum, *quod scripsi, scripsi*, ad Cæsarem Romæ degentem, quæ quingentis leucis inde distabat, appellatio subsecuta fuisset, & processus mediæ lineæ multos absorbuisset annos. *Joan. 19. v. 23.*

Christus ipse lucro non caruit ex eo, quod charta & atramentum in processus ipsis executione non fuerit adhibita, nam expensas non solvit. Estne possibile, non dari justitiam seu innocentiam, seu præmium, quod chartæ mulctam evadat? dixi mulctam, ne dicere furtum. Sed quænam, quæso, charta, in quam non cadat furis imago? Hæc cogitandi scrupulum mihi exemit historia de charta in Evangelio relata. S. Lucas narrat Dominum quendam, qui bona sua dispensatori suo administranda tradiderat, delatis

ad se

ad se rumoribus, quasi minùs mundis manibus dispensator ea tractaret, hunc à dispensatione amovere decrevisse. Dispensator subodoratus se amotum iri ab officio sibi credito: nullâ interpositâ morâ acceptis scriptis & chartis armisque scriptoris, singulos Domini sui debitores accedit. Et quid cum illis tractavit? debenti centum cados olei dixit: *Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde dixit alii, qui debebat centum cados tritici: accipe literas tuas, & scribe octoginta.* Ergone ista litterarum & scripturarum est fides, quibus tanta authoritas tribuitur? ad hocce serviant litteræ & papyrus? ad hoc deserviunt, ut de centum coris tritici faciant octoginta: & de centum cadis olei faciant quinquaginta. Ecce num dispensator Insignia chartæ merebatur? Verùm deficiente chartâ, hujuscemodi occasiones famulis subtraherentur. Terribile mundi flagellum semper extit charta; sed hodiedum terribilius & atrocius quàm unquam. Ortum & nomen papyro dederunt cortices arborum, quæ latinè papyrus vocantur: illarum etenim arborum cortices, prima fuerunt papyrus, cui homines primitùs inscribebant: succedente tempore aptandis & præparandis ad hocce pellibus operam dederunt, sicque membranarum usu scriptura expeditior evasit: tandem adinventum fuit flagellum papyri, quâ jam utimur, Ita ut si bene advertimus, à principio usque in præsens materia fuerit scribendi, & adinventio decorticandi. Prima papyro decorticabantur arbores: secundâ excoriabantur animalia: tertia & nunc usitatâ, excoriantur homines. O quantum papyri ex pellibus istis posset compingi, quas eadem papyrus exuit & detraxit! sed nullibi magis quàm in Lusitania; nam nullibi tantum impenditur aut insumitur papyro. Suppetias istas quas ferimus Veneris, nonne mulò melius, in pecunia potius daremus contra Turcam in Candiâ, quàm contra nos impendamus papyro? Nullum melius, meo judicio aut necessitas, aut cupiditas adinvenit tributum, quàm illud papyri seu chartæ sigillatæ. Unum tantum illi defuit conditio: sigillationis pretium non partes, sed Ministros solvere oporteret. Quod si Ministris sigillationis pretium persolvere incumberet, spondere ausim, quod rarior curreret charta, & magis volarent negotia. Sed adhuc volarent amplius, si nec penna esset nec papyrus: & ex hoc capite, sic concilii hujus volârunt resolutiones: *Ab illa autem hora.*

Luc. 17. v. 6. & 7.

§. VII.

CUm concilium sic ad amussim ad leges politiæ fuerit compositum, cùm omnes, quotquot interfuêre, sic politiæ dictaminum gnari fuerint & observantes, quis demum omnis politiæ istius fuit exitus? non alius quàm Jerusalem interitus, totius Hæbræorum reipublicæ exitium, ipsorumque Pontificum & Pharisæorum qui illud collegerant calamitas extrema. Quare? quia cùm tantùm participaret de politia, nihil sapiebat Christianum: immò amarissimè contra Christum erat excoctum: *Collegerunt Pontifices & Pharisæi concilium adversus Jesum.* Hæc verba: *adversus Jesum*, sunt non solùm juxta textum, sed glossam Ecclesiæ. Notate

ait Ecclesia, consilium illud fuisse contra Christum : & de concilio contra Christum, quid aliud expectandum, quàm ipsius Concilii, ipsorummet consiliariorum, totiusque reipublicæ illud manutenere & propugnare satagentis totalis ruina & interitus ? ita factum est. Tota hæc resolutio occidendi Christum, juxta politiæ dictamen fundebatur in eo. *Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* q. d. si hominem hunc ita dimittimus, ab omnibus Rex acclamabitur, quod ubi innotuerit Romæ, nos habere Regem in supremæ Imperatoris Romani majestatis præjudicium, Romani adversus nos consurgent, nostra diripient, gentem nostram totamque rempublicam funditùs exscindent : moriatur igitur homo iste & pereat, ne nos omnes pereamus. Sed ecce, quomodo in politica sua errârunt! resolverunt dicentes : occidamus hominem istam, ne corruentes omnes pereamus: & corruentes perierunt omnes, qui istum hominem occiderunt : occidamus hominem istum, ne venientes Romani Jerusalem devastent : & quia hominem istum occiderunt, venerunt Romani & Jerusalem funditùs everterunt, ne lapidem quidem super lapidem relinquentes. Quid supersest de Jerusalem? quid de Hebraica republica ? quis illam destruxit ? quis illam evertit ? quis illam funditùs excidit? Romani. Ecce quò tandem devolvantur, & ubi desinant consilia & politiæ, quorum rationes status contra Christum pugnant. Sanctus Augustinus ait: *In contrarium eis vertit malum consilium: ut possiderent, occiderunt : & quia occiderunt, perdiderunt.* q. d. consilium malum in caput ipsorum consiliariorum fuit conversum : ut conservarent rempublicam, occiderunt : & quia Christum occiderunt, rempublicam perdiderunt. Heu quoties perduntur reipublicæ, quia pro earum conservatione eriguntur & adhibentur Christi offensæ! Consulens contra Deum, consulendo nocet sibi, porrò si media, quibus se homo conservare conatur, contrarietur Deo, eisdem Deus utitur ad illum destruendum.

Joan. 11. v. 48.

S. Aug.

Rempublicam Hebraicam Deus frequenter in omnibus statibus, ætatibus seu sæculis, per varias nationes castigavit. Prætermitto captivitates & servitutes particulares, tempore Judicum, per Madianitas : & tempore Regum per Philistæos : ad captivitates generales transeamus. Prima captivitas universalis fuit, tempore Moysis, per Ægyptios : Secunda, tempore Oseæ, fuit per Assyrios : Tertia universalis captivitas fuit, tempore Jechoniæ, per Babylonios : Novissima captivitas universalis post Christum est præsens, per Romanos. Enimverò, quare, disponente Deo postremam hanc captivitate executi sunt Romani, & non alia natio ? nunquid adhuc iidem supererant Ægyptii, Æthiopes Arabes, Persæ, Græci & Macedones nationes viciniores? Quare igitur non istis, aut alii nationi, sed Romani Deus hujus captivitatis executionem demandavit ? ut toti innotesceret orbi, punitionis hujus causam solis istius concilii politiis esse imputandam. Agedum videte.

Tres sibi resolutiones consiliarii isti pro conservatione reipublicæ assumpserunt, omnes tres in timore, respectu, & dependentia amicitiaque Romanorum fundatas. Primam notavit S Gregorius : Secundam, S. Basilius : Tertiam, S. Am-

S. Greg. *S. Basil.*

S. Amb. Ambrosius : brevitatis studio verba eorundem omitto, Prima fuit resolutio, quod si concursus ille populi ad Christum, cum applausu & acclamationibus Regis, quibus eum honorabant, continuaret, Romanos Jerosolymam invasuros : *Si dimittimus eum sic, venient Romani.* Secunda resolutio fuit, Christum tradere militibus Romanis: qui eum comprehenderunt in horto, & crucifixerunt in Calvario : *Judas verò cum accepisset cohortem*: quæ erat ex Romanis. Tertia resolutio fuit, persuadere Pilato Judææ Præsidi à Romanis constituto, quod si Christum dimitteret, Cæsaris amicitiam perditurus foret: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris.* Eheu! Itane? Quia igitur Romanorum potiùs timetis potentiam, quàm Dei justitiam, Dei justitia Romanorum vos castigabit potentia. Vos Christum militibus Romanis capiendum & crucifigendum traditis : Ergo & vos Christus iisdem in captivitatem, in occisionem & interitum tradet. Vos imperatorum Romanorum amicitiam gratiæ Dei anteponitis : permittente igitur Deo imperatores Romani tanquam hostes infensissimi crudelissimè in vos desævient, venientque Titus & Vespasianus ad vos debellandos locaque vestra expugnanda, & funditus evertenda. Ita ut omnes Pontificum Pharisæorumque politiæ in caput ipsorum fuerint conversæ ; conciliique resolutiones ruinæ & interitus ipsorum factæ sint instrumenta, ad hocce, timor, respectus, dependentia & amicitia ipsis deservivit. Porrò hic infelix hujus concilii fuit exitus, non alio fine digni, quod talia media elegit.

Domine, vera politica, est timor Dei, respectus Dei, dependentia & amicitia Dei : & vera ars regnandi, est custodire legem & observare mandata. Antiqui Politici Aristotelis, & Xenephontis præceptis operam navabant. Politici hujus temporis, addiscendis & practicandis Taciti aliorumque quorum nomina hoc loco sunt indigna, malitiis student. Vera & unica politica, est Lex Dei. Verba nonnulla Dei ex cap. 17. Deuteronomii auscultate, quæ meritò Principes omnes cordibus suis insculpta oporteret habere : *Cum sederit Rex in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis hujus, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Deum, neque declinet in partem dextram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, & filii ejus.* Deut. 17. v. 18. Age, Domine, istane regnandi ars est, illane documenta sunt politica, istæne sunt Rationes status, quæ Regi populi tui, proconversatione sua, regnique sui longævitate & stabilimento præscribis? sunt planè, ista, & non alia : nosse legem Dei, timere Deum, observare legem & mandata Dei, & ne vel ad punctulum ab illis deviare. Quod si Aristoteles sapientior quàm Deus, politica præferantur Aristotelis : si Xenophon prudentior quàm Deus, Xenophontis magis placeat imitari ideas : si Tacitus verius infallibiliusque quàm Deus, videtur locutus, Taciti addiscantur & practicentur sententiæ & acumina. Si verò Deus omnes sapientiâ præcellit, & ipsa, vera, & sola sapientia existit, rationibus status Dei navetur opera ut addiscantur, & in praxin deducantur.

Non dico, ne libri legantur : sed politica rota in Dei lege non fundata, est ignorantia, est error, est deceptio, regiminis.

minis confusio & ruina. Vice versa, Lex Dei sola, sine omni alia politica, est scientia, est vera rectitudo & perfectio regiminis, ejusdemque conservatio & securitas. Omnis Regis alicujus Christiani politica ad quatuor reducitur partes & respectus: Regis ad Deum, ad se ipsum, ad subditos: ad extraneos: omnia ista Rex in lege Dei reperiet. A se, ad Deum, Religionem: à se, ad seipsum, temperantiam: à se, ad subditos, justitiam: à se, ad extraneos, prudentiam. Per omnia ista quatuor pericula monarchia ipsius velificabit secura, si consilia ejus semper tanquam stellam respiciant Deum: & pro gubernaculo ejus habeant legem.

S. Cyprianus. *Consiliorum gubernaculum Lex divina.* Inquit S. Cyprianus, Consilia gubernaculum sunt reipublicæ, & lege Dei consilia gubernari oportet. Consilium & respublica quæ conformiter legi Dei non regitur, est navis gubernaculo destituta. Hinc regnum Jeroboam, Baasa, Jehu, totque aliorum tam horrenda passum est naufragia.

Versatissimus in politicis, & prudentissimus in consiliis ex omnibus Regibus, quorum S. Historia meminit, fuit David. Et quali consilio usus? ipse id innuit: *Consilium meum justificationes tuæ.* q. d. consilium meum, sunt mandata tua. O eximium & excellens consilium! ô Consiliarios prudentes! Consilium, Lex Dei: Consiliarii, decalogus mandatorum Dei. De famoso illo Consiliario Achitophel memorat scriptura, consilia ipsius fuisse quasi oracula & responsa Dei; *Tanquam si quis consuleret Dominum.* Mandata Dei, quæ consiliarii erant Davidis, non erant quasi, sed vera oracula Dei. Et qui oraculis Dei tanquam gubernaculo utitur, quomodo errare poterit? Christus primo Regi Alphonso Henriquez apparens revelando quod in ipso, & propagine ejus novum sibi imperium erigere, fundare & confirmare intenderet, sicut Moysi dixit, *Ego sum qui sum.* Ita primo huic Regi ait, *Ego ædificator, & dissipator regnorum sum.* In his duabus maximis Christus omnes rationes status collegit, quibus quemlibet Lusitaniæ Regem seso accommodare volebat. Deus regna confert, & idem auffert: omnis politiæ scopus, est conservare regna & dilatare. Quo pacto convertsabuntur regna, adversante sibi Deo, qui auffert? & quo pacto dilatabuntur, resistente sibi Deo, qui confert? non adversante nobis Deo, tua & secura erit conservatio: protegente nos Deo, dilatatio certò certius consequeretur. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me*: Inquiebat Job, qui etiam Rex erat. Adjuvante nos Deo, etsi totus contra nos mundus consurgat, in nullo tamen vel minimum nos lædere prævalebit: adversante autem nobis Deo, etsi totus pro nobis pugnet mundus, defendere tamen nos nullatenus sufficiet. Inito cum Deo off- & defensivo fœdere, erimus securi. Ecce fatalem hujus pessimi Pontificum & Pharisæorum concilii errorem: ut confœderarentur Romanis, recesserunt à Deo: & non consideratâ Dei jacturâ, vice ejus, quod rempublicam conservarent, & ipsius reipublicæ, & Dei simul jacturam fecerunt. *Iste homo multa signa facit.* Signa dicebant, Christi miracula: & quamvis numerum attigerint in miraculis, errârunt quoad computum in signis. Miracula erant multa, & signa non nisi duo. Si Christum sequerentur, esset

Psalm. 118. v. 24.

Job. 17. v. 3.

signum

ſignum conſervationis: ſi averſarentur illum, ſignum eſſet ſui interitus. Quodlibet horum miraculorum, erat cometa fatalis, Reipublicæ Hebraicæ incredulæ; & offendenti Chriſtum, exitium minitans & protendens. Et ita factum eſt.

Principes, Reges, orbiſque Monarchæ, ſi veſtri ipſius, ſtatuumque veſtrorum conſervatio vobis curæ eſt, ſi regnis veſtris ſeu monarchiis exui nolitis, ſupremum conſilium veſtrum ex Dei lege pendeat, eoque reliqua omnia conſilia veſtra reducantur, illique ſubjecta ſint & conformia. Quidquid demùm veſtri vobis Conſiliarii aut Concilia, vel tanquam neceſſarium conſervationi, vel tanquam utile dilationi, vel tanquam honori, magnificentiæ & majeſtati coronarum veſtrarum glorioſum ſuggeſſerint totum illud ſub conditione iſta infallibili, ſi legi Dei fuerit conſonum, approbetur, confirmetur, decernatur. moxque executionem ſortiatur: Vice verſa; ſi quid contra Deum ejuſque legem involverint, reprobetur, damnetur, anathematizetur, nullo prorſus dato conſenſu, tametſi vita, corona, monarchia ex ipſo penderent. Rex qui talis non eſt conſcientiæ, ut totum malit perdere mundum quàm veniale committere peccatum, Chriſtiani Regis nomen non meretur: *Quid prodeſt homini, ſi univerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur.* Matt. 16. v. 26. Quid profuit cuicunque homini, & quid profuit Alexandro, mundi fuiſſe Dominum, ſi ſuam perdidit animam? pereat mundus, ne periclitetur anima; pereat ſceptrum & corona, ne maculetur conſcientia: pereat regnum terreſtre, ne in diſcrimen & dubium veniat cœleſte: ſed Rex ille, qui ad aſſecurandum ſibi regnum cæleſte, diſcrimen ſeu jacturam non attendit regni terreſtris, certum habeat & indubitatum, quod iſtâ reſolutione, iſtâ generoſitate, veritate iſta & zelo, iſta ratione, iſto denique heroico Chriſtianitatis actu & terreſtre ſimul & cœleſte ſibi regnum aſſecurabit: Deus enim ſupremus cœli terræque Dominus, illum firmitate gratiæ ſuæ in regno terreſtri ſtabiliet in hac vita, & gloriæ æternitate perennare faciet in regno cœleſti in altera. Amen.

SERMO
DE
SANCTO ANTONIO.

Dictus in civitate Sancti Ludovici Insulæ Maragnanæ, Anno 1654.

Sermonem præsentem (qui totus est allegoricus) dixit Author tribus diebus antequàm occultè conscenderet navem regnum Lusitaniæ versus, ad procurandum remedium salvandi Indos, ob causas sermone primo partis primæ notatas: in quo tetigit omnia puncta doctrinæ (quamvis persecutionem passæ) quæ bono spirituali & temporali terræ illius magis erant necessaria, prout ex ipsis allegoriis facilè colligi potest.

Vos estis sal terræ. Matth. 5.

§. I.

VOS, inquit Christus Dominus noster, Prædicatoribus loquens: *estis sal terræ.* Vocat illos sal terræ, qui vult ut in terra salis fungantur officio. Effetus salis est corruptionem impedire. Sed quando terra adeò videtur corrupta, prout est hæc nostra, cùm in ea degant tot Vicarii salis, quænam erit, aut qualis esse potest corruptionis hujus causa? vel est, quia sal non condit: vel, quia terra condimen um non admittit. Vel est, quia sal non condit, & Prædicatores verã non prædicant doctrinam: vel, quia terra condimentum non admittit; & Auditores veram quantumvis doctrinam recipere recusant: vel est, quia sal non condit, & Prædicatores aliud dicunt, & aliud agunt: vel, qui terra condiri se non sinit, & auditores ipsorum potius facta quàm dicta imitari volunt: vel est, quia sal non salit, & Prædicatores non Christum, sed semetipsos prædicant: vel est, quia terra saliri se non sinit, & Auditores, non Christo, sed suis concupiscentiis deserviunt. Nunquid hoc totum verum est? prô dolor!

Suppositò igitur, quod vel sal non condiat, vel condimentum terra non recipiat; quid huic sali & terræ huic faciendum restat? Quid sali non salienti faciendum sit, Christus mox insinuat: *Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* Sal, substantiâ & virtute suâ corruptâ & Prædicator doctrinâ & exemplo deficiens velut

Matth. 5. v. 13.

lut inutiles mittendi sunt foras, nt conculcentur ab omnibus. Quis hoc dicere auderet, nisi ipse Christus hoc dixisset? sicut enim nullus majore reverentiâ & prælatione dignior Prædicatore, qui verbo & facto docet quod debet : ita omni despectu & abjectione dignissimus, qui verbo & vita contrarium prædicat.

Hoc sali non condienti faciendum est ; & terræ condimentum respuenti, quid fieri oportet? punctum istud Christus in Evangelio non resolvit, sed resolutionem desuper, à magno nostro Lusitano S. Antonio, quem hodie celebramus, habemus : & reverà heroica magis & glorioſa est resolutio, quàm ullus unquam Sanctorum sumpsit. S. Antonius, in Italiæ civitate Ariminensi contra Hæreticos prædicabat, quorum ibi frequens erat numerus : quia verò errores intellectûs evelluntur difficiliùs : hinc Sanctus non solùm non faciebat fructum ; sed eò devenit, ut insurgente in se plebe, præsentissimum vitæ incurreret discrimen. Quid in hoc casu generosus magni Antonii animus capesseret consilii ? Excuteretne pedum suorum pulverem, sicut Christus alibi jussit ? Sed S. Antonius nudipes ita protestari non poterat, & pedes, quibus terrenum nihil adhæserat, quod excuterent ; non habebant. Quid ergò faceret? recederat? taceret? dissimularet? tempori serviret? istud fortassis prudentia vel vecordia humana suaderet : sed ardens in pectore ejus gloriæ Dei zelus, hujuscemodi conditiones repudiavit. Quid igitur fecit ? mutato tantùm pulpito & auditorio, non destitit à doctrinâ. Deserto foro ad littora perrexit ; relictâ terrâ ivit ad mare altâ intonans voce : cùm me audire jam nolint homines, auscultent me pisces. O miracula altissimi ! ô potestatem illius qui mare creavit & aridam ! undæ effervescunt, conglomerantur pisces magni, maximi & pusilli, omnes exertis ex aquâ capitibus Antonium prædicantem auscultabant.

Si Ecclesia de S. Antonio prædicare nos jubet super Evangelio : aliud nobis thema suppeditet. *Vos estis sal terræ*, congruentissimus aliis SS. Doctoribus est textus : sed pro S. Antonio nimis est angustus. Alii SS. Doctores Ecclesiæ, fuerunt sal terræ ; S. Antonius fuit sal terræ & simul sal maris. istud est assumptum mihi hodie pertractandum. Sed à multo tempore in mentem mihi venit in festis Sanctorum melius esse prædicare sicut illi prædicârunt : quàm prædicare de illis. Quantò magis cùm sal doctrinæ meæ, qualecunque illud sit, eandem in hac terra habuerit fortunam, adeoque similem illi S. Antonii Arimini, ut necessarium sit in omnibus illam sequi. Sæpius vobis in hac Ecclesia & aliis, mane & vespere, die ac nocte concionatus fuit doctrinâ cum primis clarâ, solidâ, verâ, huicque terræ magis necessariâ pro vitiorum hanc corrumpentium correctione & extirpatione. Quem ex hac doctrinâ collegerim fructum, & utrum terra sal imbiberit, vel ex eo sumpserit : vos illud nôstis, & ego pro vobis sic sentio.

Hoc supposito, S. Antonium imitando, à terra ad mare me convertere statui, quia homines inde non proficiunt, piscibus prædicaturus. Mare ita vicinum est, ut audire me possint : reliqui dimisso sermone, recedere possunt : non enim

est pro illis. *Maria* significat *Domina* maris : & quamvis hoc assumptum adeò sit inusitatum, illam consuetâ mihi gratiâ non defuturam spero. Ave Maria.

§. II.

PRædicandum tandem est nobis hodie piscibus ? nunquam pejus auditorium. Non desunt saltem piscibus binæ qualitates laudabiles in auditoribus ; auscultant, & non loquuntur. Id unum tantùm Prædicatorem malè habere posset, quod cùm pisces sint populus, quod non convertatur : ast dolor iste tam est ordinarius ut jam quasi per consuetudinem non sentiatur. Proinde hodie nec de cœlo, nec de inferno loquar, & sic sermo præsens minùs erit contristativus, quàm ordinariè mei hominibus esse videntur, ad jugem duorum finium horum memoriam inculcandam.

Vos estis sal terræ. Scire vos oportet, fratres pisces, sali maris filio, uti & vos estis, duas inesse proprietates, quas in vobis ipsis experimini : scilicet conservare sanum, & à corruptione præservare. Has easdem proprietates Prædicatoris vestri S. Antonii conciones habebant : sicuti omnium Prædicatorum sermones illas habere fas est. Una est laudare bonum ; altera reprehendere malum : laudare bonum ad conservandum ; reprehendere malum, ad præservandum ab eo. Ne hoc ad homines tantum pertinere putetis, etiam in piscibus, locum habet. Quod magnus ille Ecclesiæ Doctor Sanctus Basilius asserit : *Non capere solùm reprehendereque possumus pisces, sed sunt in illis, & quæ prosequenda sunt imitatione.* Christus Ecclesiam suam, reti ad piscandum misso, *Sagenæ missæ in mare*, comparando inquit, piscatores bonos collegisse pisces, & malos misisse foras ; *Collegerunt bonos in vasa, malos autem foràs miserunt* : & ubi boni sunt & mali ? ibi est quod laudetur & reprehendatur. Hoc suppositio, ut procedamus clarè, vestrum, pisces, sermonem in duo dividam puncta : in primo vestras commendabo virtutes, in secundo vestra vitia reprehendam, & hoc modo obligationibus salis satisfaciemus ; melius enim est vobis, eas audire vivos, quàm experiri mortuos.

Matt. 13. *v.* 47.

Matt. 13. *v.* 47.

Exordio igitur à laudibus vestris facto, fratres pisces, dicere vobis possem, omnium creaturarum viventium & sensitivarum, vos primos à Deo fuisse creatos : ante volucres cœli, ante animalia terræ, ante ipsum hominem vos Deus creavit. Deus hominem mundi monarcham constituit. ejusque dominio trium elementorum animalia subjecit, tresque præsidentias, quibus eum honoravit, conferendo pisces primo nominavit : *Ut præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & bestiis, universæque terræ.* Omnia animantia mundi à piscibus & numero, & magnitudine exceduntur. Quam, quæso, comparationem in numero, species avium, terrestriumque animantium cum piscium speciebus habent ? quæ comparatio elephantis cum balæna in magnitudine ? Hinc Moyses creationis chronographus cæterorum omnium animalium nomina subticendo, illam tantum suo nomine appellavit expressè ; *Creavit Deus cete grandia.* Et tres illi hymnidici fornacis Babylonicæ, idem illud nomen tanquam pro cæteris singulare

Gen. 1. *v.* 26.

S. B sil.

Gen. 1. *v.* 21.

Dan. 3. v. 79. lare decantârunt : *Benedicite cete, & omnia quæ moventur in aquis, Domino.* Hæc & alia laudum præconia, has & alias generationis vestræ & magnitudinis excellentias decantare vobis possem, ô pisces : sed istud spectat ad homines, qui ab hisce vanitatibus se duci patiuntur; similiterque spectat ad loca in quibus locum habet adulatio : & non ad pulpitum.

Ad vestras igitur, fratres, transeo virtutes, quæ solæ veram vobis laudem conciliare queunt. Prima quæ oculis meis sese offert, est illa obedientiæ promptitudo, quâ vocati omnes ad honorem Creatoris ac Domini vestri accurristis : necnon iste ordo, istud silentium, & attentio, qua Dei verba ex ore servi ipsius Antonii accepistis. O verè magnam pro piscibus laudem, nec minorem pro hominibus confusionem. Homines Antonium persequendo ipsum è terra, imò (si prævaluissent) è mundo exturbare volebant, quia eorum carpebat vitia, non loquebatur placentia, nec erroribus ipsorum consentiebat : eodem tempore pisces frequentia innumerabili ad illius concurrentes vocem, ad verba ipsius attenti & suspensi cum silentio, cum signis admirationis & assensus (quasi intellectu præditi) quod non intelligebant auscultabant. Respiciens hoc passu mare simul & terram, homines vidissent tam furiosos & obstinatos, pisces quietos adeò & devotos, quid dixisset? cogitare & opinari potuisset pisces irrationales, in homines; & homines ratione præditos non in piscis, sed in bestias fuisse conversos. Homines rationis usu donavit Deus, & non pisces : sed hoc casu homines rationem habebant sine usu, & pisces usum habebant sine ratione. Magna vobis, pisces, laus debetur pro reverentiâ & devotione Prædicatoribus Verbi Dei exhibitâ, tantoque major, quia non hac tantùm vice, aut semel id præstitistis. Jonam ipsius Dei præconem in navi agentem, exsurgente magna illa tempestate, quomodò tractârunt homines, & quomodò pisces? Homines ejecerunt ipsum in mare, ut à piscibus devoraretur : piscis qui illum devoravit, ad litora Ninive, ubi homines istos prædicando salvaret, transportavit. Estne possibile, quod pisces hominum salvationem adjuvare & promovere satagant, & homines salutis suæ ministros in mare præcipitent? Ecce pisces (nulla vobis hinc vana gloria surrepat) quantò meliores estis hominibus! Hominibus viscera fuerunt ad Jonam in mare mittendum : piscis suis Jonam visceribus recondidit, ad ipsum vivum in terram exponendum.

Enim verò quia in duobus istis actibus (uti & in omnibus miraculosis quos operantur homines) potior pars debetur omnipotentiæ & non naturæ : ad naturales vobis & proprias transeo virtutes. Aristoteles de piscibus loquens, inter omnia animalia illos solos non domari nec cicurari asserit. Ex animalibus terrestribus adeò domesticus est canis, equus ita subactus, bos servitiis & laboribus assuefactus, simia familiaris adeò & blanda, imò leones & tygrides beneficiis & arte mansuefiunt. Ex animalibus aëris, præterea, quæ generantur & vivunt nobiscum, psittacus nobis loquitur, Luscinia nobis cantat, falco nos adjuvat & recreat, imò majores illæ aves rapaces contrahendo ungues manuum re-

recognoscunt, à quâ cibum accipiunt. E contrario pisces in suis vivunt maribus, fluminibus & stagnis, ibi se immergunt cryptis, ibi in suis sese abscondunt latebris, nullusque adeò est magnus, qui se credat hominibus, nec tam pusillus qui non fugiat ab eis. Authores communiter illam piscium conditionem improbando, nimiæ ipsorum stupiditati & brutalitati imputant. Ast ego opinionis planè diversæ hunc sese recipiendi modum non improbo in piscibus, sed vehementer laudo: & nisi esset natura, pro magna prudentiâ ipsis imputarem. Piscet: quantò remotiùs ab hominibus, tantò melius: à commercio & familiaritate ipsorum Deus vos liberet. Si animalia terræ & aëris familiaritatem eorum affectant, faciant illud in nomine Domini, suis enim incommodis & oneribus id agunt. Cantet hominibus luscinia, sed in sua cavea; repetat illis psittacus sibi dicta, sed in sua catena; gusticuletur coram ipsis simia, sed in sua numella: comitetur illos ad venandum falco, sed in suis palis: objectum sibi os rodendo canis sit contentus, sed, quò non vult, ductus per monile: glorietur bos se vocari pulchrum aut nobilem, sed cum jugo super cervicem, currum trahendo aut aratrum: exultet equus deaurata frena mandendo, sed sub virga & calcaribus: & si tygrides & leones ab illis portionem accipiant carnis, quam non sunt venati in sylva, captivi ferreisque clathris attineantur concluſi. Vos interim pisces remoti ab hominibus extra ista humanitates vobiscum tantùm vivetis; sed, sicut pisces in aqua. In domo & portis, totius veritatis hujus habetis exemplum, cujus admonitos vos cupio: quia sunt Philosophi, qui memoriâ vos præditos esse negent.

Tempore Noë, diluvium operuit & inundavit universam terram: & quidnam ex omnibus animantibus fuit salvatum? Ex leonibus duo evaserunt, Masculus & fœmina; & sic de reliquis animantibus terræ. Ex aquilis similiter evaserunt tantum masculus & fœmina: & sic de aliis volucribus. Et de piscibus? evaserunt omnes; imo non tantùm evaserunt omnes, sed multò magis dilatati quàm anteà; terra enim & mare, omnia erant maria. Si igitur tempore isto, & punitione universali, omnia terræ animantia & cœli volatilia sunt mortua, quare etiam mortui non sunt pisces? scitis quare? S. Ambrosius dicit, quia animalia cætera, tanquam magis domestica vel vicina majorem habebant cum hominibus communicationem: pisces ab eis remotè vivebant. Facile fuisset Deo veneno corrumpere aquas, & omnes pisces interemisset: sicuti omnia alia animantia suffocârunt. Experimini hoc in vi herbarum istarum, quibus lacus puteique infecti suâ vos aquâ perimunt. Sed quia diluvium punitio erat universalis. quam Deus hominibus propter peccata eorum inferebat, & mundo propter peccata hominùm; summa justitiæ divinæ providentiâ actum est, ut illud in eo discrimen esset & distinctio, ex quo mundus cognosceret omne sibi malum ab hominum societate provenire; & propter ea omnia animantia, quæ illis fuerant commoratione viciniora similiter fuisse punita; & remotiora mansisse illæsa. Ecce pisces quantum bonum est, distare ab hominibus! Magnus quidam Philosophus interrogatus, quænam esset optima

S. Amb.

mundi

mundi terra? Reſpondit, quæ magis deſerta: quia remotiores à ſe haberet homines. Si idem vobis S. Antonius prædicavit, ex beneficiis fuit unum, pro quibus, ad gratias agendas Creatori vos fuit cohortatus: potuiſſet ſanè quàm optimè ſuum vobis allegare exemplum: quantò enim magis quærebat Deum, tantò magis fugiendo elongabat ſe ab hominibus. Ut fugeret homines; paternâ relictâ domo, in Religionem ſe recepit; ubi perpetuam profiteretur clauſuram. Quia verò neque hic illum deſerebant, quos ille deſeruerat, primò Ulyſſipponem, deinde Conimbriam tandem reliquit & Luſitaniam. Ad fugiendum latendumque homines mutavit habitum, mutavit nomen & mutavit ſeipſam, magnam ſuam ſapientiam ſubnomine idiotæ occultando ne agnoſceretur, nec quæreretur, ſed ab omnibus deſereretur: prout illi cum propriis ſuis fratribus Aſſiſii in generali Capitulo accidit. Hinc ad vitam ſolitariam in aliqua eremo agendam ſe ſubduxit; è quâ nunquam fuiſſet egreſſus, niſi Deus, quaſi violenter illam manifeſtâſſet. Denique in alia eremo vitam finiit tantò magis unitus Deo, quantò remotior ab hominibus.

§. III.

ISTud eſt, piſces, in communi naturale, quod in vobis laudo: necnon felicitas, de quâ vobis gratulor non ſine invidia. Ad particularia deſcenſuro infinita ſeſe offerret materiam, ſi de virtutibus mihi diſcurrendum eſſes, quibus author naturæ illam dotavit, & in quolibet veſtrum admirabilem fecit. Quorundam tantùm mentionem faciam. Primum inter omnes occupans locum, velut celebris adeò in Scriptura, eſt ille piſcis S. Tobiæ, cui S. textus non aliud nomen imponit quàm magni, qualis revera fuit in virtutibus intrinſecis, in quibus tantùm vera magnitudo conſiſtit. Tobias inceptum carpebat iter comitante ſe Raphaële Angelo; deſcendentemque ad ripam fluminis Tigris, ut pedes à viarum pulveribus ablueret, ecce piſcis magnus hiantibus faucibus quaſi deglutiturus invaſit; Tobiam expaveſcendo clamantem voce magna juſſit Angelus arreptis brachiis extrahere in terram, exenterare: & interiora aſſervare, quæ illi futura eſſent utilia valde & neceſſaria. Tobias fecit ita. Interroganti verò quam virtutem haberent interiora, quæ aſſervari juſſiſſet; reſpondit Angelus: fel idoneum & efficax eſſe ad curandam cœcitatem, & cor, ad ejiciendam dæmonia; *Cordis ejus particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus dæmoniorum; & fel valet ad unguendos oculos, in quibus fuerit albugo, & ſanabuntur.* Ita locutus eſt Angelus, & ita oſtendit mox experientia: Pater enim Tobiæ cæcus, filio ſibi modicum fellis applicante, viſum integrè recepit: Et poſtquam dæmonum, Aſmodæus nomine, ſeptem viros Saræ occidiſſet, Tobias eâdem in uxorem acceptâ, partem cordis in domo accendit, quo facto dæmonium inde fugiens nunquam fuit reverſum. Ita ut fel piſcis illius Tobiam ſeniorem liberaverit à cæcitate; & domum Tobiæ junioris cor liberaverit à dæmonio. Piſcem tam boni cordis, tamque ſalutiferi fellis quis laudibus non extollat? certum eſt, ſi indueretur ſyntheſi,

Tob. 6. v. 8. 11.

theſi, & ſuccingeretur funeſeu chordâ, maritima S. Antoniieffigies eſſe videretur. S. Antonius aperto ore invehebat in Hæreticos, illis ſe ſe opponens zelo fidei & gloriæ Dei ductus & accenſus. Et illi quid faciebant? inſtar Tobiæ exclamabant, expaveſcentes ad iſtum hominem. opinati quod ipſos devorare voluiſſet. Ah homines ſiadfuiſſentAngelus revelansvobis, quale eſſet illius hominis cor,& iſtud fel, quod vobis tam amarum videbatur, quàm vobis ſalutiferum fuiſſet & neceſſarium! Si aperto ipſius pectore, viſcera & interiora ejus vidiſſetis, quàm certum eſt, vos in illos inventuros & cognituros fuiſſe clarè, quod duo tantùm à vobis & vobiſcum petat: quorum unum eſt, illuminare & curare veſtras cœcitates: alterum, vobis è domo ejicere dæmonia. Volentem igitur veſtras curare cœcitates, vos à dæmonio liberare volentem perſequimini? in uno tantùm S. Antonius & ille piſcis differebant: videlicet, quod os contra lavantem ſe aperuerit, & S. Antonius contra lavari nolentes. Ah habitatores & incolæ Maragnani, quanta vobis modò in hoc caſu dicere poſſem! aperite,aperite iſta viſcera,inſpicite illud cor, inſpicite. Sed ah! ita, cujus non recordabar! non vobis, ſed piſcibus ego prædico.

A piſcibus S. Scripturæ tranſeundo ad piſces naturalis hiſtoriæ. Quis quæſo non laudabit cum ſtupore, celebratam adeò virtutem Remoræ? in die cujuſdam Sancti Minoris,piſces minorespræferendi ſunt reliquis. Quis inquam piſciculi iſtius corpore tam puſilli, & vi & robore tam magni, virtutem non admiretur, qui cùm palmi magnitudinem non excedat navis (licet Indicæ) gubernaculo tam firmiter adhæret, ut in velorum ventorumque, necnon propriæ ipſius molis contemptum, illam ſiſtat, fortiuſque ipſis anchoris detineat, ut nec moveri,nec progredi poſſit? Ah ſi vel una Remora tantæ virtutis & efficaciæ, ſicut illa marina, daretur in terra, quantò rariora pericula in vita, & naufragia contingerent in mundo! Si quia Remora fuit interra, illa fuit S. Antonii lingua, in qua veluti in Remora S. Gregorii Nazianzeni verſus verificatur: *Lingua quidem parva eſt, ſed viribus omnia vincit.* S. Jacobus Apoſtolus,in ſua facundiſſima epiſtola illam navis gubernaculo,& equi comparat fræno. Utraque comparatio conjuncta Remoræ virtutem mirabiliter declarat, quæ navisadhærensgubernaculo,frænum eſt navis,& gubernaculi gubernaculum: & talis fuit vis ſeu virtus linguæ S. Antonii. Naturæ humanæ gubernaculum, eſt arbitrium, navarchus eſt ratio: ſed quàm rarò impetus præcipitis arbitrii rationi obtemperanti nihilo ſeciùs in hoc tam inobediente & rebelli gubernaculo lingua S. Antonii oſtendit,quanta,inſtar Remoræ ſibi ineſſet virtus ad domandam & retinendam humanarum paſſionum furiam. Quot inſequentes fortunam in nave ſuperbiæ, velis vento & ipsâ ſuperbiâ (quæ etiam ventus eſt, inflatis tendebant in profundum. qui jam crepebant in prora,niſi S. Antonii lingua, velut Remora gubernaculum retinuiſſet, donec juxta rationis dictamen vela contraherentur, & tempeſtas intus & foris ceſſaret! Quod, conſcenſa navi vindictæ, oneratis tormentis, pyrobolis accenſis ruebant æſtuantes ad ineundam pugnam

S. Greg. Nazian.

ubi

ubi combusti periissent, nisi S. Antonii remora linguæ furiam retinuisset, donec residente irâ & odio, cum vexillis pacis amicè salvarentur! Quot navigantes in nave cupiditatis, eò quòd ad carchesium usque onerata, & ex pondere juncturis dissolutis ad fugiendum æquè atque ad defendendum fueritinepta, in manus pyratarum incidissent, cum jactura omnium, quæ ferebant, aut quærebant, nisi S. Antonii lingua illos instar Remoræ, detinuisset, donec ab injusto onere alleviati, evadentes periculum portum attingerent! Quot in nave sensualitatis, quæ semper in tenebris navigat, sine sole de die, & stella de nocte, syrenum cantu decepti, & ab impetu sinentes se duci, cæcè in scylla aut charybdi periissent, ubi nec navis nec navigans appareret, nisi remora S. Antonii illos continuisset, donec illucescente die, ad iter se accinxissent! Hæc est Lingua, Pisces, vestri magni Prædicatoris, qui similiter fuit remora vestra, in quantum illum audivistis; & quia jam obmutuit (quamvis integra adhuc asservetur) tot videntur in terra, & deplorantur naufragia.

Verùm ut deunius tantæ virtutis admiratione, ad laudem seu invidiam alterius non minoris transeamus: similiter & æque mirabilis qualitas alii isti inest pisciculo, quem Latini Torpedinem vocant, Utrumque istum piscem hicmagis ex fama, quàm visu novimus. Istud verò magnis virtutibus est proprium, ut quantò majores tantò sint occultiores. Piscator perticam manu tenens cum filo arundine & subure super aquam, annexum hamum cum esca demittit ad fundum: & dum escæ dentes admovet Torpedo, ipse incipit tremere brachio. Nunquid major, brevior & mirabilior effectus dari potest? ita uteodem momento vis pisciculi, de ore ad hamum, de hamo ad filum, de filo ad perticam, de pertica ad brachium transeat piscatoris. Non sine ratione singulari, hanc laudem vestram, me cum invidia relaturum dixi. Quis nostri elementi piscatoribus istam trementum immittet qualitatem, in omni eo quod piscantur in terra! Multum piscantur: sed multum istud mirari me non facit: Tantùm miror, quod piscentur tantum, & tam parum tremant. Tantum piscari, & tam parum tremere? posset fieri problema, ubinam plures essent piscatores, necnon plures piscandi methodi & adinventiones utrum in mari, an in terra? certum est quod in terra. Nolo desuper discurrere, licet piscibus magnæ foret consolationi: sufficit facere comparationem cum virga & arundine, eò quod nostri casus sint instrumentum. In mari piscantur arundines, in terra piscantur virgæ, (& tanta varietas virgarum) piscantur fasces, piscantur gubernacula, imò piscantur & sceptra, & plus piscantur omnibus: piscantur enim civitates & integra regna. Estne possibile, cùm homines piscentur res tantæ molis & ponderis, quod illis manus non tremant vel brachium? Si prædicarem hominibus, nec lingua mihi deesset S. Antonii, ego illis tremere facerem. Viginti & duo piscatorum talium, casu S. Antonii interfuerunt sermoni, quos omnes sic tremere fecerunt verba S. Antonii, ut omnes ad ipsius sese pedes dimittentes, trementes sua confessi fuerint furta, trementes restituerint quod potuerunt istud enim in hoc peccato magis, quam in aliis tremere facit) omnes denique

mutatâ vitâ simul & officio sese emendârint.

Discursum hunc, de laudibus piscium, absolvere volo pisce uno, qui utrum S. Antonium audiverit, & ab eo prædicare didicerit nescio. Verum est quod prædicaverit mihi: & si essem alius etiam me converterem. Hinc navigaturus versùs *Parà* (quàm bonum est, pisces non manere extra nostram oram) vidi aliquando ingentem piscium copiam in canali currere, quos non noveram: quia verò mihi dicebatur, quod à Lusitanis Quatuor oculi vocarentur, oculariter nominis hujus rationem investigaturus, eos verè quatuor oculos undequaque perfectos habere deprehendi. Da gratias Deo, dixi illi, divinæque providentiæ ejus liberalitatem erga te prædica. Aquilis, quæ lynces sunt aëris, duos tantùm dedit oculos: & lyncibus quæ sunt lynces terræ, similiter tantum duos: Tibi verò piscicule dedit quatuor. Magis adhuc admiratus fui circumstantiam loci considerando. Tot instrumenta visûs uni animalculo maris? in oris & earundem terrarum vastissimarum litoribus Deus, à tot sæculis millia hominum in cæcitate vivere permittit? ô altitudinem & incomprehensibilitatem rationum Dei, & profundam judiciorum ejus abyssum!

Philosophando igitur, super naturali ista providentiæ hujus causa, notavi, quatuor istos oculos nonnihil extra ordinarium locum positos, & quodlibet par eorum, veluti duo clepsydræ vitra sibi juncta, tali situ & formâ, ut illi partis superioris directè respiciant sursum; & illi partis inferioris directè respiciant deorsum. Novæ hujus architecturæ ratio est; quia pisciculi isti semper in aquæ superficie natantes, non solùm à majoribus maris illius piscibus, verùm etiam à frequenti marinarum avium copia, quæ in oris istis vivunt, persecutionem & insidias patiuntur: Quia verò in mari & aëre hostes habent, natura illis duplicando custodias, duos illis dedit oculos directè sursum respicientes ad cavendum sibi ab avibus: & duos aliosdirectè respicientes deorsum ad cavendum sibi piscibus. O quàm benè quatuor isti oculi animam rationalem informarent, & quàm benè occuparetur in illis, multò sanè meliùs, quam in multis hominibus! Hunc sermonem, seu instructionem mihi dedit ille piscículus, me docens, si fide usque rationis præditus sum, & tantùm mihi respiciendum esse rectà sursum; & tantùm rectà deorsum; sursum, considerando esse cœlum: deorsum, considerando esse infernum. Non ad hocce mihi textum allegavit Scripturæ; sed pro tunc me docuit quid velit dicere David in aliquo, quod non intelligebam: *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* Nunquid David oculos vertere poterat, quocunque volebat? modo, quo ille volebat, non. Ille oculos versos volebat, ne viderent vanitatem, quod impossibile est in hoc mundo, in quamcunque demum partem illos vertisset: nam in hoc mundo omnia vanitas: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* Ne igitur oculi Davidis viderent vanitatem, à Deo vertendi erant, ita ut solùm viderent & respicerent alium, mundum alium in ambobus suis hemisphæriis: vel sursum, directè tantùm respiciendo versus cœlum: vel deorsum, directè tantùm respiciendo versùs infernum. Et hanc gratiam magnus

Psal. 118. *v.* 37.

Eccles. 1. *v.* 2.

ille

ille propheta postulavit à Deo, & hanc doctrinam mihi tantillus ille piſciculus prædicavit.

Verùm enim verò licèt nec cœlum, nec infernus creata ſint pro vobis, fratres piſces, finio coronidem veſtris imponendo laudibus, & gratias referendo vobis, quod magno ſitis adminiculo ad cœlum, & non ad infernum veniendi illis quos ſuſtentatis. Vos ſuſtentatis Cartuſias, & omnes ſacras familias rigidiorem vitæ methodum profitentes: vos omnes veros Chriſtianos ad ritè peragendam pœnitentiam quadrageſimalem adjuvatis: vos illi eſtis, quibuſcum Chriſtus ipſe ſuum Paſcha celebravit, quando poſt Reſurrectionem bina vice cum Diſcipulis ſuis comedit. Glorientur volucres & terreſtria animantia, quod opipara & ſplendida divitibus adornent convivia: vos gloriemini, jejunii & abſtinentiæ Juſtorum vos ſocios eſſe. Vos, quotquot eſtis, tantam cum virtute cognationem & ſympathiam habetis, ut Deus pejorem & groſſiorem in jejuniis prohibendo carnem meliorem & delicatiorem permittat piſcem. Et licet duo tantùm in hebdomada vobis dicentur dies, nullus tamen vobis prohibetur. Unum tantùm inter ſigna cœleſtia locum vobis aſſignârunt Aſtrologi: ſed qui vobis tantùm veſcuntur & vivunt in terra, tutiora habent loca in cœlo. Illius denique elementi eſtis incolæ, cujus interomnia, fœcunditas propria eſt Spiritui ſancto: *Spiritus Domini fœcundabat aquas.*

Benedixit vobis Deus, ut creſceretis & multiplicaremini: & ut hanc ſuam benedictionem vobis Deus confirmet, mementote pauperum, ne illis deſitis remedio. Scitote quod alendo pauperes certa veſtra habetis augmenta. Exemplo vobis ſint Sorores veſtræ Sardinæ; quare illas frequentiâ tam innumerabili à Creatore multiplicari putatis? quia pauperes ſuſtentant. Sturiones & Salmones rariores ſunt numero, quia Regum & potentûm menſis deſerviunt: at piſcis, qui pauperum Chriſti famem ſedat, à Chriſto augetur & multiplicatur. Bini illi piſces quinque panum ſocii in deſerto, in tantum aucti ſunt & multiplicati, ut quinque millibus hominum cibum præbuerint. Si ergo piſces mortui cibando pauperes ſic multiplicantur, quantò magis & melius hoc vivis eveniet? Creſcite piſces, creſcite & multiplicamini: & Deus ſuam vobis benedictionem confirmet.

§. IV.

SEd, heus, heus piſces, antequam recedatis, ſicuti veſtras audiviſtis laudes, etiam veſtras, patienter audite reprehenſiones. Sint veſtra confuſio, cùm jam non ſit emendatio. Primum, quod in vobis me non ædificat, eſt quod alterutrum vos devoretis. Magnum id eſt ſcandalum; aſt circumſtantia illud aggravat. Non ſolùm vos devoratis alterutrum & unus alium: ſed magni parvos, ſi fieret contrarium, minus eſſet malum. Si parvi comederent magnos, unus magnus multis ſufficeret parvis: ſed quia magni devorant parvos, nec centum, nec mille parvi uni ſufficiunt magno. Ecce quomodo S. Auguſtinus hoc admiratur: *Homines pravis perverſiſque cupiditatibus, factus ſunt veluti piſces invicem ſe devorantes.* Tam aliena, non ſolùm à ratione, ſed ab ipſa etiam natura res S. Aug.

est, ut cùm omnes in eodem elemento creati, ejusdem patriæ cives, omnes denique sitis fratres, vivaris, eò quod vos invicem comedatis. S. Augustinus prædicans hominibus, ad exaggerandam scandali hujus fœditatem ostendebat illud in piscibus: & ego prædicans piscibus, ut videatis quàm hoc fœdum sit & abominabile, volo ut hoc videatis in hominibus. Respicite, pisces, ibi de mari, ad terram. Non, non: non hoc vobis dico. Vos oculos ad montes & colles convertitis? Huc, huc versùs civitatem aspicite: putatis quod soli se invicem devorent homines sylvestres? longè major hic laniena est; multò magis se devorant alterutrum concives. Cernitis omnes istos motus, cernitis omnes istas deambulationes & gressus, cernitis illos concursus ad forum, cernitis illos cursus & recursus per plateas, cernitis illos graduum ascensus & descensus, cernitis illos non interruptos ingressus & egressus sine quietis intercapedine? quorsum hæc omnia, nisi ut homines quærant quomodo comedant & se devorare possint?

Si quis eorum moritur, mox videbitis tot irruere in miserum ad illum dilaniandum & devorandum. Comedunt illum hæredes, Testamentarii cum Legatariis; comedunt illum Creditores, Orphanorum defunctorum & absentium provisores: Comedit illum Medicus, qui medicando mortem ipsius promovit; comedit illum Chirurgus, qui sanguinem ipsi eduxit; comedit illum ipsa uxor, quæ pro amictu mortuali detritum & vetustum domûs ipsi dat linteum; comedit illum pollinctor, faciens fossam, pulsans campanas ædituus, & qui ferialia cantando ipsum deducunt ad sepulchrum: miserum denique necdum devoratum à terra, jam comedit omnis terra. Age, si homines se comederent, nonnisi jam mortuos, minorque videretur horror, minorque sensitivitatis materia. Sed ut cognoscatis, quò vestra deveniat crudelitas, pisces, considerare homines, quod etiam vivos se invicem devorent, sicuti & vos. Vivebat adhuc Job dicens: *Quare persequimini me, & carnibus meis saturamini*? q. d. Quare tam inhumanè me persequimini, & viventem adhuc comedentes, carnibus vos meis satiatis? num alterum & similem Job videre capitis? Ecce hominem aliquem fatigatum processibus, seu accusatum de criminibus: & videte quod comedant illum, Jam illum comedit Magistratus; jam comedit illum carcerum præfectus, comedit illum Secretarius seu scriba, Solicitator & Advocatus: comedit illum Inquisitor, testis & Judex: necdum sententialiter judicatus jam est comestus. Homines pejores sunt corvis: suspensum aliquem non comedunt corvi nisi post executionem, & jam mortuum: & ille cujus causa adhuc ventilatur in judicio, necdum latâ & executioni datâ sententiâ jam est comestus. *Job.* 19. *v.* 22.

Et quò cognoscatis comestos illos in terra nonnisi parvos esse, iisdemque modis quibus comeditis in mari, Deum super hoc conquerentem audite: *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem, qui devorant plebem meam, ut cibum panis*: putatis, inquit Deus, non venturum tempus, quo cognoscant & suum reatum luent, qui iniquitatem operantur? & quænam illa est iniquitas, quam Deus, specificè iniquitatem appellat, *Ps.* 13. *v.* 4.

lat, quasi non alia foret iniquitas in terra? Et quinam sunt, qui illam committunt & operantur? iniquitas est, quod homo devoret hominem: & illam committentes & operantes sunt illi majores, qui devorant minores: *Qui devorant plebem meam, ut cibum panis.* In hisce verbis, eò quod vos tangant & concernant, oportet vos, pisces; diligenter notare tot alia mysteria, quot sunt verba. Deus inquit, quod homines non solùm suum comedant populum, sed suam specificè plebem: *Plebem meam.* Plebs enim & plebæi, qui minores sunt & infirmiores, minorisque æstimantur in republica, sunt illi, qui comeduntur. Nec simpliciter dicit, quod illos quocunque comedant modo, sed deglutiant & devorent: *Qui devorant.* Magnorum enim istorum, qui civitatibus & Provinciis cum imperio præsunt, fames non comedendo parvos, unum post unum, & alios post alios, sed integro diglutiendo & devorando populos satiatur: *Qui devorant plebem meam.* Et quomodo? *Ut cibum panis?* non ut cibos alios, sed uti panem. Discrimen inter panem alioque cibos est, quod pro carnibus certi dies sunt carnium, pro piscibus certi sunt dies piscium, & pro fructibus diversi menses anni: sed panis cibus est dierum omnium, qui semper & continuò comeditur: & istud parvi patiuntur. Sunt panis quotidianus magnorum: & sicut panis cum omnibus comeditur: sic cum- & in omnibus parvuli, non habentes aut exercentes officium, in quo illos non mulctent, gravent, defraudent; in quo illos non comedant, devorent, & deglutiant? *Qui devorant plebem meam, ut cibum panis.* Istudne, pisces, approbatis? motu capitum improbare mihi videmini: & mutuis aspectibus ostendere, quod miremini talem inter homines iniquitatem & malitiam dari. Idipsum vos facitis. Vos majores commeditis parvos; & illi valdè magni non solùm illos comedunt unum post alterum; sed ingentem copiam, & illud continuò sine temporis intercapedine, non de die tantùm sed & de nocte, in luce, & tenebris, more hominum.

Quod si fortè iniquitatem hanc inter vos impunè transire & tollerandam putatis, decipitis vos. Sicut Deus illam punit in hominibus ita & eam suo modo punit in vobis. Vos seniores qui me præsentes auditis, planè vidistis in hoc statu Maragnano, vel saltem audistis Viatores in scaphis actuariis murmurantes, & multò magis earum remiges lamentantes, quod majores huc missi pro eo, quod statum eundem gubernarent & exaltarent, illum destruxerint & depresserint: quia omnem famem quam inde secum tulerant, hic exsatiabant parvos comedendo, & devorando. Ita factum est. Sed si qui fortè inter vos sulcos seu semitas sequentes navium cum iis pergunt in Lusitaniam; ad nativa maria reversuri, ibidem fortè audirent in Tago, quod ipsi iidem majores qui *hic* comedebant parvos, illuc venientes alios inventuri sint majores, à quibus comedantur. Hic divinæ providentiæ est stylus tam antiquus & clarus, ut ipsi etiam Gentiles eum cognoverint & decantârint.

Vos quibus Rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ:
Ponite inflatos tumidosque vultus:
Quidquid à vobis miror extimescit,
Major hoc vobis Dominus minatur.

Notate, piſces, illam Dei definitionem: *Rector maris atque terræ.* Ne dubitetis quin eundem ſtylum, quem Deus cum hominibus obſervat in terra, etiam vobiſcum obſervet in mari. Neceſſarium igitur eſt, ut provideatis vobis, nec vilipendatis doctrinam, quam magnus Eccleſiæ Doctor S. Ambroſius vobis impertiit. Vobiſcum loquendo dicens: *Cave, dum alium inſequeris, ne incidas in validiorem.* Caveat piſcis, qui infirmiorem ſe ad devorandum inſequitur, ne incurrat in os validioris à quo diglutiatur. Nos illud hic cernimus quotidie. Xarcus inſequitur Bagrium, velut canis leporem, nec videt cœcus ſibi inſidiari Tubarum quatuor ordinibus dentium, à quo unius inſtar boli deglutietur. Idem elegantiſſimè vobis dixit S. Auguſtinus: *Prædo minoris, fit præda majoris.* Sed exempla iſta, piſces, non ſufficiunt, ut ceſſem veſtram deſcribere gulam, ipſa enim crudelitas, quam exercetis cum parvulis, jam præparatam habet in voracitate magnorum, punitionem & vindictam.

Agè, cùm illud tanto veſtro damno experiamini, opus eſt, ut deinceps magis zeloſi ſitis pro republica & communi bono: & zelus iſte particulari uniuſcujuſque appetitui prævaleat, ne accidat, ut ſicut hodie multos ex vobis videmus imminutos, paulatim conſumamini omnes. Nunquid ſufficiunt vobis tot hoſtes extranei, & inſidiatores tam callidi & infatigabiles, quotquot ſunt piſcatores, diu noctuque vos circumcingere, torque modis impugnare non ceſſantes? non videtis, quod contra vos expandant & complicent retia, naſſas contra vos conficiant, fila funeſque texant, contra vos unci furcæque hamatæ curventur & acuantur? non videtis arundines contra vos eſſe lanceas & ſuber arma offenſiva? Non ergo ſufficit tot & tantos armatos extraneos habere hoſtes; ſed etiam intra veſtras portas vos ipſi invicem vobis infenſiſſimi & crudeliſſimi hoſtes perſequendo, & alter alterum devorando inteſtinum & plus quàm civile bellum foveatis? Ceſſet nunc, fratres piſces, ceſſet finemque accipiat, hæc tam pernicioſa diſcordia: & quia vos vocavi, & eſtis fratres, mementote obligationis hujus nominis. Nonne omnes valde pacati & pacifici & amici eratis in invicem magni æquè ac parvi S. Antonio vobis prædicante? ſi ergo perſeverate & eritis felices.

Verùm enim verò dicetis mihi (prout etiam homines loquuntur) non alium vobis eſſe vivendi modum. Aſt, unde inter vos vivunt multi, alios non comedentes? Mare valde ſpatioſum eſt, fertile & fecundum, & ſolis illis quæ in litora evomit, magnam partem eorum, quæ in ſe continet viva ſuſtentare poteſt. Quod animantium aliqua comedant alia, voracitas eſt & ſævitia, & non naturæ ſtatutum. Eadem illa aëris & terræ animantia quæ hodie ſe invicem devorant, in primordio mundi non ſe devorabant: ita conveniens erat & neceſſarium ut omnium ſpecies multiplicarentur: Idem adhuc clarius patuit poſt diluvium: poſtquam enim bina tantùm animalia de qualibet ſpecie per arcam evaſerant, ægrè ſe conſervare potuiſſent, ſi alterutrum devorâſſent. Ejuſdem denique diluvii tempore, quo omnia ſimul conjuncta vivebant in arca, lupus videbat agnum, Accipiter Perdicem, Leo Damulas, & quodlibet

bet illa, quibus se saginare consueverat. & si fortè ibi de hoc fuêre tentata, restiterunt communis escæ portione, à Noë sibi ministratâ contenta. Si igitur calidiorum elementorum animalia illius temporantiæ fuerunt capacia, quare non similiter forent animalia aquæ ? Si denique illa in tot occasionibus, naturali se conservandi & multiplicandi desiderio, ex necessitate fecêre virtutem, vos idem facite : vel facite virtutem sine necessitate, eritque major virtus.

Alterum universalius multò, quod in multis vestrûm me non tantùm scandalizat, quantùm affligit, est notabilis adeò stoliditas & stupiditas, quàm omnes ad hasce partes navigantes in suis experiuntur itineribus. Piscator aliquis marinus accepto hamo particulam panni in duas treve partes divisi alligat, quam per funem immittit in aquam, quod stolidus piscis cernens irruit cæcè, teneturque captivus, palpitans & oscitans, donec vel in aëre sic suspensus, vel in navigium projectus tandem moriatur: majorne stupiditas aut stoliditas dari potest quàm ista? Deceptum particulâ panni perderevitam? objicietis mihi, idem etiam facere homines: quod etiã ego non inficior. Exercitu contra alium exercitum certamen inituro inter hastarum, sagittarum, & ensium cuspides disponuntur homines. Et quare? Quia fuit, qui provocando duabus partibus panni escã obtulit. Vanitas, inter vitia, callidissimus est piscator homines facillimè decipient. Et quid facit vanitas ? In cuspidibus hastarũ, sagittarum & ensium horũduo affigit panni fragmenta, sive albi, qui vocatur habitus Melitẽnsis; sive viridis, qui vocat habitus de S. Alberto : sive rubri, qui vocatur habitus Christi, & S. Jacobi : Et homines, ut particulam istam panni in pectus suum transferre queant, ferrum devorare vel deglutire non formidant. Et quid postmodum evenit ? idem quod vobis. Qui ferrum deglutivit vel ibi vel alia occasione occubuit, eademque panni fragmina denuò, ad piscandum alios, hamo sunt affixa. Hoc exemplo vobis concedo pisces, homines idem facere quod vos; quamvis hoc mihi videatur non fuisse responsionis vestræ aut excusationis fundamentum : nam licet hîc Maragnani multus profundatur sanguis, non sunt exercitus, nec illa habituum ambitio.

Enimverò nec propterea vobis negabo, quod etiam hîc homines, minùs honorificè & magis stolidè se capi sinant. Quis omnibus Maragnanis indigenis vitas piscatur, & quomodo ? Homo marinus, partibus panni. Venit aliquis Capitaneus navis Lusitanicæ cum mercium obsoletarum onere, panno & serico, nimis serò ad nundinas; venditio hîc non succedit ex voto. Quid facit ? Ex obsoletis istis mercibus escam adornat, quam incolis nostræ terræ proponat ; semel atque iterum eas mangonizat auctо semper pretio : & qui potiores sunt, aut haberi volunt, obcæcati aut apparente splendore occupati, captivi tenentur de anno in annum, de tempore ad tempus, & sic vita transit. Non est exaggeratio. Omnibus incumbit laborare, vel in agro vel in arundine, vel in mola sacchari, vel taberna tabaci. Et quinam hunc totius vitæ laborem sustinent ? Non rhedæ, nec cisia, nec equi, nec scutarii, nec ephebi, nec pedissequi, nec tapetes, nec picturæ, nec naves, nec uniones & monilia.

nilia. Quibus igitur omnis vita im- & expenditur? abjectis hiſce mercibus, cum quibus in plateas prodeundo toto ſeſe occidunt anno.

Nunquid iſtud, mei piſces, magna eſt hominum ſtoliditas, quâ vos excuſatis? negari non poteſt: nec vos ibitis inficias. Agedum, ſi magna eſt ſtultitia pro duobus panni fragminibus exponere vitam, qui veſtitu indigent: vobis à Deo àcapite uſque adcalcem congruis veſtiti coloribus: vel ſquamvis deargentatis aut deauratis, veſtimentis attritioni & temporisconſumptioni non obnoxiis, nec novo modo variabilibus. Nonne pro maxima ſtoliditate & cæcitate imputandum eſt, quod duabus panni particulis vos capi & illudi ſinatis? Ecce quantò minùs veſtrum S. Antonius ſuis vanitatibus mundus decipere potuit, Adoleſcens adhuc, & nobilis veſtium ſprevit cultum, de quo ætas illa vel maximè gloriatur, commutavit illas cum tunica de ſargia, & Canonicorum Regularium cingulo, & ſic indutum ſe contemplatus, cùm nimis adhuc ſplendidum reputaret mortualem amictum, tunicam de largia commutavit cum ſyntheſi, & cingulum cum chorda. Hac chorda & panno piſcatus eſt innumeros, qui non fuerunt decepti, ſed ſapientes.

§. V.

AD particularia nunc deſcendendo dicam, piſces, qu d contra quoſdam veſtrûm habeam. Et hîc è noſtris littoribus incipiam. Eodem die quo huc appuli audiens Ronchiſſantes eorundemque contemplatus magnitudinem, non tantùm ad riſum, quantùm ad iram fui commotus. Eſtne poſſibile, cùm tantilli ſitis piſciculi; quod tantos vos oporteat edere ronchos in mari? cum filo, & incurvata acu piſcari vos poſſit claudus & mancus, quare tantum ronchiſſatis? ſed eodem ex capite hoc facitis. Edicite mihi quare Xiphias ſeu enſis non ronchiſſat? Quia ordinariè longum habens gladium brevem habet linguam. Sed non eſt hæc regula generalis: ſed generalis eſt regula, Deo diſplicere Ronchiſſatores, & quod ſingulariter ſatagat deprimere & humiliare nimium ronchiſſantes. S. Petrus quem optimè noverunt veſtri Majores, talem habebat gladium, ut ſolus integro Romanorum militum exercitui obviam iverit, & niſi Chriſtus gladium in vaginam recondere juſſiſſet, pluribus profectò quàm Malcho aures amputâſſet. Et tamen quid eâdem nocte illi accidit? ronchiſſaverat Petrus jactans, & ſi omnes deſererent Chriſtum, ſe ſolùm conſtanter ipſi adhæſurum, imò vitam pro ipſo profuſurum, ſi neceſſitas exigeret: & tam contrarium è diametro accidit, ut ſolus illeplùs cæteris omnibus defecerit, & ancillæ unius vox ad illum tremefaciendum ſuffecerit, & ad negandum compulerit. Jam ante eâdem defecerat horâ, quâ tanta de ſe promiſerat. Juſſerat Chriſtus in horto vigilare, & poſt puſillum veniens ipſum dormientem invenit tantâ incuriâ, ut non ſolùm propter ſomnum, ſed propter tantam præviam jactantiam ipſum increpuerit: *Si non potuiſti unâ horâ vigilare mecum*? q. d. Tu Petre tam animoſum te jactas, ut mori prò me velis, & non potes unâ horâ vigilare mecum? paulò ante tantum ronchiſſare, & modò ita dormire? Sed ita *Marc. 16 v. 37.*

acci-

accidit. Ante occasionem ronchissare, est ipsa jam præsente dormire. Quid igitur vobis videtur fratres Ronchissatores? si istud evenit maximo piscatori, quid non timendum minimo pisci? examinate vos & mox patebit, quàm infirmum jactandi vos, & ronchissandi habeatis fundamentum.

Enim verò si ronchos ederent Balænæ, arrogantia eorum excusationem haberet ex magnitudine: sed& in ipsis Balænis minùs tuta foret hæc arrogantia. Quod Balæna inter pisces, Gigas Goliath erat inter homines. Si Jordanis fluvius & mare Tyberiadis communionem habent cum Oceano, uti habere fas est, cùm ab eo emanent maria: scire vos volo, Ronchissatorem Philisthæorum istum fuisse Gigantem. Quadraginta diebus continuis armatus stetit in acie, Israëlitica castra lacessens, nullo singulare secum certamen inire ausо: & quis tandem omnis istius insultationis & arrogantiæ finis? unus pastorculus baculo suo pastoritio& fundâ illum in terram prosternere potuit. Superbi & arrogantes luctantur cum Deo; & qui cum Deo luctatur semper succumbit. Ita ut ronchissatoribus illis nihil consultius, quàm tacendo S. Antonium imitari. Duo sunt in hominibus quæ ronchos & tumorem in illis excitant: scientia & potestas. Caiphas ronchissabat scientiâ; *Vos nescitis quicquam*: Pilatus potestate: *Nescis quia potestatem habeo*, Uterque contra Christum. Sed fidelis Christi servus Antonius cùm tantâ polleret scientiâ, prout vobis dixi: & tanta potestate, sicut vos ipsi estis experti, nullus unquam ipsum de scientiâ & potestate audivit loquentem, nedum illam jactantem: & quia tantùm tacuit, hinc tantum clamorem edidit.

Joan. 11. v. 46.

Joan. 19. v. 10.

In isto itinere (cujus memini) & in omnibus quæ peregi sub linea æquinoctiali, vidi sub illa quod sæpius videram & notaveram in hominibus, admiratus quod se extendisset ille viscus, ut etiam piscibus adhæreret. Adhæsores vocantur isti, de quibus modò loquor & propriè valdè: cum enim sint parvi, non solùm aliis magnis appropinquant, sed adeò lateribus eorum adhærent, ut nunquam illos deserant. De animalibus quibusdam narratur, quod, cum minoris sine roboris & industriæ, venantes leones eminùs sequantur, ut eo se sustentent, quod illis superfluit. Idem adhæsores isti faciunt tam securi propè, quàm illa à longè: piscis enim magnus & inflexibili capite, ad illos devorandos os vertere nequit, quos in lateribus vehit; sicque pondus eorum simul cum fame sustentat. Modus iste callidus magis quàm generosus vivendi, si fortè ab uno elemento ad aliud transeundo adhæsit, dubio procul istud didicêre pisces ab alto, postquam Lusitani nostri ad illud navigârunt. Prorex enim seu Gubernator, ad conquisitiones seu regiones & loca armis acquisita iternon instituit, quin multis comitatus seu circumdatus lateri suo adhærentibus, ut hic fame pereant, cui ibidem remedium non habebant. Magis gnari veritatem ab erperientia docti, ab adhæsione remittentes aliâ viâ vitæ necessaria quærunt; fixè verò & inseparabiliter adh rentibus majorem gratiæ & fortunæ in fine accidit, quod marinis adhæsoribus.

Circuit navim Tuberanus piscis, in lineæ malaciâ, cum laterum suorum adhæ

soribus, sic pelle attenuatâ, ut magis videantur assumenta vel naturales maculæ quàm hospides & socii: misso hamo de catenâ cum portione, quatuor militum furiosè inhians prædæ instar boli deglutitis omnibus captus tenetur, currit extractus palpibat, & moritur cum adhæsoribus. Videor mihi audire sanctum Matthæum, quamvis non piscatorem Apostolum, idem ipsum describentem in terra. Mortuo Herode; inquit Evangelista, Angelus apparuit Joseph in Ægypto dicens: quod jam tutò in patriam redire liceret, mortuos enim esse jam omnes pueri vitæ insidiatos: *Defuncti sunt enim, qui quærebant animam pueri.* Vitæ Christi infantis insidiantes, erant Herodes & suis omnes tota ejus familia, omnes ipsi adhærentes, & qui ab ejus fortunâ pendebant. Age, fuitne possibile, quod omnes isti simul morerentur cum Herode? omninò: morienti enim Tuberano pisci, commoriuntur omnes ipsi adhærentes. *Defuncto Herode, defuncti sunt omnes qui quærebant animam pueri.* Ecce pisciculi infelices & stupidi, quàm erroneus & fallax est iste vivendi modus, quem elegistis. Exemplum accipite ab hominibus quod illi non accipiunt à vobis, nec illud S. Antonii, uti fas esset, sequuntur.

Matth. 2. v. 20.

Etiam Deus habet sibi adhærentes; quorum unus David dicebat: *Mihi adhærere Deo bonum est.* Idem etiam S. Antonius fecit. Quod si non creditis, ipsum Sanctum aspicite, qualiter Christo, & Christus ipsi adhæreat. Profectò dubitari potest, uter alteri adhærens fuerit; videturque fuisse Christus: minor semper enim adhæret majori, & Christus in tantum parvulum minoremque se fecit, ut Antonio adhæreret; Sed Antonius etiam factus est Minorita ut adhæreret Deo. Hinc sequitur, quod omnes Deo adhærentes immortali, mortis sint securi tanquam alii adhærentes, tanquam sint securi, ut in casu quo Deus homo factus est mortuus, tantummodo mortuus sit ne morerentur illi alii qui adhærent sibi. Hoc apparuit in illis, jam ipsi adhærentibus quando ajebat: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Et posito, quod hoc modo tantùm adhærere possint homines, & non vos pisciculi; imitari saltem oporteret alia terræ aëriśve animalia, quæ quando magnis appropiant, ut sub umbra roboris eorum se protegant non sic adhærent, ut cum illis moriantur. Scriptura sacra meminit de arbore ista celebri, quæ magnum Nabuchodonosorem figurabat, quod omnes cœli volucres in ramis ejus requiescerent, & omnes bestiæ terræ sub umbram illius confugerent, necnon utræque fructibus ipsius alerentur: addit verò similiter quod arbore succisâ, volucres avolârint, & animantia terræ auffugerint. In nomine Domini appropiate magnis, sed non ita adhærete, ut vitam exponatis pro illis, aut moriamini cum illis.

Joan. 18. v. 8.

Psal. 72. v. 2.

Considerate adhærentes vivi, quomodo mortui sunt alii, qui adhæserunt illi pisci Magno, & quare. Tuberanus est mortuus quia comedit: & illi sunt mortui quia non comederunt. Num quid stolidius quam mori fame & ore alieno? moriatur Tuberanus, quia comedit, occidit enim gula: sed quod moriatur adhærens, quia non comedit, nihil illo infelicius dari potest. Nec cogitavi, nec putavi, etiam in piscibus locum habere peccatum originale. Nobis hominibus

bus ea supervenit infelicitas; ut quod alius comedit, nobis solvendum sit. Omnis mors nostra in Adami & Evæ gulâ habuit principium: & quod nobis moriendum sit ex eo quod comedit alius, magna est infelicitas! sed nos modicâ aquâ ab hac infelicitate abluimur: & vos quantâcunque maris undâ à vestrâ vos stupiditate abluere non potestis.

Sed & verbum mihi, ad vos Volatores, & non modica querela. Edicite mihi. Nunquid Deus vos fecit pisces; ut quid igitur conamini esse aves? pro vobis, mare; pro illis Deus aëra fecit. Contenti mari, & quod natare possitis; volare nolite: quia estis pisces. Si fortè vos non nôstis, pinnas vestras attendite & squamas, & cognoscetis vos non esse aves, sed pisces: & quidem non ex melioribus inter illos. Dices mihi Volator, Deum dedisse vobis majore barbas & pinnas quàm cæteris ejusdem vobiscum magnitudinis. Ergò, quia majores habetis barbas & pinnas, hinc vobis facere debetis alas? sed prô dolor! toties vobis punitio vestra veritatem recantat. Voluistis aliis piscibus esse meliores, & ex hoc omnibus viliores estis reputati Cæteros pisces ab alto occidit hamus & illicium: vos sine hamo & illicio vestra occidit præsumptio & capritium. Navis pergit dormiente Nauclero, & Volator offendendo advelum seu funem cadit palpitans. Alios pisces occidit fames, & decipit esca. Volatorem occidit vanitas, & ejus esca est ventus. Quantò consultius illi foret sub mali summitate mersum manere vivum, quàm volare tentantem super antennas cadere mortuum? Grandis est ambitio, cùm mare tamsit immensum, quod tantillo non sufficiat pisci mare totum, magisque vastum elementum affectat. Sed ecce, pisces, ambitionis pœnam. Volatorem Deus fecit piscem, & hic avis esse affectavit: & Deus idem, & avis & piscis discrimina illum subire permittit. Omnia vela illi tanquam pisci sunt retia, & funes omnes illi tanquam avi, sunt laquei. Ecce volator qualiter tibi tua supervenerit punitio. Vivus paulò antè in mari natabas tuis pinnis, & jam jaces prostratus tuis alis in navi. Non contentus esse piscis, voluisti simul esse avis; & jam nec avis es, neque piscis: neque volare jam, neque natare vales Natura tibi aquam assignavit, & tu aërem prælegisti: & ego te jam igni admotum cerno. Pisces; quilibet suo sit elemento contentus. Nisi volator à secundo ad tertium transire tentâsset, non versaretur in quarto. Tutus agebat ab igne natans in aqua, sed quia barbis suis & pinnis volare voluit in undis, alas combussit.

Viso hoc exemplo, pisces, hanc omnes memoriæ mandate sententiam. Qui ultra quàm illi convenit, esse desiderat, perdit quod habet, quod affectat. Natare sciens, & volare volens, suo tempore nec volabit, nec natabit. De Volatore terrestri auscultate casũ. Simon Magus cui ars magica, in qua famosissimus erat, cognomen imposuit, filium Dei se esse jactans, designavit diem, quo in oculis totius urbis Romæ in cœlum ascensurus foret, & actu in sublime volare cœpit: sed oratione S. Petri præsentis celeriùs prævolante, Magus in terram protinùs collapsus è sublimi nolente Deo, ut mox moreretur, sed ut similiter inoculis omnium collideretur, pedes confregit. Nolo vos ejus pœnam, sed genus pœnæ considerare. Quod Simon

cecidit, valde congruè accidit : & si mortuus fuisset, similiter congruentissimum fuisset : siquidem ejus præsumptio & ars diabolica melius non meruerat. Sed ex tam alto lapsu non crepet medius, neque caput, aut brachia, sed tibias tantùm frangat ? sic est, inquit S. Maximus : nam qui habet pedes ad ambulandũ, affectans alas ad volandum, justum est, ut alas insuper & pedes amittat. Quod eleganter dictus S. Pater asserit : *Ut qui paulo ante volare tentaverat, subitò ambulare non posset : & qui pennas assumpserat, plantas amitteret.* Simon habet pedes, & alas desiderat : potest ambulare, & vult volare : frangantur itaque ipsi alæ, ne volet ; & similiter pedes, ne ambulet. Ecce velatores maris, quid illis terræ volatoribus eveniat : ut quilibet suo contentus elemento vivat. Quod si mare exemplum acciperet àfluminibus caro submerso in Danubio, non tot Icari forent in Oceano.

S. *Max.*

O Antonii anima, tu sola habens alas volâsti sine periculo : deorsum enim, & non sursum volare sciviſti ! Jam. S. Joannes illam in Apocalypsi vidit mulierem, cujus ornatus omnem firmamenti splendorem absorbuit, cui duas alas aquilæ magnæ datas asserit : *Datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ ;* & ad quid ? *ut volaret in desertum.* Notatu dignum, quod non sine causa, idem Propheta vocavit signum magnum : Mulier erat in cœlo : *Signum magnum apparuit in cœlo, Mulier amicta sole.* Age, si mulier erat in cœlo, & desertum erat in terra, quomodo illi dantur alæ ad volandum in desertum ? Quia sunt alæ ad ascendendum, & descendendum. Alæ ad ascendendum valde sunt periculosæ, alæ ad descendendum valde securæ ; & tales illæ S. Antonii fuêre. Datæ sunt animæ S. Antonii duæ alæ aquilæ, quibus illi gemina naturalis & supernaturalis sapientia, adeò sublimis & profunda fuit collata prout novimus. Et ille quid fecit ? Non expandit alas ad ascendendum, sed ad descendendum contraxit ; & in tantum, ut cùm esset arca testamenti, pro laico (uti dixi) & ideota fuerit reputatus. Velatores maris (non loquor illis terræ) Sanctum Prædicatorem vestrum imitamini. Si vestræ vobis pennæ servire posse videntur pro alis, ad ascendendum eas explicare nolite, ne ad velum aliquod aut latus vos offendere contingat : eis collectis descendendo lacunæ cujusdam fundum petite, ubi tecti magis eritis securi.

Apoc. 2. v. 14.

Sed cùm in latebris versemur maris, antequam illis egrediamur, fratrem hîc habemus, nomine Polypum, contra quem suas deponunt querelas graves SS. Ambrosius & Basilius. Polypus caputio suo videtur esse Monachus, illis suis pedibus explicatis videtur esse stella : cùmque ossibus careat & spinis, ipsa videtur esse mansuetudo. Et sub tantæ modestiæ schemate, vel hypocrisi tam sancta, duo illi magni Latinæ & Græcæ Ecclesiæ Doctores contestantur, dictum Polypum maximum esse maris proditorem. Hæc maris proditio consistit in eo, quod omnium sibi adhærentium colores assumat : colores, qui in chamæleonte sunt ornatus, in Polypo sunt malitia : figuræ quæ in Protheo sunt fabulæ, in Polypo sunt veritas & artificium. In eluvioue sine limo, viresçit ; in arena albescit : in luto griseus seu leucophæus : in aliqua petra, ejusdem colorem induit.

Et

Et quid hinc ſequitur ? accidit piſcem alium à proditione innocuum incautè tranſire, & latro proprio ſuo dolo tectus miſſis derepentè manibus illum capit. Feciſſetne plus Judas? non feciſſet plus: nec tantum fecit. Judas Chriſtum eſt amplexatus, ſed alii eum comprehenderunt: Polypus amplexatur, & ipſe inſuper capit. Judas brachiis ſignum dedit : & Polypus ex brachiis ſuis funes facit. Judam proditorem fuiſſe certum eſt, ſed præviis facibus. illam meditatus fuit in tenebris, ſed executus eſt cum luminibus. Polypus ſe ſe occultando viſum auffert aliis : Prima proditio, ſeu rapina quam exercet, eſt lucis, ne diſcernatur color. Eccepiſcis proditor & abjecte, qualis & quanta tua ſit malitia: Judas enim, comparatione tui jam minor eſt proditor.

O exorbitantem, & tam puro indignam ignominiam elemento, tam limpido & cryſtallino, ſicut illud aquæ, quæ non ſolùm terræ, ſed ipſius etiam cœli naturale ſpeculum exiſtit ! Regius Propheta David dixit: *Tenebroſa aqua in nubibus aëris.* Et ſpecificè dlxit : *In nubibus aëris.* ut obſcuritatemalii elemento, quàm aquæ attribueret; quæ in ſe ipſa ſemper clara diaphana & tranſparens eſt, in qua nihil abſcondi, regni, aut diſſimulari poteſt. Et in eodem elemento generetur, toleretur & agat cùm tanto boni publici damno monſtrum adeò verſipelle, multicolor, vafrum, fraudulentum & proditorium ! Video vos piſces, obterrarum quæ à mari veſtro alluuntur notitiam, quam habetis, mihi reſpondendo replicare, etiam in illis dari fallacias, ſimulationes, dolos, fraudes multòque majores & perniciofiores proditiones. Et præter ſubjectum quod defenditis, etiam aliis ſimilibus aliam congruam valde proprietatem applicare poſſetis : ſed vobis illam ſubticentibus etiam ego eam ſimiliter tacito pede prætereo. Nihilò ſeciùs, non ſine magna verecundia, omnia quæ dicitis, & multò plura concedo : quia negare nequeo. Sed in Sanctum Prædicatorem veſtrum Antonium oculos convertite, & in eo puriſſimum omnis candoris, ſinceritatis & veritatis exemplar videbitis : ubi nunquam dolus, ſimulatio, deceptio ſedem habuit. Simulque ſcitore, ut illa omnia quilibet noſtrûm in ſe haberet, ſufficiebat olim eſſe Luſitanum : neceſſe non erat eſſe Sanctum.

Pſal. 17. v. 12.

Abſolvi, fratres piſces, laudes veſtras & vituperia, duabuſque obligationibus ſalis, quamvis maris, & non terræ; prout promiſi ſatisfeci : *Vos eſtis ſal terræ* : reſtat tantummodò, ut cumprimis neceſſarium vobis demus monitum, qui in iſtis maribus vivitis : quia illa tam varia ſunt & vaſta, necnon plena ſcopulis & ſcrupulis, optimè noſtis, multos perire, & everti naves, unde mari ditato, terra depauperatur. Conſultum eſt igitur advertere, ingens vobis in iſtis divitiis ineſſe periculum : quotquot enim naufragantium bona uſurpant, anathematis & maledicti pœnam incurrunt. Iſta excommunicationis pœna non vobis, ſed hominibus eſt ſtatuta : Deus nihilominùs frequenter oſtendit, quod quando animalia materialiter ea committunt, quæ tali lege prohibentur, illa ſimiliter ſuo modo ejuſdem pœnis ſubjacere, eodemque momento deficere, miſeréque perire incipiant. Chriſtus mandavit piſcari Petro, quod in ore primi piſcis

certam inventurus esset monetam, quâ tributum solveret. Si Petrus plures cepisset pisces quàm istum, supposito fuisse primum, ex hujus aliorumque pretio colligere potuisset necessariam solvendo tributo pecuniam, quod unius tantùm drachmæ argenteæ, & exigui ponderis erat. Quoniam igitur mysterio mandavit Christus ut ex & hujus piscis ore tolleretur, ille præ aliis moreretur? nunc attendite. Pisces non cudunt monetam in fundo maris, nec contractus & commercia habent cum hominibus, unde pecunia ad illos devenire posset: ista ergo pecunia quam piscis hic deglutierat, navis alicujus in istis maribus naufragium passæ fuerat. Et Christus Dominus hoc ipso ostendere voluit, easdem pœnas, quas S. Petrus ejusve Successores contra homines naufragantium bona usurpantes fulminant, etiam suo modo similiter pisces incurrere, prius moriendo quàm reliqui, & ipsâ deglutitâ transversum & obliquè faucibus inhærente pecuniâ suffocari. O præclaram pro terra doctrinam, nisi mari prædicârem? miserabilior hominibus mors obtingere nequit, quàm inhærente transversim faucibus alieno timori; est enim peccatum, à quo ipse S. Petrus, aut summus Pontifex absolvere nequit. Et quamvis homines mortem incurrant æternam, cujus pisces non sunt capaces, nihilominus hi mortem suam naturalem uti hoc casu, accelerant, nisi materialiter, sicut dixi, à bonis naufragantium se contineant.

§. VI.

POstremo hac consideratione seu admonitione vos, pisces, vel me à vobis expedio, vale faciens vobis, mei pisces, & ut sermone meo consolati abeatis (nescio enim quando alium sitis audituri) unum illud alleviare vobis conabor, quod jam ab antiquo singulariter vos contristare potuit, à tempore quo Leviticus fuit promulgatus. In lege Ecclesiastica seu Rituali Levitici, certa quædam animalia Deus cultui sacrificioque suo deputavit: sed omnia illa aut terrestria erant animantia, aut volatilia, piscibus ab omni sacrificio exclusis. Et quis dubitat exclusionem hanc universalem cum primis fuisse contristativam omnibus tam nobilis elementi incolis, ut primo Sacramento meruit materiam ministrare? Primarium motivum, quod pisces fuerint exclusi, fuit, quia reliqua animalia ad sacrificium poterant pervenire viva, & pisces ordinariè nonnisi mortui: nec Deus mortuum quid sibi sacrificari, aut ad altare suum offerri sustinet. Hoc punctum similiter utile valde & necessarium foret hominibus, si illis prædicarem. Heu quot animæ ad altare illud accedunt mortuæ, eò quod accedant & accedere non trepident cum peccato mortali! pisces, magnas Deo agite gratias, quod ab hoc periculo vos exemerit: melius enim est ad sacrificium non accedere, quàm accedere mortuum. Cætera animalia offeruntDeo, posse sacrificari: vos illi offertis, ad sacrificium non posse pervenire; alia sacrificant Deo sanguinem & vitam: vos illi sacrificatis respectum & reverentiam.

O pisces, quantùm vobis invideo naturalem hanc irregularitatem! quantò melius mihi foret, Deum non accipere in manus, quàm illum sumere tam indigne! In omni, quo vos excedo, magnas in vobis præcellentias recognosco. Vestra

ſtra brutalitas melior eſt meâ ratione: & veſter inſtinctus, meo arbitrio. Ego loquor; vos Deum verbis non offenditis. Ego reminiſcor; ſed vos Deum memoriâ non offenditis. Ego diſcurro: ſed vos Deum intellectu non offenditis. Ego volo: ſed vos Deum voluntate non offenditis. Vos à Deo conditi eſtis ad ſerviendum hominibus, & finem veſtrum aſſequimini: Deus me ad ſibi ſerviendum condidit, nec præſtitum mihi finem aſſequor. Vos Deum non videbitis, cùm confidenter ante eum comparere poſſetis. quia illum non offendiſtis: ego me viſurum ſpero, ſed quâ fronte in divino ipſius conſpectu apparebo, ſi offendere non ceſſo? Ah! cogor quaſi dicere, melius mihi fore, ſi eſſem, ſicut vos: nam de homine quodam ad idem mecum obligato ſuprema pronunciavit veritas, quod melius illi fuiſſet natum non fuiſſe, aut natum non fuiſſe hominem: *Si natus non fuiſſet homo ille.* Quia verò nos qui naſcimur homines, nativitatis obligationibus tam malè reſpondemus: eſtote contenti, piſces & magnas Deo gratias agite pro veſtra nativitate.

Benedicite cete, & omnia quæ moven- *Dan. 3.*
tur in aquis Domino. : Laudate Deum, *v. 73.*
piſces magni & parvi, & in duos tam innumerabiles diviſi choros, laudate eum voce conſona: Laudate Deum, qui in tanto vos creavit numero: Laudate Deum, qui in tam varias vos diſtinxit ſpecies: Laudate Deum, qui tantâ vos varietate & decore veſtivit: Laudate Deum, qui omnibus neceſſariis vitæ inſtrumentis vos dotavit: Laudate Deum, qui tam amplum & purum elementum vobis aſſignavit: Laudate Deum, qui in mundum veniens inter vos vixit, & eos vocavit, qui vobiſcum & de vobis vivebant: Laudate Deum, qui vos paſcit: Laudate Deum, qui vos conſervat: Laudate Deum, qui vos multplicat: denique laudate Deum ſerviendo homini ad illum ſuſtentandum: qui creationis veſtræ ſcopus eſt: & ſicut benedictionem vobis dedit in principio, ita illam etiam nunc impertiatur. Amen. Quia incapaces eſtis gratiæ & gloriæ, ſi veſter Sermo in gratia & gloria non explicit.

SERMO

SERMO

PRO DIE

S. BARTHOLOMÆI.

Romæ occasione Promotionis Cardinalium.

Elegit duodecim ex ipsis; quos & Apostolos nominavit. Luc. 6. v. 13.

§. I.

HOdie Christum habemus vigilantem: *Erat pernoctans*: nec sine ratione vigilantem & solicitum Electurus erat Ecclesiæ suæ Pastores; electurus erat Monarchiæ suæ Ministros: meritò igitur & exemplariter vigilat & solicitus est. Nullum negotium Principi magis tollere debet somnum, nihil ipsum magis vigilantem & solicitum reddere, quàm magnorum Ministrorum electio; siquidem ab hac electiones omnes, bonum denique regimen, omnisque reipublicæ prosperitas dependent. Hinc fiunt vel ad nihilum rediguntur omnia. Meritò igitur supremus Rex, meritò & exemplariter summus Pastor vigilat. *Fugiebat somnus ab oculis meis*, inquiebat Jacob Labani Pastor. Si cura ovium vigilantem adeò reddebat pastorem quantò vigilantiorem reddere debet Dominum electio Pastorum? memini (de monte descendamus ad mare) memini inquam, in mari Tyberiadis Apostolicam periclitatam fuisse navem: & maximè sæviente procellâ, Christus dormivisse dicitur: *Ipse verò dormiebat.* Domine in mari dormis, vigil in monte? non tibi somnum excutit tempestas, & eorum qui tecum versantur in mari, electio adeò te vigilantem facit? Omninò qui enim vigilat in electionibus, non periclitatur in tempestatibus. Petrus gubernabat, Andreas, Joannes, & Jacobus remigabant: & navi tam benè provisa securus dormit Gubernator. Tempestas erat in mari: securimus in monte. Ubi facta est electio, ibi superatum est periculum: & ubi erat periculum ibi vigilantiâ fuit opus. *Erat pernoctans.*

Gen. 31. v. 40.

Matth. 8. v. 24.

Hoc punctum hodie pertractabimus. Materia non tantum est magna; sed inter majores maxima: quomodo Ministri maximi eligendi, Christus nos docebit; & sanctissima Mater nobis gratiam obtinebit

Ave Maria.

§. II.

§. II.

Elegit duodecim ex ipsis: quos & Apostolos nominavit.

CHristus hodie maximos Ecclesiæ suæ elegit Ministros: & in mi-
ris electionis hujus modo & circum-
stantiis, successoribus suis electionis cano-
nicè faciendæ modum præscriptum reliquit. Totum exemplar ad tres regu-
las reducitur. Prima, quocum tracta-
da sit electio. Secunda, quales sint eli-
gendi. Tertia, quot eligi debeant. Ut tribus verbis dicam: Cum quo, Quales & Quot. Incipiamus.

Quæstionum harum prima est, Quo-
cum tractandæ sint electiones, cum con-
sanguineis? cum amicis? cum sui studio-
sis? Non: & ita. Non cum consangui-
neis, sed cum maximo consanguineo: non cum amicis, sed cum maximo amico: non cum sui studiosis, sed cum maximo sui stu-
dioso, cum Deo. *In oratione Dei.* In sacro collegio Christus habebat consanguineos habebat amicos, & sui commodi cupidos. Habebat cognatos, habebat enim Joan-
nem & utrumque Jacobum suos cognatos: nihilominus non illos consulit cognatos, sed Deum qui proximus & maximus est consanguineus, quia Pater. Habebat ami-
cos, & quidem intimos sui pectoris secre-
tarios, Petrum, Joannem, & Jacobum, qui-
bus credebat omnia, non tamen illos con-
suluit amicos sed Deum, qui maximus est amicus: ejus enim solius amor est fidelis, & voluntas recta. Habebat etiam sui stu-
diosos, & isti (more usitato) erant omnes *Quis eorum videretur esse major*: nec istos consuluit proprii sui commodi studio-
sos; sed Deum, qui in electione ista vel maximè suæ rei erat intentus: ab idoneis enim Ministris Ecclesiæ suæ. ser-
vitium, honor & gsoria ipsius; necnon bo-
num salusque mundi dependent. Quapro-
pter humanissimus Dominus, qui aliis in occasionibus, Discipulos in consilium ad-
hibuit, in hac illos requirere aut audire neglexit, pro exemplo potius & instru-
ctione eorum, qui jam erant eligendi, & electores postmodum futuri (ut optimè notat Bulgariæ Episcopus Theophilactus) solus cum solo tractavit Deo in prolixa o-
ratione. *Post orationem*, inquit ille, *elegit Discipulos, ut doceat etiam nos, quando quempiam in spirituale ministerium sumus ordinaturi, cum precibus hoc faciamus, ut doctis à Deo, & ab illo petentibus revelet, quis idoneus sit.* Theophilactus.

Hanc veritatem omnes circumstan-
tiæ casus prædicant & confirmat. Pri-
mò, *Exiit in montem*: id est, Chri-
stus ascendit in montem. Hic politici dicent, ad similes faciendas electiones operæ pretium & necessarium esse, ex-
celsum valde conscendere montem, ex quo totus uno intuitu videatur mun-
dus, regia, status, respublicæ, Prin-
cipes, dependentiæ, horum potentia, aliorum declinatio, vicinum & remotum, quod est & quod possibile est. Iste verò in montem ascendendi modus plus ten-
tationis quam electionis habet. *Assump-
sit eum diabolus in montem excelsum, & ostendit ei omnia regna mundi. & glo-
riam eorum*: Et in quem finem? *Si cadens adoraveris me.* Ascendere in montem, ad contemplandum ex alto regna mundi eo-
rumque intueri magnificentiam; & ubi Matth. 4. v. 8.

Luc. 22. v. 24.

minus magisve glorioſæ inveniuntur coronæ, potius facit ad propoſitum adorandi dæmonem, quàm eligendi inſtrumenta quæ illum deſtruant. Chriſtus, hac occaſione, ſubiit in montem, non ut mundum videret, ſed à mundo remotior propius cœlo oculos infigeret: hinc de nocte, & non dedie aſcendit: *Erat pernoctans.* Philo Hebræus diſertè notavit, diem diſcooperire terram & operire cœlum; noctem diſcooperire cœlum, & operire terram. Hæc optima eſt eligendi hora, quando oculis terræ clauſis, aperiuntur cœli. Hinc Chriſtus exiit de nocte, & ad montem. De nocte, ne videret terram ſed cœlum: ad montem, ut illud liberiùs & propiùs intueretur: *Exiit in montem, & erat pernoctans.*

Iſtud tempus iſtumque locum ſelegit Chriſtus electioni faciendæ loco ſuo & tempore; utque ritè ſuccederet, ſolus cum ſolo Deo conſilia tractavit: *In oratione Dei.* Cum Deo propoſuit fines, eò quòd unicus Finis eſſet ipſe Deus: cum eo communicabat media, cùm nihil inter ipſum & Deum intermediaret: cum Deo metiebatur talenta, cum Deo ponderabat merita, & ubi illa erant majora, intercedebat, ille orabat: *In montem orare.* Orabat ut homo; ut eligeret tanquam Deus. Orator, & non oratus. Ecce majorem electionis differentiam. In mundi aulis ſolicitantes orant, Princeps elegit. In Conſiſtorio Chriſti canditati tacent: rinceps orat. Electi non ſunt petendi à Principe: illos Princeps à Deo petere debet. Vacabant duæ cathedræ in Apoſtolatu, ambas vidua Zebedæi petivit: & quid illi reſpondit Chriſtus? an, quod ſaltem unam illi eſſet daturus, ut altera æqualis dignitatis prætendenti ſatisfaceret? nullatenùs. Quod reſpondit, fuit: *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo.* Divinus negandi modus ſine offenſa. Eligat Deus, & non offendentur homines, Deus ſit qui eligat, Deus ſit qui nominet. Nominationem & electionem, omnia oportet eſſe Dei: *Elegit duodecim, quos & Apoſtolos nominavit.* Precibus ad æternum Patrem fuſis Chriſtus ad nominationem & electionem proceſſit: & priùs ad electionem, quàm ad nominationem: *Elegit & nominavit.* Uno nominante dum alius elegit, non eligit eligens, ſed eligit nominans. Matth. 20. v. 23.

Sola iſta ſufficiebat ratio, quod Deus eſſet, & ſolus Deus, qui conſuleretur in electionibus: ſed alia magis adhuc intrinſeca eſt, & urgens: ut quaſi acu tangatur. Nihil difficilius eſt, quàm ut homo eligat hominem: vel enim illum novit, vel non. Si illum non novit, elegit cæcè, & ſi novit, ſimiliter: ſi illum enim novit, vel amat, vel illum averſatur: & tam cæcus eſt amor, quàm odium. Sed certum eſt, quod cum paſſione, & etiam ſine illâ homo hominem alium non cognoſcit. Hominis cognitio ſoli Deo eſt reſervata, & adhuc mirabilis in illo: *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me.* Neceſſe eſt igitur ut petatur à Deo orando, quod homo nec per ſe, nec per alium obtinere poteſt cognoſcendo. Ita fecerunt illi ipſi, quihodie fuerunt electi implerevolentes evacuatum per Judam locum. Pſ. 138. v. 6.

S. Petrus propoſuit: idemque necnon cæteri Diſcipuli, eminentiores ſanctitate, & in exercitiis & miniſteriis Apoſtolatûs magis verſatos elegerunt, qui fuerunt Matthias, & Joſeph, cognomento Juſtus. Quo facto Collegium totum

ad

ad orationem est conversum. Et quid à Deo petierunt? *Orantes dixerunt : Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus.* Et hoc modo processit electio; illi proposuerunt & orârunt: Deus elegit. Et ut ostenderet Deus, quàm erronea (etiam sine passione) sint humana judicia, non illum elegit in Apostolum, cui homines nomen Justi per antonomasiam dederant. Ita Matthias successit in locum, in quem hodie electus fuit Judas. Repeto in quem hodie electus fuit Judas. Si in duodecim à Christo & cum Deo electis, inventus est unus Judas, in duodecim sine Deo, & sine Christo electis quot invenientur? Utinam non plures forent quàm undecim! Propterea tantùm cum Deo faciendæ essent electiones. Judicio divino relinquatur attingere, dummodo elector fecerit quod suum erat: nihil refert si electus non faciat suum. Judas non fecit quod suum erat: Christus fecit quod debebat : electioni enim orationem præmisit & prolixè cum Deo consilium communicavit : *Erat pernoctans in oratione Dei.*

Actor. 1. v. 24.

In unâ nocte peractæ sunt & absolutæ electiones, & illucescente die nominati sunt Apostoli : *Et cum dies factus esset.* Quàm breviter concluditur, quod cum Deo solo communicatur! ubi non intrant rationes temporales, tempus non consumitur. Christus totam noctem consumpsisse videtur, prout textus innuit : *Erat pernoctans.* Sed satis est duodecim electiones, horis duodecim fieri. Quot dies, quot menses, quot anni frequenter in unius hominis electione consumuntur? Hoc inde fit, quod electiones non tractentur cum Deo. Dicetis illas cum magna consideratione esse faciendas. Idem ego affirmo, cum consideratione? Ita. Cum considerationibus? Non: considerationes enim devorant & consumunt tempus. Non alium pro hoc Authorem desidero, quàm magnum Pontificem S. Gregorium magnis faciendis electionibus assuetum. Samuel elegit Saulem, & electio cum debitis cæremoniis ritè peracta est. In primo scrutinio cecidit sors Tribus Benjamin: In secundo cecidit sors cognationis Metri: in tertio, domus Cis. In quarto perventum est ad Personam Saulis : *Quid in hoc significatur* (inquit S. Gregorius) *nisi quia sanctæ Ecclesiæ Principes multâ consideratione eligendi sunt?* Ita factum est; sed omnia in quatuor scrutiniis & uno eodemque die facta sunt : quia cum Deo tantùm sine aliis considerationibus & dependentiis factum est. Super electione Sacerdotii duodecim concurrerunt Tribus cum totidem virgis, quæ ad tabernaculum delatæ, in conspectu Dei fuêre positæ, & eâdem nocte Virga Aaronis vestita foliis, ornata floribus in fructum turgescentibus, quo summus Sacerdos electus fuit & designatus. Ut natura simile quid operetur in radicibus, totus requiritur annus : sed quia virgæ evulsæ & eradicatæ fuerunt à terra & in præsentia Dei positæ, nox una sufficit. Qua nocte Christus oravit, miraculum istud duodecies fuit multiplicatum, floruerunt duodecim virgæ, & prodierunt in mundum ad eum reformandum electi duodecim Apostoli: *Erat pernoctans in oratione Dei : & cum dies factus esset, elegit duodecim ex ipsis.*

Luc. 6. v. 13.

1. Reg. 10. D. Greg.

§. III.

AD secundam transeamus quæstionem : quales esse debeant electi ? Mali ? clarum est quod non. Boni ? hoc non dico. Neque mali, neque boni sed optimi. Adhuc malè,& parùm dixi : dico optimorum optimi, quales erant quos hodie elegit Christus, Populi Israëlitici optimi erant, qui credebant in Christum : optimi qui credebant in eum,erant ejus Discipuli : Discipulorum suorum optimi erant,quos hodie elegit & Apostolos nominavit:*Elegit duodecim exipsis,quos & Apostolos nominavit*.Notetur benè,non solùm quos & quales, sed ex quibus & qualibus elegit.*Ex ipsis*. Ex Discipulis erat Lucas, erat Marcus, erat Stephanus,& tot alii eminenter boni, & bonis meliores : at Christus Dominus, quia Apostolos eligebat pro eminentissimis, non elegit meliores ex bonis,sed meliores ex optimis.Hac de causa Christus convocavit Discipulos omnes, quando elegit Apostolos : *Vocavit Discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis*. Ut respectu eorum quos præteribat, melius dignoscerentur electi; voluit ut per segregationem cognoscerentur lusus. Samuele Davidem in Regem uncturo ordinavit Deus, ut prius omnes filii Jesse in conspectu ejus comparerent. Venit primogenitus Eliab : non est iste, inquit Deus. Venit Aminadab : neque iste est. Venit Sama, aliique septem fratres per ordinem, & neminem ex hisce elegit Deus,donec ex agro veniret David. Age, si David erat electus, quare omnes septem filii Jesse in conspectum Samuelis veniunt ? ut Samuel & Pater videntes quales essent, qui rejicerentur à Deo,magis cognoscerent qualitatem electi. *Vocavit Discipulos suos*. Veniebant ante Christum omnes Discipuli : excludatur Marcus, excludatur Lucas; excludatur Stephanus, ut visâ excellentiâ excluforum, melius cognoscatur eminentia duodecim Electorum : *Et elegit Duodecim ex ipsis*. In promotionibus humanis repulsi improbant electiones,in divinis,repulsi qualificant electos.

Duodecim ex ipsis. Non est hîc facta electio inter electos & reprobatos, sed inter electos&electos:quando enim eliguntur Principes Ecclesiæ, non est eligendus electuspræ reprobato,sed electus præ electo. Auscultate notabilem Evangelii locum adhuc inter magnos expositores malè intellectum.Paterfamilias operarios in vinea sua laboraturos diversis diei horis, citius alios, tardiùs alios conduxit : & advesperascente die singuli suam mercedem acceperunt initio solutionis non à primis, sed à noviissimis facto.Hinc Christus illam celebrem adeò intulit & deduxit conclusionem: *Multis enim sunt vocati pauci verò electi*.Horum verborum vulgaris expositio est, quod cùm omnes sint vocati,electi sint pauci, & reprobi multi. Sed hoc loco certum est, quod hæc sententia alibi repetita,tale quid dicere nun velit, neque ista fuerit intentio Christi. Probatur evidenter, omnes quotquot ad vineam ierunt, & ad hanc venerunt comparationem, fuerunt electi : omnes enim mercedem, seu denarium diurnum, quod est decalogi præcepta observantium præmium, receperunt. Si igitur omnes fuerunt electi, quomodo infert & concludit Christus, vocatos esse multos, paucos verò

Luc. 6. v. 13.

Matth. 20. v. 16.

verò electos ? quia electio, de qua Christus in hac loquebatur parabolâ, est electio de præferentia ad prima loca; *Erunt novissimi primi.* Et hæc electio non sit inter electos & reprobatos, sed inter electos & electos, quales erant omnes qui denarium acceperuut. Et hinc cum primis propriè infertur & concluditur, quod multi sint vocati, & pauci electi: nam vocati ad hanc electionem, sunt omnes electi inter cæteros: & electi ad illam, sunt tantùm electi inter electos. Ita in hodierna electione contigit: vocati fuerunt multi; omnes enim Discipuli fuerunt vocati: *Vocavit Discipulos suos,* qui omnes erant electi: nihilo secius electi horum electorum fuerunt tantum duodecim Apostoli: *Elegit duodecim ex ipsis. Ex ipsis* qui erant electi. *Ex ipsis*, qui erant meliores; nam Principes Ecclesiæ oportet esse electos ex electis, & meliores ex optimis.

In veteri Testamento duas de Deo electiones habemus, in quibus non requirebatur necpromittebatur tantaperfectio,& cùm non essent Ecclesiasticæ, sed sæculares (quamvis Ecclesiæ nostræ figurativæ, uti notavit S. Augustinus) ecce quales fuêre electi. Primus fuit Saul: secundus David. Et quare Saul fuit primus? Quia erat melior inquit S. Textus: *Non erat vir de Filiis Israel melior ille.* Estne quis putaret, alium æquè fuisse bonum, eadem scriptura addit, neminem ipsi fuisse æqualem; *Quoniam non sit similis illi in omni populo.* Nullus illo erat melior; nam de melioribus ille erat unus: nullusque tam bonus, nam de melioribus ille erat melior. David eodem tempore cum Saule vivebat; unde infertur (res notatu dignissima) Saulem electum meliorem fuisse Davide. Ita hoc Episcopus Abulensis asserit (Præmitto Abulensi titulum Episcopi, quia nullam authoritatem citavi, aut citabo in hoc sermone, quæ non sit authoris primæclassis in Ecclesiastica dignitate) *Respondendum,* inquit ille, *quod David erat melior Saule, postquam peccavit: Saul tamen, antequam peccaverat melior quàm David.* Elegit itaque Deus Saulem, quia licet David inter meliores erat tam singularis, nihilominùs Saul illo tempore erat melior Davide. Non attendit Deus in Davide, quod futurus esset suus Pater; antepositi illi meliorem. Et quando Deus elegit Davidem? quando jam melior erat Saule. Quod expressè innuit textus: *Scidit Dominus regnum Israël à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te,* dixit Samuel ad Saulem. Non aliud est quare in electionibus Dei, nisi esse, vel non esse meliorem. Quando Saul erat melior Davide, elegit Saulem: quando David melior erat Saule, elegit Davidem; semper ex melioribus meliorem.

1. Reg. 9. v. 2.

1. Reg. 15. v. 28.

O quàm acceptabiles forent electiones, quantoque applausu digni Electores & electi, si homines istam Dei regulam observarent! Electum jam Saulum, & inventum (nam se absconderat) Prophe-ta Samuel produxit in publicum, & ostendit populo: & qualis erat? *Stetit in medio populi, & altior fuit omni populo ab humero & sursum.* Non erat magnus inter parvos, non major inter magnos, sed omnibus majoribus major; *ab humero & sursum.* Integro capite excedebat cæteros. Non erat major ætate, nec major divitiis, nec major consanguineis & propinquis, neque major

1. Reg. 10. v. 23.

potentiâ, sed major capite: & ideò Deus illum constituit caput omnium. Elevatâ tunc voce Propheta dixit: *Certè videbitis quem elegit Dominus, quoniam non est similis illi.* Vestri attestantur oculi, quod is, quem elegit Dominus major sit & dignior, & nemo illi sit æqualis. Et hanc vocem, & conspectum hunc quid fuit subsecutum? faustæ acclamationes omnium, *Vivat Rex.* Eligatur major & melior: & ipsi præteriti dicent, vivat.

1. *Reg.* 10. *v.* 24.

Christus exactè adeò hanc regulam seu exemplar observavit, ut non solùm cum Apostolis electis respectu excluforum: sed etiam respectu ipsorum electorum, utrorumque majores primò & meliores eligendo & nominando observaverit. Nescio utrum animadverteritis, cum electi fuerint duodecim, electiones fuisse sex. Hoc ex Evangelistis colligitur, qui speciali & nunquam alias usitato modo, per paria numerant, seu binos & binos nominant. *Elegit duodecim, quos & Apostolos nominavit: Petrum & Andream: Jacobum & Joannem: Philippum & Bartholomæum, &c.* Christus elegit duodecim Apostolos non simul, sed per partes & paria: primò duos *Petrum & Andream.* Deinde alios duos, *Jacobum & Joannem.* Et hoc modo reliquos, semper meliores dignioresque præferendo, à Petro incipiendo, & cum uda finiendo. Non solùm enim eligendi sunt meliores, sed adhuc inter meliores qui eliguntur, meliores meliorum præferri debent. Ita ut electiones quæ fiunt cum Deo, & per Deum, semper respiciant meliorem. Quod si multi sunt meliores, meliores de melioribus primò sunt eligendi. Et deinde successivè per ordinem alii. Ex duodecim, Petrus & Andreas: ex decem, Joannes & Jacobus: ex octo, Philippus & Bartholomæus, & sic de reliquis: primo semper loco, primaque nominatione data primis, id est dignioribus, non alio intuitu, quàm quia meliores.

Enim verò quia instructio hæc succincta & obligans valde, necessè est aliquam illius dare rationem. Quænam igitur est ratio, quare non solùm boni, sed meliores: & insuper ex melioribus meliores aut melior sint eligendi? Ratio est, quia eligens obligatus est, non solùm procurare bonum publicum, sed majus bonum. Hinc ipsi eligere non licet malum, neque bonum, sed meliorem. Non malum, quia iste malè faciet: non bonum, quia ipse minus benè operabitur: meliorem, & solummodò meliorem? Ita: quia iste melius officio suo fungetur. Inter bonum & melius eadem est differentia, quæ inter magis & minùs: & isto magis bono, quod accrescit præ minùs bono, privare non debet rempublicam vel Ecclesiam qui majus bonum ipsis procurare tenetur. Appendi oportet in statera magis & minùs, & sic peragendæ sunt electiones. Melior magis profuturus Ecclesiæ eligatur: minus utilis futurus excludatur. Quidnam manus Dei scripsit, Balthasare Rege à regno & corona rejecto? *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* Minus correlativum est illius *Plus*: & quis inventus fuit cum illo plus in comparatione Balthasaris, qui cum illo *minùs* fuit inventus? Rex Cyrus qui illi in regno successit. Appendit Deus in statera ex una parte Cyrum, & ex altera Balthasarem: & quia Cyrus magis profuturus erat Ecclesiæ & ejus

Dan. 5. *v.* 27.

populo,

populo, qui tunc captivus exultabat in Babylone, uti reverà profuit, mandatâ illi restitutione libertatis, Patriæ & templi: quia Cyrus, dico, erat profuturus magis, & Balthasar *minùs*: hoc *minùs* purpuram & coronam abstulit Balthasari, & illud *magis* eam transtulit in Cyrum.

Bilanci justitiæ illud, hoc casu, facere incumbit, quod in casibus suis bilanx facit concupiscentiæ. Clariùs loquar; Amor & desiderium boni publici hoc facere debet, quod amor & appetitus boni privati. Cuinam amor confert aut aufert dignitates. Notoriè plùs habenti eas confert, plùs enim ab eo accipit vel sperat: minùs habenti eas auffert, quia vel minus accipit vel sperat. Nôsti Sacerdos virtuose, nôsti Religiose exemplaris, nôsti Minister zelose & incorrupte, nôsti Doctor erudite, quare fuisti rejectus? Quia *Inventus est minus habens* Electus non habebat plus virtutis neque plus scientiæ, neque plus zeli vel talentorum quàm vos: sed habebat plus. Quando quæritur habens plus, væ habenti minus! Sic plus & minus attendendum electoris desiderio boni tantùm publici studiosi. Prætereat illos, da quibus speratur minus, quantumvis bonos: & eligat illos, qui plus de se promittunt, cùm sint meliores. Hæc unica consideratio electiones justificat & à labe partialitatit purgat. Omnes aliæ considerationes privatum tantum bonum & commodum respicientes pestes sunt Reipublicæ tantò perniciosiores, quantò magis venis appropinquantes.

Duæ considerationes seu respectus in hodierna electione occurrere poterant: sanguinis una, metus altera: illa sanguinis, in Joanne, illa metûs in Juda. Joannes consanguineus erat, & consanguineus apprimè dilectus: sed nec hujus intuitu joannes prælatus fuit Petro, sed Petrus Joanni. Judas Christi partes non erat secuturus, sed inimicorum potiùs partialitati adhæsurus: nec tamen ex metu hujus fuit exclusus. Et quare? Quia Christus eligere volebat Apostolos & non multiplicare creaturas: *Et Judam Iscariotem qui fuit proditor*. Etiam Judas fuit electus, quia de præsenti è melioribus erat, quamvis postea futurus erat inimicus. Sit Judas proditor se eligentis; sed eligens, non sit proditor electionis. Fidelem adeò; generosum & magnanimum sese Christus ostendit eligendo adhuc in duodecimo ex duodecim *Elegit duodecim ex ipsis*. *Luc. 6. v. 16.*

§. IV.

TErtia & ultima quæstio est: quot debeant esse electi. An pauci vel multi, numerus certus vel incertus, arbitrarius vel determinatus, completus vel incompletus: ad omnia ista uno verbo respondet Christus: *Duodecim*. Ad partes procedamus. An pauci debeant esse vel multi: respondet Christus, quod pauci. Et quare? Quia cum electos, uti diximus, oporteat esse meliores; quando non sunt multi boni, non possunt esse multimeliores. In paucis est ordo, unio & consilium: in multitudine, nec ordo, quia erit confusio: nec unio, quia erit discordia: neque consilium, quia erit tumultus Ministros oportet esse ut leges: leges oportet esse paucas, sed benè observari: & Ministri pauci & electi: *Elegit duodecim*.

Deus hujus mundi universitatem gubernat; & quot illi assistunt, septem spiri-

Apoc. 1. v. 4. spiritus: *Gratia vobis, & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus, qui in conspectu throni ejus sunt.* Septem cum oculis, in eo qui erat, in eo qui est, & in eo qui venturus est, sufficiunt ad conservandum in gratia & pace mundum. *Gratia vobis & pax.* Sed gratia perditur, & pax non invenitur: nam oculi non finguntur in eo quod est, aut ventu um est; sed in eo quod non est, & volunt ut sit: & in eo quod venire non deberet, & volunt ut veniat. Idcircò non faciunt septuaginta, quod potuerunt facere septem. Verum est homines non esse Angelos quamvis esse deberent. Quod ideò Sanctus Joannes innuit, Episcopos Asiæ Angelos nuncupando: Apoc. 2. v. 1. 8. 12. *Angelo Ecclesiæ Ephesi: Angelo Ecclesiæ Smyrnæ: Angelo Pergami Ecclesiæ* sed licet homines non sint Angeli quod faciunt septem Angeli, illud facient duodecim homines, si fuerint cum Deo & per Christum electi. Omnia jam dixerat David: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii*: id est pro duodecim Patriarchis, facies duodecim Apostolos: Psal. 44. v. 16. & 17. *Constitues eos Principes super omnem terram.* Et quid sequetur? *Memores erunt nominis tui: propterea populi confitebuntur tibi:* id est, illi memorabuntur Deum, & Deus omnes mundi populos eorum pedibus subjicier. Duodecim homines Dei memores, sufficiunt ad subigendum Deo totum mundum. Si verò illi, vel successores illorum Dei fuerint obliti, non solum non trahent ad eum populos, sed etiam Deus, quos jam habebat, amitteret. Tantum possunt destruere mul; & tantum efficere possunt homines pauci: Isa. 9. v. 3. *Multiplicâsti gentem non magnificâsti lætitiam.* Multum non facit multitudo: multitudo facit multos: pauci faciunt multum: *Non in numeri multitudine, sed in virtutis probitate multitudo consistit*, commentatu. ille, qui cùm fuerit unus, fecit illud, quod non faciunt multi S. Chrysostomus Archiepiscopus Constantinopolitanus. S. Chrysost.

Verum eritne bonum quod numerus ille certus sit vel incertus? arbitrarius vel determinatus? *Duodecim.* Christus docet ipsum certum & determinatum & non incertum aut arbitrarium esse debere. Duodecim Apostolorum numerus non solùm determinatus erat, sed etiam prædestinatus. Designatus in duodecim Patriarchis filiis Jacob: in duodecim exploratoribus terræ promissionis: in duodecim fontibus deserti: in duodecim lapidibus Rationalis. Prædestinatus in duodecim fundamentis, & duodecim portis civitatis Dei: in duodecim stellis Mulieris sole vestitæ: & in duodecim sedibus judicii universalis. Et sicut numerus canonicè erat decretus, & sanctè mysteriosus, cùm Christus super omnes esset leges, earumque Dominus, exactè observavit religionem mysterii, & numerum noluit immutare & variare. S. Paschasius casu profundiùs considerato, *adeò autem Christus secum voluit esse duodecim, ut ne Judas posset efficere, ut tantùm essent undecim*: id est. Ita observans fuit Christus decreti numeri, ut melius existimârit Judam numero inserere, quàm numerum punctualiter non observare. Sint duodecim sicut est decretum, licèt Judas sit duodecimus. Et si multum fuit non imminuere numerum propter Judam, non fuit minus illum non augere, nec propter Marcum, nec propter Stephanum. Non varietur numerus designatus, quamvis S. Paschasius.

ab

ab eo excludatur Evangelista tertius, & Martyr primus.

Consideratio major S. Petrus interrogat Christum: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: Quid ergo erit nobis*: Respondet Christus: *Sedebitis super sedet duodecim*: id est, Vos, qui omnibus propter me relictis, me estis secuti; in die judicii mei super duodecim sedes faciam sedere. Mi Domine! & si alii te fuerint secuti, & omnia, imò multò plus quàm illi propter te reliquerint, nunquid & pro ipsis erunt sedes? Non: *Sedes duodecim*. Numerus sedium est duodecim: duodecim, & non plures sedebunt. Non multiplicandus est numerus locorum; quanquam crescat numerus benemeritorum. Satisfiat merito; sed aliis præmiis sedes plures esse non oportet, quàm duodecim. Non sunt multiplicandæ dignitates, non multiplicanda loca, non creandi Ministri supernumerarii. Si sunt duodecim Patriarchæ, sint duodecim Apostoli & non plures quàm duodecim. Si sunt septuaginta Seniores populi, sint septuaginta Discipuli, & non plures quàm septuaginta. Et quare? quia clauso numero, clauditur porta inconvenientiis sine numero. Vos desuper discurrite, qui illud melius nôstis. Attamen dicetis, quod Christus, quamvis tam exactè observaverit numerum, nihilominus Ministrum creaverit supernumerarium, qui fuit S. Paulus, & non S. Matthias, quia *annumeratus est cum undecim*. S. Paulus autem verè fuit supernumerarius: neque enim fuit ex numero primæ, neque ex numero electionis secundæ: & fuit decimus tertius Apostolus. Magnum profectò S. Pauli privilegium! Et toties quoties, unus S. Paulus esset, facilè admitterem extendi leges, ut talis socius sacro Collegio adderetur. Sed adverti numerum non fuisse auctum propter metum fatalium literarum, quas Jerosolymis secum ferebat contra Damascum: sed propter eminentiam talenti, sublimissimosque majoris gloriæ Dei & nominis ejus fines, & electione valde liberâ, suprema, propriâ Christi, & pro Christo: *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus*. Non pro Regum respectu; sed ad illos subjugandos & subjiciendos.

Matth. 19. v. 27.

Act. 9. v. 15.

Enim verò sic adhuc Paulum supernumerarium fuisse nego: nequeper illum, neque cum illo numerus fuit excessus. Quod ita cantat Ecclesia: *Qui meruit thronum duodecimum possidere*, id est, sedes quam occupavit, quæque assignata fuit S. Paulo, non fuit supernumeraria, sed de numero duodecim duodecima. Age, nunquid duodecima S. Matthiæ obtigit? Omninò, Matthiæ & insuper Paulo, utrique eadem obtigit sedes: ut pateat quàm justa fuerit electio Judæ, & quale ipsius præcipitium Prudentius, Judam vocavit *Magnum Discipulum*: id est, magnum Discipulorum. Non fuisset tam malus, nisi fuisset tam magnus. Corruptio melioris est pejor. Christus in Juda elegit hominem tam magnum, ut vacuum ipsius locum solus non impleverit Matthias: sed Matthias & Paulus. Ubi etiam notandum, istam combinationem duorum subjectorum pro loco unius, non fuisse contra numerum definitum, sed illi valde conformem. Numerus duodecim Apostolorum, designatus fuit, numero duodecim Patriarcharum. Hi sunt isti viginti qua-

Ecclesia.

Prudent.

Act. 1. v. 26.

tuor Seniores, quos S. Joannes ante thronum Agni ſtare vidit : prout PP. communiter ſentiunt ; Duodecim Patriarchæ, & duodecim Apoſtoli. Veruntamen in duodecim Patriarchis unus fuit locus, duobus ſubſtitutus ; ſcilicet locus Joſeph, in Manaſſe & Ephraim ſubſtitutus. Et quemadmodum locus Joſeph venditi ſubſtitutus fuit duobus, Ephraim ſcilicet & Manaſſe : ita locus Judæ venditoris aliis duobus fuit ſubſtitutus, Matthiæ & Paulo. Tam obſervans fuit Chriſtus numeri canonicè definiti, ut nec ad dandum aut aſſignandum locum S. Paulo, numerum voluerit excedere: *Elegit duodecim.*

Hæc eſt ratio, quare Chriſtus non plures quàm duodecim elegerit. Reſtat noviſſe quare non elegerit pauciores, & quare numerum compleverit: Quia inconveniens eſt, ut ſint loca vacua. Natura non admittit vacuum : neque politia, ſive ſacra, ſive profana illud admittere debet. Unus locus vacuus in Republica eadem habet inconvenientia, quæ in mundo haberet vacuum. Si eſſet vacuum in mundo, tota natura commoveretur, tota feſtinaret impetu ad illud occupandum. Idem uſu venit in locis vacuis : Commotiones, perturbationes, tumultus, tantóque magis impetuoſi & præcipites, quantò magis, non ad bonum commune & publicum, ſed ad proprium & privatum omnes & ſinguli feſtinant, non ad implendum locum, ſed ſe implendos ex ipſo. Omnibus inconvenientiis iſtis præcluditur janua, dum clauditur numerus. Melius eſt claudi numerum, quàm januam. In parabola de decem Virginibus, clauſa eſt janua: *clauſa eſt janua* : ſed clauſus non eſt numerus, erant enim loca decem : *Decem Virginibus.* Et quoniam clauſus non erat numerus quamvis clausâ januâ, quid fatuis faciendum reſtabat, niſi ut clamarent, ingeminarent voces, & nuptias inquietarent? clamabant Virgines, voces ingeminabant accenſæ lampades ; ſimiliter expenſa pecunia ejulabat. Ad hoſce impediendos clamores, numerus claudendus.

Matt. 25. *v.* 11.

Quam bene hoc ipſum, primus Chriſti Vicarius intellexit! primum quod ex officio fecit, fuit numerum complere duodecimum. De Juda loquens conſideravit numerum : *Qui connumeratus erat in nobis.* Et eundem mox complevit Matthiâ : *Et annumeratus eſt cum undecim.* Et quare tam citò & ſine more? quia congruum eſſe intellexit & hinc dixit: *Oportet ergo.* Apoſtolorum nonerat inter ſe partiri mundum ſicut illum non ſunt partiti, niſi duodecim elapſis ab hinc annis: nihilominus illuminatione Spiritus Sancti (ante adventum ipſius) intellexit S. Petrus conveniens protinus eſſe, ut ſtatim & ſine mora locus & numerus compleretur : *Oportet.* Non expectavit memorialia, non officia, non prætenſiones, nec dependentias, ad præcludendam potius omnibus iſtis impedimentis januam, clauſit numerum. Ad vacandum magis utilibus & neceſſariis, cavendum eſt ne denter loca vacua. Eapropter Chriſtus elegit duodecim, & duodecim nominavit & deſignavit : *Elegit duodecim quos & Apoſtolos nominavit.*

Act. 1. *v.* 26.

Act. 1. *v.* 22.

Non ſufficit numerum tantùm eligere, ſed eligere & declarare. Chriſtus duodecim elegit, & duodecim declaravit. Conſtabat duodecim eſſe electos : eodemque inſtanti conſtabat ſimiliter, Petrum

trum & Andream, Joannem & Jacobum, & reliquos esse electos. Potuisset Christus personas eligere numerumque complere nominibus suppressis aliquorum saltem, & in mente retentis. Certè si quandoque locum habuit suspensio hæc & secretum, vel maximè hac habuit occasione. Excluſi remanebant ab Apostolatu Septuaginta Discipuli, omnes digni, & multi dignissimi. Bene igitur electorũ saltem aliqui in mente poterant retineri, cũ non constaret quinam electi essent: ut suspensione hac omnium spe sustentatâ exclusis omnibus querulandi subtraheretur materia, quod in numero secretò electorũ se contineri sperare possent. Ut quid ergò Christus illam reservationem non practicavit? multis de causis. Prima, quia pro hoc mentem animumque habebat. Nescio utrum retinere in mente, sit quandoque mentis defectus. Secunda, quia similes reservationes non fiunt sine justis respectibus; & melius est respectus non habere, etiam justos. Christus denique elegit, nemine suppresso, sed omnibus declaratis: electio enim adeò irreprehensibilis erat, ut censuram non timeret. Christus nec electioni, nec electis, nec rejectis injuriam voluit irrogare. Non electioni, valde enim illi fuisset injuriosum, suspectam illam reddere, quasi fuisset talis, quæ publicam lucem formidaret. Nõ electis ipsos enim reticere, fuisset confiteri, ipsos non fuisse digniores. Neque exclusis: supponendo enim illos esse malè contento, fuisset ipsos ostendere ambitiosos. Omnia declarare, fuit omnes honorare: electionem, irreprehensibilitatis notitiâ; electos, dignitatis & meriti famâ; exclusos, ambitionis suspicione liberando. Super omnia tota Christi schola remansit honorata: maximus enim honor communitatis, ejusdemque integritatis commendatio est, quod desint loca, & superfluant benè merita. Maxima convivii Christi in deserto excellentia, fuerunt superflua. Christo duodecim eligente Apostolos, superfuerunt septuaginta, eodem honore & officio dignissimi: omnesque se dignissimos probârunt, quia nullus querelam emisit. Septuaginta repulsi, & nullæ querelæ? O sæculum beatum! perplexus hæreo num repulsos majores fuisse asseram, quàm electos. Electi erant magni, omnes enim meruerunt esse Apostoli: excluſi videntur majores, quia nemo Apostolorum alteri invidit. In hac dignitate perstiterunt omnes quando dignitates duodecim tantùm sunt collatæ: *Elegit duodecim*,

§. V.

TRes discursûs mei partes absolvi. Sed video Auditores me interrogare de S. Bartholomæo, quasi in jam dictis nihil de ipso fuerim locutus. Quicquid de meliore meliorum dixi, de glorioſissimo hoc Apostolo venit intelligendum. Et siquidem hodie aliquam ipsi præ cæteris, prærogativam tribuere licet, idem ille locus, quem Evangelium ipsi assignat in electos, non modicum huic consideration conferr. Evangelium S. Bartholomæo sextum assignat locum: & excluso ab hoc sacro numero (uti oportet excludi) Judâ reprobato, sextus inter undecim est locus medius, semper & ubique terrarum dignissimus reputatus. De Sapiente humili dixit Spiritus Sanctus, quod in medio magnatorum eũ consedere faciet:

Eccles. 11. v. 48. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius, & in medio magnatorum illum considere faciet.* Et quis inter Apostolos fuit sapiens humilis, nisi Bartholomæus? juxta receptiorem opinionem S. Bartholomæus fuit ille legis Doctor Nathaniël, de quo pronunciavit Christus: *Ecce verè Israelita,* Joan. 1. v. 41. *in quo dolus non est.* Et in hoc magno Sapiente inter humiles & rudes piscatores (licet regni Christi magnates) collocato, per locum, quem in medio eorum obtinet, divini oraculi verificatur promissio: *In medio magnatorum considere eum faciet.*

Hinc textuum duorum, unius ex veteri alterius ex novo testamento apparenter contra se invicem pugnantium consonantia patescit. In veteri Testamento, duodecim Apostoli duodecim lapidibus pretiosis Rationalis, quod summus Sacerdos pectori gestabat affixum, figurati fuerunt. In novo itidem Testamento duodecim lapidibus fundamentalibus civitatis Jerusalem novæ, quam S. Joannes de cœlo descendentem vidit, fuêre significati. Dubium & Apoc. 21. v. 20. contradictio in dispositione tantùm & ordine lapidum ipsorum consistit: in Rationali enim primus lapis erat Sardius, & in fundamentis Jerusalem cœlestis idem lapis Sardius erat sextus. Cùm igitur idem lapis exuna parte primum occupet locum quomodo in altera sextus illi assignatur? Sextum locum, asserente S. Luca, tenuit S. Bartholomæus: Lapis Sardius, asserente sancto Joanne, sextus est Apostolus: sicergo Sardius & S. Bartholomæus ex una parte sextum occupant locum, quomodo in altera tenent primum? Quia locus medius est locus primus: & quando locus sextus est medius (sicut est ille S. Bartholomæi) est sextus simul & primus. Proinde Sardius in duodecim lapidibus fundamentalibus novæ Jerusalem sextum, & in duodecim lapidibus Rationalis primum tenet locum. Iste igitur locus in veteri & novo Testamento S. Bartholomæo fuit assignatus: Primus enim locus, prout hucusque docuimus meliorum meliori est tribuendus.

Plinius de lapide Sardio tractans, adeò similem carni vivæ illum asserit, ut caro viva in lapidem videatur conversa. Quam ob causam lapis carneus vulgariter appellatur? Et quis sanctum Bartholomæum nostrum totum in carne viva & sine pelle, quàm sibi detrahi, & frustratim crudelissimè abscindi, tali animo, fortitudine & constantiâ passus est, acsi non carneus, sed lapideus fuisset, in illo naturaliter effigiatum non videt? Duodecim fidei articuli Symbolo contenti, duodecim similiter Apostolis partitim fuerunt attributi, singulis suum pronuntiantibus: & sextus, qui S. Bartholomæo obtigit, fuit ille Resurrectionis singulari congruentiâ & proprietate: Caro enim resuscitata viva & impassibilis exstit. Hoc ita S. Apostoli caro probavit, ad stuporem Tyrannorum, dum vivus excoriaretur, cum talis in extremo & terribili hoc tormento patientiæ illius apparuit constantia, ut impassibilitas potiùs, quàm patientia videretur. Et hoc modo S. Bartholomæus inter duodecim Apostolorum statuas, figurâ & exemplo singularis remansit. Exemplo, dico, virtutum heroicarum, quibus eminere fas est eos, qui ad prima Ecclesiæ loca sunt eligendi, & figurâ, quam intueri, sicque de illis judicium formare oportet eligentes.

Nil magis eligentium decipit judicium,

cium, magisque electionum optatum & rectum invertit & confundit successum, quàm pellis. Dignitas & capacitas hominum non ex apparente extrinseco, sed ex intrinseco, & eo, quod inest, metienda venit. Exuantur priùs pelle, & omni extrinseco, & sic verum de meritis formabitur judicium. In mundi exordio, Deus dans esse & formam creaturis, mox illas generali isto testimonio laudavit: *Vidit Deus, quod esset bonum.* Condito tandem homine, singulariter est notatum, notatuque dignissimum, quod solum illum non mox laudaverit. nec Scriptura de illo asserat: Vidit Deus, quod esset bonus. Age, si omnes aliæ creaturæ minùs perfectæ mox ab oculis Dei fuerunt laudatæ, cur homini omnibus perfectiori ipsisque Dei manibus plasmato idem non contigit? egregiè respondet S. Ambrosius: *Ideo homo non ante laudatur: quia non in forensi pelle, sed in interiore homine ante probandus.* q. d. Homo non, instar aliarum creaturarum, quæ visa mox fuêre laudatæ, ab oculis Dei fuit laudatus: homines enim non ex pelle, & foris patente, sed ex intrinseco sibi, & eo quod habent, judicare debent: *non in forensi pelle; sed interiore homine.* Creaturæ aliæ hoc sunt quod foris apparent: in homine, quod foris apparet est minus, quod intus latet, est totum. *Alia in specie sunt homo in occulto.*

Gen. 1. v. 10.

S. Ambros.

Non nego, pellem, si, ritè factâ anatomiâ, homo intus talis sit, qualem ipsum esse oportet, decorem addere personæ, & loco conciliare authoritatem, & hoc casu purpuram optimè quadrare pelli. Hinc in primo Templo, quod fuit Tabernaculum, mandavit Deus, ut pellibus purpurâ tinctis operiretur: *Pelles rubricatas.* Ipse verò pelles quidnam tegebant, & quidnam sub se habebant? Arcam Testamenti, tabulas legis, Cherubim, propitiatorium, Deum. Quando tale quid pelles operiunt, operimento purpureo dignæ sunt. Enim verò si multæ sint pelles (prout verè sunt) quæ similes operiant thesauros, non tamen propterea rubricatæ videantur: consolationem accipiant cum Discipulis, qui in hodierna electione remanserunt excluſi. Dicant vel cantent cum electa à Deo anima: *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar: sicut pelles Salomonis.* Divitiæ Cedar necnon Salomonis monilia, & quod amplius est, ipse Salomon sub pellibus visui minus gratis ambulare potest. Quod est intrinsecum & ab oculis absconditum, hominem facit: extrinsecum & oculis expositum, sicut merè est naturale, & merito & culpâ vacans, sic nec laudem nec vituperium meretur. *Non laudes virum in specie sua, neque spernas hominem in visu suo,* Inquit Spiritus sanctus specialiter loquens de iis, qui ad loca sublimiora sunt evehendi.

Exod. 25. v. 5.

Cant. 1. v. 4.

Eccl. 11. v. 2.

Samuele aliquem Filiorum Jesse in Regem uncturo, primus, quem ei præsentavit Pater, fuit (ut diximus) Eliab primogenitus ejus proceræ staturæ, spectabilisque formæ juvenis: quem mox ut vidit Propheta, Imperio vel maximè dignum judicavit. Verùm tamen Deus statim exteriora illa attendere vetuit, non enim illum elegisset, sed repulisset dicens, *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus quoniam abjeci eum.* Abjectâ sententiâ, quàm omnes Principes semper ob oculos habere par esset: *Nec juxta intuitum hominis ego judico: Homo enim videt ea, quæ parent,*

1. Reg. 16. v. 7.

Dominus autem intuetur cor. Ita videre & judicare oportet eligentes, ut rite fiant & rectè succedant electiones. Non oculis hominum, qui apparentias exteriores res attendunt & æstimant; sed oculis Dei, qui interiora & cor penetrat, in quo esse, valor & differentia de homine ad hominem consistit. Homines non solùm ornamentis, quæ subornant etiam & decipiunt exuti, judicandi sunt & æstimandi; sed ipsâ insuper pelle nudandi, quæ frequenter specie robustâ cor debile & pavidum, quale illud Eliab erat, tegit. Eliab staturæ proceritate David dom, at David cordis animique magnitudine excedebat gigantem: & illud cor, quod latebat homines, vidit & elegit Deus: *Dominus autem intuetur cor.* Cùm igitur exteriora sint, quæ homines faciunt & dijudicant, soluſque Deus interiora videat & cognoscat: electiones hominum solicitè & morosè cum Deo pertractandæ sunt prout Christus hac die, vel nocte fecit: *Erat pernoctans in oratione Dei.*

Amen.

SERMO
IN
SEPULTURA OSSIVM PATIBVLATORVM.

Habitus in Ecclesia de Misericordia in Civitate Bahiâ, Anno 1637. quo status ille bello ardebat.

Misericordia & veritas obviaverunt sibi: justitia & pax osculatæ sunt.
Psalm. 48. v. 11.

§. I.

GEmina hæc virtutum unio, quam David promisit mundo, quando natura divina humanæ in illo tam benè videretur unita, duplex illa pars est, è qua omnis iste funebris apparatus, quem horrorem inter & pietatem præsentem habemus, religiosè componitur. Spolia justitiæ: Trophæa misericordiæ. Ecce quàm differentibus processionibus diversisque comitatibus, illi ipsi homines vivi, mediante justitiæ, ad infamem suplicii locum fuêre deducti: & mortui, agente misericordiâ, tanto cum honore ad illum sepulturæ Ecclesiastæ locum sunt dilati. Ibi luerunt quod merebantur delicta: hic accipiunt quod debetur humanitati. Dicit itaque David, quod optato isto tempore,

pore, misericordiâ & justitiâ & occurrendum sibi egressâ: justitia pacem, & misericordia amplexata sit veritatem: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt.*

Justitia & pax sese invicem sunt amplexatæ: & justitia prior ad amplexandum occurrit: *Justitia & pax.* Quia justitia non dependet à pace veluti nonnulli in excusationem sumunt) sed pax à justitia. Justitia bellum illud justificet, cujus spolia, sunt hæc ossa: & ab his, & illo tot suspiriis desiderata pax nascetur, cujus à tot annis, defectum patimur. Nascente Christo Angeli pacem annunciaverunt hominibus: *Et in terra pax hominibus* Et unde illis hæc pax expectanda, hominibus & terra? Non præcisè à Rege pacifico qui nascebatur: sed à justitia diebus illius oriturâ: *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis,* inquit Propheta David: pax enim justitiæ est fructus. Omnis respublica semper indiget pace, & nostra, tempore præsenti, pace duplici: pace internâ contra inimicos domesticos: pace externâ contra extraneos, & utrâque gaudebimus, justitiâ illam ritè excolente. Videtis illa ossa insepulta? Hæc sementis est, de qua pax nascitur. Justitia illa seminat in aëre, & pax colligitur in terra. *Absolon*, id est, *Pax Patris*: Sed non fuit pax patris adhuc vivus, sed jam mortuus & suspensus: vivus, cruentum intulit bellum: suspensus toti regno reddidit pacem. Si vigeret justitia suspendens Absolones, profectò foris & intus tot non forent bella & seditiones. Maximum justitiæ exemplum, quod mundus vidit, fuit diluvium: & quid illud fuit subsecutum? Pax, quam columba Noë in ramo tulit olivæ. Aquæ diluvii non evulserunt, nec arefecerunt, sed potiùs rigârunt olivam. Sub illis conservata fuit incorrupta & virens: nam sub gravibus & exemplaribus pœnis & punitionibus pax crescit & revirescit.

Luc. 2. v. 14.

Psalm. 71. v. 7.

3. Reg. 19. v. 1.

Gen. 1. v. 11.

Ad meum intentum, primum ejus indicium, non fuit illud columbæ, sed illud corvi. Emissus ex arca cervus suffocatis diluvio corporibus vescendo se saginavit, & quando caro damnatorum datur corvis, secura est pax mundi. Quod si corvus vel unam calvariarum istarum intulisset in arcam, tantundem, & magis de pace securus potuisset esse Noë, quàm de oliva columbæ. Jerusalem nunquam majore pace fuit gavisa, quàm tempore Salomonis: sed hæc non tantùm erat in Oliveto, verùm etiam in Calvario. Ita illud Salomoni suus Pater fuit vaticinatus, de regni ipsius felicitate loquens: *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.* Id est, montes populo offerent pacem, & colles justitiam. Enim verò, quare colles justitiam, & montes pacem? Quia in Jerusalem erat mons excelsus valde oleis consitus, dictus Olivetus: & collis alius sive mons humilior oportus Calvariis, dictus Calvarius: ubi rei damnati supplicio afficiebantur. Et quando colles instar Calvarii, Calvariis suis justitiam ostendunt; montes, instar Oliveti, oleis suis pacem annuntiant: *Suscipiant montes pacem: & colles justitiam.* O quomodo montes hosce videremus pace coronatos, si colles hi justitiâ apparerent seminati! At nos regulæ hujus obliti (quæ etiam militaris est) toti sumus in roborandis & communiendis montibus & collibus. Quid prodest fortalitia communiri, patibulis

Psal. 71. v. 3.

tibulis immunitis? Hæc sunt quæ contra justitiam divinam nos defendere debent, quæ solummodò de cœlo venit, quando in terra deest. Imperator Maximilianus conspecto patibulo, detegebat caput inquiens: ista patibula Imperium meum in pace conservant. Proinde David velut Propheta ait, & similiter, velut Rex dicere potuisset, justitiam & pacem sese mutuò amplexatas fuisse: *Justitia & pax osculatæ sunt.*

Unam thematis partium explanavi, quæ cùm tam propria sit tempori, non minùs congrua fuit loco & actui præsenti; est enim misericordiæ, quæ justitiam supponit. Ut fusiùs super secundam & principalem discurrere liceat, major gratia nobis est necessaria. Ave Maria.

§. II.

Misericordia & veritas obviaverunt sibi.

E Maximè prodigiosis casibus, quibus cœlum tremefecit terram, & terras nostras, fuit unus memorabilis ille terræ motus Insulæ Terceræ, paucis ab hinc annis. Concussit, evertit, funditusque oppidum, Praya dictum prostravit: multò verò notabilius fuit, quod reliquerit intactum, propter quod alia subvertit. Tria tantùm oppidi illius loca integra & illæsa perstiterunt: Carcer publicus, domus misericordiæ, & Pulpitum summi templi. O providentia divina semper vigilans, etiam in casibus qui videntur & esse possunt naturales! illæ tres exemptiones adeò notabiles magno non vacârunt mysterio: quod omnes quotquot viderunt, advertentes mox agnoverunt. In carcere justitiam, in hospitali misericordiam: & in pulpito recognoverunt veritatem. Ad si nobis Lusitanis, & maximè civitatum locorumque illorum maritimorum (quod hæc nostra est, & illa erat) incolis Deus prædicaret, quod justitiæ, misericordiæ; veritatisque defectu, conquisitiones nostræ sive Imperii extensiones adeò videantur desolatæ, destructæ & eversæ: & quod nonnisi tribus suffultæ columnis, veritate scilicet, misericordiâ, & justitia perstare & defendi queant. De justitia quod dictum est, sufficiat, de misericordiâ & veritate jam dicemus.

Misericordia & veritas obviaverunt sibi. Verba hæc, Auditores, notabile continent documentum, notatuque & animadversione dignum apud eos, qui in illustrissimâ hac communitate, & re, & nomine misericordiam profitentur. Vaticinando cantat David tanquam mirabile, propriamque legis gratiæ excellentiam, quod tempore illius (quale est hoc nostrum) misericordia & veritas concorditer mutuo sese fœdere constrinxerint. Quod significare videtur ly *Obviaverunt sibi.* Notabile dictum. Virtutes non sunt velut vitia. Vitia, quamvis in eodem conjuncta subjecto, & ad finem eundem semper colligata, præposterè vulpium Samsonis adinstar incedunt, semper sibi contraria & inimica. Non sic virtutes. Virtutes talem inter se observant fraternitatem & harmoniam, ut semper unitæ sint & concordes: & inter omnes virtutes, nulli magis intrinseca est ista unio, quàm veritati; nam virtus, quæ simul non est veritas, non est virtus. Quo igitur pacto dicit David, & velut mirabile legi Christi proprium decantat, quod

quod miſericordia cum veritate, & veritas cum miſericordia arctiſſimum fœdus reciprocè inierint, *Miſericordia & veritas obviaverunt ſibi ?* Unum David dicit, alterumque ſupponit: utrumque certum. Dicit quod miſericordia & veritas ſibi mutuò occurrant & uniantur, quia Chriſtus ſic mandat : & ſupponit miſericordiam & veritatem ex adverſo ſibi incedere, & disjunctas eſſe poſſe, quod frequenter accidit. Neque omne quod miſericordia videtur, eſt miſericordia & veritas : dantur miſericordiæ, quæ ſunt miſericordiæ & mendacia. Videntur miſericordiæ, & ſunt reſpectus : videntur miſericordiæ & ſunt propria commoda : videntur eſſe miſericordiæ, & ſunt alii affectus tam virtuti huic, quàm omnibus contrarii.

Qui Judam audiviſſet dicentem: *Ut quid perditio hæc ? potuit enim unguentum iſtud venundari multò, & dari pauperibus.* Qui audiſſet, inquam, iſtud ab Apoſtolo, benè operandi voluntatem, charitatis dictamen, affectum & impulſum miſericordiæ illud fuiſſet interpretatus : at S. Joannes Evangeliſta animum ipſius penetrans, quàm differente & contrario colore id nobis depinxerit attende : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat & loculos habens.* Verba videbantur Apoſtoli, ſed intentio erat furis : erat cupidus ſub habitu pietatis : erat furtum ſub larva miſericordiæ : *Quia fur erat, & loculos habens.* Ego applicare nolo, quilibet hoc faciat ſecum, ſi ſimile quid invenerit. Ad exemplum gentis magis celebratæ, periculoſiorique materia tranſeamus.

Matt. 26. v. 9.

Abraham è patria ſua peregrinatum egreſſus eum omnia familia ſua venit in Ægyptum : & vix paucis ibidem diebus commoratus, ditiſſimis & potentiſſimis terræ illius poterat annumerari : abundabat agris, pecorum armentis, gregibus, mancipiis, quæ omnia Regis & incolarum terræ liberalitates erant. Prima fronte id legens tempora noſtra increpare cœpi dicens: iſtud vera eſt charitas, illud eſt miſericordia, homini peregrino tanta alacritate providere, tantâ largitate exulanti familiæ ſuccurrere ; non ille nobis mos eſt cum iis, qui de Parnambuco ad nos confugiunt. perrexi legere, & ecce totum illud quod audiſtis, nihil minùs erat, quàm quod apparebat. Videbatur pietas, & erant reſpectus : videbatur miſericordia, & erant commoda. Loquamur planiùs; videbatur charitas, & erat amor. Omnis iſta beneficentiæ & munificentiæ copia ad domum Abrahæ, non Abrahæ, ſed Saræ amore confluebant : & non, quia Sara erat peregrina, ſed quia pulchritudo formæque venuſtas Saræ peregrina erat : *Scio, quod pulchra ſis mulier : Abraham benè uſi ſunt propter illam.* *Gen. 12. v. 11. & 16.*

Ita ut (ſicut dixi) nec omne hoc quod miſericordia videtur, miſericordia & veritas ſit: ſed frequenter miſericordia & mendacium In Juda zelus pro pauperibus videbatur miſericordia, & erat cupiditas: in Pharaone munificentia & humanitas erga peregrinos, videbatur miſericordia, & erat laſcivia: & ſi defectus hi in miſericordiis inveniuntur coronatis, vel cum coronâ Sacerdotali, ſicut erat illa Judæ, vel cum coronâ Regiâ, ſicut erat illa Pharaonis : non tantopere mirandum eſt, quod in miſericordiis aliorum inveniri poſſint, ubi illi minoris majoriſve conditionis

tionis, omnes inferiores sunt. Verùm cum hoc ita se habeat, quod in multis actionibus & misericordiæ operibus, misericordia & veritas sibi non occurrant; contingere enim potest in hac ipsâ Ecclesia, & intra sanctos hosce parietes, tam in electionibus officiorum, quàm eorundem administratione, ut minus antiqua, & magis palpabilia sint exempla, relictis illis examini & conscientiæ tribunalium ad quæ spectat ad actum præsentem tanquam diei huic proprium accedendo, dico, Auditores, inter omnia misericordiæ opera, quæ instituto & professioni vestræ incumbunt, illud singulariter est censendum, in quo misericordia & veritas sibi junctæ inveniuntur. In aliis misericordiæ operibus misericordiam unam, & veritas alteram tenere potest viam: in hoc verò secùs se res habet, quantumcunque enim opus quoddam ab altero discrepat, hîc sibi occurrunt, hîc sese amplexantur, hîc uniuntur: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi.*

Enimverò ut cognoscat Confraternitas de misericordia, quantumcunque in hoc dico, ab eodem audiamus Davide, non jam de humanâ sed divinâ misericordiâ loquente. Maximus omnium Prophetarum, divinæ misericordiæ Decantator fuit David. Et quoties ipse (sicut egò modò) in frequenti sese auditorio versari conspexit, de misericordia Dei semper prædicavit, quod veritate comitata semper incesserit: *Non abscondi misericordiam tuam, & veritatem tuam à concilio multo.* Velut Rex tantùm misericordiæ divinæ obnoxius: & velut Propheta illam cognoscens, eandem semper veritati conjunctam ore ferebat. Cum Deo loquens, misericordia & veritas. *Misericordia & veritas præcedent faciem tuam: Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* Loquens de Deo, misericordia & veritas: *Misericordiam & veritatem diligit Deus: universæ viæ Domini misericordia & veritas.* Ad collaudandum Deum nos exhortans misericordia & veritas: *Laudate Dominum omnes gentes, quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: Et super misericordiâ tuâ & veritate tuâ.* Quare verò David totus laudando Deo intentus misericordiæ semper veritatem adjunxit? Quia veritatis cum misericordiâ conjunctio, tam excellens, tam sublimis est & divina, ut de nullo attributorum suorum magis glorietur, quàm de hac unione. Quod idem Deus Davidi, & hic nobis revelavit: *Super misericodiâ tua & veritate tua, quoniam magnificâsti super omne nomen sanctum tuum.* Deus nomen suum magnificaturus, Deus nomen omnibus nominibus excellentius sibi assumpturus, nomen, quod ex omnibus attributis sibi elegit, fuit misericordia & veritas. Deus Filio suo nomen dedit super omne nomen: *Et dedit illi nomen super omne nomen.* Sibique similiter sumpsit nomen super omne nomen: *Magnificâsti super omne nomen sanctum tuum.* Et quemadmodum Christi nomen, super omne nomen est Jesu. *Ut in nomine Jesu omne genuflectatur*: ita Dei nomen, super omne nomen, est misericordia & veritas. *In misericordia tua & veritate tua.* Non misericordia & justitia. non misericordia & sapientia: non misericordia & omni-

Psal. 39. v. 12.

Psal. 88. v. 15. *Psal. 35. v. 6.* *Psal. 83. v. 12.* *Psal. 24. v. 10.* *Psal. 116. v. 1.* *Psal. 113. v. 10.* *Psal. 137. v. 3.* *ad Philip. 2. v. 9.* *ad Philip. 2. v. 9.*

omnipotentia; non misericordia, & immensitas: sed misericordia & veritas. Et si unio veritatis cum misericordia tam supercellens & divina est in misericordia Dei: ecce qualis & quanta erit in misericordia humana! Istud itaque, auditores, de hocce misericordiæ actu asséro, cui nunc vacamus: *Misericordia & veritas obviaverunt sibi.*

§. III.

QUod si illius adeò gloriosæ & quasi divinæ proprietatis fundamentum ex me scire cupitis, duas esse rationes respondeo; ambas etiam præsentes, generalem unam, specialem alteram. Prima & generalis, quia est opus misericordiæ hominibus mortuis exhibitum: secunda & specialis, quia exhibitum est mortuis à justitia condemnatis, & ex patibulo sublatis.

Incipiendo à primo; tunc veritati unitur misericordia, quando opus misericordiæ tam est verum & purum, ut nullo alio affectu vitiante misceatur, neque alio motivo vel respectu falsificante corrumpatur & talia sunt opera misericordiæ mortuis exhibita. Judâ unctionem Magdalenæ improbante, mox divinus adfuit Magister sinistram mali Discipuli censuram correcturus, pronuncians totamque scholam suam docens, opus illud fuisse bonũ: *Opus enim bonum operata est in me.* Christus absolutè pronunciando opus fuisse bonum, approbavit, & ab omni, & qualicunque illud vitiante defectu depuratũ fuisse affirmavit: nam, *Bonũ ex integra causa, malum ex quocunque defectu.* Quæro igitur: quare absolutè bonum & purum fuit opus, & non solùm à defectibus, quos illi aspergere nitebatur calumnia Judæ, sed ab omni prorsus nævo alienum? in ipsis Christi verbis veram rationem contineri opinabar: Dominus non solùm dixit, *opus bonũ operata est*: sed addidit, *in me.* Et quia opus istud fuerat præstitum Christo, Christo, & propter Christum aliâ non videtur indigere ratione, aut probatione, ut opus bonum, & ex omni parte bonum reputaretur: *Opus bonum.* Ita putabam ego, idemque mecum putaturos omnes credo: sed hæc non fuit ratio, quâ Christus bonitatem & puritatem operis illius probavit; sed alia arcana magis, quam nemo sibi imaginari potuisset, verè admirabilis & profunda. *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Illa tempestate pretiosis & aromaticis utebantur unguentis ad mortuos & vivos inunguendos. Vivos pro oblectamento, mortuos pro sepultura. Christus igitur Judæ respondens, vides, inquit, hoc unguentum, quod Magdalena in corpus meũ effudit, ex quo tantopere scandalizaris? scias velim quod non velut vinum me unxerit pro oblectamẽto, sed velut mortuum pro sepultura Corpus meum jam mortuum Magdalena in sepulchro inungere volet, nec poterit; & quia ejus devotio meretur, ut extremũ hoc pietatis ejus officiũ non respuam, hinc motu instinctuque divino acta, anticipato me unctura venit, ut corpori meo debitam defunctis cæremoniam præveniendo exhibeat *Prævenit ungere corpus meum.* Ita ut Christo (notate modò) ad demonstrandum, quod opus hoc approbaret, absolutè bonum, esset omnique respectu humano & defectu vitiante careret, non sufficerit referre, quod sibi factum esset, prout omnes cernebant

Matt. 26. v. 10. *Marc. 14. v. 8.*

nebant: sed insuper opus ei fuerit declarare mysterium sibi soli & Magdalenæ notum, palamque facere, quod se non tanquam vivum, sed velut mortuum unxerit, *Opus bonum operata est: ad sepeliendum me fecit.* Tantum distant opera misericordiæ vivis vel mortuis exhibita, quantumvis vivus sit ipse Christus. Enimverò si obsequium Christo vivo fuisset exhibitum, speculatio arguere, malitia suspicari, vel murmurare, & apparentem aliquem calumniari potuisset defectum, ut in dubium saltem vocaret; sed quia erat opus misericordiæ, corpori mortuo, ad sepeliendum impensum, irrefragabiliter demonstravit, quod vera & pura esset misericordia: vel ut nostris loquamur terminis, quod esset misericordia & veritas: *Misericordia & veritas.*

Fundamentum solidum & clarum hujus Philosophiæ, est, quod motiva, quæ vitiare possunt puritatem, & falsificare veritatem misericordiæ operum, sunt alii respectus humani, opera mortuis exhibita respectibus carent. In maximè honoratis, & quibus velmaximè omnis respectus debetur, qui sunt Reges, ipsis, præ cæteris, familiariores ponamus exemplum. Mortuus est Rex Herodes, qui recens nati Christi mox vitæ insidiatus fugere compulit in Ægyptum. Hoc mortuo, statim Angelus Josepho apparens dixit, quod securè in terrā Israël redire liceret: *Defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri.* Istud ly *enim* Angeli latius fuisse videtur, quàm opus erat. Evangelista solum Herodem defunctum fuisse asseruit: *Defuncto Herode.* Cùm igitur solus Herodes Christi persecutor obierit, quomodo Angelus omnes persecutores defunctos asseverat? quia morientibus Regibus omnes pariter commoriuntur respectus qui comitabantur. Herodes persequebatur Christum respectu Coronæ, reliqui persequebantur respectu Herodis: & mortuo Herode omnes simul commortui sunt respectus.

Matth. 2. v. 20.

Ibid.

Angelicè fatur Angelus, non omnes mortuos esse respectus, sed omnes defunctos esse respectivos sive respicientes, id est Herodis familiariores; ut omnes agnoscant mortales, quàm parum vivis confidere oporteat mortuos. In quibusdam regionibus Indiæ, Regibus morientibus, omnes eorundem famuli & familiares sese pariter interficiunt. Hic se non interficiunt, sed etiam moriuntur. Moriuntur illis, & vivunt (sicut semper vixerunt) tantum sibi. Enimverò, si illud accidit Regibus, quid fiet inferioribus? agnoscamus igitur pro mortuis, non esse vivos. Cum moriente moriuntur omnes, *Defuncto Herode: defuncti sunt enim.* Connectite verba Evangelistæ, cum verbis Angeli, bene notantes illud *Enim*, Moriuntur vivi cum mortuis, nulla interveniente indispositione alia, & alio *Quare*, quàm quod illi sint defuncti. Nunquid minus prudens, sibique parum præsens moreretur, qui pro testimentario suo mortuum nominat? Ita faciunt, qui morientes animæ suæ solatia & suffragia vivis commendant. Etiam illi, qui invita moriebantur pro vobis, in morte moriuntur vobiscum. Ecce hoc in filiis unà cum parentibus, in fratribus, unà cum fratribus, & quod excedit omnia, in amicis unà cum amicis. Excellentissimum par amicorum, cujus S. Scriptura meminit (reliqua enim sunt fabulosa) fuit Jonathas & David. Jonathâ defuncto, David vivus remansit, & totum quod

pro

pro illo fecit, fuit filio ipsius auffe re bona, & in mortem ejus componei e lamentum: *Doleo super te, Frater mi Jonatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum, sicut mater unicum amat filium suum, ita ego te diligebam.* Notate istud, *diligebam.* Ille ipsemet confitetur dicens, non quod diligit, sed quod diligebat: mortuo enim Jonathâ, etiam Davidis amor expiravit. Agedum confidere nunc amicis, & quidem integerrimis! quod à memoria seu intellectu eorundem sperare aut expectare potestis, est medium chartæ folium cum quatuordecim versibus: Bulla defunctorum magis prodesset.

2. *Reg.* 1. *v.* 26. & 27.

Sed revertendo ad Herodem, respectuumque declarationem, quia illo moriente, pariter mortui sunt omnes sui; sciendum est, Herodem istum cognomento Ascalonitam fuisse hominem, omnibus artibus & modis hominum sibi animos lucrandi, occupandi & conciliandi apprimè gnarum. Quia ad coronam intrusus quadraginta duobus annis sempercum formidine regni amittendi imperavit, nonnullos favoribus & gratiis, tanquam Rex lucrabatur; alios rigoribus, minis & pœnis sibi subjiciebat, tanquam tyrannus. Et hoc modo imperabat omnibus, utin toto ipsius regno non alia fuerit voluntas, quàm sua. Patuit hoc clarè, Magis Jerosolymam ingressis, *Turbatus est Herodes & omnis Jerosolyma cum illo*: quia sicut omnes cum illo vivente vivebant, sic illo defuncto, defuncti sunt omnes. Viventi convivebant, aliqui ex beneficiis, alii ex metu: mox ipso mortuo mortui sunt omnes cum illo; hi enim non habebant quod timerent, nec illis supererat amplius quod sperarent. Hæc maxima mortuorum est miseria, quod nec bonum, nec malum facere possunt. Et quia cum illis moriuntur & desinunt omnes respectus & dependentiæ, quibus humani reguntur affectus; hinc sicuti illud in ipsis maxima est miseria, ita ut pro illis hæc maxima est misericordia, misericordia sine respectu, misericordia sine dependentia, misericordia sine admixtione motivi, quod non sit pura misericordia, & proinde tandem, misericordia & veritas: *Misericordia & veritas.*

Matth. 2. *v.* 3.

Authoritates singulariter non amo, rarò enim congruunt asserenti ea, quæ non sunt dicta. Nihilominùs illam S. Ambrosii auscultemus, qui rectiùs & subtilius hocce punctum attigit. In celebri illo libro suo, quem de Officiis inscripsit, de mortuorum sepultura loquens ait; inter omnia beneficia, quæ pietas humana præstare sufficit, istud esse excellentissimũ: *nihil hoc officio præstantius.* Alii dicerent, maximum beneficium & misericordiæ opus esse, sustentare pauperes, & redimere captivos: illis enim conservatur vita, & his redditur libertas. Nihilo seciùs insignis hic Ecclesiæ Doctor, & S. Augustini Magister pronunciat, quod sepelire mortuos etiam ex parte beneficium recipientis, omnium sit excellentissimum, ratione adjunctâ: *Nihil hoc officio præstantius ei conferre, qui tibi jam non potest reddere.* Ego adderem, neque debere. Et benefacere illi, qui vobis benefacere nequit: ego adderẽ; neque malè. Est opus, pro quo non speratur gratiarum actio: ego adderem, nec timetur querela. Deniqe est, quod compatiar ego & subveniam illi, qui non patitur miseriam, nec sentit beneficium, quia est mortuus. Bonum quod præsta-

S. Amb. Lib. de officiis.

tur vivis (uti nôrunt præstantes, & non ignorant recipientes) spectare potest commodum, solicitare potest affectum, violentiam inferre potest respectui: quorum nihil expectari ab ossibus siccis, neque à cineribus frigidis timeri potest. Mortuorum igitur sepultura, juxta S. Ambrosium, excellentissimum est pietatis officium: sepultura igitur mortuorum est misericordia & veritas, prout nos dicimus, quia est misericordia pura, ab omnique reflexione alia detæcata, & tanquam veritas, ab omni respectu denudata. Ast cum S. Scriptura omnia dicente concludamus.

David considerato mortuorum statu, admiratus quod divina Providentia ad illos se extenderet, exclamando interrogat. *Nunquid mortuis facies mirabilia?* q. d. Domine, estne possibile, quod de mortuis, qui jam esse non habent, tanta Providentiæ tuæ sit solicitudo, ut pro illis mirabilia patret? nec exaggerari, nec deprædicari amplius potest, quantum sit, bonum præstare mortuis, eorumque reminisci: Prophetaenim plus omnibus de Deo sciens & intelligens, eò devenit, ut opus illud divinæ bonitatis miraculum nuncuparet, & non tantum illud admirabundus veneraretur, sed velut in dubium vocare videretur: *Nunquid mortuis faciesmirabilia?* Videamus nunc: in quo stupor ille & perplexitas Davidis constiterit; & quanto majorem minoremve in mortuis quàm vivis rationem invenerit, ut in eis Providentiæ & bonitas divina mirabilior appareret. Idem sese David explicat ad interrogationem unam, alterâ respondens, & unum *nunquid* altero *nunquid* amplificans. *Nunquid narrabat aliquis in sepulchro misericordiam tuam & veritatem tuam in perditione?* Estnepossibile, quodmisericordiæ tuæ in sepulchro, & veritatis tuæ exemplanarrentur inperditione? versiculum hunc deprædicaturo Davidi congruentior non potuit occurrere figura, quàm te qua loquimur. Primo ad misericordiam revocat Veritatem, & ad sepulchrum perditionem. misericordiam mox ponens in sepulchro, *Misericordiam in sepulchro*: & veritatem in perditione, *Et veritatem in perditione*: nam in eo, quod sepulchrum sit perditio, consistit quod misericordia sit veritas. Nunc attendite. Seneca sublimissimè philosophando asseruit, veritatem benefaciendi non consistere in beneficio dando, illoque perdendo, sed in perdendo, illoque dando: *Beneficium est non dare, & perdere; sed perdere, & dare.* Beneficium dare & perdere, est casus frequenter eveniens, vel imprudentiâ dantis, vel impossibilitate, avaritiâ, & ingratitudine accipientis: & hoc casu opus bonum non est beneficium, est ignorantia vel infelicitas. Quando igitur opus bonum verum est beneficium? Quando illud tribuens, se nihil perdere sciens, nihilominùs tribuit; & hujuscemodi sunt beneficia mortuis impensa. Quia mortui nec sentiunt, neque præstitum sibi beneficium cognoscunt; & quamvis cognoscerent, illud tamen compensare, & gratias agere nequirent. Quidquid mortuis impenditur, quasi perditur: hinc sepultura perditio indigitatur, *in sepulchro, in perditione.* Et quamvis sepulchrum sit perditio, nihilominùs misericordiam, ab omni commodo adeò depurat & denudat, ut non solum sepulturam, sed sepulturam adeò celebrem &

Psal. 87. *v.* 11.

Seneca.

Ibid.

ho-

honorificam impendat, qualis est præsens. tam numeroso & illustri comitatu, tantâ luminum pompâ, tantâ insignium majestate, tantoapparatu tumulorumque ornatu, tantâ concordiâ & sacrarum cæremoniarum, Ministrorum, suffragiorum & officiorum Ecclesiasticorum consonantiâ. Ista sunt misericordiæ mirabilia, de quibus David perplexus & attonitus fuisse videtur. *Nunquid mortuis facies mirabilia?* Hæc est illa pura misericordia, quæ cùm nullum alium admixtum habeat affectum seu respectum, in Deo & hominibus, misericordia & veritas appellatur: *Misericordiam tuam in sepulchro, & veritatem tuam in perditione. Misericordia & veritas obviaverunt sibi.*

§. IV.

DAta jam est prima & generalis ratio, sed non sufficit, habet enim suam replicam. Transeamus ad secundam & particularem, quæ illam nec habet, nec habere potest. Sufficit absolutè, ut opus misericordiæ factum mortuis, misericordia sit & veritas, si fiat mortuis, quà mortuis: sed frequenter exhibentur officia & honorantur mortui, non propter se, sed vivorum respectu: & hoc non est misericordia & veritas, sed simulatio & mendacium sine misericordia. Nunquid in mortibus & exequiis præsertim Magnatorum, videtis concursus, omniumque statuum confluxus & assistentias, quæ suffitis jam ante & conditis funeribus exhibentur, de quorum animabus minor fortassis curahabetur? Ne igitur putare vobis videamur, quod hoc ex pietate & misericordia erga mortuos faciatis: novimus omnes, æquè ac vos, meras esse cæremonias & adulationes quibus viventibus litatis.

Christus apprinquabat portis Naim, quando adolescens filius unicus matris viduæ, quæ etiam lachrymis infusa feretrum sequebatur, magno funebri apparatu, & frequente civium comitante coronâ ad sepeliendum afferebatur. S. Evangelista Lucas, occasione celebris ibidem patrati miraculi, obviationem hanc describens, ita inquit: *Ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suæ: & hæc vidua erat, & multitudo plebis cum illa.* Luc. 7. v. 12. Nescio utrum ad terminos attendatis. Non ait Evangelista, quod comitabantur defunctum; & ibant cum illo, sed cum illa: *Cum illa*, dicere debuisse videtur, comitatos iviſse cum filio, & non cum matre; siquidem filius erat defunctus, & mater viva: Sed eodem ex capite & causa, dixit iviſse cum illa, & non cum illo, *cum illa*: Ordinariè enim fit vivis, quod exhiberi videtur defunctis. Matre defuncta comitatus iviſſet cum filio: sed quia filius erat defunctus, comitatus ivit cum matre. Quantacunque funeraliasint obsequia, vivis exhibentur, & non mortuus. Auditis illa, corpore præsente, responsoria tali tamque penetrante harmonia? non recitantur mortuo, sed cantantur vivis: proinde illi de Naim in exequiis filii viduæ, ibant cum illa, & non cum illo. Filius erat defunctus, & mater comitata Qui comitabantur feretrum deducebant mortuum, ipsos comitantes deducebat viva. Ille pergebat ad sepulchrum: & illi cum pergente non ibant, sed cum illa quæ remanebat: *Cum illa.*

Ve-

Verùm enim verò, si illud in parvis civitatibus, velut illa Naim accidit, quid in magnis fiet aulis, ubi non minor adulatio vivorum, quàm oblivio mortuorum? Constituamus nos in ampla civitate Memphis. Mortuus est Jacob Pater Joseph in Ægypto : & postmodum Joseph in eadem est mortuus aula. Sed admirationem & stuporem meretur modus, quo in utriusque obitu Ægyptii se se gesserunt. Jacob defuncto planctus & exequias septuaginta diebus decreverunt : *Flevit eum populus septuaginta dies.* Et quia statim funus ejus, juxta quod mandaverat, in terram Chanaan fuit translatum, omnes aulæ Pharaonis Principes & Magnates, Magistratus primique regni Ægypti ingenti numero, equitumque & curruum apparatu, eo usque fuerunt comitati : *Ierunt cum eo cuncti Seniores domûs Pharaonis cunctique majores natu Ægypti : habuitque in comitatu currus & equitus.* Hoc modo ad limites usque Ægypti processerunt; ubi verò transito Jordane ad locum pervenêre sepulchri, renovatis exequiis spatio septendii excessivis adeò & clamorosis aërem compleverunt planctibus & lamentis, ut Chananæi desuper obstupefacti, exinde nomen loco imposuerint, *Planctus Ægypti. Ubi celebrantes exequias planctu magno atque vehementi impleverunt septem dies : quod cùm vidissent habitatores terræ Chanaan, vocatum est nomen loci illius : Planctus Ægypti.* Tali luctu, talique pompâ & apparatu, Ægyptii exequias Jacob patris Joseph celebrârunt Et quales jam vobis fuisse videntur illæ Joseph, in eâdem Ægypto postmodum mortui? de industria omnia retuli verba, quibus S. textus illas Patris describit, ut idem etiam illas filii nobis ostendat. Auscultate cum stupore quid dicat. *Mortuus est Joseph expletis centum & decem vitæ suæ annis, & conditus aromatibus repositus est in loculo, in Ægypto.* Nihil amplius S. historia refert; cùm hæc sint ultima verba totius quam Moyses scripsit. Et quid de exequiis? Quid de lamentis & planctu? Quid de pompa sepulturæ? Quid de funebri apparatu? Quid de Mausolæis & Pyramidibus Ægyptiis? Quid de aulæ concursu? Quid de Principum, Magnatorum Seniorumque domûs Pharaonis, quorum Joseph fuerat primus, in maximoque honore & veneratione habitus, comitatu? nullius horum Moyses meminit, cum dubio procul hæc describenda fuissent, prout tam specificè & minutim sepulturam & exequias descripsit Jacob. Si igitur Jacob, eò tantùm quod pater esset Joseph, sine alio merito aut servitio, quo sibi Ægyptios obstrinxisset, adeò splendidas & solennes in morte exhibent exequias, & quod plus est, tanto tamque vehementi planctu; quomodo hæc omnia desunt in morte Joseph? repeto, in morte ejusdem Joseph, quem Salvatoris mundi nomine honorârunt, quia Regi salvaverat & conservaverat regnum, & subditis primò dederat vitam, deinde opes, & tandem libertatem? Hîc videbitis differentiam inter mortuos & mortuos, concurrente seu deficiente vivorum respectu. Mortuo Jacob, vivebat Joseph; & quia vivens Joseph erat filius, & talis filius, hinc tam solennes exequias celebrârunt Patri. Vice versâ, mortuus Joseph non reliquit post se viventem, quem Ægyptii respicerent, vel à quo dependerent : & quia non supererant vivi pro obsequiis, pro defuncto de-

Gen. 50. v. 3.

Ibid. v. 7. & 9.

Ibid. v. 10. & 11.

Ibid. v. 26.

deerant exequiæ. Quoad Joseph, tantùmmodò excusare se possunt Ægyptii, dicendo; quod lachrymis defuerint in morte, quia illas jam profunderant in vita: Et ita factum est. In exequiis Jacob, qui deplorabatur non erat pater, sed filius Ægyptii enimnonplangebant mortuum, sed vivum: erumpebant lacrymæ ex oculis eorum, ut eas oculi Joseph viderent; non eas eliciebat dolor vel desiderium, sed dependentia & adulatio: veluti lachrymæ figurarum pictarum, quæ sicut rident sine lætitia, ita flent sine tristitia.

Ex toto hoc discursu, Scripturâ sacrâ sic probato, & experientiâ confirmato, sine contradictione & replica concluditur, hunc præsentem misericordiæ actum, esse purè misericordiæ & veritatis actum quia est misericordia mortuis exhibita, in quos non cadit adulatio & dependentia vivorum. Quis vivus, pater aut filius volet esse alicujus suspensi. Tam fœdum, infame & abominabile est patibuli supplicium, ut omnibus istis respectibus privet & spoliet miseros vitam in eo finientes. Quod hodie est patibulum, quondam erat crux (prout fuit usque ad tempora Imperatoris Constantini) de qua S. Paulus loquens ait: *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Apostolus ad cap. 21. Deuteronomii alludit, ubi Lex Divina maledictionem eandem verbis horribilioribus pronunciat: *Maledictus à Deo est omnis qui pendet à ligno.* Sententia verè horrenda, & nonnisi pro exaggeranda talis mortis infamia & abominatione intelligenda. Non omnia peccata, sed gravia magis & atrocia, veluti latrocinium, homicidium, seditio, blasphemia hoc supplicio plectebantur: neque ex maledictos à Deo asserit latrones, homicidas, seditiosos, blasphemos, sed quotquot in patibulis suspensi moriuntur: *Maledictus à Deo est, qui pendet à ligno.* Acsi pœna abominabilior foret quàm culpa, magisque detestabiles ac maledicti ex infamia supplicii, quàm ob criminum enormitatem & atrocitatem, agente Justitia, damnati. Et cùm infamia hæc & maledictio derivata per venas ad consanguineos sese diffundat & extendat, quis, quæso, illam hæreditare, aut participare affectet? Hæc est ratio, quare viventes ex his mortuis non adulationes & plausum, sed ruborem & ignominiam haurire possint: Imò maximus illis honor & gratia ex similibus resultet, si sanguinem dissimulent, & cognationem occultent. Unde nonnulli considerant, quod Christus cruci affixus in ultimis testamenti sui verbis, nec Matrem, nec consanguineum cognatum appellârit, cognationis subticendo nomina, ne ignominiæ publicæ illis notam aspergeret.

Enim verò nemo profundius rationis hujus veritatem expendit quàm Isaias Propheta. Textus ille, *Generationem ejus quis enarrabit?* de quo tot literales extant expositionis, si bene & rite (ut oportet) cum præcedentibus & subsequentibus connectatur, vult innuere, neminem futurum, qui generationem ejus vel ore proferre, nedum de Christi sanguine se esse, gloriari & jactare dignetur. Et quare? *Quia abscissus est de terra viventium*, id est, quia sublatus de terra viventium morte violenta finivit vitam. Ergo, quia violenta obiit morte, illi qui de generatione ipsius sunt ignominia veniunt notandi? violenta morte obiit Rex Josias, similiter Abner famosi

Isai. 53. v. 8.

Ibid.

Ad Galat. 3. v. 13.

Deut. 21. v. 23.

Machabæi, Judas & Eleazarus, neque tamen propterea quisquam de sanguine eorum despectui habitus, aut malè fuit notatus, sed omnes potius magno in honore habiti. Quo igitur pacto dicit Isaias, hominibus de generatione Christi ignominiosum esse quod violenta morte finierit vitam ? non propter mortem, neque violentiam, sed propter genus mortis & infamiam id asserit Isaias, prout jam præcedentibus verbis insinuaverat, quia violenter moriturus esset in Cruce, quod idem est, ac in patibulo : & de generatione alicujus suspensi quilibet esse detrectet. Quod his verbis idem Propheta declaravit : *Vidimus eum, & non erat aspectus, quasi absconditus vultus ejus.* Sicut acutè & eruditè notavit celebris ille expositor, cui nunc Hispania nomen imposuit Bedæ, Venerabilis Pater Sanchez. Quemadmodum nostris hîc suspensis faciem velant, quando ex patibulis illos tollunt & deponunt: sic olim faciem operiebant crucifigendis, non quando acclavabant, sed mox ut ad crucem condemnâssent. Rege Assuero intimum suum Aman crucifigi jubente, inquit textus, quod statim operuerint faciem ejus: *Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem ejus.* Similiter Caiphâ & consiliariis ejus condemnantibus Christum, statim illi faciem operuerunt : *Condemnaverunt eum reum esse mortis, & cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus.* Et hoc innuit Isaias, genus mortis Christi vaticinatus quando dixit, quod velato & abscondito vultu eum fuerint conspicati : *Vidimus eum, & non erat aspectus, quasi absconditus vultus ejus.* Et quia genus mortis ejus tam probrosum & infame futurum jam dixerat, uti tum temporis illud patibuli erat : recte intulit neminem fore, qui de generatione ipsius esse videri vellet ; nec aliam ob causam, quàm mortem, quâ de numero viventium eradendus esset : *Generationem ejus quis enarrabit, quia abscissus est de terra viventium.*

Isai. 33. v. 8.

Esth. 7. v. 8.

Marc. 14. v. 65.

Ita dixit Isaias, & sic experientia comprobavit in illis qui de sanguine & generatione ejusdem Christi erant, prout sanctus Paulus notavit: *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam* Ego, inquit, tam Judæis, quàm gentibus Christum prædico crucifixum: sed me dicente *Crucifixum*, Judæi scandalizantur : gentes subsannando irrident. Gentibus relictis, ad Judæos convertamur. Christus erat de Tribu Juda, *De Tribu Juda.* Erat filius Davidis & Abrahami : *Filii David, Filii Abraham.* Et hi parentes & Avi sunt, de quibus tantùm intumescebant & gloriabantur Judæi : *Non semen Abrahæ sumus.* Christus insuper filius erat Dei, qualem se Judæis, his Psalmi verbis probavit : *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis.* Quibus respondere nihil poterant. Si igitur tam bonum undiquaque erat Judæis, propinquos esse Christi, quare eundem amore non prosequuntur, quare per illum, infamiæ notam sese incurrere arbitrantur ? quidnam eorum animi spectârunt, in quidnam honor eorum offendit, illud enim innuere videtur, *Scandalum* ? omne scandalum, in quod offenderunt, erat crux ; omnis eorum consideratio & contradictio, erat Christum fuisse crucifixum : *Christum crucifixum, Judæis scandalum.* Ita ut posito ab hac parte

1. Cor. 1. v. 23.

Joan. 8. v. 33. & 39.

Psalm. 109. v. 1.

hono-

honore divinitatis, & ab altera ignominia crucis, ex cognatione Dei infamiæ labem se contrahere putarent, quia cognati essent alicujus crucifixi. Et quoniam vivi, ignominiosè mortuorum detrectant & aversantur esse cognati, opus misericordiæ ipsis sic mortuis exhibitum, ab omni consideratione & respectu vivorum est alienum idemque sine controversia, misericordia & veritas. *Misericordia & veritas obviaverunt sibi.*

Idem ipse David qui jam dictorum omnium nobis obtulit fundamentum, ultimam etiam clausulam & probationem nobis suppeditabit; melior enim textûs interpres esse nequit, quàm ejusdem author. In fatali isto conflictu, in montibus Gelboë cum Allophylis habito Rex Saul cum tribus filiis suis occubuit, cum uno Principe, & duobus infantibus. Altera luce venientes Allophyli ad colligendum spolia, videntes inter cæteros occisos, quatuor Principum cadavera, insolentes de victoria, ea sublata in muris civitatis Bethsan suspenderunt, suspensa relinquentes. Sic & purpuræ & coronæ, contra decretas in cœlesti consistorio pœnas & vindictas minùs nihilo prævalent: nec datur offensa aut miseria tam indigna quibus non sint subjecti homines nati, quantumcunque etiam super naturæ sphæram, favente fortunâ, fuerint evecti. Hoc modo quatuor magnæ, famosæ hujus tragœdiæ figuræ oculis mundi fuerunt expositæ, donec habitatores Jabes Galaad misericordiâ moti, noctisque beneficio adjuti, ex probroso sublata loco sepulturæ mandârunt. Quod ad nostrum nunc intentum facit, est quod David Galaaditis istis, pro misericordiæ opere exhibito gratias referens dicat: *Benedicti vos à Domino, quia feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepeliſtis eum. Et nunc retribuet vobis quidem Dominus misericordiam & veritatem.* Primò opus hoc vocavit misericordiam; & secundò illud misericordiam & veritatem appellavit. Quare? Quia sepelire mortuos, absolutè est opus misericordiæ: sed sepelire mortuos suspensos, quales hi erant, & sine respectu alio, vel dependentia à vivis (hi enim cum Saule etiam occubuerant) non solum est misericordia qualicunque modo, sed misericordia & veritas: *Et nunc retribuet vobis Dominum misericordiam & veritatẽ.* Quamvis Rex Saul alios superstites reliquerit filios, non minùs tamen hi, atque ille à Deo erant regno privati. Davide jam ad coronam inuncto, quod omni Israëli notoriè constabat: & quod non habentes vivos quos respicerent vel demereri satagerent, mortuos illos & suspensos, è patibulis sublatos honorifice tumulârint, non solùm fuit actus misericordiæ, sed misericordiæ & veritatis: & quidem misericordiæ & veritatis ab ipso Spiritu Sancto, nostrique textus authore canonizatæ: *Retribuet vobis Dominus misericordiam, & veritatem: Misericordia & veritas obviaverunt sibi.* 2. Reg. 2. v. 5.

Verùm, ut actum unum misericordiæ à commodo adeò alienum, cum maximo commodo, quod misericordia sperare potest, absolvamus: noverit hæc tota sancta communitas, quod in hac abstractione à commodo, maximum commodum & utilitas, consistat. Non illud sperare poterant ab hominibus nam sic mortui non habent vivos; sed à

Deo, qui semper vivit, nullaque opera magis ponderat & remunerat, quàm quæ vivi exhibant defunctis. Misericordiam Deus semper misericordiâ compensat, quæ ex majoribus hujusce virtutis excellentiis una est: *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sed quoniam hoc opus misericordiæ adjunctam habet veritatem, etiam Deus illud misericordiâ & veritate compensat: *Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem.*

Matth. 5. v. 7.

Multa misericordiæ opera Deus misericordiâ remunerat, quæ non est misericordia & veritas. Misericordiam ab eleëmosynariis exhibitam pauperibus, bona ipsorum cum pauperibus partita, & in ipsos dispersa multiplicando remunerat: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi.* Misericordiæ, filiis erga Parentes exercitæ, præmii vice Deus vitæ longævitatem appromittat: *Ut sis longævus super terram.* Misericordiam Belliducum & Capitaneorum erga hostes Deus similiter victoriis remunerat & spoliis: *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* Sed omnes istæ misericordiæ, quibus Deus sæpius misericordiam retribuit, non sunt misericordia & veritas: nam bona, vita, omniaque mundi prospera æquè sunt vana ac fallacia, ac ipse mundus, quocum pariter omnia finem accipiunt. Quænam igitur est misericordia & veritas, quâ Deus in hac vita retribuit? misericordia & veritas, de quâ David locutus ait. *Et nunc retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem:* solummodo est gratia Dei. Hinc Christus plenus dicitur gratiâ & veritate: *Plenum gratiæ & veritatis*: In hac enim vita sola gratia Dei est veritas, & quicquid non est gratia Dei, vanitas est & mendacium. Mendacium & vanitas, opes: mendacium & vanitas, honores: mendacium & vanitas, quæ falsò vocantur voluptates: denique quidquid mundus laudat, æstimat, amat & ambit, mendacium est & vanitas: *Ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* O si hodie benè hanc veritatem penetraremus, quàm ingens esset misericordia Dei! Et quemadmodum in hac vita sola Dei gratia est veritas, ita similiter est misericordia, quâ Deus in hac vita remunerat misericordiam, quæ simul est veritas. illud vult innuere. *Et nunc*, id est modò & in hac vita, *retribuet vobis Dominus misericordiam & veritatem.*

Prov. 19. v. 17.

Exod. 20. v. 21.

Psal. 7. v. 5.

Joan. 1. v. 14.

Psal. 4. v. 3.

Qdia verò Deus nos condidit, non solùm ut in mundo hoc vivamus transituro, verùm etiam in altero isto perpetim permansuro, pro ultima conclusione scitote, quod sicut Deus misericordiam & veritatem in hac vita veritate hujus vitæ compensat: ita eandem in altera vita ejusdem vitæ veritate solvet. Enim verò quænam alterius vitæ est veritas? Est gloria gratiæ respondens. In hoc mundo, qui terra est mendacii, unica veritas est gratia: in mundo altero, qui terra est veritatis, omnis veritas est gloria. Et sicut Deus in hac vita, misericordiam & veritatem solvit gratiâ, quæ hujus vitæ est veritas: sic in altera vita illam solvet gloriâ, quæ veritas est alterius vitæ. Idem hoc Deus, non alterius quàm Davidis ejusdem orepromisit, quinos docendo exhortatus est, ut veritatem misericordiæ associa-

sociaremus: *Misericordiam & veritatem diligit Deus: gratiam & gloriam dabit Dominus.* Quia Deus misericordiam & veritatem amat, omnibus veritatem cum misericordia juncturis, Deus in præsenti vita dabit gratiam, & in futurâ gloriam. Amen.

SERMO
DE
MANDATO.
In Capella Regia Anno 1645.

Sciens Jesus quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad patrem: cum dilexisset suos: qui erant in mundo, in finem dilexit eos.
Joan. 13.

§. I.

COnsideratis attentè amorosi hujusce Evangelii, toties tamque subtiliter deducti & prædicati verbis & terminis; necnon discursus harmoniâ & concordiâ; primariam tandem (utrum ratione tantâ, quantâ novitate nescio) Evangelistæ intentionem fuisse observavi, Christi Domini nostri scientiam demonstrare: Christoque non aliam primariò fuisse intentionem, quàm palam facere mundo hominum ignorantiam.

Sciebat Christus (inquit S. Joannes) horam illam jam adesse, qua ex hoc mundo transiret ad Patrem: *Sciens Jesus quia venit hora ejus: ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Sciebat, in manibus suis omnipotentiæ thesauros se habere reconditos; & quod à Deo exierat, & ad Deum rediret: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus; & quia à Deo exivit, & ad Deum vadit.* Sciebat accumbentium secum duodecim unum, infidelem sibi futurum, seque in manus inimicorum traditurum, *Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum.* Hucusque Evangelista Christi scientiam demonstravit. Christus nunc hominum ignorantiam demonstrare pergit. Non consentienti S. Petro ut sibi à Domino lavarentur pedes, Magister divinus suum ob oculos posuit ignorantiam dicens: *Quod facio, tu nescis modò.* Absoluto prodigioso illo humilitatis actu & exemplo, recumbens Dominus ad Discipulos conversus ait: *Scitis quid fecerim vobis?* Emphatica hæc

Joan. 13. v. 1. *Joan. 13. v. 3.* *Ib. v. 11.* *Ibid. v. 7.* *Ibid. v. 2.*

hæc interrogatio, & negatio videbatur, & interrogatio *Scitis?* idem erat, ac nescitis: ita ut in prima parte Evangelii Evangelista studuerit demonstrare Christi scientiam: & Christus hominum ignorantiam in secundâ.

Si igitur finis & intentio, amborum erat eadem: si Christi & Evangelistæ scopus & intentio erat, gloriosè mundi demonstrare amoris sui excellentias, cur Evangelista totus est in considerandâ Christi scientia: & è converso Christus totus est in demonstrandâ hominum ignorantia? Hæc mihi verisimilior videtur ratio, quia duæ illæ circumstantiæ, quibus hodie imprimis amor Christi perficitur, ex parte Christi, fuerunt ejus scientia, ex parte hominum, nostra ignorantia. Si ex parte Christi amantis extitisset ignorantia, & ex parte hominum reperta fuisset scientia, quantumvis Dominus eosdem, majoresque amoris sui produxisset effectus, propter opinionem, quam illi de cœlestibus haberent, effectus illi & amor ejus minoris fuissent æstimandi. Ut igitur mundus elevatis sursum cogitationibus terrenis considerare incipiat, pro merito, amoris Christi in homines sublimitatem & excellentiam; attende (ait Evangelista) quod Christus amaverit sciens: *sciens Jesus*: & attende inquit Christus) quod homines amati fuerint nescientes: *Quid ego facio tu nescis.*

Joan. 13. *v.* 1.

Ibid. v. 7.

Proposui conceptum, sed video nondum esse declaratum. In cujus confirmationem hodie demonstrare intendo solum Christum purè & excellenter amasse; quia amavit sciens, *Sciens*: nominesque tantùm excellenter fuisse amatos, quia illud ignorantes, *nescis*. Ita ut combinato & commutato illo *sciens*, cum *nescis*: & illo *nescis*, cum *sciens*: existente ignorantia ex parte hominum, & scientia ex parte Christi, Christus amaverit sciens, acsi amâsset nesciens: & homines amati fuerint nescientes, acsi amati fuissent scientes. Hæc fila nunc amor enodabit, & subtilitas eorum manifestè apparebit.

§. II.

PRimò solus Christus amavit, quia *sciens* amavit. Ad cognoscendam amorosam hanc veritatem, alia non minùs certa est supponenda; scilicet, quod ordinariè id, quod in mundo, & inter homines dicitur amor, non amor sed ignorantia existat. Veteres pinxerunt amorem infantem: cujus rei ratio mihi visa fuit, quod nullus amor tanto tempore perseveret, ut senescat. Verùm interpretationi huic obstant exempla Jacob & Rachelis, Jonathæ & Davidis, aliorumque magnorum, quamvis paucorum. Porrò si etiam amor reperitur ad multos perseverans annos, cur veteres doctique eum semper depingunt infantem? Hic nunc, me rem acu tactum credo. Depingitur semper amor infans; quia licet, sicuti in Jacobo, septimum superet annum, nunquam ad rationis usum pertingit. Rationis usu frui, simulque amare incompatibilia sunt. Anima infantis quid est? Voluntas cum affectu: & intellectus sine usu. Illud ipsum est amor ordinarius & vulgaris. Omnia lucratur amor animam lucrando; sed intellectus se primò ei subdit. Nullius febri illa æstuat voluntas, quin intellectum habeat phreneticum. Non variabit

bit amor, si constans fuerit & firmus : neque tamen delirare cessabit, si amor est. Nunquam voluntas hoc igne arsit, quin fumo obtenebratus fuerit Intellectus. Nunquam extitit illa cordis infirmitas; ubi non accesserit hæc judicii debilitas: propterea illi amoris pictores obvelârunt ipsi oculos. Et quoniam excæcatio intellectus primus est effectus, seu ultima ad amorem dispositio; hinc est, quod vulgus amorem vocat, id de ignorantia plurimum participat : quantòque plus participat, tantò plus de merito amittit. Amans & sciens, amans est : amans & nesciens stultus est. Et sicut ignorantia in peccatis, ea imminuit : ita & in amore meritum decrescere facit. Qui offendit ignorans, non est propriè delinquens : qui amat nesciens, non est propriè amans.

Omne, quod est, vel non est amor, in scientia aut ignorantia, in qua fundatur, consistit; ita quidem, ut hoc, quod excellens amor creditur, si in ignorantia fundetur, amor non sit : & quod amor non credebatur, ex scientia natum excellens amor sit. Binæ illæ primariæ Evangelii hujus personæ illud confirmabunt. Transfiguratus fuit Christus in monte Thabor, advertensque Petrus quod Christus cum Moyse & Elia, de morte sua in Jerusalem subeunda loqueretur, ad hanc avertendam suasit Christo, ut ibidem persisteret : *Domine bonum est nos hic esse.* Hæc S. Petri resolutio bene considerata, prout eam Origines conderavit, fuit unus ex præcipuis amoris actibus, quos unquam in hoc mundo aliquis exercuit, aut exercere potuit. Quia, nisi Christus ad mortẽ subeundam Jerosolymam abiisset, genus humanum redemptum non fuisset; & non redempto genere humano, S. Petrus nec salvari, nec cœlum intrare potuisset. Quod igitur S. Petrus semetipsum gloriâ cœlesti privare maluerit, quàm Christum mori in terris, quod temporalem Christi vitam, propriæ suæ anteposuerit æternæ, excellentissimus fuit amoris actus, ad quem possit quis, quantumvis sublimis aspirare. Sed relicto sic S. Petro, ad Christum pergamus.

Matth. 17. v. 4.

In omnibus operibus suis, quæ Christus in hoc mundo fuit operatus, semper suum in homines demonstravit amorem; Nihilominus unum in Cruce protulit verbum, in quo non se ostendisse videtur amantẽ; *Sitio*, Homines! siti crucior. Quod Christus tantam sustinuerit sitim, excellens amor fuit, sed de ea queri, sibique succurri velle amor fuisse non videtur; sed affectus quidam naturalis, non amorosus. Qui, quod patitur, lamentabiliter manifestat, doloris lenimen aliis communicando inquirit, remediumve alio succurrente te exspectat: & certum est, non amari dolorem, cujus imminutio & lenimen desideratur. Neque eum, qui dolori remedium quærit, velle pati, quod suffert : proinde hoc ipsum nolle pati, est non amare. Non igitur fuit actus amoris in Christo, dum sitim suam manifestaret dicens: *Sitio.* Opponamus nunc actum hunc Christi in cruce, illi S. Petri in monte Thabor: ille sancti Petri actus, amor excellens, hic verò Christi, nec amor quidem fuisse videtur. Eritne ergo ita ?

Joan. 19. v. 28.

Duo Evangelistæ duobus illud verbis declarârunt : Evangelista S. Joannes per unum *sciens*; S. Lucas, per unum *nesciens*, declarârunt id, quod in S. Petro fer-

fervens videbatur amor non fuisse amorem; quia ex ignorantiæ radice natum erat: *Nescient quid dicerent*: & quod in Christo amor non videbatur ipsam fuisse amoris vehementiam, quia in scientia fundabatur: *Sciens Jesus, quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit: sitio.* Idipsum utrique parti amplicemus. Petrus dicens, *Bonum est nos hic esse*, ignorabat quid diceret, *Nescient quid diceret*, erat enim extra se: atque ita omnis ille amoris ardor, quem intercessisse putabamus, mera fuit ignorantia: videbatur voluntatis fuisse affectus & erat error intellectûs. Quod si illa S Petri resolutio in cognitione consequentiarum, quas diximus, fundata fuisset, omni procul dubio, præcipuus fuisset amoris actus: verùm cum in ignorantia illiusmet, quod Petrus dicebat, fundaretur. hinc non amantis, sed ignorantis nomen reportavit: nam ignorantem amare, non est amare: est ignorare.

Luc. 9. v. 33.

Joan. 19. v. 28.

Non ita se res habuit in Christo dicente: *Sitio*; quia sciebat omnibus jam tormentis consummatis, prophetiam de felle implendam restare: *Sciens quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura dixit, Sitio.* Proindequod nos teporē, & non amorem putabamus, amor erat ardentissimus: videbatur Amor esse desideriumque naturale: & erat flagrantissimus amoris effectus. Enimverò, si Christus dicendo, *Sitio*, aquam sibi propinandam speraisset, idipsum fuisset levamen petere & solatium: verum dicendo, *Sitio* sciens sibi fel propinandum, nova postulabat tormenta; neque ultra progredi potest æstuantissimus patiendi amor, quàm ut pro solamine tormenta, uniusquepœnæ remedio alterius majorisque pœnæ postulet cruciatum. Quod Christus dixerit, *Sitio*, non erat præsenti propriæ necessitati petere sublevamen, sed ad memoriam revocare illam atrocitatem. Ac si dixisset: *Sitio*! ô Homines recordemini fellis, cujus videmini obliviscI! Ecce, discrimen sitis Christi ab eo, quod esse putabatur! Solatii cujusdam credebatur esse desiderium, & insatiabilis erat sitis tormentorum: Ita ut scientia, quâ operabatur Christus, & ignorantia, quâ operabatur Petrus, sic binos illos immutârint affectus, ut quod in Petro videbatur ardor, utpote ex ignorantia natum, nequidem fuerit amor: & quod in Christo non videbatur amor, quia fundatum erat in scientia, ardentissimus fuerit amor. Et scientia aut ignorantia, esse confert aut tollit amori, ejusdemque auget aut imminuit perfectionem: Hinc S. Joannes Evangelista totus est in demonstranda Christi scientia, ut ardissimum Christi, ex ea probet amorem: *Sciens quia venit hora ejus in finem dilexit eos.*

S *Aug. Ioid.*

Joan. 19. v. 28.

§. III.

QUatuor ignorantiæ in amante concurrere possunt, quibus amoris ejus meritum & perfectio multum imminuitur. Aut quia non novit seipsum, aut amatum, aut amorem, aut amoris finem & scopum. Non cognoscens seipsum eò quandoque suas diriget cogitationes, quò non direxisset, si semetipsum novisset. Non cognoscens amatum, tenerrimè nonnunquam amabit, quem detestari debuisset cognitum. Non cognoscens amorem, cæcè nonnunquam illo ardebit, amore, quo cognito,

nito, nec occupari quidem oportuisset. Non cognoscens finem, quo suus amor tendit, tanta nonnunquam incommoda subire cogetur, à quibus immunis, illo prævisо, fuisset.

Omnes hæ ignorantiæ, quæ hominibus insunt, in Christo fuerunt scientiæ: & in cunctis, earumque singulis extremi & admirabilis amoris ipsius æstimatio crescit. Noverat seipsum, noverat amatum, noverat amorem, amorisque sui noverat finem. Totum illud Evangelista Joannes notavit. Noverat seipsum, sciebat enim se non esse alium, quàm Dei æterni Patris filium: *Sciens quia à Patre exivit.* Noverat amatum; sciebat enim hominum ingratitudinem, quàmque crudeliter secum forent acturi: *Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum.* Noverat amorem, & quidem cordis sui æstimatione multorumque annorum experientiâ *cùm dilexisset suos.* Noverat denique amoris sui finem atrocem, nec alium esse, quàm mortem, & hanc ignominiosissimam: *Sciens Jesus, quia venit hora ejus.* Et quod Christus cognoscens se ipsum, & quem amabat, suum amorem, ejusque finem, nihilominùs amaret, grandis amoris excessus! *in finem dilexit.* Porrò, ut excessus hujus magnitudo innotescat, scientiæ hujus circumstantias ponderemus, qualibet ipsarum amoris Christi immensitatem exaggerantes.

Joan. 13. v. 3. Ibid. v. 11. Ibid. v. 1. Ibid.

Primò, ingens fuit amor Christi, quia seipsum cognoscens, nos amavit *Sciens quia à Deo exivit.* Quod Christus semetipsum cognoscens nos amaret, ingens & inusitatus est amor! Paridem sui ipsius, conditionisque suæ ignarum, dum pecora in campis montis Idæ pasceret, rustici cujusdam in vallibus istis agentis filiam, Enonem nomine deperisse, profanæ narrant historiæ: verùm incognitus sibi ipsi Princeps, cognito se Priami Trojæ Regis esse filium, uti mox Pateram dimisit cum pedo, mentem mutavit & affectum. Abjectus amabat abjectè: sed notus sibi despexit amatam. Quia amor fundabatur in ignorantia sui; notitia dissolvens ignorantiam etiam finit amorem. Non amavit Princeps, quod amaverat Pastor; quia sicut enormis defectus judicii, propriæque cognitionis est, dum abjectæ conditionis homines cogitatione se erigunt; ita fortunæ injuria est, dum Magnates sese dejiciunt. O supremæ Princeps gloriæ. Ita de te discurrendum videbatur: sed non erat ita. Audiens Evangelistam dicentem, quod Dei filius tanto nos amaverit affectu, dubitare potuisse videbatur, num Christus noverit seipsum, & quis esset. Ne igitur in hisce amoris ipsius excessibus fidei nostræ vacillaret veritas; neque mundus in hujusmodi laberetur errorem; noverint omnes, ait Evangelista, quod Christus amaverit, & adeò amaverit, *in finem dilexit eos*, sed insuper sciant, quod simul cognoverit seipsum, & quis esset; *Sciens, quia à Deo exivit.*

Joan. 13. v. 31. Ibid. v. 1. Ibid. v. 3.

Nisi Christus cognovisset seipsum, non magnum quid fuisset, quod nos amâsset magnum verò fuit, quod seipsum cognoscens amaverit nos, in tantum, ut nos amare, fuerit seipsum non cognoscere. Sponsa quondam in canticis sui in sponsum amoris vehementiam protestata dixit: *Quem diligit anima mea.* Cui ille respondit: *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres*: mulierum pulcherrima temetipsam non vidisti? responsum notabile! Sponsâ suum

Cant. 1. v. 6. Ibid. v. 7.

proteſtante amorem, hic utrum ſe noverit percunctatur, *Si ignoras te?* pulcherrime & dilectiſſime Sponſe! quiſnam iſte reſpondendi modus? quid, quæſo, ex hoc reſponſo tuo conſequitur? Sponsâ ſui te amoris reddente ſecurum, tu illam tibi de ſui ignorantia ſuſpectam oſtendis? Illâ ſuum affirmante erga te amorem, tu illam de ſui ipſius cognitione interrogas: *Si ignoras te?* Imò verò. Quia pro æſtimatione meritorum ſuæ Sponſæ, affirmante illâ ſe eum vehementer amare, non ſine ratione, utrum ſeipſam cognoſceret, dubitabat: acſi diceret Sponſus: tu dicis quod me ames, *Quem diligit anima mea*: Dico igitur tibi, quod te ipſam non cognoſcis: *Si ignoras te ô Pulcherrima.* Si enim te cognoviſſes, quomodo foret poſſibile ut me amares? Neceſſariò ignorantiâ tui laboraveris, ex quo hæc bona in me redundaret fortuna. Tuus erga indignitatem meam amor, propriæ tuæ celſitudinis ignorantia videtur: *Si ignoras te?* Quia, niſi dimiſsâ tui ipſius notitiâ, quo pacto ad amandum me te poteris inclinare?

Quod olim Salomon illi Ægyptiæ dixit Principi, juſtiore nos ratione vero Salomoni Chriſto, viſis amoris ipſius exceſſibus, dicere poſſumus: *Si ignoras te.* Mi Deus! eſtne amor hic an ignorantia? amaſne nos; aut te ipſum ignoras? verè videris non recordari, quis ſis, tuique ipſius oblivíſci, ut nobis bene velis. O quàm excellenter, quàmque profundè S. Petrus hodie bina hæc conſideravit extrema, videns te, obſtupeſcente deſuper cœlo, genibus coram ſe flexis humi proſtratum! Tu mihi! Tu mihi? tu Petro? Videris mihi non noviſſe te, & ſaltem non noviſſe me: Certum nihilominus eſt, quod noveris te, & ames me, tantaque eſt ſcientia tua & ſapientia ad haſce dignoſcendas improportiones, quanta amoris tui potentia ad uniendas diſtantias iſtas & extrema: In amore verò infinito diſtantiæ dari poſſunt infinitæ: quod probant manus Dei hominum pedibus junctæ: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*, Ecce manus Dei: *Cœpit lavare pedes Diſcipulorum*, Ecce pedes hominum.

Ibid.

Joan. 13. v. 3.

Apparuit Deus Moyſi in Rubo, calceos exuere mandans: *Solve calceamenta de pedibus tuis.* Legens hunc textum admirabar cogitans, quidnam Deus in Moyſis prævíderit pedibus: qui verò oculos in rubum conjecerit, mox mirari ceſſabit. Rubus, in quo apparebat Deus, vivacibus ardebat flammis, quid igitur mirum, ſi Deus in igne ardens, hominum pedibus ſe proſternat? nunquam ſe Deus melius (ſi ita loqui fas eſt) cognovit, nunquam ſe Deus majorem confeſſus quàm dum in rubo erat, quia ibidem ſuam eſſentiam definivit: *Ego ſum, qui ſum.* Quare hac definitione Dei ignis non extinguitur? quare Deo eſſentiam ſuam profitente, flammæ non decreſcunt, in quibus ardebit? ô Amorem ineffabilem! definire ſe, & à flammis eripere ſe ipſum, repiditas fuiſſet: aſt definire ſe & ardere, eſt amare. Non fuiſſet Deus ille, qui eſt, niſi amaſſet ſicut amavit, definire ſeipſum, fuit ſuam declarare eſſentiam: & ardere, fuit ſuam probare definitionem. Hoc ipſum hodie evenit Chriſto: *Sciens, quia à Deo exivit, ponit veſtimenta ſua.* Sciens ſe filium eſſe Dei, veſtibus ſeſe exuere cœpit: porrò qui ſe filium Dei eſſe ſciebat, ſemetipſum noverat: qui veſtibus ſe exuebat, utique ardebat in qua cognitione ardoreque amor conſiſtit: *In finem dilexit eos.*

Exod. 3. v. 5.

Ibid. v. 14.

Ibid. v. 3. & 4.

§. IV.

§. IV.

IGnorantia ſecunda meritum amori tollens, eſt ignorare amatum. Prô! quàm multa amantur in mundo, quæ cognita amantes deteſtarentur! & hic error, non amor eſt. Servivit Jacob Labano ſeptem annis pro Rachele, quibus expletis Liam obtinuit. Conſideremus Jacobum illo tempore, & amoris ipſius deceptionem, imaginationiſque errorem videamus. Jacob amoris ſui deceptionem non ſuſpicatus, putabat ſe ſervire pro Rachele: & Laban certus de futuro, ſciebat illum ſervire pro Lia. Ita ut ærumnæ & labores Jacobi plus participarent de errore, quàm amore. Sciens enim ſe ſervire pro Lia, ſervire abnuiſſet, nedum ſeptem annis, ſed vel ſeptem diebus. Proinde ſervivit, non quia amavit, ſed quia deceptus fuit: Amor quo in Rachelem ferebatur, ipſi perſuaſerat, quod pro Rachele ſerviret, ſed nonniſi pro Lia ſervivit. Servientem igitur pro Lia, eo quo ſervivit modo non ex amore, ſed deceptum ſerviiſſe, ſequitur. O quoties in humani cordis theatro hæc hiſtoria repræſentatur! ſervimus cui ſervimus, ſed non cui nos ſervire putamus. Nihil eſt in mundo, quod non intra ſe ſuum habeat Jacobum & Labanum: Jacob amor eſt imaginarius, & Laban ignorantia nos decipiens. Hinc ignorantia aut amori tollit meritum, aut, ad pœnam, ejus mutat objectum. Non ita ſe res habet in Redemptore noſtro; amavit ſuos quales erant, non errante imaginatione: Amavit inimicum ſciens eſſe inimicum: amavit ingratum, ſciens eſſe talem; amavit traditorem ſuum, ſciens illum eſſe traditorem ſuum: *Sciebat enim, quiſnam eſſet, qui traderet eum.* Joan. 13. v. 11.

Ex hoc diſcurſu tam certa, quàm mundo incognita ſequitur conſequentia, ſcilicet, quod homines non ament id, quod amare ſe credunt, & hoc idcirco, quia quod amant non cogitant: aut amant, quod re ipſa non exiſtit. Æſtimans vitra, & credens eſſe adamantes, non vitra ſed adamantes æſtimat: Amans defectus, credens eſſe perfectiones, perfectiones amat non defectus. Porrò quia homines res amant, prout eas concipiunt, & non prout in ſe ipſis exiſtunt, hinc fit, quod non ament id, quod ſe amare credunt. Putant ſe amare adamantem conſtantiæ, ſed amant vitrum fragile: putant ſe amare perfectiones angelicas, & defectus amant humanos: amant id quod ipſi eſſe credunt, & tamen non eſt id, quod ipſi ſe amare credunt. Ex quo inferno, quod nihil amét, non enim amant id, quod amant, ſed quod ſibi imaginantur: proinde nihil amant. Non eſt hujuſmodi amor Chriſti ſine errore ſcientis: *Cùm dilexiſſet ſuos qui erant in mundo.* Notate textum, ultimamque ejus clauſulam, quæ ſuperflua & otioſa videtur. Video neminem advertere, quod ſuperflua videantur illa verba: *qui erant in mundo*, quod amaverit ſuos, qui erant in mundo. Et ubinam eſſe debebant? extra mundum? nequaquam. Sufficiebat ergo dixiſſe, cùm dilexiſſet ſuos, cur addidit, *ſuos qui erant in mundo?* Ut ex hoc intelligeremus cognitionem, quâ Chriſtus amavit homines, valde differentem ab ea, quâ homines amant. Homines amant multa, quæ in mundo non ſunt, amant prout ea ſibi imaginantur, eoque modo quo illa concipiunt; in imaginatione quidem exiſtunt, ſed in mundo non ſunt. Econtrario Chriſtus Dominus noſter

ster, *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo*; amavit homines prout verè erant in mundo, non prout falsò imaginatione concipi poterant. Non amavit Christus suos, prout vos amatis vestros: Vos amatis vestros, prout in vestra sunt imaginatione, non quales sunt in mundo. In mundi sunt ingrati, in vestra imaginatione grati: in mundo sunt traditores, in imaginatione vestra fidi: in mundo sunt inimici, in vestra verò imaginatione amici: amare verò inimicum, putando esse amicum, traditorem amare, putando esse fidum, amare ingratum, quem credis esse gratum, non est amor, est ignorantia: Proinde amor vester caret merito, nec est, nisi error. Christus amavit suos, absque imaginationis errore, amore vero, amavit enim suos veluti erant, cognitioneque absolutissima quales erant: inimicus, gnarus odii; ingratum, ingratitudinis ipsius non ignarus; proditorem, proditionis ipsius omninò conscius: *Sciebat enim, quisnam esset, qui traderet eum.* *Joan. 13. v. 11.*

Verùm enim verò, si ista scientia Christi erat universalis respectu omnium Discipulorum, qui erant sui, quos habebat in mundo, quare specificè Evangelista notat scientiæ ipsius cognitionem respectu Judæ, pensando quod Christus sciret, quisnam eum traditurus esset. *Sciebat enim, quisnam eum esset traditurus?* tam plenè & perfectè Christus noverat & penetrabat Judam, sicut Petrum, & reliquos: Evangelista verò specificè magis scientiam Christi, respectu Judæ observavit: in Juda enim luculentius, quàm in quopiam cæterorum, amor Christi eluxit. Attendite.

S. Bernardus amorem verum definiendo dixit: *Amor non quærit causam, nec fructum.* Amor nec causam, nec fructum habet. q.d. si amo, quia amatus sum, amor habet causam; si amo ut amer, amor habet fructum: verus igitur amor nec fructum nec causam habeat, necesse est. Si amo, quia amatus sum, est obligatio, facio enim quod debeo: si amo, ut amer, negotiatio est, id enim lucror, quod desidero. Qualem igitur verum esse oportet amorem? *Amo, quia amo; ama, ut amem.* Qui amat, quia amatus, gratus est; amans, ut ametur, ambitiosus est. Amans verò, non quia amatus est, nec ut ametur, hic verus est amans, verusque amor: Talisque fuit amor Christi, respectu Judæ, fundatus in scientia, quâ noverat illum, reliquosque Discipulos omnes. *S. Bern.*

In sermone ultimæ hujus cœnæ Discipulis suis dixit Christus: *Jam non dicam vos servos, sed amicos*: hoc supposito omnes legite Evangelistas, & solum Judam invenietis compellatum amicum, quando dixit: *Amice ad quid venisti?* Ecquid hoc Domine mi? nunquid tibi adest Petrus? nunquid tibi adest Joannes? qui pluribus titulis amici nomine digni? cur igitur hocce titulo, neque Petrum, neque Joannem neque ex Apostolis quemquam alium, sed solum Judam honoras, Judas inimicus, Judas perfidus, Judas proditor, nomen meretur amici, *Amice*? hodie sic? Hac enim die Christus non quæsivit motiva ad amandum, sed ad amandum teneriùs, circumstantias. Noverat Christus quod alii Discipuli se amarent, & usque ad vitæ profusionem pro se, amaturi essent. Quare amarent, amor ipsorum habebat causam, & quare amaturi essent, habebat amor fructum. E contrario Judas, nec amabat Christum, quia illum erat *Joan. 15. v. 15.* *Matt. 26. v. 50.*

ven-

venditurus; nec amaturus, quia in odio suo obstinatus erat moriturus. Porrò quod Christus amaret eum, à quo se non amari sciebat, erat amare sine causa, & sine fructu, & hinc maxima amoris excellentia. Proinde Judam solum compellavit amicum, non quasi præ cæteris illud promeritum, sed ut tenerioris in ipsum amoris ostenderet affectum. Ingratitudines amare notas, frequenter alienum non est ab amore; nihilominùs nemo ingratitudinem amavit cognitam, quingratitudinemsimulexspectaret Christus verò adeò amavit excellenter, ut absque reciproci spe amoris amaret; amavit enim eum, à quo se non amari sciebat;& sine reciprocispe amoris,quia amabat eum, à quo se non amatum iri noverat. Propterea titulo amici insignit Judam, non (prout jam dictum) quasi præ cæteris amorem promeritum, sed ut tenerioris erga illum amoris ostenderet affectum. Ubi motiva adsunt amoris, quilibet amat: ubi verò horroris potiùs quàm amoris causa adest, ibi solus amat Christus. Ex offensis debitum fecit & obligationem, & ex injuriis,amoris motivum: amoris enim ipsiusobligatio ad extremam supremamque excellentiam pertingere compellebat. *In finem dilexit.*

§. V.

TErtia scientiæ circumstantia Christi amorem multum intendens fuit, quod amaverit cognoscens amorem. Christus scientiâ triplici sublimissimâ novit omnia. Quà Deus, scientiâ divinâ, quà Beatus,beatificâ: Quà caput generis humani, Redemptorque mundi, scientiâ infusâ. Amorem insuper cognovit aliâ scientiâ quartâ, scientia scilicet experimentali & acquisita: quemadmodum enim,teste S. Paulo,obedire didicit patiendo, ita amare didicit amando Et hoc est,quod S. Joannes considerâsse videtur, notando, quod postquam amassent, amavit. *Cum dilexisset, dilexit.*

In hac Philosophia curiosa occurrit quæstio, uter majoris æstimandus sit, primus an secundus amor. De amore primo nemo inficias ierit, quin sit cordis primogenitus,desideriorum flos,&primariæ voluntatis: majores glorias &excellentias in amore deprehendo secundo. Primus experientiâ vacat, secundus experientiâ firmatus.Primus est instardiscipuli,secundus Magistrum refert: Primus naturam sortiri potest impetus, secundus nonnisi amoris propria. Denique secundus amor, utpote secundus, approbat confirmatque primum: Hincque amor non simplex, sed duplex; & amor super amorem: Extra controversiam est, quod primus amor primogenitus sit cordis, voluntas verò libera semper,ligata non habet sua bona: sit primus, sed non propterea amor major.

Primâ vice Jonathâ decernente amare Davidem, ait Scriptura, quod se semper illum amaturum juraverit: *Inierunt autem Jonathas & David fœdus, diligebat enim eum, quasi animam suam.* Atque ita voluntate firmata, quamvis variis fortunæ flatibus jactatus, aliquanto tempore exinde amavit: & iterat textus, Jonathan secundò juravisse Davidi, se semper ipsum amaturum: *Et addidit Jonathas dejerare David, eò quod diligeret illum.* Cur igitur 1. Reg. 18. v. 3. 1. Reg. 20. v. 17.

igitur qui jam amorem Davidi adjuraverat, denuò jurat? violavitne juramentum primum, ut necessarium fuerit secundum? extra dubium est, quod nihil amori contrarium egerit, cæteroquin Jonathas non haberetur maximum amicitiæ exemplum, nisi etiam firmitatis & constantiæ fuisset. Si igitur jam à principio amorem ei juraverat, cur etiam eidem nunc jurat? Quæritis quare? quia differentissimum erat amorem jurare non cognitum, & eundem jurare experientia jam notum. Jonathas prima vice jurans, quid esset amare, nesciebat, quia necdum id expertus erat: Secunda jurans vice, jam ex his quæ Davidis causâ fuerat passus, expertus jam erat, quanti amor ille constaret tantamque Jonathas inter utrumque conceperas differentiam, ut obligationem de primo amore juramenti crederet cessare, quo obligaretur ad secundum. Ne igitur ignorantia præterita meritum imminueret præsens, novum illi juravit amorem; non quidem novum ex eo, quod vel ad horam primum interrupisset: sed quia parum erat, quod prius promiserat respectu amoris tanti, quo ipsum postmodum prosequebatur. Ante promiserat, prout noverat: nunc promittebat, prout expertus fuerat. Quod Jonathas ante decrevisset amare Davidem, quàm tyranni hujus affectus novisset passiones, non erat amor excellens: sed cognitis jam ejus rigoribus, toleratis ejus injuriis, expertâ ejus lævitiâ, tyrannide degustatâ, absentiâ probatâ, severitate deploratâ, contradictionibus retusis, difficultatibus superatis, impossibilibus devictis, vita subeundo discrimen, honorem despiciendo, & authoritatem deprimendo, dissimulando, celando veritatem, voluntatem subjiciendo, arbitrium captivando, in semetipso cum tormentis moriendo, & in amico suo vivendo, præ solicitudine mœstus, semper afflictus, semper subditus, semper inquietus, semper constans invito parente, & utriusque fortuna (ita enim scriptura amoris excellentiam Jonathan inter & Davidem describit) quod, sic qualificatis cordis & amoris sui experientiis, denuò perpetuum resolvat, jurare amorem, hoc sanè & hoc solùm amor est.

Idem de nostro amante Christo dico, cum ea tamen differentia, quæ verè inter Filium Dei, & Saulis filium intercedit. Enimverò nihil Christus amorem cognoscere potuisset, aut experimentaliter novisset, minus fuisset, quod nos amâsset: sed amore experientiâ cognito, sciens eum tam severum, ut filium à pectore avelleret paterno, tam inhumanum, ut in terram præsepiumque dejiceret, tam crudelem, ut elapsis octo à nativitate diebus, sanguinem è venis exigeret: tam invidum, ut post duos ætatis menses in Ægyptum ad exulandum fugere compelleret, & tantum tyrannum, ut dum vitam per manus Herodis non eriperet, id propterea factū, quod tam modico profuso sanguine minus sibi foret satisfactum. Quod igitur Christus hoc suo cognito amore, nihilominùs nos amaret nec quasi rædio victus, amare desisteret, sed continuaret, excellens est amor. Excellens, quia nos amavit: sed longè excellentior, quia post amoris experimenta, seu postquàm nos amâsset amavit, *Cum dilexisset suos, dilexit.*

Jam video replicare Theologos, Christi amorem à primo instanti âd ultimū usque semper fuisse æqualem, & nunquam cre-

creviſſe: ita recta ratio exigebat. Si imminui, amori præjudicat, ſimiliter etiam creſcere, præjudicat. Dicens ſe amare amplius, amori ſuo fidem derogat: nam quamvis creſcere ſit augmentum, ſupponit tamen imperfectionem: amor incrementum admittens, non cenſetur amor perfectus. Proinde ſi perfectiſſimus amor Chriſti in eadem ſemper intenſione perſeverans nunquam crevit, qua ratione eundem hodie majorem fuiſſe aſſerimus? omnes reſpondens, majorem fuiſſe quoad effectus non quoad ſubſtantiam: ego verò in ipſa adhuc ſubſtantia majoritatem aliquam conſidero. Fateor equidem eum non creviſſe, nihilominùs etiam non creſcendo major eſſe poteſt. Columna baſi, ſtatua ſcabello impoſita, non creſcendo creſcit; ita hodie amor Chriſti amor fuit ſuper amorem. Porrò ſicut baſis & ſcabellum, non ſolum ejuſdem erat ſubſtantiæ, ſic eadem amoris Chriſti ſubſtantia, non ſolùm hodie manet amor Chriſti altior, verùm etiam certo modo major: idque adeò veritati conſentaneum eſt, ut verba Evangeliſta non alium ſenſum habere putem: *Cùm dilexiſſet, dilexit.* Hæc verba plus dicunt, quàm ſonant: *dilexiſſet & dilexit* non differunt, niſi quoad tempus; quoad ſignificationem, differentiâ carent. Quid ergo novi nobis inſinuat Evangeliſta? Enimverò, ſi dixiſſet, poſtquam multum dilexiſſet, nunc magis dilexit, facilè intelligeretur, dixiſſetque quod probare intendebat: verùm enim verò, ſi dicere intendit eum plùs dilexiſſe, cur tantùm dilexiſſe eum aſſerit? Quia talibus illud terminis aſſerit, ut dicendo tantùm, quod dilexerit, eum plùs dilexiſſe probatum ſit: *Cùm dilexiſſet, dilexit.* Hoc ipſum diligere poſtquam dilexiſſet, non eſt ſolùm poſteà diligere, ſed magis diligere: non relationem temporis, ſed exceſſum denotat amoris. Volens Evangeliſta hodiernum Chriſti exaggerare amorem, ad exaggerandum amorem præſentem ſufficere vidit ſupponere præteritum.

Deo præcipiente Abrahamo ſuum ſibi filium immolare, ſecundùm phraſim Hebraicam, textus ſic habet: *Tolle filium tuum quem dilexiſti.* Dicendum videbatur, *Quem diligis*, tota enim intentio Dei eò collimabat, ut extollendo amorem difficilius redderet Sacrificium. Ut quid igitur non dixit, immola mihi filium tuum, quem diligis, ſed quem dilexiſti? idcircò ſanè. Volebat Deus extollere amorem, ut difficiliorem redderet immolationem: nonpotuit verò præſentem magis exaggerare amorem, quàm ſupponendo præteritum. Offer mihi filium tuum, quem non ſolùm amas, ſed etiam amâſti: amare enim poſt amâſſe, maximus eſt amor. Proinde Evangeliſta amorem amore comparare volens, comparationem non à magno ad exceſſivum, ſed à primo inſtituit ad ſecundum. *Cùm dilexiſſet, dilexit.* Iſtud primum & ſecundum fuit cordis vulnus; de quo divinus noſter amans longè ante fuit gloriatus quàm ſagittæ illud peterent: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum.* Primum vulnus amoris fuit præteriti, ſecundum præſentis: Et ad probandum quodnam fuerit majus, magiſque penetrativum, ſi minùs ſufficit dicere inflicto primo, ſubſecutum fuiſſe ſecundum; ſufficiat ſcire, quod accepto primo ſupervixerit Chriſtus, ſecundum verò tam illi ſuſtulerit: *Cùm dilexiſſet, in*

Text. Hebr. Gen. 22. v. 2.

Cant. 4. v. 9.

in finem dilexit. Atque ita etiam consideracionem inadvertenter sumus aggressi.

§. VI.

QUarta & ultima circumstantia, quâ Christi scientia mirifice ipsius extollit amorem, est, quod amoris sui cognoverit terminum quo finiretur: *Sciens quia venit hora ejus.* De pluribus narrant historiæ, quod amando sint mortui: sed quia amor tantum fuit, occasio & ignorantia causa, erroneè amantium titulos, à morte sunt consecuti. Non est amans, qui moritur quia amavit: sed qui amavit ut moreretur. Notabile rei hujus, in Sichemensi Principe habemus exemplum. Sichem Dinam Jacob filiam deperiens eò usque se amoris affectuum subdidit imperiis, ut cum Princeps esset absolutus, ea nihilominus pacta & conditiones subierit, quibus mediantibus. paucis post desponsationem diebus à Simeone & Levi fratribus Dinæ vitâ potuerit privari. Amavit Sichem & mortuus est; non tamen hæc mors trophæum fuit amoris, sed ignorantiæ pœnæ; casus fuit, & non meritum: non enim amavit ut moreretur, licet moreretur ut amaret. Dina non mortem, sed amorem reddere debebat; sed ne amorem quidem: qui enim amabat nesciens se ex hoc moriturum, morte sua præscitâ non amâsset. Meritum amoris non accrescit quia quis moritur, sed quia sciens moritur.

Clarè idipsum in Abrahamo & Isaaco videte Triduo illo, quo ad designatum sacrificio montem Abraham cum Isaaco perrexit, æquali uterque pergebat periculo: alter ut occideret, alter ut occideretur. Isaac totus gradiebatur pacatus soli enim Abrahamo tragicus ille itineris scopus constabat. Via erat eadem, passus erant pares, scientia verò & cognitio erat diversissima, unde & meritum diversum. Abrahamo promerente plurimum, Isaac merebatur nihil? Abraham enim ad Sacrificium pergebat sciens, Isaac ignorans: Abraham ad sacrificium notum, Isaac ad ignoratum. Hîc porrò discrimen inter Dei hominumque amorem disci.e. Homines præ amore morientes mortesibi incognitâ moriuntur inviti; Solus Christus voluntariè ad mortem ex amore pervenit, spontaneè enim mortepræcognitâ est mortuus: *sciens quia venit hora ejus.* Sichem, Samsonem, Amnonem, reliquosque mortuos quia amârunt, amor velut condemnatos velatis oculis deduxit ad mortem: Solum Christum velut triumphatorem oculis apertis (optarem mihi quidem honorificas magis antitheses, sed Scriptura non aliis suggerit) nec Sichem amâsset Dinam, nec Samson Dalilam, nec Amnon amâsset Thamar, si imprudentem sibi inde mortem prævidissent. Sola scientia Christi cognovit, amorem suum se deducere ad mortem, quâ cognitâ & appropinquare visa, animo è illi obviam perrexit. *Sciens quia venit hora ejus.* *Gen. Jud. Reg.*

Quàm bellè & poëticè illud Regius cecinit Vates Psalm. 103. *Sol cognovit occasum suum!* Pauca, sed intellectu difficilia verba. Sol irrationales & insensitiva est creatura (quamvis enim philosophorum quidam crediderint contrarium, est error condemnatus) Sole itaque ratione sensuque carente, quo pacto inquit Propheta, quod sol occasum suum cognoverit, *Sol cognovit occasum suum?* Certum est (inquit Sanctus Augustinus) Davidem sub metaphora solis materialis *Psalm. 103. v. 19.*

de

de sole divino fuisse locutum, qui solus, sol est, intellectu præditus : quia verò uterque sibi in cursu ad occasum plurimum parilis est, hinc unius currendi intellectum, alterius insensitivitate depinxit. Si lux solis esset lux vera cognoscens; & occasus ubi sol occidit, esset vera ipsius mors, non miraremur fortasse videndo solem locum mortis suæ cognoscentem, eadem velocitate sese in occasum animosè præcipitantem, quâ in Orientem ascendit? Quod igitur in sole materiali miraremur, re ipsa soli divino usu venit; *Sol cognovit occasum suum.* Cognovit planè Sol divinus occasus sui locum : determinatè sciebat horam, quâ ad ultimum pertingendo horizontem, ex hoc ad aliud hemisphærium erat transiturus: *Sciens quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo.* Quod igitur tragicum illum & terribilem finem, quo ipsum suus abripiebat amor cognoscens tam animosè pergeret, ne vel passum à verò notoque sibi occasu avertens, ac si sol fuisset materialis nec moriens nec cognoscens, hic sanè excellens resolutusque amor extitit! Hic amor fuit, scire terminum, ac si nesciret.

Solus S. Joannes, qui conceptum nobis subministravit, eundem & evincere poterit : appropinquantibus ad capiendum Christum Judæis ita inquit idem Evangelista; *Sciens omnia quæ ventura erant super eum, processit, & dixit Quemquæritis?* Videtur Evangelista ipsis suis sese implicare verbis. Qui scit, non quærit. Sciens igitur Christus omnia, & quod se quærerent, idipsum attestante Evangelistâ, quare interrogat quasi nescius? Ratio & mysterium est, quia exindè Christus ad mortem procedere cœpit, & hoc modo suus amor ipsum eò adducebat. Suus ipsum amor scientem deducebat quasi nescientem deduxisset. Lecturus id quod Evangelista dicit, sciviſse Christum dicet : audiens Christum interrogantem, ipsum ignorasse asseret : sed sive verè, sive apparenter, ita se res habebat. Reipsa & verè sciebat, apparenter nesciebat : eo enim modo mortuus est & amavit sciendo, ac si mortuus fuisset, & amâsset nesciendo.

Joan. 18. v. 4.

Hoc mysticè significarunt infames isti cancelli, seu potiùs amorosa ista Eclypsis, quâ amor hodie, inimicorum manibus Christi velavit oculos : *Velaverunt eum, & percutiebant faciem ejus.* Christum alia sufferre tormenta non miror, omnibus enim se subdebat, qui super omnia amabat; permittendo verò sibi velari oculos, non solùm potentiæ, verùm etiam amori suo derogare videtur. Nunquid S. Joannes repetito illo *Sciens*, velum hodie detraxit amori Christi, ut toti innotesceret mundo, quod oculis apertis amaret? Cur igitur eo ipso die oculos sibi obvelari permittit? quia dexteritas fuit, quâ Christi amor scientiam cum ignorantia æquivocare novit; fecit ut sic amaret oculis apertis, ac si amâsset oculis velatis : ut ita amaret sciendo, quasi amâsset nesciendo. Hoc velo, quod injuriosum videbatur, sese vindicavit amor, & pro majore honore Christi, quàm S. Joannes fecerat. S. Joannes velum Christi detraxerat amori, quo idem amor Christum denuò operuit, ut innotesceret nobis, eũ totaliter amâsse scientem, oculisque apertis, quasi nesciens, oculisque amâsset velatis. *Velaverunt eum.* Christus noverat seipsũ, amavit

Luc. 22. v. 64.

tamen quasi se non noviſſe: noverat amatum, sic tamen quasi illud neſciiſſet: expertus noverat amorem, sed amavit velut nunquam expertus: præſcius finis, quo major deducturus eſſet, quasi ignarus illius amavit. Proinde quia amavit velut jam dictorum neſcius, hinc ſolus ille amavit, & amare ſcivit excellenter. Hiſce rationibus hodie S. Joannes amoris Chriſti excellentiam extulit, corpus orationis ſuæ voluit amorem velo ſpoliatum, aſſumpto themate uno verbo *Sciens*, quater repetito: *Sciens ſciens, ſciens, ſciens dilexit eos.*

§. VII.

EXpenſum nunc amorem Chriſti juxta S. Joannis obſervationes, etiam juxta ipſiuſmet Chriſti conſiderationes diſcutiamus, qui, quia melius ſuum penetravit amorem, etiam ſolidiores nobis certioreſque rationes ſuppeditabit. Hodie maximè diligens, & dilectus, Chriſtus & Joannes, hoc ſolùm egerunt, ut ejuſdem Chriſti amoris excellentiam exaggerarent: poſtquam verò S. Joannes totum dixerat, quod ſciverat, obſervans quod Chriſtus ſciens diligebat: non eſt (inquit Chriſtus) hæc circumſtantia, quà meus amor accreſcit: porrò ſi homines ſummam amoris mei excellentiam nôſſe velint, non eam conſiderent per meam ſcientiam, ſed eam ſuâ metiantur ignorantiâ. Multum amavi homines, quia amavi ſciens omnia, ſed inde meus eluceſcit amor, quod dilexerim illud neſcientes: *Quod ego facio, tu neſcis.* Quantumcunque ratiocinentur homines, menteque conſurgant, nunquam pertingere poterunt ad cognoſcendum amorem, quo Chriſtus eos dilexit; nec quâ Deus, nec qua homo: quod igitur Chriſtus reſolvat amare non ſolùm malè ſuum amorem compenſaturum, ſed nec unquam eundem cogniturum, hæc maxima fuit cordis Chriſti amoroſi fortitudo, hæc maxima difficultas, affectuum ipſius impetus diſrumpens! Quod amandus mihi ſit non ſolum amorem non compenſaturus, ſed nec agniturus quidem; quod amor nec ſatisfactionem accipiat ex compenſatione, nec conſolationem ex agnitione, hic ſolus amor eſt.

Proponamus quæſtionem. Quidnam maximi æſtimat amor? cognitionem ne ſui, an compenſationem? Certum eſt, non poſſe amorem compenſari niſi cognitum: ſed cognitus eſſe poteſt, abſque compenſatione. Duobus hiſce terminis ſeorſum conſideratis, dubium non eſt, amorem majoris æſtimare, eidemque magis congruere cognitionem, quàm compenſationem: amor enim vel maximè obligare intendit: cognitio obligat, compenſatio ab obligatione abſolvit. Longè igitur meliùs congruit amori, videre ſe cognitum, quàm compenſatum: cognitio enim urget obligationem, à qua compenſatio liberat. Cognitio amori proprio, compenſatio amori ſatisfacit alieno. In ſatisfaciendo illi, quod amor recipit, concurrere poteſt affectus cum commodo, ſatisfaciendo ei quod communicat, non poteſt, niſi liberalis eſſe: ergò majoris æſtimandum eſt amori, certam habere in cognitione liberalitatis ſuæ ſatisfactionem, quàm dubiam, in compenſatione, videre nobilitatem ſuæ independentiæ. Securiſſima amantis fides, eſt confeſſio debiti in amato. Sed enim quomodo con-

confitebitur debitum, illud ignorans? plus ergò confert amori cognitio, quàm compensatio: maximus enim ipsius thesaurus est, amatum semper habere debitorem. Amor desinens esse creditor, hoc ipso solummodò est pauper. Denique tantum existere amorem, ut nequeat compensari, maxima est gloria amantis; porrò magnitudo ista cognita, est gloria manifesta: ignota verò, manet obscura, nec est gloria. Pluris igitur amor æstimat multóque magis desiderat, necnon illius congruit gloriæ, esse cognitum, quàm compensatum. Rationes sufficiunt, ad scripturam progrediamur.

Excellentissimus humani amoris actus extitit cordata illa resolutio, quâ Patriarcha Abraham amorem divinum, naturali suo & paterno anteponens, proprio suo filio vitam eripere decrevit. Porrò Deus retinendo gladium, immediatè subjunxit: *Nunc cognovi quod times Deum.* q.d. nunc cognosco, Abraham quod me ames, quod insinuat illud, *Times* secundum scripturæ phrasin, atque itamulti interpretantur, omnesque explicant: *Nunc cognovi, quod diligis Deum.* Post hæc apparuit illi aries irretitus vepribus, qui læto fine non imaginatum Sacrificium coronavit, quo finito Deus iterum Abrahamo locutus dixit: *Quia fecisti rem hanc, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cœli:* id est, in præmium tam heroici à te exerciti actus, benedicta erit progenies tua, propaginemque tuam velut stellas cœli multiplicabo! & ex te Messias nascetur. Observemus casum. Bina vice Deus hic Abrahamo fuit locutus, & duo eidem dixit; primum, dum gladium retinuit, secundum postea; id, quod primò illi dixit, fuit, se nunc cognoscere, quòd se amaret, *Nunc cognovi, quod diligis Deum*: Secundum, quod illi dixit postea, fuit, liberali se præmio actionem illam compensaturum: *Quia fecisti hanc rem, &c.* Sed quare? Cur primò dixit Deus se ipsius cognovisse amorem, deinde se eum fore remuneraturum? Et cùm præmii promissionem, usque post peractum distulerit Sacrificium, cur non etiam cogniti amoris distulit certificationem? *Nunc cognovi.* Deus veluti Cordiagnostes fuit locutus, sciens quid pluris æstimetur ab amante. Primò Abrahamum de cognito sibi amore certificavit præmii assecurationem reservans: Cùm enim Abraham tam excellens esset amans, adeóque sincerus, majoris æstimabat amorem suum scire cognitum, quàm videre remuneratum. Differantur igitur tantisper promissiones præmiorum; sed cognitionis certificationes declarentur statim & instantaneè: leviùs enim feret ingens amor spem seu dilationem præmii, quàm dubium de sui cognitione. Imò necessarium fuisse assero, quod Deus Abrahamo amoris sui notitiam insinuaret, dum gladium continere jubebat: nisi enim de cognito suo amore certus fuisset, dubio procul ictum evibrasset, ut nobilior sui corporis sanguis effusus clamando manifestaret, quàm veraciter & sincerè diligeret. Cùm igitur amor maximi æstimet agnosci, porrò homines nec cognoscant amorem Christi (imò qualis in se est cognoscere nequeant) Christus nihilominùs hanc superaret difficultatem, hoc impossibile profligaret, nosque sui ipsius pretio amaret, ô validam amoris resolutionem.

Gen. 22. v. 12.

Ibid. v. 16.

§. VIII.

AMor nostri maximi constitit Christo, plurima nos amando passus est : cæteros inter cruciatus maximus fuit, quod amaret eum qui amorem suum cogniturus non erat: hoc est, quod summè displicet: hoc est, quod maximè affigit amantem. Duplicem languorem, nec non duo gravia accidentia sponsa sustinuit in canticis, utraque solicitudinis suæ viribus causata. Primum mox in amoris sui sustinuit principio, describiturque Cap. 2. Secundū, postquam multò jam amasset tempore, referturque Cap. 5. Verùm in utroque hoc casu differentissimè se gessit, quod consideratione observationeque dignissimum est. In primo ait: *Fulcite me floribus* *Cant. 2. v. 5.* *stipate me malis, quia amore langueo.* Festini succurrite confortativis: afferte rosas & flores, quia amore infirmor. In secundo dicit: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis* *Cant. 5. v. 8.* *dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* Notabilis differentia! Si sponsa æqualiter in utroque casu languebat amore, *amore langueo*, cur in primo, & non in secundo, remediis & confortativis sibi petebat succurri? Et si in secundo remedia respuit, quare amicos adjurat, ut sponso suo illud denuncient? *ut nuncietis ei, quia amore langueo.* Non potuit melius exprimi & pingi veritas illius quod dicimus. In primo casu, quia sponsa adhuc erat in amore novitia, solum infirmitati remedia requirebat, pœnosus enim affectus, quem sentiebat in corde, non nisi dolorem intendebat. In secundo casu perfecto jam & consummato suo amore, volens succurri malo suo remediis, sponso nunciari mandat, quod sibi amore ejus languenti, non tantùm dolorem inferat quod patiatur, quantum, quod sponsus hoc ignoret. Accurrit primum sponsa ad id quo magis cruciabatur, patiebatur autem magis ab amoris sui affectibus, quia is eos ignorabat, qui causabat, quàm quod ipsa pateretur eos, quæ erat eorum subjectum: hinc pro eo, ut remediis sibi succurri postularet, dixit: Illi nunciate. Plùs eam torquebat dolor, quia ignorabatur, quàm quia sustinebatur.

Psalm. 34. Juxta textum Græcum, Filius Dei ita ore Davidis loquitur: *Congregata sunt super me flagella, & ignoraverunt.* *Psal. 34. v. 15.* Ad intelligendum hunc affectum supponendum est Christum de nullo tormentorum suorum magis, quàm de flagellatione fuisse conquestum. Hinc probando sufficiebat ratio : sed ipse Dominus hoc fassus fuit imminentes sibi cruciatus sub aperiendo. *Tradetur gentibus, & illudetur* *Luc. 18. v. 32. 33.* *& flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum.* Omnium aliorum tormentorum semel tantum meminit, sed flagellationis repititâ vice: *Flagellabitur: & postquam flagellaverint.* Naturaliter enim quod cor magis afficit, sæpius ore promitur. Ait igitur Dominus, *Congregata sunt super me flagella, & ignoraverunt.* Mi Jesu! Quis iste loquendi modus? si flagellatio maximè afflictivum tibi fuit tormentum, dicendum videbatur: congregata sunt super me flagella, & me torquebant, non sic effatur, sed, quod ignoraverint: quia inter summos amoris sui excessus, quod maximè cor Christi lancinabat, non erat, quod ipse patiebatur, sed quod homines ignorabant; *& ignoraverunt.* Non de flagellis, sed de ignorantia queritur, flagella quippè offendunt

dum personam, ignorantia suspectum reddit amorem: quodque tam excessivè amans, ut cum propriæ offensa personæ, suum manifestare voluerit amorem, cerneret tandem & suam indignissimè tractari personam, nec suum cognosci amorem, ô quàm excessivus dolor! Cùm igitur cognitionis defectus sit illud, quod vel maximè sentit & sentire debet amans: hinc Christus amorem suum non suâ scientiâ, sed nostrâ mensus est ignorantiâ: *Quod ego facio, tu nescis.* Multò magis amorem Christi exaltat & exaggerat istud *nescis*, quàm illud, *sciens* S. Joannis toties repetitum. Si enim magnæ fuerunt amoris circumstantiæ, amare cognoscendo seipsum, cognoscendo amatum, cognoscendo amorem, cognoscendo denique amoris scopum & finem: omnes istas considerationes incomparabiliter excedit; omnes istas cognitiones, omnemque illum amorem impendere non cognituro. *Tu nescis.*

Joan. 13. v. 7

§. IX.

VErùm enim verò, cùm ignorantiæ hominum ex parte una summa essent afflictio, & ex altera parte summa amoris Christi æstimatio, his ipsis ignorantiis idem amor adeò dextrè est usus, ut eas pro instrumento ad nos elevandos acceperit, absque reflectione ad consequentiam, quod semetipsum deprimeret. Conscensa Christus cruce, id est, amoris sui throno, in editiore Calvarii theatro, primum quod protulit verbum, fuit, *Pater dimitte illis, nunc enim sciunt quid faciunt.* q.d. Pater æterne, condona hominibus, quia nesciunt, quid faciunt. Quia nesciunt quid faciunt. O amabilis Condonator! Et tuus amor novit, quid te facere oporteat, ex allegata ratione? Si nostra ignorantia minùs nos facit ingratos, similiter tu minùs te facis amantem: in cote enim ingratitudinis amor sagittas suas acuit; & quantò durities est major, tantò magis illas acuit. Quo igitur pacto excusationes, pro nostris formas ingratitudinibus, ubi tui motivis amoris augere poteras excellentiis? credebam jam Christum summam amoris sui expressisse excellentiam: sed hæc fuit maxima, Christus eò devenit, ut amoris sui imminueret & deprimeret excellentiam, ut dissimularet & obtegeret defectus nostri amoris: maluitque videri minus amans, tantum ut non minus videremur ingrati. Sic usus est ignorantia hominum, cum nostræ consideratio ignorantiæ, maximum esset, suæ motivum excellentiæ.

Luc. 23. v. 34.

Verùm propterea secus evenit: & ubi amor Christi suam studuit imminuere gloriam, ibi majorem nactus est æstimationē: amans enim excellentiùs amare nequit, quàm si plurisæstimet amatum quàm suum amorem. Cujus rei exemplum in solo Christo inveniri potest. Natus est Christus in stabulo, reclinatus in præsepio, aitque Evangelista hoc factum, quod in Civitate omni fuerint excluſi hospitio: *Quia non erat ei locus in diversorio.* Evangelista Sacer, simile quid, ne dixeris: occasio id esse potuisset, sed non fuit causa, Natus est Christus in stabulo, adeò enim amavit homines, ut hoc pro illis subire incommodum, talemque voluerit perpeti dilectionem: & natus est extra civitatem, quia tam inhumani & ingrati fuerunt homines, ut in domos suas eum recipere noluerint in

Luc. 2. v. 7.

Bethlehem. Porrò si Christi amor hominumque ingratitudo hujus rei existit causa, quare reticetur meritum Christi, culpa verò, quæ erat hominum, occasioni & tempori imputatur; *Quia non erat ei locus in diversorio?* Certum est, Christum magis amantem sese demonstrâsse in causa allegata, quàm derelictione in stabulo tolerata. Volebat id apparere ex necessitate factum, quod ex electione fiebat: & quod erat ingratitudo nostra, fieri per accidens: ut per accidens dissimulata maneret ingratitudo, & derelictione & necessitate amor. Ingratitudo augebat excellentiam, necessitas minuebat amorem; voluitque Christus videri minus amans, ut homines viderentur minus ingrati. Hoc modo amavit vivere incipiens, & ita consummavit vivere desinens. Idcirco hominum ingratitudinem suâ excusat ignorantiâ: *Non enim sciunt, quod faciunt.* Cum ipsa hominum ignorantia, maxima amoris sui esset excellentia: *Quod ego facio, tu nescis.*

§. X.

CHristiani, hic fuit amor Christi, hæc scientia, & scientiæ quibus nos amavit: & hæc ignorantia, & ignorantiæ, quibus non obstantibus sumus amati. Semper nobis versetur ob oculos illud *Sciens*, & istud *Nescis*: semper memori recolamus mente illud (quod nobis Christus hodie tantopere recommendavit) ipsius scientiam nostramque ignorantiam. Ejus scientia excitatoris fungatur officio, ne unquam illum diligere omittamus: nostra nobis ignorantia sit instar stimuli ad amplius ampliusque diligendum eum, qui tantopere nos amavit. Quo verò pacto non amabimus eum semper, qui videt cognoscitque semper utrum sese amemus? quomodo non amabimus impensè eum, qui nos amavit tantum, ut nunquam illud assequi & cognoscere possimus? heu quanta nostra erit confusio rite consideratâ hujus *Sciens* & *Nescis* correspondentia! toties interrogatus à Christo Petrus utrum se amaret, respondit perplexus: *Tu scis Domine, quia amo te.* Conferte nunc illud, *Tu scis* S. Petri ad Christum dictum cum illo, *Tu nescis*, Christi ad S. Petrum. Amante Petrum Christo, nescit Petrus quantum se amet Christus: *Tu nescis*; amante Christum Petro, novit Christus, quantum se amet Petrus; *Tu scis.* O quàm notabilis amoris scientiæque improportio! ô amorem Petri cognitum! ô amorem Christi ignoratum! amor Christi nostram suffert ignorantiam: amor noster amoris illius suffert scientiam, & uterque æqualiter conqueri possunt. Amor Christi conqueri, quia illũ non cognoscunt homines, *Tu nescis*: amor hominum item conqueri, quia illum cognoscit Christus, *Tu scis.* Enim verò si Christus amorem hominum non cognovisset, hoc ipsu n tepori nostro consolationi esse potuisset: & si homines amorẽ Christi cognovissent, hanc satisfactionẽ in suis excessibus amor Christi habuisset. Verùm cùm amor Christi tam sit excessivus, ut illum non cognoscant homines: & hominũ amor tam sit imperfectus, ut illũ cognoscat Christus, multum æqualis, & inæqualis utriusque est conditio, cujus remedium erat, Domine, ut tu, & nos corda permutaremus. Si tu nostro nos amasses corde, proportionatus fuisset amor & meritum, nostraque ignorantia ad illum cognoscendum sufficisset. Etsi nos tuo te amaremus

Joan. 13. *v.* 1.
Ibid. v. 7.
Joan. 21. *v.* 15.

remus corde, pro tuo te amaremus merito;& tua tantum scientia nostrum cognosceret amorem. Verum isto jam existente impossibili, Tu qui solus te nôsti,amas: tu qui solus tuum cognoscis amorem, illum solvis. Sitque unica gloria tua,& ipsius, sciri, quod tu solus eum & solvere & cognoscere possis.Sic credimus, sic confitemur,& ad pedes amoris tui prostrati,æternam illi ex hoc *Nescis*, & illo,*Sciens* contextam offerimus coronam : *Sciens quia venit hora ejus, in finem dilexit eos.*

SERMO
PRO
DOMINICA I. ADVENTUS
Dictus
In Capella Regia Ulyssippone Anno 1652.

Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Luc. 21.

§. I.

MUlta demagnohocdie novimus,omniamagna, terribilio omnia; duonos tantummodò latent. Solem, qui diē facere consueverat, ante diem judicii obscurandum,& horrendâ,& nunquam ante visa eclipsi totaliter cooperiendum novimus.Lunam,nonper interpositam terram, sed contra omnem naturæ ordinem, inter tenebras stupendè deformatam,&quasi totaliter sanguineperfusam apparituram novimus.Stellas firmamenti ex orbibus cælestibus&sedibus suis motas in terrā casuras novimus: quæ,quia mundus hic inferior eas capere nequit, collisæ & in partes dissilientes horribili sonitu & fragore ardentes evoment vapores. Scimus, quod mare terminis suis furiosè egressum, horrendum auribus attonitis immugiet, & procellas suas in ipsas usque nubes evibrando, non ultra littorum suorum repagulis domabile totas insulas, ipsosque insuper montes absorbebit. Scimus,quod tristissima hæc signa præambula (juxta Evangelium, dolorum principia) subsequentur tonitrua & fulgura, igneumque pluet diluvium aërem accendens, mare exsiccans & terram concremans : quodque universali hac fumi favillarumque commixtione consumetur omne, quod in tri-

in tribus elementis aliis vivum antea respirabat. Scimus, quod sic homines, omniaque cum ipsis finem accipient, quæ ambitio eorundem & vanitas, tot ætatibus & sæculis adinvenit, & in opus deduxit. Denique scimus, quod iste nostri mundi epilogus miser erit, sed non miserabilis: quia, qui compatiatur, jam non supererit. In hoc vastissimo deserto, profundissimoque omnium, quotquot fuerunt, silentio, in utroque simul hemisphærio tubam insonituram scimus, ad cujus horrisonam vocem, ex universali sepulchro mortui resurgent vivi, non eâdem omnes formâ, sed diversis egredientur figuris; quilibet enim in facie, statûs conditionisque suæ præferet personam. Mundo sic hominibus præteritis, præsentibus, & futuris repleto; constat, quod mox apertâ ingenti cœli portâ, omnium, quæ omnes egredi conspicient, prima ineffabili, qui ipsum etiam solem (si adhuc fulgeret) obscurare sufficeret, splendore circumfusa prodibit Crux sacrosancta, in qua Redemptor mundi salutis nostræ negotium peregit, ab incendio præservata, omnibusque particulis, per quas toto Christiano orbe fuerat dispersa & adorata, reunita. Novimus quod cœleste hoc Vexillum, ordine facto, & in novem numerosissimos exercitus distributi, Angelici Chori sequentur; quos inter, illi, qui hominum custodiæ fuerunt deputati, singulariter insignlti, & pro qualitate statûs sibi commissorum, alii hilari & exporrecta fronte: alii econtra lurido & subtristi corrugatoque vultu conspicientur. Jam constat, quod innumerabilem & splendidissimum hunc comitatum excipiet magnificentissimus ex nubibus lucidissimis adornatûs thronus, cui universalis & supremus omnium Judex Christus Jesus insidebit, cui omnis resuscitatorum hominum immensitas profundissimâ reverentia, & quasi adorabundâ sese prosternet, differentibus nihilominùs affectibus: Hi tanquam fideles & servi; alii tanquam increduli: alii tanquam refractarii. Constituto jam distantia convenienti tremendo consistorio, & considentibus utrimque tanquam assessoribus duodecim Apostolis; ex eo egressuros scimus multos inferioris ordinis forma visibili Angelos, tanquam justitiæ Ministros, qui illam hominum immensitatem lustrantes (nudi enim omnes, & respectibus, quibus gaudebant adhuc viventes, exspoliati erunt) sine rubore & resistentia illos ab invicem separabunt, justis & salvandis ad dexteram, impiis verò & reprobandis ad sinistram collocatis, aliis spe salutis, aliis metu damnationis suspensis, quâ suspensione, & timore durante (cujus finis & exitus nec Angelis constat) novimus producendos libellos, apertisque in momento processibus, omnium vitam sic manifestandam, ut nec opus, nec verbum, nec omissum, nec cogitatum quantumcunque secretum & occultum sit, quod non publicè innotescat: omnibus scilicet singulorum, & singulis omnium, & suam ipsorum conscientiam clarè intuituris: scimus, quod omnibus hac evidentia convictis, nullus sit futurus, qui aliquid opponat, nullus qui contradicat, nullus denique qui appellet; nec ad Matrem misericordiæ, nec ad misericordiam Filii, aut Vulnerum ejus meritum & efficaciam: Præconcessis aut prærogatis tot annis misericordiæ, ille toties prædictus & prædicatus

catus dies totus erit justitiæ. Novimus denique, quod finali sententiâ ore illo sacratissimo prolatâ, toties nos ad pœnitentiam fuit cohortatum, tot annis nostram longanimiter expectavit emendationem, & invitavit veniam offerendo: Novimus inquam, quod ad dextrum ipsius latus collocati, eodem & majore apparatu (beatis animabus jam glorioſis corporibus suis reunitis) ineffabiliter tripudiantes abibunt in cœlum millies sibi applaudentes: & reprobi damnati à latere sinistro dira sibi ipsis imprecantes sine numero, videntes perditum suâ culpâ, quod recuperandi medium jam non supereſt, dehiscente mox terra, præcipites ruent in infernum, in quo recluso terræ hiatu sepulti manentes ardebunt, donec Deus erit Deus.

Hæc sunt ista multa & magna, in tremendo isto die oculis nostris occursura, omnia certa & infallibilia; omnia enim sine exaggeratione seu hyperbole, ex Scripturis sacris, juxta naturalem, proprium & literalem earundem sensum sunt deducta. Sed inter omnia certa adeò, & hoc die prædicata, sunt alia duo, prout in exordio diximus, nobis omninò incognita. Et quænam sunt ista? num etiam magna? nunquid etiam talia, ex quibus felicitas seu infelicitas æterna: salus seu damnatio adhuc viventium dependet; Agedum, jam illud videre licebit. Primum, quod nos latet, est, quando judicii dies adfuturus: secundum, quinam ex nobis ad dexteram sint collocandi, seu sinistram. Horum duorum adeò incognitorum certam vos hodiehinc referre volo notitiam. Hæcque duo discursus mei erunt puncta. Primò certum vobis futuri judicii diem designabo: secundò similiter, quinam ad dextram seu sinistram collocati videbuntur, pro certo declarabo. Materia tam gravis est & prægnans, ut semetipsam commendans, attentionem potius exigere posse, quàm petere debere videatur. Gratias debemus Deo, & magnas quidem, si animæ nostræ geminо hoc lucis radio penetratæ, hanc ultimam colligant veritatem excitati nostræ adeò necessariam.

§. II.

Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.

Quæstio de judicii die, & finis mundi duplici modo & sensu instituti potest: vel largè magis, quantum ad annos: vel strictè magis & determinatè quoad diem. Quantùm ad annos, multæ, variæ discrepantesque dantur opiniones, Opinantibus quibusdam mundum petiturum anno magis aut maximè perfectæ conjunctionis, id est, quando orbes cælestes, totaliter emenso suo circulo, eò fuerint revoluti, ubi fuêre creati. Hæc opinio eo nititur fundamento; inconveniens enim & difforme videtur Providentiæ authoris naturæ, magnam istam fabricâsse machinam tot, tamque diversis motibus volubilem & in medio cursu sistere, non permittendo unum saltem circuitum plenè peragere, in quo concordia & simetria admirabilis illius Architecturæ perciperetur; cùm extra controversiam sit, totam ad laudem & gloriam supremi artificis fuisse creatam. Juxta sententiæ hujus Assertores, adhuc ultra novem annorum millia vitæ seu durationi mundi supersunt.

Secunda opinio probare satagit, inter ortum mundi, & extremi Judicii diem octo annorum millia evolutum iri. Fundatur in textu illo Habacuc Prophetæ, ubi dicit, quod Deus in medio annorum sese manifestabit hominibus: *In medio annorum notum facies.* Et cùm juxta veriorem & exactiorem Chronologiam constet, Mysterium Incarnationis verbi, quo Deus sese manifestavit hominibus, quater mille annis àcondito mundo evolutis fuisse peractum. sequitur, à nativitate Christi, usque ad universalis Judicii diem, alios quater mille annos evolvendos. Proindeque juxta hanc opinionem, mundi durationi adhuc his mille, ttecenti & quinquaginta anni restant, quibus transactis sic erit immutata ejus facies, ut ne vestigium quidem omnium, quæ nunc in eo sunt, supersit, cùm breviore temporis spatio resoluta in arenam marmora, & metalla videamus extita.

Habac. 3. v. 2.

Tertia & communissima opinio habet, quod, quemadmodum mundus sex diebus fuit conditus, sic sex mille annis tantùm sit duraturus; conformiter illi regulæ, quâ mille anni apud Deum pro uno die computantur. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies.* Et quemadmodum sextum creationis diem excepit septimus, in quo teste Scriptura, Deus ab omni opere quievit quod patrârat, nullo alio die subsecuto: ita sextam durationis mundi millenarium excipiet septimum sine fine in æternitatis requie. Hæc opinio communiter habetur pro traditione antiquissima, jam ab origine mundi continuatâ. Enim verò hoc evincere & demonstrare videtur concors illa doctissimorum hominum, Gentilium, Hebræorum, Græcorum, & Latinorum opinionum consonantia. Sic opinari videntur, ex Gentilibus, Hidaspes, Mercurius Trismegistus, & Sibyllæ. Ex Hebræis Rabbi Isaac, Rabbi Elias, & Rabbi Moyses. Ex Græcis, S. Hippolytus, S. Justinus, S. Irenæus, S. Cyrillus, S. Chrysostomus. E Latinis, Tertullianus, Lactantius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Hilarius. Huic tantæ authoritati pondus & vim addit, quod numerus iste distributioni naturali providentiæ divinæ respondere videatur; scimus enim legem naturæ bis mille annis viguisse, totidemque annis aliis legem scriptam durâsse: proportione igitur & legum correspondentiâ consideratâ, legem grætiæ totidem subsecuturis annis duraturam opinantur. His aliisve fundamentis multi gravesque Authores moderni, videlicet Bellarminus, Genebrardus, Fevardentius, Piscis Mirandulamus, Bongus, Cornelius, & alii opinionem istam tanquam probabiliorem propugnant, & ut talem amplectuntur. Hoc supposito, & quod mundus nonnisi sex annorum millibus persistet, à præsenti anno, quem nunc agimus, usque ad ultimum, nonnisi trecenti quinquaginta supersunt: ex quo inferre licebit illis, qui hodie in omnibus aulis, Romæ, Parisiis, & hic Ulyssipone tam magnificas structuras erigunt, omnia ista quæ faciunt, & in quibus tantopere desudant nihil esse aliud, quàm extremi judicii igni ligno construere.

Psalm. 89. v. 4.

Hippolytus *Justin.* *Iren.* *Cyrill.* *Chrysost.* *Tertul.* *Lactan.* *Hieron.* *Aug.* *Hilar.* *Bellar.* *Geneb.* *Faver.* *Pic. Mir.* *Bong.* *Cornel.*

Cardinalis Cusanus Philosophorum æquè ac Theologorum non minimus, in particulari quodam tractatu, quem de hac materia composuit, multò adhuc magis terminum istum contrahit. Pro fundamento, illam S. Pauli prophetiam assumit, quâ

Card. Cusan. tract. de duratione mundi.

quâ dicit, quod Ecclesia accrescet ad mensuram ætatis Christi; *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Proinde singulis vitæ Christi annis unum assignando annum remissionis seu redemptionis, (qui in lege annus Jubilæi vocabatur, & omni annorum quinquagenario recurrebat) arithmeticè benè concludit, mundum anno millesimo septingentesimo expiraturum. Juxta hunc computum, multis nunc viventium terribili diei judicii tragœdiæ interesse, horrendaque præcessura signa converti contingit. Utinam nunc essent, qui hoc sibi persuaderent! quàm nihili facerent alia futura, quæ tam nullius sunt momenti & quàm parum se occuparent & fatigarent, & Principes, in acquirendis beneficiis & reditibus pro multis vitis!

Hic Author computum suum in carnationis Christi.

Verùm enim verò ab anno transeamus ad diem, veritas adhuc brevior, certior, & gravior, omnium contemptum persuadere poterit. Christus Dominus noster diei illius secretum nosse volentibus Discipulis inquit; solùm Patrem id sibi reservâsse, neque Angelis in cœlo cognitum, neque sibi id mundo revelare esse licitum: *De die autem illo & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, neque filius, nisi Pater.* Nihilosecius non mepœnitet, nec retrectabo promissum. Pollicitus sum me certitudinaliter vobis diem judicii prædicturum. Enim verò quando eum adfore putatis? nolo vos relinquere suspensos. Est hodie, fuit heri, erit cras, nec oritur, nec occidit dies, quin certus sit judicii dies. Quid rei est dies judicii? Est dies, quo finietur mundus: Est dies, quo Christus nos judicaturus adveniet: est dies, quo totius vitæ nostræ rationem reddemus: & quo boni in cœlum, & reprobi ibunt in infernum. Nunquid dies judicii in hoc ce essentialiter & substantialiter consistit? Ita planè. Istud ergo fit hodie, factum est heri, & cras futurum, & singulis fit diebus. Omni die finitur mundus; morienti enim, finitur mundus. Christus quotidie judicandum venit: eodem enim instante, quo homo expirat, ad judicium stat: non alius quàm ipse judex Christus: quotidie de tota vita strictissima ineatur ratio, in die enim mortis, ipsoque ejus instanti, exigitur & redditur ratio. Quotidie denique boni in cœlum, & reprobi vadunt in infernum, quotidie enim illi qui moriuntur, vel absoluti pergunt ad cœlum, vel condemnati descendunt in infernum. Ad Evangelium accedendo videamus, quomodo idem illud judicium, & in forma, quâ illud declaravi, est idem, quod Christus hodie prædicat.

Matt. 24. v. 36.

§. III.

CHristus Dominus noster idem Evangelium prædicando, quod audistis horrenda Discipulis suis prædixit signa, quem diem judicii forent præcessura: necnon potestatis majestatisque magnitudinem in quâ ipsemet personaliter ad judicandum mundum procedet; verbis thematis loco assumptis, *Amen dico vobis quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Locus hic ex difficillimis totius historiæ Evangelicæ locis unus est. Generatio una, phrasi scripturæ, unam significat ætatem, aut sæculum unum: nam summum ætatis quod homo vivendo attingit, centum est annorum. Eodem hoc sensu, iisdemque textus nostri verbis Ecclesiastes

stes id asserit; *Generatio præterit, generatio advenit.* Et David multis locis: *A generatione in generationem*: Et ipse Deus distinctius & clarius Ægyptiacæ servitutis tempus revelando: *Affligent eos quadringentis annis: generatione autem quarta revertentur huc* Ex quo evidenter evincitur generationem unam continere sæculum unum, seu centum annos: quadringenti enim anni faciunt quatuor generationes. Quo supposito Christus doctrinam suam & prædicationem de circumstantiis diei judicii concludens, omnia eodem sæculo, & annorum centenario complenda affirmavit. Hic nunc difficultas ocurrit. Ab illo tempore usque huc tam evolutos ultra mille sexcentes annos, vel sedecim sæcula numeramus; septimum decimum jam agimus, & judicii dies nondum advenit. Juxta demonstrationis hujus evidentiam, & relatas superius opiniones, mundus probabiliter aliquibus, imò multis adhuc sæculis durabit, donec dies judicii adsit. Quomodo igitur Dominus, & quidem expresè adeò & asseveranter affirmat omnia in labente tum sæculo complenda fuisse, & sæculum istud non, nisi his impletis, & præsente judicii die finitum iri? *Non præteribit generatio hæc, donec omnes fiant.* Ita dixit, & idem affirmavit veritas æterna: & ita implendum est in sæculo isto, & implebitur in subsecuturis: nullus enim homo isto sæculo vixit, qui suum judicii diem in eodem non fuerit expertus. Quemadmodum vita & ætas ordinariè centenarium annorum non excedit, nullus homo sæculo isto comprehensus eodem durante vitam non finit, nullusque in tribunali Christi judicatus suum in eodem sæculo judicii diem non sortitur. Morientes hodie, judicii sui diem habent hodie; mortui heri eundem habuerunt heri: mortui cras, & deinceps post viginti annos, & cras, & post viginti annos suum judicii diem, in eodem sæculo, & in eadem ætate seu generatione sortientur: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

Eccles. 1. v. 4.

Gen. 11. v. 16.

Novi equidem, doctos expositionem hanc pro nova habituros; etiam ipsi nôrunt, quàm contortæ difficilesque sint expositiones hucusque datæ. Ego pro adæquata, genuina & literali, non tamen mea, sed ipsius Christi illam habeo: sicut enim ex Evangelista S. Matthæus constat, quicquid Christus in hoc discursu de judicio dixerat, totum diei mortis applicavit, illos quibus loquebatur, exhortando, ut ad illum sese præpararent, illi, quibus divinus Magister loquebatur, quando dixit: *Amen dico vobis*: Erant Apostoli eodem sæculo morituri & mortui: proinde accommodatè satis Christus ipsis dixit, omnia in eodem sæculo forecomplenda: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

Matth. 24. v. 34.

Ibid. v. 33

Nihilominus non deerit, qui replicet & apparenter, non sine bono fundamento. Christus ante diem judicii signa in Sole, luna, & stellis præcessura asseruerat: erunt signa, in sole, luna, & stellis: in magnifico throno se ad judicandum venturum, sicque illos se visuros dixerat. *Tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna & majestate:* Et eodem sæculo, aliisque subsecutis, nihil horum adhuc visum fuit: ergò non verificatur, quod eodem sæculo omnia forent complenda, *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Hic nunc patebit, quid

sit,

sit, ly *Omne*, seu *Omnia*, diei judicii quidve Christus, *Omnia*, vocet, *Omnia* diei judicii, sunt ratio vitæ transactæ à Christo exigenda & excipienda, sententia pro meritis ferenda, cœlum seu infernus, ad quemcunque horum locorum deveniet judicatus: reliqua omnia sunt accidentia, circumstantiæ & judicii universalis apparatus, & non de substantiâ ejusdem, à particularibus judiciis distinctâ. De hac substantia, illoque universalis judicii, *omni*, Christus concludendo fuit locutus: & quia ista substantia, illudque omne à judiciis particularibus, quæ in morte singulorum exercentur, non distinguitur. Hinc omnia eodem sæculo complenda asseruit, prout reverà facta & completa fuerunt. Et si verborum proprietatem expendere libet; *donec omnia fiant*; majorem adhuc in illis energiam & emphasim deprehendere licebit: nam in die judicii extremi, novi nihil aliud eveniet, nisi jam ante factorum publica declaratio. Judicia particularia singulorum, in morte facta sunt eadem, quæ in judicio universali publicabuntur: & judicium peragitur, non quando promulgatur scientia, sed quando fertur. Ergo in die mortis judicium propriè exercetur, & omne istud quod modò peragitur, & non postea, Christus dixit quod eodem sæculo implendum foret: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

Enimverò, ad tollendum omne dubium, ipsum auscultemus Christum, in casu magis implexo illudque aggravare valente. In Evangelio S. Joannis cap. 5. Christus de die judicii extremi cum gravioribus magisque intrinsecis circumstantiis loquitur: de universali enim mortuorum resurrectione, necnon universali similiter bonorum malorumque, pro singulorum meritis, sententia mentionem ingerit: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joan. 5. v. 29. & 30. Et idem tempus, quando futurum sit, declarando, Christus inquit, quod veniet, & jam est: *Venit hora, & nunc est.* Potestne dari propositio sibi magis contradictoria? Erit judicii dies, & nunc est? si judicii dies tam procul aberat: si mille sexcentique anni jam sunt evoluti, & nondum venit, & si de tempore adventus diei illius, ac horæ necdum certi quicquam constat, quonam pacto divinum Christi oraculum jam adesse pronunciat, *Venit hora, & nunc est?* Admirabiliter ad literam respondet S. Hieronymus, nec accommodatioribus proposito verbis, desuper commentari potuisset à me rogatus; *Quia quod in die judicii futurum est omnibus, singulis in die mortis completur.* S. Hier. in Joel. cap. 2. Christum inquit, quod dies judicii veniet, & nunc est: quia quamvis dies judicii erit posteà, & longè post; dies mortis jam nunc est: Et quod futurum est omnibus in die judicii, singulis completur in die mortis, *Singulis in die mortis completur.* Notate ly, *completur.* Aliæ Prophetiæ suo complentur tempore, hæc diei judicii, complementum ante tempus accipit: idem enim quod fit modò, tunc futurum esse dicitur. Tunc examinabuntur opera, tunc pronunciabitur sententia, tunc alii exibunt absoluti, alii condemnati: Et quicquid futurum est in die judicii, jam fit, aut factum est in die mortis. Propterea

stes id asserit; *Generatio præterit, generatio advenit.* Et David multis locis: *A generatione in generationem*: Et ipse Deus distinctius & clarius Ægyptiacæ servitutis tempus revelando: *Affligent eos quadringentis annis: generatione autem quarta revertentur huc* Ex quo evidenter evincitur generationem unam continere sæculum unum, seu centum annos: quadringenti enim anni faciunt quatuor generationes. Quo supposito Christus doctrinam suam & prædicationem de circumstantiis diei judicii concludens, omnia eodem sæculo, & annorum centenario complenda affirmavit. Hic nunc difficultas ocurrit. Ab illo tempore usque huc tam evolutos ultra mille sexcentes annos, vel sedecim sæcula numeramus; septimum decimum jam agimus, & judicii dies nondum advenit. Juxta demonstrationis hujus evidentiam, & relatas superius opiniones, mundus probabiliter aliquibus, imò multis adhuc sæculis durabit, donec dies judicii adsit. Quomodo igitur Dominus, & quidem expresè adeò & asseveranter affirmat omnia in labente tum sæculo complenda fuisse, & sæculum istud non, nisi his impletis, & præsente judicii die finitum iri? *Non præteribit generatio hæc, donec omnes fiant.* Ita dixit, & idem affirmavit veritas æterna: & ita implendum est in sæculo isto, & implebitur in subsecuturis: nullus enim homo isto sæculo vixit, qui suum judicii diem in eodem non fuerit expertus. Quemadmodum vita & ætas ordinariè centenarium annorum non excedit, nullus homo sæculo isto comprehensus eodem durante vitam non finit, nullusque in tribunali Christi judicatus suum in eodem sæculo judicii diem non sortitur. Morientes hodie, judicii sui diem habent hodie; mortui heri eundem habuerunt heri: mortui cras, & deinceps post viginti annos, & cras, & post viginti annos suum judicii diem, in eodem sæculo, & in eadem ætate seu generatione sortientur: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

Eccles. 1. v. 4.

Gen. 11. v. 16.

Novi equidem, doctos expositionem hanc pro nova habituros: etiam ipsi nôrunt, quàm contortæ difficilesque sint expositiones hucusque datæ. Ego pro adæquata, genuina & literali, non tamen mea, sed ipsius Christi illam habeo: sicut enim ex Evangelista S. Matthæus constat, quicquid Christus in hoc discursu de judicio dixerat, totum diei mortis applicavit, illos quibus loquebatur, exhortando, ut ad illum sese præpararent, illi, quibus divinus Magister loquebatur, quando dixit: *Amen dico vobis*: Erant Apostoli eodem sæculo morituri & mortui: proinde accommodatè satis Christus ipsis dixit, omnia in eodem sæculo forecomplenda: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

Matth. 24. v. 44.

Ibid. v. 33

Nihilominus non deerit, qui replicet & apparenter, non sine bono fundamento. Christus ante diem judicii signa in Sole, luna, & stellis præcessura asseruerat: erunt signa, in sole, luna, & stellis: in magnifico throno se ad judicandum venturum, sicque illos se visuros dixerat. *Tunc videbunt filium hominis venientem cum potestate magna, & majestate:* Et eodem sæculo, aliisque subsecutis, nihil horum adhuc visum fuit: ergò non verificatur, quod eodem sæculo omnia forent complenda, *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Hic nunc patebit, quid

sit,

sit, ly *Omne*, seu *Omnia*, diei judicii quidve Christus, *Omnia*, vocet, *Omnia* diei judicii, sunt ratio vitæ transactæ à Christo exigenda & excipienda, sententia pro meritis ferenda, cœlum seu infernus, ad quemcunque horum locorum deveniet judicatus: reliqua omnia sunt accidentia, circumstantiæ & judicii universalis apparatus, & non de substantiâ ejusdem, à particularibus judiciis distinctâ. De hac substantia, illoque universalis judicii, *omni*, Christus concludendo fuit locutus: & quia ista substantia, illudque omne à judiciis particularibus, quæ in morte singulorum exercentur, non distinguitur. Hinc omnia eodem sæculo complenda asseruit, prout reverà facta & completa fuerunt. Et si verborum proprietatem expendere libet; *donec omnia fiant*; majorem adhuc in illis energiam & emphasim deprehendere licebit: nam in die judicii extremi, novi nihil aliud eveniet, nisi jam ante factorum publica declaratio. Judicia particularia singulorum, in morte facta sunt eadem, quæ in judicio universali publicabuntur: & judicium peragitur, non quando promulgatur scientia, sed quando fertur. Ergo in die mortis judicium propriè exercetur, & omne istud quod modò peragitur, & non postea, Christus dixit quod eodem sæculo implendum foret: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

Enimverò, ad tollendum omne dubium, ipsum auscultemus Christum, in casu magis implexo illudque aggravare valente. In Evangelio S. Joannis cap. 5. Christus de die judicii extremi cum gravioribus magisque intrinsecis circumstantiis loquitur: de universali enim mortuorum resurrectione, necnon universali similiter bonorum malorumque, pro singulorum meritis, sententiamentionem ingerit: *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* Joan. 5. v. 29. & 30. Et idem tempus, quando futurum sit, declarando, Christus inquit, quod veniet, & jam est: *Venit hora, & nunc est.* Potestne dari propositio sibi magis contradictoria? Erit judicii dies, & nunc est? si judicii dies tam procul aberat: si mille sexcentique anni jam sunt evoluti, & nondum venit, & si de tempore adventus diei illius, ac horæ necdum certi quicquam constat, quonam pacto divinum Christi oraculum jam adesse pronunciat, *Venit hora, & nunc est?* Admirabiliter ad literam respondet S. Hieronymus, nec accommodatioribus proposito verbis, desuper commentari potuisset à me rogatus; *Quia quod in die judicii futurum est omnibus, singulis in die mortis completur.* S. Hier. in Joel. cap. 2. Christum inquit, quod dies judicii veniet, & nunc est: quia quamvis dies judicii erit postea, & longè post; dies mortis jam nunc est: Et quod futurum est omnibus in die judicii, singulis completur in die mortis, *Singulis in die mortis completur.* Notate ly, *completur.* Aliæ Prophetiæ suo complentur tempore, hæc diei judicii, complementum ante tempus accipit: idem enim quod fit modò, tunc futurum esse dicitur. Tunc examinabuntur opera, tunc pronunciabitur sententia, tunc alii exibunt absoluti, alii condemnati: Et quicquid futurum est in die judicii, jam fit, aut factum est in die mortis. Propterea

Christus inquit istum diem venturum, & nunc esse: *Venit hora, & nunc est. Nunc.* Ista duo temporis adverbia, *tunc* & *nunc*, semper sunt contradictoria: sed in die judicii cum die mortis collatâ, licet dies mortis bis mille annis judicii diem antecedat, nullam involvunt contradictionem. Illud *tunc*, est *nunc*: & hoc *nunc*, est, *tunc*. In Evangelio nostro dicit idem Dominus: *Tunc videbunt*: & illud *tunc*, est *nunc*: *tunc videbunt, & nunc est.*

Nec obstat, quod universalis judicii dies aliàs notabiliores habebit circumstantias, quàm judicium particulare in die mortis. Idcircò Christus, post commemoratas eadem circumstantias in hoc textu, absolutè nihilominùs affirmat, esse nunc quod futurum est tunc. Christus enim (prout dixi) de judicii substantia loquitur, quæ in universali & particulari erat eadem: & non de accessoriis, apparatibus & circumstantiis, ex quibus finale judicium erit longè diversum. Enim verò authoritati S. Hieronymi illam S. Augustini adjungamus, qui in interpretandis scripturas primas sibi meritò vendicant. Hesychius Episcopus Hierosolymitanus hisce circumstantiis, aliorumque textuum Evangelicorum, in quibus res futuri judicii, cum illis temporis præsentis contrariari sibi aut æquivocari videntur, difficultate motus, cum S. Hieronymi solutionibus sibi minus satisfactum putaret, S. Augustinum desuper consuluit. Et quid magnus hic Doctor & Ecclesiæ oraculum responderet? veritas inter omnes illam assequenres est eadem. Respondit S. Augustinus idem, quod dixerat S. Hieronymus, sed verbis terminisque sibi valdè propriis, illum Christi textum apud S. Marcum allegavit, *Quod autem vobis dico, omnibus dico:* interrogans, quare Christus dicit & prædicat omnibus, quod solos in die judicii victuros concernit? *Cur itaque omnibus dicit, quod ad eos solos pertineat qui tunc erunt?* Hisque verbis divinis sibi respondet: *Tunc enim unicuique veniet dies ille, cum venerit ei dies, ut talis hinc exeat, qualis judicandus est illo die.* Christus innuit (inquit S. Augustinus) & quemlibet monendo, pro die judicii solicitum esse jubet; quia omnibus dies judicii veniet, quando cuilibet ille dies venerit, cùm talis exiturus est de hoc mundo, qualis in die judicabitur ultimo. In die ultimo, qui est Judicii, quilibet judicabitur talis, qualis judicatus fuerit in die mortis: ergò in die mortis cuilibet veniet dies Judicii. Eodem loco, terminis magis claris, nec minus sibi propriis se se explicat S. Augustinus: *In quo quemque statu invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet mundi novissimus dies: quoniam qualis in die isto quisque moritur, talis in die illo judicabitur.* Christus affirmat (repetit Augustinus) id quod futurum est in die Judicii, etiam futurum esse nunc, & nunc jam esse: animadvertendum enim, quod novissimus Judicii dies in duos novissimos dividitur, scilicet in novissimum mundi, qui est dies ultimus mundi: & in diem novissimum vitæ, qui est dies ultimus vitæ; & qualis fuerit ille novissimus primus, talis erit & secundus: ergò jam est, quod erit; nam non erit aliud, quàm quod est. Si ultimæ mundi diei judicium ab ultimæ diei vitæ judicio deberet esse diversum, bina propriè erunt judicia, unum futurum, alterum præsens; sed

Hesych. Epist. 79.

Marc. 13. v. 37.

S. Aug.

sicut

sicut verè & realiter unum tantùm est judicium divisum, vel in duos dies multiplicatum, in uno factum, & in altero repetitum; propriè magis jam nunc est in die quo fit, quàm erit postea in die quâ repetitur. Ex hoc capite summa veritas affirmat, quod veniet, & jam est. *Venit hora, & nunc est.* Proinde, Auditores, conceptus quem ordinariè de die Judicii formamus, erroneus valde & deceptivus est. Consideramus diem Judicii tanquam terribile aliquid & tremendum, sed longè absens, sicut serpentes in arenis Lybiæ, & crocodilos in Nilo, hinc metum non incutit. Secus se res habet: non longius abest quam crastina, & hodierna dies, imò hæc ipsa, in qua degimus hora: *Venit hora, & nunc est.* Vallis Josaphat non solùm Jerosolymis est, neque inter montem Sion & Oliveti; est Ulyssipone, est hoc ipso loco, & omnibus aliis mundi locis. Si mors vos aggressa fuerit in mari, in campo, vel in lecto; mare, campus, vester lectus est Vallis Josaphat; & iste est quicunque demum fuerit, vester judicii dies, seriùs aut citiùs, in eodem sæculo, quo nascimur: *Non præteribit generatio hæc donec omnia fiant.*

§. IV.

VIdimus quando Judicii dies certò sit futurus, & quomodo hodie, cras & quotidie: quia judicium quod in die mortis peragitur, est idem & non aliud, quàm finale. Descendendo nunc ad utriusque judicii circumstantias; casu quo istæ finalis magis vobis terribiles & tremendæ videntur, dico, vos etiam in hac imaginatione decipi. Multò rigidiores, terribiliores, magisque tremendæ erunt dici judicii præsentis & moderni circumstantiæ, quàm illæ futuræ in die illo, quem vulgariter diem judicii appellamus.

Primò, singularem in consideratione judicii finalis horrorem incutit, quod illo die finietur mundus, cui tantùm in hæremus: neque cogitamus nec advertimus in dies mortis mundum similiter finiendum. Quid interest, quod mundus mihi vel omnibus finiatur; Quid interest, quod mundus finiatur mihi, vel ego illi? S. Paulus mundum hunc describens, ut nos à vanitatibus ipsius avellat, ait, quod sit instar theatri, quod quilibet chartam suam repræsentaturus ingreditur, & transit & abit: *Præterit enim figura hujus mundi* 1. Cor. 7. v. 31. Non mundum: sed figuras ejus transire asserit Apostolus; nam figuræ transeunt, & theatrum manet. Alludit ad Spiritus sancti oraculum; *Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum stat.* Eccles. 1. v. 4. Hi nascuntur, illi moriuntur: hi in mundum intrant, illi è mundo exeunt: Et mundus tanquam theatrum horum repræsentativum, immotus semper in eodem loco perseverat. Nihilominus S. Joannes in prima sua Epistola, non solùm nos mundi amatores, verùm etiam eundem mundum transire affirmat: *Et mundus transit, & concupiscentia ejus.* 1. Joan. 2. v. 4. Age, si mundus semper est, stabilisque permanet, & transeuntibus nobis ille non movetur; quomodo S. Joannes inquit, *& mundus transit*? Nunquid fortassis duorum Ecclesiæ Salomonum Pauli & Joannis doctrina sibi contradicit? absit. Ambo differentibus terminis, eandem docent veritatem. Quemadmodum nos in hoc mundo viventes transimus non permanentes:

quam-

quamvis mundus permaneat, tamen transit: *Et mundus transit.* Non sibi transit, se nobis. Mox ut ab hac vita transimus, etiam ille transit: nobis finientibus, etiam ille mox finit. Hic remanentibus, ille durat & persistit; nobis egredientibus, ille simul transit nobiscum. Si minus, non jam mortuos interrogate, num mundus vel aliquid de mundo ipsis supersit? si navigabant, jam illis finiit mare: si terram colebant, finiit terra: si negotiabantur, finita sunt illis commercia: si militabant, finita sunt illis bella: si studiis operam dabant, libri sunt absoluti: si statim sæcularem aut Ecclesiasticum gubernabant, transierunt Virgæ, Tribunalia, Coronæ, Mitræ, Purpuræ, Tiaræ: omnia illo momento sunt finita: nec pro Regibus, nec pro summis Pontificibus, quondam mundi dominis jam est mundus: sicut enim illi finiendo transierunt, pari ratione etiam mundus finiendo transiit illis.

Copernicus insignis proximè præteriti sæculi Mathematicus novum mundi Sisthema adinvenit, quo demonstravit, seu potius demonstrare conatus est (quamvis erroneè) non esse solem, qui mobilis mundum circuiret, sed illam ipsam terram, in qua degimus, nobis non sentientibus moveri, & semper in rota volvi: Ita ut terra dimidio cursus sui absoluto solem detegat, quod nos nasci vocamus: & altero cursus sui dimidio absoluto eundem abscondat, quod nos occidere dicimus. Et mirabile in hoc novo invento apparet, quod illo supposito, tota universi œconomia, astrorum proportiones, temporum dimensiones, eâ volvantur punctualitate & certitudine; quâ hucusque observatum, stabilitum fuit, & confirmatum supposito contrario: Eadem ipsa non erroneè, sed veraciter transit in nostro & mundi transitu, eligite ex duabus opinionibus istis utram mavultis: sive sol moveatur, sive nos non sistamus; vel sol occidat nobis, sive nos illi, iidem prorsus sequuntur effectus. Sive in die judicii occasus sit mundi; sive in die mortis, occasus sit meus; sive mundus tunc finiatur omnibus, sive ego nunc finiam mundo: in idem recedit totum, quia finit totum. Quemadmodum mundus hodie nondum est pro nascituris nondum existentibus: pari ratione idem jam amplius non est pro nobis mortuis, quia jam amplius non sumus.

Ex jam dictis evidenter sequitur, quod similiter, hodie, cras, & quilibet dies finis sit mundi. Eâdem nunc evidentiâ videte, quantò terribilior omnisque solatii magis expers sit primus iste finis mundi in die mortis; præ illo ultimo in die judicii. Dixit Seneca, magnæ esse consolationis simul cum mundo finire: *Solatium est grande, cum universo unà rapi.* Seneca. Seneca supra captum suum locutus est: nam diei judicii notitiam nullam habuit. Enim verò, in quo consolatio ista consistit? consistit in eo, quod quando mundus finitur mihi, in die judicii etiam finitur omnibus. In malo, quod est omnium deficit comparatio: & ubi deest comparatio, non est miseria: *nemo miser, nisi comparatus.* In morte præsenti & nunc, non est ita. Desinit mundus mihi, & non omnibus desinit. Illi moriuntur, quando jam nemo potest vivere: ego moriens alios viventes relinquo. Istud est affligi morte propriâ, & alienâ insuper vitâ. Dies Judicii

istum

istum non inferet dolorem, nemini enim tunc conqueri licebit, sibi soli mundum finiri & vitam, quando æqualiter finietur omnibus, etiam eodem die nascentibus. Tunc inquit S. Joannes Evangelista, vox audietur Angeli dicentis ac prædicantis, *Quia tempus non erit amplius.* Tempus nihil est aliud, quàm mundi duratio. Sicut tempus cum mundo incepit, sic etiam cum illo finiet. Porrò si finit homo suum mundum, finiente ipso mundo: si finit suos dies, quando finitur tempus: quomodo materia doloris supererit, quando jam ultra nihil desiderandum restabit? & hoc eveniet illis qui vitam in die judicii finient. Mundus verò, tempus & dies finiantur mihi, dum adhuc permanent aliis? hæc grandis est differentia doloris, quâ mundus nunc finitur nobis, & nos illi. Ad aliam circumstantiam procedamus.

Ex majoribus pœnis, quas Deus per Prophetam Amos divitibus & potentibus temporis istius interminabatur (prout etiam hodiedum iisdem interminari posset) illa fuit, quod magnificis palatiis, aliisve, quæ seu ad inhabitandum, seu oblectandum construebant, non forent fruituri: *Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.* Amos. 5. v. 11. Ita ratio defectus æqualiter in utroque fine mundi currit; quia morientur tunc, & qui moriuntur nunc, æqualiter nullum percipient fructum ex eis, quæ tanto nunc gaudio, tantis impendiis, necnon tam oblivioso finis vitæ proeadem congregant ædificant & machinantur: Ast idem defectus in die judicii victuros multo minus affliget. Ad quid divitem illum Evangelicum, ad vivendum multis annis, omnia sua disponentem, eademque nocte mortuum vox de cœlo interrogavit, *& quæ parasti, cujus erunt?* Luc. 12. v. 20. finituros cum mundo in die judicii hæc pœna non tanget, non enim ex eo dolorem sentient, quod alii labore ipsorum fruentur: *Non ædificabunt & alius habitabit: non plantabunt, & alius metes.* Isa. 65. & 22. Inquit Isaias Propheta tanquam faustum quid narrans, Hoc tamen gaudere nequeunt illi, qui mundo adhuc stante moriuntur, tantoque minus, quantò plus in eo possederunt. Interrogate domos illas, villas illas hæreditatesque opulentas; interrogate palatia illa, & peribolos deauratos, hortos istos & fontes, statuas istas & sylvas artificiales, quarum usus nonnisi umbratilis est, interrogate inquam, cujus fuerunt, sunt aut erunt? Istud accidit iis qui mundum finiunt, antequam finiatur mundus. Quid relinquant scientes, cui relinquant, ignorant: *Et ignorat, cui congregabit ea.* Psalm. 38 v. 7. Vel prodigo, qui dissipabit; vel extraneo futuro ingrato; vel potenti violenter occupaturo: vel inimico cristas & animos inde assumpturo; vel liti processuive infinito omnia assumpturo. Quantò potiùs præoptâssent sic finientes, ut secum omnia pariter possessa sepelirentur, sicut sepelientur cum ipsis omnes in die judicii morituri! amplius.

Unus ex majoribus mortis rigoribus est separatio, avulsio & divortium universale ab omnibus amatis & amantibus. Acerbè hoc accepit Rex Agag videns se à Samuële Propheta jam instantaneæ morti destinatum: *Siccine separat amara mors?* 1. Reg. 15. v. 32. Mors illum ab uxore, à filiis, à subditis, ab amicis & ab omni amato,

& reciprocè in hac vita amantem violenter ſeparavit: quam ſeparationem, amaritudinem mortis maximam rationabiliter appellavit; *amara mors*. Mors in die judicii illa amaritudine & dolore caret: licet enim ſit mors, non tamen eſt ſeparatio, Omnes tunc bibunt ſimul juncti ſine mutua & reciproca conſolatione. Diem Judicii Chriſtus aſſerit ſimilem futurum diluvio Noë, *Sicut fuit in diebus Noë* Et ſubtiliter Sanctus Auguſtinus conſideravit, quod in univerſali illa diluvii calamitate, morientes non minimam ex eo hauſerint conſolationem, quod neminem deploraturum in mundo relinquerent: de quo itidem gaudebunt in die judicii morituri: Qui verò nunc moriuntur non ſolum iſta conſolatione privantur, verùm oppoſitâ & quidem geminâ quandoque afflictione diſcruciantur. Separantur ab amicis & inimicis non ſolum poſt ſe relinquentes deploraturos, ſed etiam inſultaturos, quod non leviter affligit: *Dilectaſti inimicos meos ſuper me.*

Denique in die judicii finietur vita cum mundo, ſed cum mundo finientur onera vitæ: in die verò mortis finitur mundus vitæ, ſed non oneribus. Onera vitæ, quæ maximè angunt & cruciant in morte, finientur cum mundo; tunc enim ceſſabunt exactiones creditorum, ceſſabit ſatisfactio Famulorum, accommodatio filiorum, diſpoſitio domus, ceſſabunt debita, & reſtitutiones, non erit nominatio hæredum & legatariorum, nec teſtamentum vel codicilli, nec juſſiones, nec petitiones (quotquot ſunt clauſulæ nec ſepulturæ, neque funeralia, neque tot aliæ perturbationes & impedimenta, quæ ante præfocant animam quàm egrediatur. Omnia iſta & infinitæ aliæ anxietates, afflictiones, moleſtiæ, ſcrupuli, ſalvationiſque pericula concurrentia, ſibi invicem in hora mortis occurrunt. At nihil horum in judicii die erit timendum, omnia enim finientur cum mundo, qui totaliter tunc deſinit eſſe: & non ſicut modò, cùm deſinit vitæ, & non oneribus ejus. Ecce, nunquid non calamitoſior rigidiorque eſt dies iſte! hinc dicebat David: *Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis*, q.d. Vidi Domine, in quo mundo finietur & hoc ipſo mandatum tuum nimis mihi dilatatum fuit viſum, omnes enim anxietates, preſſuræ, & anguſtiæ, quas nobis nunc lex mandatumque Dei immittit, in hora mortis occurrent: In die judicii, ubi omnia finem accipient cum mundo, etiam illæ finem accipient & ceſſabunt. *Pſal. 118. v. 96.*

§. V.

ENim verò ſi acerbiore terribiliore que modo mundus nunc finitur ſingulis quàm in die Judicii finietur omnibus, etiam ex parte modi circumſtantiarumque quibus Chriſtus judicaturus adveniet, multò magis timendus & tremendus eſt dies mortis, quàm dies judicii erit.

Pro intelligentia hujus tam liquidæ veritatis, quæ non malè expenſa videtur, ſecundùm ſupponendumque eſt, Adventus Chriſti non eſſe tantum duos, pro communi hominum exiſtimatione, ſed tres. Primus Adventus eſt, quem hodie incipit celebrare Eccleſia, quo ad redimendum genus humanum Dei Filius venit, & in die Incarnationis incepit. Secundus eſt, quem ſimiliter hodiernum Evangelium prædicat, quo ad judi-

judicandum mundum veniet, qui erit dies judicii : & duorum horum adventum tantum meminit Symbolum dicens: *Et iterum venturus est* : sunt enim generales & visibiles? Tertius adventus particularis, est, & invisibilis, quo Christus in hora mortis quemlibet nostrum judicaturus aderit, judiciumque istud instanti eodem, quo anima de corpore egreditur, peragitur. Porrò ne doctrina ista, vel nomen tertii adventus nova & exotica vobis videantur (qualia jam visa sunt) Sacram Scripturam audiamus.

S. Jacobus Apostolus cap. 5. Epistolæ suæ, Christianos temporis istius exhortando, ut à jurgiis, litibus & contentionibus, quibus semper charitas læditur & offenditur, abstineant, inquit ita: *Quoniam adventus Domini appropinquavit, nolite ingemiscere, Fratres, in alterutrum, ut judicemini, ecce judex ante januam assistit.* Jacob. 5. v. 9. Nunquid conformia magis, textuique S. Matthæi, in eadem Evangelii nostri historia magis consona verba dari possunt? uterque de adventu Domini loquitur. S. Jacobus: *Quoniam adventus Domini appropinquavit*, S. Matthæus: *Et videbunt Filium hominis venientem.* His illisve verbis illum præ foribus esse asserunt. S. Jacobus: *Ecce judex ante januam assistit*, S. Matthæus: *Scitote quia prope est in januis.* Matt. 24. v. 13. Sed S. Matthæus totum illud verificandum narrat, post signa judicii diem præcessura: *Cum videritis hæc omnia.* S. Jacobus verò non de judicii die, sed eodem, quo hæc scribebat tempore loquitur: *Ecce.* Quis igitur adventus est iste non venturus, sed jam præsens, de quo S. Jacobus affirmat: *Quoniam adventus Domini appropinquavit?* est tertius, quem dixi. De quo S. Matthæus loquitur, adventus est generalis, in quo Christus in die judicii omnes judicaturus adveniet: de quo S. Jacobus loquitur, adventus est particularis, in quo idem Christus in die mortis venit judicare singulos. In adventu generali judicium jam ad januam aderit, postquam homines prævia signa conspexerint, *Cùm videritis hæc omnia, scitote quia prope est in januis.* In particulari verò adventu (indies enim, & omnibus horis moriuntur & mori possunt homines) indies, & omnibus horis judicium præ foribus est, *Ecce judex ante januam assistit.* De eodem judicio eodemque adventu S. Paulus loquitur dicens: *Tempus resolutionis meæ instat*, id est, tempus mortis meæ appropinquat: *Reposita est mihi corona justitiæ*, id est, præparata meritis meis corona adest: *Quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex*, id est, quam illo ipso die Christus tanquam justus Judex mihi dabit. Enim verò, nunquid tibi soli, Paule, istam in die mortis tuæ Christus Judex justus daturus est? nequaquam: *Non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus.* Ita ut præter duos illos adventus, alterum quo ad redimendum mundum venit, alterum, quo ad judicandum omnes venturus est, Christus Jesus Dominus noster tertium habeat adventum, quo in die mortis suæ singulos veniet judicaturus. 2. Tim. 4. v. 6. & 8.

Adventus hujus modum graves tractant authores, quos inter P. Suarez Christum adjudicandum nos in hora mortis venire asserit, non præsentiâ reali & propriæ suæ personæ assistentiâ, prout in judicio fiet universali: sed modo tantùm intellectuali, eâque fortunâ, ut moriens Suarez. tom. 2. part. 3. disp. 2. disp. 52. sect. 2.

riens clarè se judicatum, & à Christo judicatum cognoscat. Alii cum Innocentio Papa tertio opinionis contrariæ, enim in uniuscujusque morte, & eodem, quo moritur loco, personaliter præsentem adfuturum ad judicandum asseverant. *Hic* secundus dicendi modus verisimilior videtur, eò quod scripturis sacris, quæ in sensu proprio & naturali juxta verborum significationem intelligendæ veniunt, conformior existat : Et venire propriè, est venire personaliter. In hoc igitur sensu accipiendæ sunt tot tamque expressæ scripturæ Christum ad judicium particulare personaliter venire concorditer affirmantes. In solo cap. 12. S. Lucæ, Christus ipse quinis vicibus, se venturum prædicat de horâ mortis sermonem faciens: *Ut cum venerit, & pulsaverit : Beati servi illi, quos cum venerit Dominus: Quod si venerit in secunda vigilia: quod si in tertiâ vigilia venerit : Et vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, filius hominis veniet.* Et si Christum sæpiùs illud affirmantē audire libet; dixit id famulis, à quibus creditorum & expensorum talentorum rationem accepit ; *Negotiamini duo venio.* Item virginibus, quibus cœli januam aperuit & clausit : *Ecce sponsus venit.* Item Episcopo Sardicensi : *Veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam* Denique Discipulis valefacturus : *Si abiero, & præparavero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum.* Ubi notandum, quod illud, abire, hoc casu factum fuit realiter, quo pacto, illud venire, futurum est intellectualiter ? Illud, ly *iterum*, illud *ire* & *venire*, eodem futurum modo declarat. Quantò potiùs, si venturus non esset, dicere sufficiebat, *accipiam vos ad me* : & illud *venio*, supervacaneum & improprium erat; sequitur ergò in die mortis, de quâ Christus sermocinabatur, non qualicunque modo, sed propriè & realiter ipsum venturum: sicuti propriè & realiter abierat in cœlum.

Innoc. lib. 2. de contemptu mundi.

Luc. 12. v. 36. 37. 38. & 39.

Luc. 19. v. 13.

Apoc. 3. v. 3.

Joan. 14. v. 3.

Neque rationes authoris allegati, licet tam eximii, contrarium evincunt. Prima est, quia ad ferendam sententiam, necessarium non est, Christum in propria venire personâ. Enimverò, similiter necessarium non est, judicium universale, omnes enim jam sunt judicati : nihilominùs extra controversiam est, illud certò futurum, Christumq; illi personaliter præsentem adfuturum, solummodò quia ipse hoc dixit. Ratio secunda est, quia si sic foret, Christus quasi in perpetuo versaretur motu, eodemque tempore in locis diversis : Verùm sicut Christus sine inconvenienti illo & incommodo, mediante sanctissimo Sacramento toties iteratis vicibus, lociscque diversis sese præsentem exhibet ; & quemadmodum domos lectosque frequentat, ut tanquam viaticum illos confortet ; quare eundem non accedet locum ut tanquam judex illos judicet ; denique certum est, & de fide, quod ad judicium hoc peragendum sit venturus, tametsi modus sit indefinitus.

Verùm enim verò, quocunque modo veniat Christus, circumstantiæ, quibus in horâ mortis judicaturus venit, indubiè (prout dixi) terribiliores sunt, quàm illæ in die judicii. Circumstantiæ diem judicii horribilem facturæ, erunt totalis solis obscuratio, lunæ in sanguinem conversio, stellarum casus è firmamento, sonitus maris, totiusque naturæ strages & disso-

dissolutio, quâ orbis confundetur universus. Veruntamen omnia ista verè magna & stupenda, & nunquam visa, quamvis prima fronte apprehensa, grandem incutient horrorem, debitè tamen in se, suisque effectibus, & fine considerata. pacandis & consolandis potiùs animis, quàm illsdem angendis & perturbandis erunt idonea. Propheta Regius de judicii finalis, non tanquam futuris, sed velut præteritis effectibus verba faciens, more prophetico, admirabile quid astruit. *Terra tremuit, & quievit, cum exsurgeret in judicium Deus.* Quod veniente ad judicium Deo: quod concussis & perturbatis omnibus aliis elementis, & ipso cœlo ac planetis ejus tam universaliter dissolutis & dissipatis, terra commoveatur, non solùm timore & tremore concutiatur, sed sub abysso se recondat, sicuti quando condita fuit, & semetipsam intra se resorbeat, hoc pacto facit quod debet, nam hic est pro eâ casus *Cum exsurgeret in judicium Deus:* sed si terra hoc casu tremuit, *terra tremuit*, quomodo mox quievit, & *quievit*? conspectis primo intuitu judicii terroribus contremuit, & statim quievit: omnia enim judicii universalis terriculamenta primo intuitu & apprehensione horrorem & tremorem incutiunt, *terra tremuit*: sed considerata ex fine & effectibus, ipsi mitigando timori, animisque pacandis potiùs, quàm concutiendis & inquietandis deserviunt: *Terra tremuit & quievit.*

Psal. 75. v. 9.

Enimverò quænam secundi hujus tam disparis à primo effectus est causa? Evangelium id innuit: *Erunt signa in sole & luna, & stellis.* Omnis ista cœli immutatio, omnis ista astrorum obscuratio, omnis ista elementorum perturbatio sunt signa: *Erunt signa.* Signa appropinquantis mundi finis; signa appropiantis diei judicii; signa, ut omnibus de eo constet, seseque præparare possint, idcirco enim ea signa ponuntur in cœlo, ubi ab omnibus videri possint. Porrò judicium, quod nobis ante Adventum Deus sic intimat & inculcat non adeò terribile existit. Multò magis pertimescendum est judicium particulare sine istis terriculamentis, quàm universale cum illis: nam horribilia illa judicii universalis, sunt signa & monitoria pro hominibus: judicium verò particulare sine his præambulis, est judicium sine monitorio, judicium sine signo. Propheta David Deum arcu & sagittis instructum depingit; & sagittis non simpliciter arcui impositis, sed veneno lethifero infectis & ardentibus. *Arcum suum retendit, & paravit illum, & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit:* Quid verò Deus sic armatus facit vel intendit, sagittis jam arcui impositis? Quandoque amicos suos protegere, quandoque etiam inimicos suos dejicere & prosternere parat. Amicos suos liberaturus, arcu sagittis percusso dat signum: inimicos verò suos prostraturus, emissa sine signo, sagitta ferit, & nondum sentientes ictum ante pedes concidunt. Utrumque David admirabiliter asseruit: *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui. Sagitta tua acutæ, populi sub te caderet in corda inimicorum Regis.* Ita ut certum proprii vel irati, salvare vel punire volentis Dei argumentum, sit præmittere, vel non præmittere signum. Salvaturus dat signum; & istud fiet in die Judicii, *Erunt signa*:

Psal. 7. v. 14.

Psal. 59. v. 6.

Psal. 44. v. 6.

non salvaturus, non dat signum: & istud in hora mortis accidit.

Victuri tempore universalis judicii prævie ad salvationem seu salutem optimè disponentur, morientur enim omnibus istis solis, lunæ, maris, elementorumque omnium signis prænoniti: nos verò quomodo morimur? sole splendente clarè, cœlo serenissimo, lunâ quasi argenteâ, mari quasi lacteo, & sic arridente nobis mundi, & nostra serenitate morte obruti abripimur ad judicium: *Cum dixerint pax & securitas, repentinus eis superveniet interitus, inquit S. Paulus.* Omnes homines, vel quasi omnes (quamvis id nobis non imaginemur) repentè morientur. Nostro tantùm judicio repentè moriuntur, qui subitaneè mortui concidunt, qui videlicet fulmine, glande, gladio, infortunio, apostemate rupto, acu vel spinâ &c. faucibus transversim inhærente, apoplexiâ, peste, terræ motu, naufragio, seu millenis aliis accidentibus, sive naturalibus, sive violentis, sive fortuitis, quibus vita subjacet, quæque meritò continuum nobis timorem incutere deberent, è medio tolluntur: hos inquam solos repentinâ morte extingui arbitramur, sed decipimur: secus se res habet. Quotquot moriuntur inopinatè, moriuntur repentè. Viâ modoque naturali morientium aliqui senio cogente, aliqui ex infirmitate moriuntur, & quis senex tam est decrepitus, qui non aliquot adhuc vitæ annos sibi promittat? Et quis infirmus adeò est desperatus qui non ab infirmitate quantumcunque gravi, uti alii convaluerunt, se quoque convalitusum speret? majores potentioresque, magis in hac parte sunt infelices & vel maximè decipiuntur, quia hanc veritatem non cognoscunt nisi in tempore, quando jam non restat tempus: quæque dispositiones esse oportebat ad judicium, jam non sunt præparationes præviæ, judicii defectu. O quantò feliciores existunt, qui morientes finient cum mundo, in die judicii! *Erunt signa.* Illi longè ante mortem signa videbunt in cœlo; Hic enim audiuntur signa campanæ in parochia, sed non nisi vobis jam mortuis.

1. Thess. 5. v. 3.

Deus ordinare potuisset utique ut eodem die, eademque horâ quâ terribilia ista signa apparebunt, etiam judicii executio perageretur. Ejus verò misericors providentia decrevit, ut inter signa judiciique diem, dies plures, & temporis plus intercederet, quo homines tunc viventes, ad rationem à se se exigendam præparare se possint. Et hæc altera magis ponderanda est circumstantia, quæ judicium particulare horrendum magis & formidabile nunc efficit singulis, quàm tunc judicium universale erit universis. In judicio universali Deus exacturus rationem indulgebit tempus: in judicio particulari, Deus rationem excipiet, nullo tempore indulto: primo enim accipit tempus, & postea rationem. Ex notabilioribus S. Scripturæ textibus unus est, quo Deus priùs accepto tempore homines judicaturus, num justi vel injusti sint, examinaturum se dicit; *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* Deus ad judicandum tempore non indiget, omnia enim opera, cognitas, & verba nostra, ab æterno sunt, & fuerunt ei præsentia. Quodnam igitur tempus, vel quomodo illud accipit Deus homines judicaturus? tempus quod Deus accipit, illud ipsum est, quo

Psalm. 74. v. 3.

ad

ad componendas rationes ſuas homines indigerent; modus verò accipiendi eſt, illud non prærogare, aut ſubtrahere juſto ſuo judicio, quando veniet rationes excepturus horâ non putatâ, *Quâ horâ non putatis*. Sic in textum hunc commentatur Lorinus, potuiſſet citare S. Bonaventuram ſic interpretantem non minus ſubtiliter, quàm veraciter. Deo rationes exacturo, & indulgente tempus, qui rationes habet malas, eas reddere poteſt bonas, exemplo iſtius Villici Evangelici, cui Paterfamilias dixit: *Redde rationem villicationis*. Et indulto ſibi cogitandi tempore, computum ſuum qualificandi modum invenit. Verùm Deo rationem ſimul accipiente & tempus, *Cùm accepero tempus*: difficillimum eſt rectam reddere rationem: nemo qui vixit malè, eam reddet ritè. Et hoc morientibus nunc evenit ordinariè.

Lorin.

Luc. 16. v. 2.

Enim verò morituros in die Judicii, Chriſtus in noſtro Evangelio hoc præmonet paradigmate: *Videtis ficulneam, & omnes arbores, cùm jam producunt ex ſe fructus, ſcitis quia prope eſt æſtas: ſic & vos cùm videritis hæc omnia* (ſcilicet ſigna) *ſcitote quia prope eſt Regnum Dei*, ſive dies judicii. Ita ut inter ſigna ipſumque judicii diem, Deus tantum indulturus ſit temporis ſpatium, quantum ver inter & æſtatem intercurrit; vel inter æſtatem & autumnum, vel inter matureſcentes adhuc, & jam maturos fructus intercurrit. Porrò quantum nobis, jam in morte nos judicaturus veniens, quantum inquam nobis temporis ſpatium idem Chriſtus indulget? quantum ſervis illis parabolicis, quando illis reditum Domini ſui expectare mandavit: *Lucerna ardentes in manibus veſtris: & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum*. Id eſt, expectabitis me ſemper, lucernis & lampadibus in manibus ardentibus. Domine, nunquid non ſufficiet lucernas eſſe jam diſpoſitas & ad accendendum præparatas ſed jam accenſas, *Ardentes*? Non ſufficiet, jam eſſe diſpoſitas & præparatas, ſed jamjam in manibus, *in manibus*? non: inquit Chriſtus. Accenſas jam & ardentes eſſe oportet, non enim ſpatium accendendis illis neceſſarium vobis pollicetur: & manibus jam teneri oportet, quia nec momentum quidem illis arripiendis neceſſarium vobis aſſecuro. Tantum illud venire, & hoc venire; illud judicium, & hoc judicium diſcrepant. Ibi ſufficiens tempus concedetur, ut fructus immaturi matureſcant; hîc nec maturis, nec immaturis fructibus temporis quicquam datur, etiam flores necdum aperti avelluntur: *Flores apparuerunt: tempus putationis advenit*.

Matt. 24 v. 32.

Luc. 12. v. 35.

Cant. 2. v. 12.

Hæc differentia ſignorum tunc futura, nunc non data, differentes producit effectus, ex quibus timendum magis judicium quotidianum, quàm illud in fine mundi. Quid in hominibus iſtis illa ſignorum viſio operabitur? Evangeliſta illud terminis extraordinariis inſinuat: *Areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ ſupervenient univerſo orbi*. Id eſt, homines attoniti erunt & arridi, præ timore & expectatione, quidquam in die judicii futurum ſit, attoniti, quia nemo ad aliquid aliud attendet, nec cogitare audebit, aridi per extremam abſtinentiam & jejunium, quo illos dies tranſigent, quo ipſos Ninivitas excedent. Nonniſi orationi, fletibus, pectoris tranſionibus, pœnitentiæ acti-

Luc. 21. v. 12.

actibus, interpellandæ misericordiæ, disponendisque rationibus vacabunt. Hominis non merebitur nomen tunc cogitans, quid fuit, aut quid est: sed quid erit, quæve jam futura sunt, *quæ superventura sunt universo orbi.* Christiani, nunquid optime facere, prægnantissimamque hoc faciendi causam homines istos habere judicabitis? nullus fide præditur inficias ierit; at non eadem fide gaudentes, cur non eadem, vel partem saltem eorundem exercemus? dicetis utique, ex signis evidentibus illos vicinitatem diei judicii ominaturos: & nunquid quisquam nostrum eum longius scit abesse? nunquid omnes & singuli eâdem certitudine, diem judicii nostri propiorem nobis esse posse novimus: quodque cras, vel hodie, & hac ipsâ horâ esse possit, quâ Christus multos hominum milliones judicet? Ninivitis Ethnecis, eorundemque Regi Sardanapalo regum, imò hominum omnium totius mundi flagitiosissimo, Deus quadraginta dies agendæ pœnitentiæ & conversioni indulsit: *Adhuc quadraginta dies.* Proinde si Rex & tota aula, necnon civitas ipsa, eodem momento, nullâ interpositâ morâ, extraordinariâ adeò pœnitentiâ conversi sunt? quid, nec uno quidem ad resipiscendum indulto die futurum fuisse putamus? Hujuscemodi noster est casus, & status, & eventus, in quo omnes & singuli versamur.

Jonæ 2. v. 4.

Calvariæ unius cujusdam inopinatò mortui veracem audite sententiam.

Fleres, si scires, unum tua tempora mensem:
Rides, cum non sit forsitan una dies,

Quis Regi Balthasari tam festivè & hilariter idolis suis illis ipsis vasis aureis & argenteis, quæ Nabuchodonosor pater ejus ex Hierosolymitano templo rapuerat, libanti dixisset, quis inquam dixisset, eandem fatalis cœnæ noctem, vitæ & coronæ ipsius ultimam futuram? In hoc convivio ad quod mille fuerant invitati, quilibet (asserente textu) bibebat juxta ætatem suam: mors nihilo seciùs ordinem istum non observans, nec annos numerans, cùm perpauci essent ætatis, ac primus regni Balthasaris annus, subitò libram judicii, seu staterâ manu tenens appendens, *appensus es in statera.* Eâdemque nocte data executioni sententia regnum simul cum vita abstulit: *Eâdem nocte interfectus est Balthasar.* Hoc ista contigit nocte, & accidit quotidie, quamvis non sit qui recogitet corde. Incredulis similes sumus, de quibus Christus Dominus noster dicit, quod apparentibus extremi judicii signis nonnisi conviviis, festis, nuptiisque celebrandis, fabricis, ædificiisque in fundamentis terræ tanquam securis construendis omnem curam solicitudinemque impendent, quando cœlestes jam fornices dicidentes in frusta dissilient, *stellæ de cœlo cadent.* S. Augustinus totum illud insensatorũ istorum, fidei defectu adscribit: & ego, quid de nostra fide, seu intellectu quid dicam ignoro. Magis insensati & increduli, quàm illi sunt futuri, videmur habendi. Illi non credent hoc, quod semel tantùm, & sine prævio omni exemplo & experientia eveniet: & nos absolutè fidem negamus iis, quæ omni videmus & experimur hora, tot tamque formidabilibus exemplis. Ex hoc etiam capite, magis tremendæ sunt circumstantiæ judicii præsentis, tanquam certum

Dan. 5. v. 27.

haben-

habentibus, quod hodie fit his, cras aliis impendet, quodque nati & viventes non evademus : *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.*

§. VI.

EX hoc primò prolixoque discursu ejusque resolutione, erit facile colligere resolutionem secundi, quo demonstraturum me vobis promisi, quinam ad dextram, seu sinistram sint statuendi. Et ut punctum illud adeò prægnans penitùs cognoscatur, primò videamus quot & postea videbimus, quales erunt.

Theologi, numerum salvandorum controvertentes duas faciunt distinctiones; unam, omnes hujus mundi homines fideles & infideles considerando, & accipiendo collectim ; alteram, fideles & Catholicos considerando seorsim. In primâ consideratione certum est, damnandorum numerum incomparabiliter fore majorem. Omnibus constat, quod quâ die mortuus est sanctus Bernardus, sexaginta millia hominum mortua legantur, ex quibus quatuor tantum salvati. De Catholicis multi scripturæ sacræ textus innuere videntur, quod medietas sit salvanda : è duobus unus : *Unus assumetur, & alter relinquetur*, ex decẽ, quinque, *Quinque ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Hæc probabilior & melius fundata, necnon ex allegato immediatè textu confirmata videtur opinio. In parabola, de decem virginibus Christus Dominus noster propriè ad literam ; de die judicii loquebatur : & non de judicio omnium universaliter ; sed de judicio Catholicorum particulariter. Hinc omnes cum lampadibus accensis, quibus fidei lumen fuit significatum, exierunt. Porrò quia fides sine operibus non sufficit ad salutem; etiam illæ, quibus oleum defuit, à regno cœlorum manserunt exclusæ, intromissis solùm illis, quæ illud prævièpræparatum secum ferebant. Verùm enim verò, si Christus nos tantùm Catholicos, de die judicii solicitos & anxios facere intendit, quod parabola innuit, quare ex decem virginibus unam aut duas tantùm salvatas, reliquas verò novem aut octo damnatas non introducit, sed expressè quinque salvatas, & quinque damnatas asserit? Vera ratio est, quia Christus solus salvandorum numerum cognovit ; *Cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus.* Et quamvis ejus intentioni, & timori nobis incutiendo convenientius fuisset, salvandorum numerum imminuere : attamen juxta suam præscientiam, doctrinæque suæ veracitatem illum non licuit variare, nec imminuere. Proinde ex decem quinque salvatas & alias quinque damnatas asserit : ex Catholicis enim, de quibus loquebatur, communiter medietas salvatur, & altera medietas damnatur.

Mat. 24. v. 40. Matt. 25. v. 2.

Secundùm hanc doctrinam, quæ multorum Sanctorum est & non nimis rigida, sed larga & favorabilis, si hodie alii auditorio prædicarem, medium partem ad dexteram, aliam verò mediam partem ad sinistram pertinere dicerem. Consideratio sanè tristitiæ & horroris pleniſſima, quod Christianorum & Catholicorum, fide imbutorum & illuminatiorum, lacte Ecclesiæ enutritorum, tot Sacramentis & auxiliis munitorum medietas tantum salvetur ! è decem hominibus in Christum credentibus ejusque

morte redemptis quinque damnentur; Ex centum, pereant quinquaginta ? & ex mille in infernum descendant æternùm arsuri quingenti ? Quis hoc ritè expendens non concutietur tremore? sed attenta tam difformi orthodoxæ professioni conversatione & vitâ, necnon tam modico Dei timore, quo passim vivitur, divinæ ipsius misericordiæ potiùs referendæ sunt gratiæ, quàm justitia hæc admiranda.

Illud dicerem, si in alio, ut dixi, auditorio prædicarem: sed quia dies est veritatis prædicandæ, præsensque auditorium adeò diversum, ne, quæso, existiment, sibique persuadeant qui me audiunt, hanc regulam pro omnibus esse universalem, quamvis sint, vel Catholici nominentur. Quemadmodum in hac vita multum differunt Magnates & potentes, & qui inferioris classis sunt, sic erit in die judicii. Illi hodie manum tenent dexteram; verùm quemadmodum multùm invertetur mundus, timendum, valdè, ne multis eorum transeundum sit ad sinistram. De aliis salvabitur medietas, de Magnis verò & Potentibus quot? nunquid vel tertia pars salvabitur? num pars decima salvabitur? utinam divinæ sic placeat misericordiæ! Ego tantùm dico (nec dicere auderem, nisi veritatis supremæ & infallibilis oraculum & sententia consentiret) ego inquam dico, raros valdè & paucos, & quasi miraculosè salvandos. Auscultent Grandes & hujus sæculi potentes non alium, quàm ipsum Deum cap. 6. Sapientiæ, perorantem: *Prabete autem vos, qui continetis multitudinem quoniam data est vobis à Domino potestas.* Vos Principes, vos Ministri; quorum potestati subsunt populi; vos quibus Dominus regendi gubernandique rempublicam contulit potestatem, *præbete aurem*: & quid audient à Deo, tam malè audientes homines? proclamationem diei judicii terribiliorem eâ, quâ ad illum citabuntur mortui. *Judicium durissimum his qui præsunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur.* Ecce finem potestatum tantopere desideratarum, quæ tantùm ambiuntur, tanti fiunt, adeoque invidentur. Potentes nullam jam potestatem verentur, nam omnia possunt; veniente verò judicio durissimo apparebit; utrum quis alius plus possit, *Potentes potenter patientur.*

Sap. 6. v. 3. & 4.

Ibid. v. 6. 7.

Verùm enim verò, si à Deo, Potentibus illa collata est potestas, *Quoniam data est à Domino potestas vobis*: quo pacto eadem condemnationis ipsorum & potentis punitionis causa existit? Non est causa, sed occasio. Plerumque tot sunt peccata, quot occasiones peccandi: quantò plures & majores sunt occasiones, tantò plura & graviora sunt peccata: nec frequentior fortiorve est occasio, quàm potestas. Tentatio, & potestas? tentatus, & potens? quantacunque diabolus tentat & intentat in homine potente, omnia ad effectum deducit, sive sit in peccatis, quà hominis, sive quà Ministri. In peccatis hominis, quà hominis, concurrente potestate cum concupiscentiâ, non est honor, non est honestas, non est status, sed nec professio quantumcunque sacra, quæ non invadatur, quæ non vincatur, quæ non subjiciatur, quæ non dissolvatur: & in peccatis Ministri, quà Ministri, accedente ad potestatem ambitione, superbiâ, odio, vindictâ, invidiâ, respectu, adulatione;

non

non est lex humana, nec divina, quæ non violetur, non est meritum, quod non annihiletur; non est incapacitas quæ non evehatur; non est paupertas, nec miseria, neque lachrymæ quæ non augeantur; non est injustitia quæ non approbetur: non est violentia, nec crudelitas, nec tyrannis quæ executioni non detur. Quia verò ista sunt abusus, excessus & sævitiæ potestatis; justissimum est, ut Potentes (eò quod sic sunt potentes) durissimo omnipotentis judicio potenter torqueantur, *Potentes potenter tormenta patientur.*

Non nego, etiam regulæ huic suas esse posse exceptiones; nec ipsa divina Sapientia hoc negat, imò concedit, denotat, valdéque prædicat exceptionem: sed hæc talis est, quæ eandem regulam magis confirmet: denuò non alium, quàm ipsam divinam Sapientiam, cap. 31. Ecclesiastici de hoc casu loquentem attendite: *Qui potuit transgredi, & non est transgressus: facere mala, & non fecit: quis est hic, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita sua?* Potens, qui impunè & sine contradicente legem infringere potest & non infregit; Potens, qui pro arbitrio & libitu suo malè vivere & operari potest & non fecit; *Quis est hic, & laudabimus eum?* Quis est homo iste, ut Sanctorum cathalogo eum adscribamus? *Fecit enim mirabilia in vita sua.* Non loquor hîc de mirabilibus horum potentûm; nam de iis publica exstant testimonia, vel instrumenta jurata; & quod pejus est, historiæ impressæ. Hæc, larvâ non sublatâ, omnibus suis numeris absoluta videntur: non deprehenditur in eis passio, nec privatum interesse, neque vindicta, aut voluntas distorta; sed zelus, justitia, pietas, amor boni communis, denique omnes Christiani perfectique Ministri virtutes. Verùm tribunal divinum, quod non ex verbis, sed factis eorum dirigitur, & juxta illa judicium formabit, quid dicat, benè pensate, *Quis est hic?* non dicit, *Qui sunt hi?* non de multis, vel aliquibus saltem; sed uno tantum, & sigillatim loquitur. Et quare? quia potens, qui impunè frangere potest leges, & non frangit. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus*: Potens, qui ad libitum malè vivere & facere potest, & hoc non facit, *facere mala, & non fecit*: si quis talis in mundo invenitur, est unus. *Quis est hic?* Porrò ille unus non ordinariè nec semper, sed quasi miraculosè, *Fecit enim mirabilia in vita sua.* Ita illud asseverat & ponderat Deus, qui novit omnia: & sufficiebat scire, quod sciunt omnes. Quia verò tam parvus & rarus grandium & potentûm istorum est numerus, qui ea quæ sibi incumbunt ritè præstant, cùm non solùm de suis propriis, verùm etiam & quidem strictissimam, de creditorum & commissorum regimini suo animabus & vitis rationem sint reddituri: videtenum multi eorum in die judicii à dextris collocati invenientur?

Eccl. 31. *v.* 9. & 10.

§. VII.

VErùm, cùm regula ista non omnibus statibus personisve quadret: regula universali omnes complectente & ex quâ omnes obventurum sibi in die judicii locum colligere possint, concludamus. Christus Dominus noster hodie signa nobis dedit ad prægnoscen-

scendum judicii diem à longè: operæ pretium igitur erit scire etiam signum, ex quo obventuri nobis loci qualitatem cognoscere liceat, & quidem hodie, quia judicium nostrum nobis est propinquius. Ad hoc demonstrandum, celebrem nobis textum, ipsa jam aliquoties in hac materia allegata Divina Sapientia subministrat: in materia quippe tam gravi & solida inferior authoritas non sufficit, nec alleganda venit. Cap. 11. Ecclesiastes, ita nequit: *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Lignum istud seu arbor, quilibet est nostrûm, cadit aut cadet in hora mortis, & ubicunque ceciderit illo momento, ibi manebit semper: ab illo enim momento pendet æternitas. Nihilominus, cum partes mundi sint quatuor universim, versus quas arbor cadere possit, videlicet Aquilonaris, Australis, Orientalis & Occidentalis: Textus, Australis, quæ est dextra mundi, & Aquilonaris partis, quæ sinistra reputatur mundi, mentionem tantùmmodò facit; nam homo ad alterutram tantum harum partium cadere potest, vel ad dextram cum salvandis, vel ad sinistram cum damnandis.

Eccles. 11. v. 3.

Enimverò, quo pacto homo arcanum istud poterit divinare? & quomodo locum sibi in die Judicii, vel à dextris, vel à sinistris assignandum cognoscere poterit? Divina similiter Providentia & hujus evidens valde certumque signum nobis noluit deesse: & ad hocce mysterium Spiritus S. similitudinem arboris cadentis totaliter reduxit: *In quocunque loco ceciderit lignum.* Arbor nondum excisa in quam partem sit casura, nonne facilè & naturaliter cognoscitur? pari ratione & quilibet hoc de se in semetipso cognoscere poterit. Quod si nondum intelligitis modum ex me scire volentes; illum ex ore S. Bernardi audite, qui propriè cumprimis & clarè illum demonstrat his verbis: *Quo verò casura sit arbor, si scire volueris ramos ejus attende: unde major est copia ramorum, & ponderosior, inde casuram ne dubites.* Vult dicere, pondere ramorum ad partem inclinante dexteram, ad dexteram cadet: vice versâ, si ad partem propendeat sinistram, ad sinistram quoque casuram non dubites, utrumpue certum habeto, *Ne dubites.* Proinde quilibet animam suam, vitam suam, & opera, quæ arboris sunt rami, attentè consideret. Quos si fide, pietate, timore Dei, mandatorum ipsius observantiâ, religione, oratione, propriarum mortificatione passionum, Veritate, Justitia, Charitate, puritate denique conscientiæ, Sacramentorum frequentatione, necnon aliarum virtutum, & christiano homine dignorum exercitatione operum ponderosos & ornatos viderit, sic perseverando, non est quod dubitet, quin ad dexteram casurus sit partem. Si verò è contra opera sua nonnisi libertatem vitæque dissolutionem, ambitionem, cupiditatem, superbiam, invidiam, odia, vindictam, sensualitatem, Dei salutisque oblivionem, sine generosa valde vitæ emendandæ, sicque perseverandi resolutione, sapiant & spirent, similiter arborem ad sinistram casuram partem, omni veniæ spe præcisâ, certum habeat.

S. Bern.

Verùm replicabitis mihi forsan, aut diabolus replicabit vobis, inter hominem & arborem magnam dari differentiam, arborem enim jam robustiorem

factam

factam, & consolidatam inclinationem non admittere, hominem verò arbitrio & rationis usu præditum, licet actualiter immenso vitiorum pondere incurvatum & ad sinistram inclinatum manum, quacunque horâ libuerit, seriâ peccatorum pœnitentiâ emendationeque mediante, ad dexteram sese inflectere posse. Ita est, vel quandoque esse potest, & ita hoc S. Bernardus insinuavit supra citatis verbis subjungens: *Si tamen tunc fuerit excisa.* Verùm in die Judicii clarè patebit, eâdem confidentiâ seu præsumptione tentatos, quotquot in inferno agunt, Catholicos illuc deveniisse.

S. Petrus de certitudine vel incertitudine adipiscendæ salutis, modoque illam cognoscendi non solùm, sed etiam certificandi loquens cap. 1. secundæ suæ epistolæ notabiles hasce depromit sententias: *Quapropter fratres magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis: Hic enim facientes non peccabitis aliquando: sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aternum regnum Domini nestri & Salvatoris JEsu Christi.* Si dubitatis, Christiani (inquit S. Petrus) & de salvatione vestri estis ambigui, seriò & omni solicitudine & studio bonis operibus insudate, & mox certam facietis Verbum, *Certam* in textu græco, in quo S. Petrus scripsit, magis nervosam adhuc habet significationem; vult enim dicere, *Firmam, & stabilem, immutabilem*: Id est tam certam, stabilitam & fundatam, ut mutari non possit. Porrò quare opera bona tam certam & securam reddant salvationem, ut infallibilis & immutabilis sit? idem Apostolorum Princeps rationem immediatè subjungit: *Hac enim facientes, non peccabitis aliquando.* Id est, vacando enim operibus bonis eo modo, quo dixi, nunquam, saltem graviter peccabitis, consequenter portæ cœli vobis patebunt ad ingrediendum, æternoque Domini & Salvatoris nostri regno perfruendum: *Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in aternum Regnum Domini nostri Jesu Christi.* R. P. Cornelius à lapide (Author eruditissimus, & in Scripturis Sacris genuinum & solidum sensum semper investigans) in textum illum commentatus, Theologicè postea materiam illam discutiens, totam illam sententiam ad formam syllogisticam reducit, inquiens: Hic est Syllogismus S. Petri. *Quicunque non peccat, seque purum à peccato conservat, hic certam facit suam vocationem, & electionem, tum ad gratiam, tum consequenter ad gloriam: atqui qui satagit, studetque bonis operibus, hic non peccat; ergo qui satagit, studetque bonis operibus, certam facit suam vocationem & electionem.*

2. Petri 1. v. 10. & 11.

Minor, seu secunda Syllogismi hujus propositio, uti notabilis, ita similiter videretur difficilis, nisi declaratio Canonica, & S. Petri expressa definitio clausulâ universalissima omnem difficultatem dissiparet: *Hac enim facientes non peccabitis aliquando.* Novi equidem opera bona solùm mereri posse de congruo perseverantiam finalem & gratiam. Sed hæc ipsa congruentia habens effectum dependentem ab acceptatione & voluntate divina, postquam S. Petrus certum eum definivit, extra omne dubium & contingentiam manet. Quod cum ita se habeat (cum aliter habere se posse non vi-

deantur) tota trium S. Petri propositionum consequentia formaliter fluit; tertia enim, suppositâ certitudine secundæ; & secunda, suppositâ certitudine primæ sequitur. Prima ponit fundamentum bonorum operum: *Ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* Secunda bonorum operum ostendit effectum, qui est perseverantia. *Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Et tertia concludit cum fine, ejusdemque perseverantiæ præmio, qnod est salvatio, regnumque cœleste: *Si enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri.*

Nihilominus diligentius examinata hac certitudine, & qualitatibus ejus dicussis, communis Theologorum fert sententia, ex hoc S. Petri textu, nonnisi moralem evinci certitudinem quæ naturaliter & sine declaratione haberi potest. Collatâ itaque qualicunque declaratione non canonicâ, cum operibus bonis, ego præeligerē certitudinem operum, quam illam declarationis: declaratio enim me salvare nequit sine bonis operibus; & bona opera me salvare possunt sine declaratione. Alii certitudinem istam, de qua loquitur Apostolus plus quàm moralem esse volunt: cum certitudine quippe morali salvatio potest esse incerta. Sed incertitudo salvationis cum bonis operibus conjuncta, juxta opinionē quam ego multum veneror, similiter est certa. Interrogavit quandoque S. P. meus Ignatius Patrem Didacum Laynes (illum tam celebrem in Concilio Tridentino summi Pontificis Theologum) utrum è duobus, datâ sibi electione à Deo, eligeret? vel cum certitudine, rectè tendere in cœlum, vel cum salvationis incertitudine, Deo serviendo, manere in mundo? respondit P. Laynes electurum se statim ire in cœlum: S Ignatius verò ait, electurum se quamvis cum salvationis incertitudine, Deo serviendo manere in mundo: *Malle se beatitudinis incertum vivere, & interim Deo inservire, quàm certum ejusdem gloria statim mori.* Ita illud refert Ecclesia in Legenda ejusdem Sancti, hanc ipsius resolutionem approbando & canonizando. Enimverò si resolutio hæc, adeò, uti videtur, erat periculosa, quomodo illam laudat, & in exemplum proponit Ecclesia? & quomodo eandem partem, tam illuminatus spiritu, sicut erat S. Ignatius, elegit salvationis certum cum incerto commutans, quia salvationis incertitudo cum Dei servitio, bonorumq; operum exercitio conjuncta (prout in hoc casu erat) est incertitudo talis, ut certitudo maxima haberi possit. Ita illud judicavit statimque declaravit idem S. Ignatius, cujus judicium & spiritus, maximis istius ævi & omnium oraculis meritò erit accensendus. *In Offic. S. Ignat. Lect.*

Verùm enim verò, quia doctrina universalis, in materia tanti ponderis & momenti non debet esse exotica, sed vulgaris ab omnique perplexitate & dubio remota; quod promisi, duobus duorum Theologiæ & Philosophiæ principium S. Thomæ & Aristotelis assertis concludo. S. Thomas 1. p. q. 23. art. 8. ita ait. *Unde prædestinatis conandum est ad bene operandum, & orandum, quia per hujusmodi prædestinationis effectus certitudinaliter impletur.* Dixerat in ordine prædestinationis divinæ etiam nostra bona opera contineri, quibus mediantibus salus obtineatur & sine quibus obtineri nequit: concluditque, quod omnibus efficaciter & *D. Tho. 1. p. q. 23. art. 8.*

stre-

strenuè bonorum operum exercitio insistendum sit, illorum enim virtute finem effectumque prædestinationis consecuturi forent, & non dubiè, sed *certitudinaliter*, cum omni certitudine Dico, cum omni, nam Doctor Angelicus non limitat, aut gradum & qualitatem ejus distinguit. At quia nonnulli ipsum interpretando volunt, quod de certitudine tantùm morali loquatur, id est, de eo; quod communiter & quasi semper accidit : tanta saltem est certitudo, ut quilibet hodie cognoscere possit locum manus dextræ vel sinistræ, quem in die judicii sortiturus est. Porrò quia in negotio salvationis seu damnationis, hæc certitudo cujusque timori & solicitudini sufficit; illa similiter sufficere debet omnibus ut promissis meis satisfeciisse videar: Siquidem Aristoteles libro primo Ethicorum asserit, nominem sanæ mentis majorem debere procurare, aut desiderare certitudinem, quàm cujus materia, de qua tractatur, capax est: *Disciplinati est enim in tantum certitudinem inquirere secundum unumquodque genus, in quantum natura rei recipit.*

Vasq. disp. 92.

Arist. lib. 1. Ethic.

Nostra nunc interest, ut quilibet attentè & solicitè vitæ suæ arborem consideret: examinetque posito omni deceptorii proprii amoris fuco, & videat utrum operum suorum rami ad dexteram, vel sinistram inclinent: *Ad Austrum, aut ad Aquilonem* Ut intuitus hic tam sit clarus & certus, veluti cominùs & de prope, non verò eminus & à longè videntis; solummodò ad memoriam omnibus revocare volo, quod S. Joannes Baptista omnibus prædicabat: *Jam securis ad radicem arboris posita est.* In quamcunque partem arbor inclinet, & qualiscunque illa sit, securis jam ad radicem posita est. Quilibet dies, & hora quælibet est unus ictus quem mors impingit vitæ. Porrò qui deliciis adeò deditam vitam agunt, considerent, quod grossioribus sternendis arboribus multi requirantur ictus, tenerioribus verò sufficiat unus. Christus Dominus ac Redemptor noster qui ex tanto salutis nostræ desiderio, tanta & talia fecit & passus est, clarè nobis hodie ad oculum demonstravit, judicium nostrum centum annos non transgressurum: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant.* Sol attendendum singulariter, quod nobis centum istos annos, aut nos ad eos, nec ad nonaginta, nec ad octoginta, nec ad decem, nec ad unum quidem, imò nec medium perventuros promittat; sed admonitos nos potius velit, quod dies iste possit esse hodiernus: & ista præsens possit esse hora, quam idem Dominus, per suam misericordiam, adeò nobis felicè esse concedat, ut in illodie, nos omnes ad dexteram suam collocatos ad fruendum illâ gloriâ introducat, quæ nonnisi operibus bonis gratiâ ipsius adjutis obtinetur.

Luc. 3. v. 9.

AMEN.

(O)

INDEX

INDEX

LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ

Numeri significant paginam.

Ex Libro Geneſis.

Cap. Verſ. Pag.

1. 1. *IN principio creavit Deus cœlum & terram.* Pag. 175. & 176
2. *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi : dixitque Deus.* 85
3. *Fiat lux, & facta eſt lux.* Ibid.
3. *Spiritus Domini fœcundabat aquas.* 195
4. *Vidit Deus quod eſſet bonum.* 221
10. *Fecit duo luminaria magna : luminare majus ut præeſſet diei, luminare minus ut præeſſet nocti.* 68
21. *Creavit Deus cote grandia.* 188
26. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ.* 68. & 69
26. *Ut præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis, univerſæque terræ.* 188
2. 19. *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipſum eſt nomen ejus.* 6
19. *Adduxit ea ad Adam, at videret quid vocaret ea.* 6
3. 1. *Cur præcepit vobis Deus?* 132
4. *Nequaquam moriemini.* 132
5. *Scit enim Deus, quod in quocunque die comederitis, &c.* 132
22. *Ne forte ſumat de ligno vitæ & comedat, & vivat in æternum.* 63
24. *Collocavit ante Paradiſum Cherubin, & flammeum gladium ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Ibid.
1. 9. *Cum non inveniſſet ubi requieſceret pes ejus.* 134

Cap. Verſ. Pag.

11. 4. *Cujus culmen pertingat ad cœlum.* 135. & 6. *Cœperunt hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis, donec eas opere compleant.* 174
7. *Deſcendamus igitur & confundamus linguas eorum.* Ibid.
12. 1. *Egredere de terra, & de cognatione tua, & de domo Patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi.* 81
2. *Faciamque te in gentem magnam.* 81
12. *Novi quod pulchra ſis mulier.* 225
16. *Abraham benè uſi ſunt propter illam.* Ibid.
15. 13. *Affligent eos quadringentis annis.* 260
16. *Generatione autem quartâ revertetur huc.* Ibid.
17. 1. *Quia feciſti hanc rem: benedicentur in ſemine tuo omnes gentes, in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* 26
18. 33. *Abiitque Dominus.* 54
22. 1. *Tentavit Deus Abraham.* 87
2. *Tolle filium tuum unigenitum quem diligis Iſaac, & offeres illum in holocauſtum ſuper unum montium, quem monſtravero tibi.* 142
12. *Nunc cognovi quod times Deum.* 251
16. *Quia feciſti rem hanc, benedicam tibi,*
17. *& multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli.* Ibid.
18. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* 158
25. 34. *Abiit parvi pendens, quod primogenita vendi-*

Cap. Vers. Pag.

vendidisset. 36.&163

27.34. *Irriguit clamore magno, & consternatus est.* 37

29.25. *Nonne pro Rachel servivi tibi?* 70

26. *Non est in loco consuetudinis, ut minores ante tradamus ad nuptias.* Ibid.

31.4. *Fugiebat somnus ab oculis meis.* 208

39 9. *Ecce Dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua: quomodo ergo possum hoc malum facere?* 97

42.8. *Cognovit eos, & non est cognitus ab eis.* 91

21. *Meritò hæc patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum.* 98

48.19. *Scio, fili mi, scio.* 75

50.3. *Flevit eum populus septuaginta dies.* 232

7. 9. *Ierunt cum eo cuncti seniores domûs Pharaonis, cunctique majores natu Ægypti habuitque in comitatu currus, & equites.* Ibid.

10.11. *Ubi celebrantes exequias planctu magno, atque vehementi impleverunt septem dies, quod cùm vidissent habitatores terræ Chanaan, vocatum est nomen loci illius Planctus Ægypti.* Ibid.

26. *Mortuus est Joseph, expietis centum & decem vitæ suæ annis, & conditus aromatibus repositus est in loculo in Ægypto.* Ibid.

Ex Libro Exodi.

3. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* 242

6. *Ego sum Deus Patris tui.* 24

13. *Deus Patrum vestrorum misit me ad vos.* Ibid.

14. *Ego sum qui sum.* 242

7. 1. *Constitui te Deum Pharaonis.* 13

13.18. *Armati ascenderunt filii Israël de terra Ægypti.* 80

20.12. *Ut sis longævus super terram.* 236

Cap. Vers. Pag.

25.5. *Pelles rubricatas.* 221

11. *Faciesque supra coronam auream per circuitum.* 12

Ex Libro Numeri.

16.48. *Stans inter mortuos, & viventes deprecatus est pro populo, & plaga cessavit.* 109

Ex Libro Deuteronomii.

17.18. *Postquam sederit in solio Regni sui, describet sibi Deuteronomium Legis hujus, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Deum, neque declinet in partem dexteram, vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse & filii ejus.* 183

12.23. *Maledictus à Deo est, qui pendet à ligno.* 233

Ex Libro Judicum.

5. 20. *Stellæ manentes in ordine & cursu suo.* 88

Ex Libro Regum I.

9. 2. *Non erat vir de filiis Israël melior illo.* 213

10.23. *Stetit in medio populi, & altior fuit universo populo ab humero, & sursum.* Ibid.

24. *Certè videtis quem elegit Dominus, quoniam non sit similis illi.* 214

15.28. *Scidit Dominus Regnum Israel à te hodie, & tradidit illud proximo tuo meliori te,* 23

32. *Siccine separat amara mors?* 265

16.6. *Ne respicias vultum ejus, neque altitudinem staturæ ejus, quoniam abjeci eum.* 221

7. *Nec juxta intuitum hominis ego judico: homo enim videt ea, quæ parent, Domi-*

Cap. Vers. Pag.

nus autem intuetur cor. 222. & 223
17.40. *Elegit sibi quinque limbidissimos lapides de torrente.* 81
18.3. *Inierunt autem David & Jonathas fœdus diligebat enim eum quasi animam suam.* 245
20.17. *Et addidit Jonathas dejerare David, eò quod diligeret eum.* Ibid.
29. 6. *Vivit Dominus, quia rectus es tu, & bonus in conspectu meo sed non places Satrapis: Scio quia bonus es tu in oculis meis, Sicut Angelus Domini.* 71

Ex Libro Regum II.

1. 26. *Doleo super te, frater mi Jonatha, decore nimis, & amabilis super amorem mulierum: sicut mater unicum amat filium suum, ita & ego te diligebam.* 229
2. 5. *Benedicti vos à Domino quia feciſtis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul & sepeliſtis eum, & nunc retribuet vobis Dominus misericordiam, & veritatem.* 235
8. 17. *Josaphat à commentariis, & Saraias scriba nominatur.* 179
15.13. *Toto corde universus Israël sequitur Absolon.* 177
32. *Infatua, quæso, Domine, consilium Achitophel.* Ibid
16.23. *Quasi si quis consuleret Dominum.* 184
17.14. *Domini autem nutu dissipatum est consilium Achitophel utile.* 177
19.38. *Est servus tuus Chamaam, ipse vadat tecum, & fac ei quidquid tibi bonum videtur.* 26
38. *Quidquid tibi placuerit, quod petieris me, impetrabis.* 26

Cap. Vers. Pag.

Ex Libro Regum 3.

1. 37. *Quomodo fuit Dominus cum Domino meo Rege, sic sit cum Salomone, & sublimius faciat solium ejus à solio Domini mei Regis David.* 27
47. *Amplificet Deus nomen Salomonis super nomen tuum & magnificet thronum ejus super thronum tuum.* Ibid.
2. 16. *Petitionem unam precor à te, ne confundas faciem meam.* 53
20. *Petitionem parvulam.* 60
11.3. *Fueruntque ei uxores quasi Regina septingentæ.* 5
13.8. *Reliquit consilium senum, qui assistebant coram Salomone patre ejus, cùm adhuc viveret, & adhibuit adolescentes qui nutriti fuerant cum eo, & assistebant ei.* 73
14. *Pater meus cecidit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus.* 73
22.20. *Quis decipiet Achab Regem Israël, ut ascendat, & vadat in Ramoth?* 171
21. *Et dixit unus verba hujusmodi, & alius aliter.* Ibid.
22. *Ego decipiam illum: egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum.*

Ex Libro Tobiæ.

6. 8. *Cordis ejus particulam, si super carbones ponas, fumus ejus extricat omne genus damoniorum, & fel valet ad ungendos oculos, in quibus fuerit albugo, & sabuntur.* 191

Ex Libro Esther.

7. 8. *Necdum verbum de ore Regis exierat, & statim operuerunt faciem ejus.* 234

Ex

Cap. Vers. Pag.

Ex Libro Job.

17.3. *Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.* 184
19.22. *Quare persequimini me, & carnibus meis saturamini.* 169
38.10. *Circumdedi illud terminis suis, & dixi huc venies, & non procedes amplius.* 110
40.18. *Et fiduciam habet quod influat Jordanis in os ejus.* 12
42.11. *Venerunt ad eum omnes amici & cognati ejus, qui cognoverant eum priùs.* 92

Ex Libro Psalmorum.

Psalm. Vers. Pag.
2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus: Dominus dixit ad me, filius meus es tu.* 30
10. *Et nunc Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* 16
4. 3. *Ut quid diligitis vanitatem, & quaritis mendacium.* 39
Filii hominum usquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem. 39. & 236.
7. 5. *Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis.* 236
14. *Arcum suum tetendit, & paravit illum & in eo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* 269
10.6. *Pluet super peccatores laqueos.* 103
13.4. *Nonne cognoscent omnes, qui operantur iniquitatem qui devorant plebem meam, ùt cibum panis?* 196
15.14. *Quoniam non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* 15
17.12. *Tenebrosa aqua in nubibus aëris.* 205
22.5. *Fiat mensa eorum in laqueum.* 193

Psalm. Vers. Pag.
24.10. *Universa via Dominis misericordia & veritas.* 226
32.9. *Ipse dixit & facta sunt.* 14
34.15. *Congregata sunt superme flagella, & ignoravi.* 252
35.6. *Domine in cœlo misericordia tua, & veritas tua usque ad nubes.* 226
38.7. *Et ignorat cui congregabit ea.* 256
39.18. *Non abscondi misericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo.* 226
29. *Ego autem mendicus sum & pauper.* 116
44.6. *Sagittæ tuæ acutæ, Populi sub se cadant in corda inimicorum Regis.* 269
10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* 9
14. *Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus.* 10
16. *Memores erunt nominis tui: propterea populi confitebuntur tibi.* 216
17. *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii.* 216
59.6. *Dedisti metuentibus te significationem, ut fugiant à facie arcus, & liberentur dilecti tui.* 269
61.10. *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant de vanitate in idipsum.* 39
10. *Mendaces filii hominum in stateris.* 168
71.3. *Suscipiant montes pacem populo, & colles justitiam.* 223
7. *Orietur in diebus ejus justitia, & abundantia pacis* 223
8. *Dominabitur à mari usque ad mare, & à flumine usque ad terminos orbis terrarum.* 85
72.28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est.* 202
73.23. *Superbia eorum ascendit semper.* 135
74.3. *Cùm accepero tempus, ego justitias judicabo.* 270

Psalm. Vers. Pag.
75.6. *Terra tremuit, & quievit dum exurgeret in judicium Deus.* 269
77.72. *In intellectus manuum suarum deduxit eos.* 176. in fine.
83.12. *Misericordiam, & veritatem diligit Deus.* 226
97.11. *Nunquid mortuis facies mirabilia?* 230
12. *Nunquid narrabit aliquis in sepulchro misericordiam tuam, & veritatem tuam in perditione?* Ibid.
88.15. *Misericordia, & veritas præcedent faciem tuam.* 226
49. *Quis est homo qui vivet, & non videbit mortem?* 63
89.4. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies.* 258
103.19. *Sol cognovit occasum suum.* 248
109.1. *Dixit Dominus Domino meo, sede à dextreis meis.* 234
113.1. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: super misericordia tua, & veritate tua.* 226
5. *Quid est tibi mare quòd fugisti, & tu Jordanis quia conversus es retrorsum.* 12
7. *A facie Domini mota est terra, à facie Dei Jacob.* 13
116.1. *Laudate Dominum omnes gentes quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, & veritas Domini manet in æternum.* 226
118.24. *Consilium meum justificationes tuæ.* 184
37. *Averte oculos meos ne videant vanitatem.* 194
66. *Quia mandatis tuis credidi.* 134
96. *Omnis consummationis vidi finem, lacum mandatum tuum nimis.* 266
170. *Intret postulatio mea in conspectu tuo.* 61
137.2. *Super misericordia tua, & veritate tua quoniam magnificâsti super omne nomen tuum sanctum.* 226
138.6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me.* 210
145.3. *Nolite confidere in Principibus in quibus non est salus.* 12

Ex Libro Proverbiorum.

Cap. Vers. Pag.
19.17. *Fœneratur Domino qui miseretur pauperi.* 236
27.10. *Amicum tuum, & amicum patris tui ne dimiseris.* 74
31.10. *Mulierem fortem quis inveniet?* 2
14. *Facta est quasi navis institoris de longè portans panem suum.* 156

Ex Libro Ecclesiastæ.

1. 1. *Verba Ecclesiastæ filii David Regis Hierusalem: Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* 38
2. *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* 194
4. *Generatio præterit, generatio advenit, terra autem in æternum stat.* 263
11.3. *Si ceciderit lignum ad Austrum, aut Aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* 376

Ex Libro Canticorum.

1. 4. *Nigra sum, sed formosa, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.* 221
7. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres.* 241
6. *Quem diligit anima mea.* 241
9. *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, amica mea.* 104
5. *Quia amore langueo.* 104
5. *Fulcite me floribus, stipatis me malis, quia amore*

Cap. Vers. Pag.

amore langueo. 252

12. *Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis advenit.* 271

3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris,* 155

4. 4. *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* 34

6. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* 155

5. 5. *Surrexi, ut aperirem dilecto, at ipse declinaverat atque transierat.* 104

7. *Percusserunt me, & tulerunt pallium meum custodes murorum.* 104

8. *Adjuro vos filiæ Hierusalem, si inveneritis dilectum, ut nuncietis ei, quia amore langueo.* 252

6. 9. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol.* 152

8. 14. *Fuge dilecte mi.* 104

Ex Libro Sapientiæ.

6. 6. *Præbete aurem, vos qui continetis multitudinem, quoniam data est Domino potestas vobis. Judicium durissimum his qui præsunt fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autem potenter tormenta patientur.* 274

19. 7. *Campus germinans de profundo maris.* 12

Ex Libro Ecclesiastici.

3. 2. *Judicium Patris audite filii, & sic facite, ut salvi fitis.* 75

11. 1. *Sapientia humiliati exaltabit caput illius & in medio magnatorum consedere illum faciet.* 219. & 220

2. *Non laudes virum in specie sua; neque spernas hominem in visu suo.* 221

12. 10. *Non credas inimico tuo in æternum.* 143

Cap. Vers. Pag.

24. 13. *In electis meis mitte radices.* 127

31. 9. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus facere mala, & non fecit. Quis est hic, & laudabimus eum, fecit enim mirabilia in vita sua.* 275

32. 28. *Qui credit Deo, attendit mandatis.* 134

Ex Prophetia Isaiæ.

1. 3. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit.* 94

7. 11. *Pete tibi sinum à Domino in profundum inferni sive in excelsum suprà.* 60

11. *Non petam.* Ibid. Item. 115

9. 3. *Multiplicasti gentem, & non multiplicâsti lætitiam.* 216

18. 2. *Ite Angeli veloces ad gentem exspectantem.* 84

43. 24. *Servire me fecisti in peccatis tuis.* 137

45. 1. *Christo meo Cyro.* 4

53. 2. *Vidimus eum, & non erat aspectus, quasi absconditus vultus ejus.* 234

8. *Quia abscissus est de terra viventium.* 233

8. *Generationem ejus quis enarrabit?* 233

65. 22. *Non ædificabunt, & alius habitabit; non plantabunt, & alius metet.* 265

Ex Prophetia Jeremiæ.

1. 6. *Et dixi, A, A, A, Domine Deus, quia puer ego sum.* 83

Ex Threnis Jeremiæ.

2. 13. *Magna est velut mare contritio tua.* 157

Ex Prophetia Danielis

3. 79. *Benedicite Cete, & omnia quæ moventur in aquis Domino.* 189 & 207

4. 24. *Peccata tua eleëmosynis redime.* 118

5. 27. *Appensus es in statera, & inventus es minus habens.* 214

Cap. Vers. Pag.

30. *In eadem nocte interfectus est Balthasar.* 272

12.3. *Quasi stellæ in perpetuas æternitates.* 88

Ex Prophetia Oseæ.

13.14. *Ero mors tua ô mors.* 15

Ex Prophetia Amos.

5. 11. *Domos quadro lapide ædificabitis, & non habitabitis in eis: vincas plantabitis amantissimas, & non bibetis vinum earum.* 265

Ex Prophetia Jonæ.

2. 4. *Adhuc quadraginta dies.* 272

3. 5. *Cœpit Jonas prædicare itinere unus diei, & crediderunt viri Ninivitæ in Deum.* 144

Ex Prophetia Micheæ.

5. 2. *Egressus ab initio, à diebus æternitatis.* 154

Ex Prophetia Habacuc.

1. 1. *In medio annorum notum facies.* 258

3. 8. *Viam fecisti in mari equis tuis, & quadrigæ tuæ salvatio.* 83

Ex Prophetia Malachiæ.

4. 2. *Sanitas in pennis ejus.* 83

Ex Divo Matthæo.

1. 1. *Filii David, Filii Abraham.* 7

2. 2. *Vidimus stellam ejus, & venimus.* 88

3. *Turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo.* 229

19. *Defuncti sunt enim qui quærebant animam Pueri.* 228

20. *Defuncto Herode.* 202

4. 1. *Ductus est Jesus in desertum.* 33

3. *Si Filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant.* Ibid.

Cap. Vers. Pag.

8. *Assumpsit eum diabolus in montem excelsum, & ostendit illi omnia regna mundi & gloriam eorum.* 209

10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* 34

12. *Relictis retibus & patre.* 114

5. 13. *Quod si sal evanuerit, in quo salietur? ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus.* 186

23. *Si offers munus tuum ad altare, relinque ibi munus tuum, & vade prius reconciliari fratri tuo.* 146

42. *Quid petit à te, da ei.* 115

44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros.* 146. Item 139

6. 24. *Non potestis Deo servire & Mammonæ.* 137

24. *Nemo potest duobus Dominis servire.* 137

25. *Aut unum odio habebit, & alterum diliget, aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Ibid.

8. 24. *Ipse verò dormiebat.* 208

10.28. *Nolite timere eos qui occidunt corpus.* 12

11.27. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* 44

28. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, & invenietis requiem animabus vestris.* 135

13.28. *Visimus & colligimus ea.* 69

29. *Ait illis, non.* Ibid.

29. *Ne colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.* 70

30. *In tempore messis dicem Messoribus.* Ibid.

44. *Quem qui invenit homo.* 122

44. *Vadit & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* 121

45. *Simile est Regnum Cœlorum homini negotiatori: quærenti bonas Margaritas, inventâ unâ pretiosâ Margarita, dedit omnia sua, & comparavit eam.* 44

Cap. Vers. Pag.

47. *Sagenæ missæ in mare.* 188
48. *Collegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt.* Ibid.
16. 16 *Vos autem, quem me esse dicitis? Tu es Christus Filius Dei vivi.* 132
18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 78
24. *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam.* 141
26. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.* 185
17. 4. *Domine bonum est nos hic esse.* 239
18. 1. *Quis putas major est in Regno cœlorum?* 57
3. *Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* 135
19. 21. *Si vis perfectus esse, vende quæ habes, & da pauperibus.* 115
27. *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te quid ergo erit nobis?* 217
28. *Sedebitis super sedes duodecim* Ibid.
29. *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* 138
20. 16. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* 212
21 *Ad dextram & sinistram in regno tuo.* 62.
22. *Nescitis quid petatis.* 64
23. *Non est meum dare vobis sed quibus paratum est à Patre meo* 210
22. 2. *Regi qui fecit nuptias filio suo.* 4
11. *Intravit Rex ut videret discumbentes.* 4
24. 32. *Videtis ficulneam & omnes arbores, cùm jam producunt ex se fructus, scitis, quia prope est æstas.* 271
35. *Amen dico vobis.* 260
33. *Scitote quia propè est in januis.* 267
37. *Sicut fuit in diebus Noë.* 266
40. *Unus assumetur, & alter relinquetur.* 273

Cap. Vers. Pag.

25. 2. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* Ibid.
6. *Ecce Sponsus venit.* 268
9. *Ne forte non sufficiat nobis & vobis.* 49
11. *Clausa est janua.* 218
12. *Nescio vos.* 93
36. *In carcere eram, & venistis ad me.* 124
39. *Domine quando te vidimus in carcere, & venimus ad te.* Ibid.
26. 9. *Ut quid perditio hæc? potuit enim unguentum istud venundari multò, & dari pauperibus.* 225
10. *Opus enim bonum operata est in me,* 227
Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum ad sepeliendum me fecit. Ibid.
31. *Percutiam pastorem & dispergentur oves.* 132
31. *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* 131
35. *Similiter omnes Discipuli dixerunt.* 132
39. *Pater, si possibile est.* 157
50. *Amice ad quid venisti.* 244
50. *Injecerunt manus in Jesum, & tenuerunt eum.* 99
27. 5. *Projectis argenteis in templo.* 137
5. *Laqueo se suspendit.* 104
6. *Non licet eos mittere in corbonam.* 137
7. *Emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorum.* 81
35. *Diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem.* 48
40. *Salva temetipsum & nos.* 102
42. *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere.* 102
42. *Si Filius Dei est, descendat de cruce & credimus ei?* 45
52. *Monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* 120

Cap.	Vers.		Pag.
5.	7.	*Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*	236

Ex Divo Marco.

10.	14.	*Sinite parvulos ad me venire, talium est enim regnum cœlorum.*	4
	25.	*Foramen.*	136
	30.	*Centies tantùm nunc in tempore hoc; & in sæculo futuro vitam æternam.*	138
13.	31.	*De die autem illo, & horâ nemo scit neque Angeli in cœlo neque Filius nisi Pater.*	259
	37.	*Quod autem vobis dico, omnibus dico.*	262
14.	8.	*Voluit prævenire sepulturam meam.*	227
	37.	*Sic non potuisti unâ horâ vigilare mecum.*	200
	64.	*Condemnaverunt eum esse reum mortis, & cœperunt quidam conspuere eum, & velare faciem ejus.*	234

Ex Divo Luca.

1.	30.	*Ave gratiâ plena.*	148
	31.	*Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur: dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob, & regni ejus, non erit finis.*	31
	31.	*Invenisti gratiam apud Deum.*	148
2.	7.	*Quia non erat eis locus in diversorio.*	253
	14.	*Et in terra pax hominibus.*	223
3.	9.	*Jam securis ad radicem arboris posita est.*	279
4.	5.	*Ostendit ei omnia regna orbis terræ in momento.*	39
	6.	*Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriam eorum, quia mihi tradita sunt, & cui volo, do illa.*	46
	13.	*Et consummatâ omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.*	44
6.	13.	*Elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominavit.*	208
	13.	*Et cum dies factus esset.*	211
	16.	*Et Judâ Iscarioten, qui fuit proditor.*	215
	12.	*Ecce defunctus efferebatur filius unicus Matris suæ, & hæc vidua erat, & multitudo copiosa plebis cum illa.*	231
8.	33.	*Nesciens quid diceret.*	240
	46.	*Quis eorum esset major.*	136
11.	27.	*Beatus venter qui te portavit.*	165
	28.	*Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*	Ibid.
12.	20.	*Quæ autem parasti, cujus erunt?*	265
	35.	*Lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum.*	271
	36. 37. 38. 39.	*Ut cùm venerit & pulsaverit: Beati servi quos cùm venerit Dominus: quod si venerit in secunda vigilia: quod si in tertia vigilia venerit & vos estote parati, quia quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.*	268
14.	31.	*Quis Rex iturus committere bellum adversùs altum Regem?*	4
15.	12.	*Pater da mihi portionem substantiæ, quæ me contingit.*	64
	12.	*Divisit illis substantiam.*	Ibidem.
	19.	*Pater non sum dignus vocari filius tuus.*	87
16.	2.	*Redde rationem villicationis tuæ.*	271
	6.	*Scribe quinquaginta.*	181
	7.	*Scribe octoginta.*	Ibidem.
17.	37.	*Ubicunque fuerit corpus illic congregabuntur & aquilæ.*	68
18.	32.	*Tradetur gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conspuetur, & postquam flagellaverint, occident eum.*	252
19.	8.	*Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, si quid aliquem defraudavi, reddo quatruplum.*	62
	12.	*Abiit in regionem longinquam accipere sibi regnum.*	4

Cap. Vers. Pag.

13. *Negotiamini dum venio.* 138. & 139
21.26. *Arescentibus hominibus præ timore & exspectatione, quæ supervenitura sunt universo orbi.* 271
28. *Respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* 120
32. *Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant.* 255
48. *Osculo tradis filium hominis?* 104
22.3. *Intravit satanas in Judam, & quærebat opportunitatem ut traderet illum: venit autem dies azimorum, in qua oportebat occidi Pascha.* 45
19. *Hoc est corpus meum.* 14
24. *Quis eorum esset major.* 57. 136. & 209
31. *Ecce satanas expedivit vos, ut cribraret sicut triticum.* 132
64. *Valuerunt eum, & percutiebant faciem ejus.* 249
23.34. *Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* 253
43. *Hodie mecum eris in Paradiso.* 58

Ex Divo Joanne.

1. 10. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est: & mundus eum non cognovit: in propria venit, & sui eum non receperunt.* 93
12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* 164
14. *Plenum gratiæ & veritatis.* 236
14. *Gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ.* 155
42. *Tu vocaberis Cephas.* 79
48. *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* 220
2. 11. *Hoc fecit initium signorum Jesus in Cana Galilææ & crediderunt in eum Discipuli ejus.* 131
3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* 30
4. 21. *Mulier crede mihi.* 130
5. 22. *Pater non judicat quemquam, sed omne judium dedit filii.* 29
4. 35. *Videte Regiones, quia albæ sunt ad messem.* 79
25. *Venit hora, & nunc est.* 261
29. 30. *Omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei, & procedent, qui bona fecerunt, ut resurrectionem vitæ, qui verò mala egerunt, in resurrectionem judicii.* 261
6. 15. *JESUS autem cùm cognovisset, quia venturi erant, ut raperent illum, & facerent eum Regem, fugit.* 174
8. 33. & 39. *Nos semen Abrahæ sumus.* 234
46. *Si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* 129
10.38. *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* 130
11.25. *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet.* 130
46. *Vos nescitis quidquam.* 201
47. *Quid faciamus, quia hic homo multa signa facit?* 173
47. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium.* 169
48. *Si dimittimus eum sic, venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.* 182
53. *Ab illo ergo die cogitaverunt, ut interficerent eum.* 175
54. *Jesus ergo jam non palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in regionem juxta desertum, in Civitatem, quæ dicitur Ephrem.* 175
12.6. *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, & loculos habens.* 225
13. *Benedictus qui venit in nomine Domini Rex Israel.* 174
26. *Ubi ego sum, illic & minister meus erit* 58
32. *Et ego cùm exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* 44
13.1. *Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut trans-*

Cap. Vers. Pag.

transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 237

1. *Cùm dilexisset suos qui erant in mundo.* 237

2. *Cùm jam diabolus misisset in cor, ut traderet eum Judas, cœpit lavare pedes Discipulorum.* 45

3. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit,, & ad Deum vadit.* 237

4. *Sciens, quia à Deo exivit, ponit vestimenta sua.* 242

6. *Tu mihi.* 242

7. *Quod ego facio tu nescis.* 253

11. *Sciebat enim quisnam esset, qui traderet eum.* 241. & 243

13. *Scitis quid fecerim vobis?* 237

18. *Qui manducat hunc panem, vivet* 104

14. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.* 130

3. *Si abiero, & paravero vobis locum, iterum venio, & recipiam vos ad me ipsum.* 268

15. 1. *Pater meus agricola est.* 82

15. *Jam non dicam vos servos sed amicos.* 244

15. 16. *Tu scis Domine quia amo te.* 254

24. *Usque modo non petistis quidquam.* 114

18. 3. *Judas ergo cùm accepisset cohortem.* 183

4. *Sciens omnia quæ ventura erant super eum processit & dixit: quem quaritis?* 249

5. *Ego sum.* 99

8. *Si ergo me quaritis, finite hos abire.* 202

19. 10. *Nescis quia potestatem habeo?* 201

11. *Si hunc dimittis, non est amicus Cæsaris.* 183

12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris, omnis enim qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* 11

23. *Quod scripsi, scripsi.* 180

23. *Stabat juxta crucem JESU Mater ejus,* 148

Cap. Vers. Pag.

28. *Sciens quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Scito.* 240

34. *Exivit Sanguis & aqua.* 86

20. 25. *Nisi videro figuram clavorum, & mittam manum meam in latus ejus, non credam.* 80

27. *Dominus meus, & Deus meus.* Ibid.

21. 16. *Diligis me.* 96

17. *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas me?* Ibid.

Ex Libro Actorum.

1. 15. *Erat autem turba hominum simul ferè centum viginti.* 66

17. *Qui connumeratus erat in nobis.* 218

21. *Oportet ergo.* Ibid.

24. *Orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nôsti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus.* 211

25. *Oportet accipere locum ministerii hujus, & Apostolatus, de quo prævaricatus est Judas, ut abiret in locum suum.* 66

26. *Et annumeratus est cum undecim.* 217

2. 41. *Et appositæ sunt in die illa animæ circiter tria millia.* 66

4. 32. *Cor unum & anima una.* Ibid.

5. 15. *Quemquam illorum.* 108

15. *Ita ut in plateas ejicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, ut veniente Petro, &c.* 108

16. *Concurrebat multitudo vicinarum civitatum Hierusalem offerentes agros.* 108

18. *Injecerunt manus in Apostolos, & posuerunt eos in custodia publica* 124

9. 15. *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus.* 79. & 27

Cap. Vers. Pag.

Ex Epistola Divi Pauli ad Romanos.

4. 17. *Qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt.* 14
5. 20. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia.* 151
8. 29. *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* 154. & 155.
23. *Ipsi intra nos geminus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri.* 120

Ex Epistola ad Corinthios 1.

1. 23. *Prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* 140. & 234
7. 31. *Præterit enim Figura hujus mundi.* 263
9. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne cùm aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar.* 101
15. 17. *Si Christus non resurrexit, vana est fides vestra.* 126

Ex Epistola ad Corinthios 2.

4. 18. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur; sed quæ non videntur: quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ non videntur æterna.* 42
8. 9. *Scitis enim gratiam Domini nostri JESU Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis.* 116
11. 25. *Die ac nocte in profundo maris fui.* 58
12. 9. *Et dixit mihi: sufficit tibi gratia mea.* Ib.
8. *Propter quod ter Dominum rogavi.* 58
15. 10. *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantiùs omnibus laboravi.* 59

Ex Epistola ad Galatas.

3. 13. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* 233

Cap. Vers. Pag.

Ex Epistola ad Ephesios.

2. 2. *Principem potestatis aeris hujus.* 107
4. 13. *In mensuram ætatis plenitudinis Christi.* 259

Ex Epistola ad Philippenses.

2. 6. *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo.* 29
7. *Sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo, propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* Ibidem.
7. *Qui cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum formam servi accipiens.* 6
9. *Factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen.* 152
9. *Et dedit illi nomen super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur.* 226

Ex Epistola ad Colossenses.

1. 18. *Ut sit in omnibus primatum tenens.* 154

Ex Epistola ad Thessalonicenses.

5. 3. *Cùm dixerint pax, & securitas, repentinus eis superveniet interitus.* 270

Ex Epistola ad Timotheum I.

1. 19. *Commendo tibi Fili Timothee, secundùm præcedentes in te Prophetias, ut milites in illis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt.* 145
2. 6. *Qui dedit semetipsum redemptionem pro omnibus.* 48. & 49

Cap. Vers. Pag.

Ex Epistola ad Timotheum 2.

4. 8. *Reposita est mihi corona justitiæ, quem reddet mihi Dominus justus judex.* 61. 62. & 267

Ex Epistola ad Hebræos.

1. 2. *Quem constituit hæredem universorum.* 44

2. 9. *Videmus JESUM propter Passionem mortis gloriâ & honore coronatum.* 155

10. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* 154

11. 1. *Argumentum non apparentium.* 140

25. *Magis eligens affligi cum populi Dei, quàm temporalis peccati habere jucunditatem.* 159

Ex Epistola ad Titum.

1. 16. *Confitentur se nôsse Deum, factis autem negant.* 147

Ex Epistola Divi Jacobi.

2. 23. *Abraham Pater noster nonne ex operibus justificatus est, offerens Isaac filium suum super altare? & suppleta est Scriptura dicens: Credidit Abraham Deo.* 142

5. 9. *Quoniam adventus Domini appropinquavit, nolite ingemiscere fratres in alterutrum, ut judicemini, ecce judex ante januam assistit.* 267

Ex Epistola Divi Petri 1.

3. 19. 20. *His qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit, qui increduli fuerant aliquando, quando exspectabant Dei patientiam in diebus Noë, cùm fabricaretur Arca.* 133

Ex Epistola Divi Petri 2.

1. 10. *Quapropter fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem & electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri & Salvatoris JESU Christi.* 277

Ex Epistola Divi Joannis 1.

2. 23. *Mundus transit, & concupiscentia ejus.* 263

3. 1. *Ut filii Dei nominetur, & simus.* 164

Ex Libro Apocalypsis.

1. 4. *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt.* 216

2. 18. *Angelo Ecclesiæ Ephesi: Angelo Ecclesiæ* 12. *Smyrnæ: Angelo Pergami Ecclesiæ.* Ibid.

3. *Veniam ad te tanquam fur, & nescies quâ horâ veniam.* 268

8. 1. *Factum est silentium in cœlo quasi mediâ horâ.* 50

12. 1. *Signum magnum apparuit in cœlo.* 8

14. *Et datæ sunt mulieri duæ alæ Aquilæ magnæ, ut volaret.* 9

21. 15. *Ut metiretur civitatem & portas ejus & murum.* 136

21. *Singulæ portæ erant ex singulis margaritis.* Ibidem.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Numeri significant paginam.

A.

A. A. A. Ad tria a. a. a. quibus Jeremias se excusabat, ne Gentium Propheta constitueretur, Deus Lusitanis respondit, Africa, Asia, America. 83.

Abraham. In Abrahamo non laudatur credere in Deum, sed credere Deo: & quare? 141 Describuntur difficultates ab Abrahamo superatæ, ut probaret se credere Deo. *Ibidem.* Quare Abraham jussus immolare Isaac tentatus dicitur, & non Isaac immolandus? 87. Utroque ad immolandum pergente, multum merebatur Abraham, & Isaac nihil: Abraham enim sciebat quò tenderet, Isaac verò minimè. 248. Sacrificium laudatum in Patre, remuneratum fuit in filio, & quare? 26. & 27.

Absolon. Absolon significat pax patris, & ipso mortuo suspenso etymologia nominis fuit completa. 223.

Abusus. Pro ratione dare: non est consuetudo in terra nostra, quantus sit abusus. 70.

Accusatio. Christus accusatus, quod se faceret Regem, & accusatio mirabiliter probata. 12.

Achaz. Quare Achaz petitionem vocavit tentationem. 60.

Achitophel. Consilium Achitophelis non fuit infatuatum in ipsius intellectu, sed in manibus Absolonis. 178.

Adam. Per inobedientiam Adæ genus humanum duplici captivitati, peccati & mortis fuit subjectum: à prima jam est redemptum, à secunda nondum. 120. Si Adam non peccâsset, Maria Mater Dei tantam gloriam non haberet, quantam hodie habet. 151.

Adonias. Pro una petitiuncula quam fecit, caput perdidit. 60.

Adventus. Christi adventus sunt tres, Et quales? 266. & *seqq.*

Ala. Sunt alæ ad ascendendum, & descendendum. 204. Simon Magus affectans alas ad volandum, perdidit pedes ad ambulandum. 204.

Alexander. Philippus Macedo gaudebat sibi adhuc vivo à subditis negari titulum Regis, & dari filio suo Alexandro. 21.

Amicus. Amici hæreditati sunt meliores. 74. Amici parentum minùs sunt suspecti: illi quos filii sibi elegunt suspectæ sunt fidei. *Ib.* Maximum quod amicus ab amico in morte sperare potest, est medium folium chartæ: quantò melior fuisset una Bulla Defunctorum? 229 David amicitiam Jonathæ carmine solvit lugubri. 229.

Amor. Primum, quo amor privat amantem, est intellectus. 238. Quod inter homines ordinariè vocatur amor, est ignorantia. 238. Amant imaginatum, & quod non est. 243. Quatuor ignorantiæ, quæ valde imminuunt amorem. 240. Prima, non cognoscere seipsum, qui amat. *Ibidem.* Secunda est, non cognoscere amatum. *Ibidem.* Tertia, non cognoscere amorem. *Ibidem.* Quarta, non cognoscere finem in amando habendum. 241. Quod videtur amoris excellentia, fundatum in ignorantia, non est amor: quod non videtur amor, fundatum in scientia est excellentia. 239. Amor secundus magis qualificatus est, quàm amor primus

primus : est enim amor super amorem jam conceptum. 245. Quare Jonathas renovavit juramentum amoris Davidi factum: vel quare fecit secundum, cum semper observaverit primum? 246. Quare Deus mandavit Abrahamo, offerre sibi filium, quem amaverat, & non quem amabat? 247. Qui mortui sunt, quia armârunt, sciebant se debere mori, & non amare. 248. Amor majoris æstimat cognosci, quàm solvi. 251. Multò magis excellentiarum suarum ignorantiâ affligitur quàm pœnis quas patitur. 252. Paris necdum cognitâ natalium suorum sublimitate, pastoritiam quandam puellam montis Idæ deperibat: mox ut Priami Regis se filium cognovit, amorem mutavit. 241. Pretiũ rerum mundanarum non inest ipsis, quia vanæ sunt; sed inest cordi quo amantur. 39.

Amor Christi. S. Joannes ad exaggerandum Christi amorem, ejus ponderavit scientiam: & Christus nostram ponderavit ignorantiam. 237. Solus Christus amavit purè, quia amavit scienter: & soli homines amati fuerunt purè, quia amati fuerunt ignorantes. 238. Quatuor scientiæ, quæ valde exaggerant amorem Christi. 241. & 242. Prima, cognoscere seipsum & originis suæ altitudinem. 243. Secunda, cognoscere amatum, ejus defectus & insuper correspondentias. 245. Tertia, cognoscere amorem non speculativè tantum, sed per tot tamque acerba experimenta. 248. Quarta, cognoscere quod idem amor ipsum ducturus esset ad mortem & acturus in crucem. 249. Christus amavit sciens quod erat, quasi illud ignorasset. 242. Definivit se in rubo, in quo ardebat: cognosci enim & ardere est amare: definire se, fuit suam declarare essentiam; ardere, fuit probare definitionem 244. Christus amavit sciens quales essent, aut futuri essent amati, amando omnes sine cauta, & quosdam sine merito. 244. solum Judam, quem proditorem noverat, vocavit amicum; quia non quærebat amoris motiva, sed excellentiæ circumstantias. 245. Amor Christi, quia amavit super experientiam, quod amaverit, fuit amor super amorem. 247. Et quoniam fuit amor super amorem; fuit major crescendo sine crescere: & quomodo? *Ibid.* Christus sciens, quod amor suus se ad mortem, duceret, cucurrit ad illam, quasi illam ignorâsset. 249. Ideo ignorantiam simulavit, quando hostes se captum venerant. *Ibid* Ideoque voluit sibi velari oculos *Ibid.* Amor Christi excellentiùs ponderatur ignorantiâ hominum quos amaverat, & cognoscere non poterant quantum se amaverat. 250. S. Joannes sustulit velamina amori Christi: & Christus ad indicandum amorem suum, illa resumpsit. *Ibid.* Voluit fidem suo negari amori, ad imminuendam nostram ingratitudinem. 253. Quàm inæqualis sors amoris Christi cum hominibus, & amoris hominum cum Christo: Christus enim amorem nostrum tam tepidum esse novit, & nos amorem ipsius, cùm adeò sit excessivus, ignoramus. 254. Remedium istius foret, si Christus nos nostro amaret corde, & nos ipsum amaremus suo corde. *Ibid.*

Angelus. Inter Angelos dari potest votorum seu opinionum varietas sine sapientiæ & sanctitatis eorum præjudicio. 172. Diabolus convenientius suffragium ferre potest, quàm Angelus, pro qualitate materiæ. 173.

Anima. Anima, confessione diaboli, plus valet quàm totus mundus. 35. Nihil est quocum commutari possit anima, licet totus sit mundus. 36. Tendimus animã diabolo, quia non ponderamus quod illi nobis promittit, nec quod illi damus. 35. Uni lanci stateræ imponatur anima, & alteri mundus, & videatur, quid cui prædonderet. 37. Considerato pretio

pretio, quod Deus pro anima dedit, tantum anima, quantum Deus ipse valere videtur. 41. Crux Christi sola est statera, in qua ponderari potest anima. *Ibid.* Ut bene ponderetur anima, ex una stateræ parte ponenda est anima, ex altera Deus, *Ibid.* Diabolus pro anima una obtulit mundum, Deus pro ea dedit seipsum. Si inveneritis uter pro ea plus licitetur, illi eam date in nomine Domini. 42. Anima parvi penditur, quia ostendi non potest, sicut diabolus ostendit mundum. *Ibid.* Si videremus quid sit anima, quantum daremus licet non esset propria sed aliena. *Ibid.* Anima cùm sit invisibilis, plus valet quàm omnia visibilia. *Ibid.* Quidquid magnum & pretiosum est in homine, est anima. 43. Ipsa corporis pulchritudo est anima. *Ibid.* Anima est omnia, & hoc quod diabolus vocat omnia. 44. Quare Christus in cruce unam ad se attraxit animam, scilicet boni Latronis. *Ibid.* Non solum omnes animæ, sed omnis, & quælibet est omnia. *Ibid.* Non semel tantum sed sæpius, nec uno sed variis modis se Deus pro anima dedit. *Ibid.* Diabolus videns Christum tentatum mundo non vinci, animabus eundem tentavit. 45. Diabolus non evicit, ut Christus sibi genu flecteret mundum offerenti, sed animam rapere volenti: si non obtinuit ut genu flecteret sibi (hoc enim non oportebat) obtinuit, ut ante se saltem flecteret genu. *Ibid.* Diabolus offert mundum, ut animæ salutem tantùm dubiam faciat. 48. Homines pluris æstimant res temporales quàm animas. 38. Christus mortuus est non solùm pro animabus salvandis, sed etiam pro animabus damnandis, solùm quia animæ sunt. 49. Christus nudus in cruce tortus, injuriis affectus, & pro nostra salute mortuus, suo nos docet exemplo, ne propter bona, propter honorem, delicias & vitam, in discrimen & dubium vocetur animæ salus. 50. Major devotio & actus Charitatis est, liberare animam ab Inferno, quàm educere ex Purgatorio. 51. Non propriarum tantùm, sed alienarum etiam animarum salus procuranda est *Ibid.* Christus quando ad Limbum descendit animas educturus, etiam multa mortuorum corpora ex sepulchris exiêrunt, ut se perfectum & corporum & animarum Redemptorem ostenderet. 120. & 121.

Animal. Magna doloris & ingratitudinis est circumstantia, quod homines non cognoscant hominem, quando ipsum recognoscant animalia. 94. In diluvio omnia terræ animantia perierunt cum hominibus, quia prope illos vivebant; pisces verò non, quia remotiores agunt ab hominibus. 190. In exordio mundi, & in arca tempore diluvii, & aliquanto tempore post diluvium, non sese comedebant invicem animalia, cùm in illis plus valeret conservationis instinctus quam appetitus. 198.

Annus. Una generatio in phrasi Scripturæ comprehendit centum annos, 259.

Antipoda. Antipodæ sunt gens illa, quam Isaias conculcatam vocat. 84.

Antonius. S. Antonius verus fuit Lusitanus, quia fuit lux mundi. 78. Natus Ulyssipone, sepultus est Paduæ: *Solis* enim obligatio est, in una nasci, in altera parte occumbere. 76. Descriptio sepulchri S. Antonii in Padua. 77. E Religione S. Augustini transivit ad illam S. Francisci, ut inscriberetur sub Sacris Quinis. 79. 80. S. Antonius velut David, minor & syntheſi indutus Gigantem quinque Vulneribus prostravit. 81. Curia Ulyssipponensis religiosâ statuum consideratione, super formicem Ecclesiæ S. Antonii est constructa. 76. S. Antonius Ulyssippone manus habet plenas

nas memorialibus, velut amicus Dei : & tanquam bonus amicus illa ſtatim expedit. 77. Tanquam Sol prodigioſus curſum ſuum ex Occidente peregit in Orientem, quia ſalutem ferebat in alis. 83. Intravit cælum in die obitûs ſui, frequentamenta verò campanarum non fuerunt audita, niſi in die Canonizationis ſuæ : Luſitania enim glorias ſuas non reputat glorias, niſi eas viderit Romæ canonizatus. 88. S. Antonius non ſolùm fuit ſal terræ, ſed etiam maris. 187. Prædicatio S. Antonii ad piſces. 188. Fuit humanarum paſſionum remora. 192. Quantò Deo magis appropinquabat, tantò magis fugit ab hominibus. 191. Fel & cor S. Antonii erat ſicut illud piſcis Tobiæ, quem ſi veſtirent ſyntheſi & ſuccingerent chordâ, effigies foret ejuſdem Sancti. 191. & 192. Fuit unus ex adhæſoribus Dei. 202. Præditus alis aquilæ illas non replicavit ad aſcendendum, ſed ad deſcendendum complicavit. 204. Cùm tantæ fuerit potentiæ & ſcientiæ, nunquam illam jactavit, potius tacuit ſemper, & quia tacuit, tantũ poſtea edidit ſonum. 201.

Apparentia. Omnia mundi regna, non ſunt niſi apparentia. 38.

Aquilæ. Magna mundi Aquila eſt Hiſpania, hujus duæ alæ ſunt Luſitania & Aragonia. 9. Aquilæ Vulturinæ ſagaciſſimi odoratus percepto cadaveris odore mox advolant, quibus ſimiles ſunt prætendentes. 68.

Arbiter. Offerentes ſuas induſtrias Arbitri, ſimulque executionem prætendentes, unum, *non*, valde ſiccũ, & verũ *non* merentur. 69. 70.

Arca. Arcæ Noëticæ fabricatores infelices fuerunt, quia remedium fecerunt pro aliis & non pro ſe. 100.

Arrogans. Arrogantes cũ Deo luctantur, luctantes verò cum Deo ſemper ſuccumbunt. 201.

Ars. Vera ars regnandi eſt Lex Dei. 184.

Atramentum. Atramentum cùm ſit nigrum, multis coloribus chartã tingere poteſt. 179.

Auguſtinus. S. Auguſtinus non invenit fundum intellectu ſuo, quem Luſitani ſuis invenerunt anchoris 84.

Auguſtus. Auguſtus qua filius Julii Cæſaris, maxima fuit gloria ſui Patris. 20. Maximaque gloria ejusdem Julii (in cœlo falsò imaginati) fuit, quod Auguſtus illum vinceret. *Ibid.*

Avis. Aves tanquam generoſæ mutârunt elementum. 81.

Aula. In Aulis terrenis prætendentes deſiderant, ut petitiones ſuas exeant, in aula cœleſti, ut intrent. 61.

Authoritas. Authoritates ratò ab eo allegari poſſunt, qui dicit, quod nondum eſt dictum. 152.

B.

Bartholomæus. Locus quem S. Bartholomæus tenuit in Evangelio (qui medius eſt inter Apoſtolos) illum probat meliorem ex melioribus. 219. Eſt lapis Sardius, qui in una Scriptura locum occupat primum, & in altera ſextum. 220. Sardius ſimilis carni vivæ eſt figura S. Bartholomæi excoriati. 220.

Beneficium. Perdere & præſtare beneficium, maxima eſt benefaciendi excellentia. 230. Beneficia mortuis impenſa ſunt rite qualificata beneficia, eſt enim benefacere illis, qui nec bonum nec malum rependere poſſunt. *Ibid.* Filii beneficiis non ſolum adæquare poſſunt parentes, verùm etiam vincere. 19.

C.

Cœlum. Contra minas cœli parum valent circumſpectiones terræ. 105. In negotiatione cœli ſolummodo deeſt ſucceſſus non adhibenti diligentiam. 2. Chriſtus neminem cælum intrare poſſe aſſerit niſi parvulum factum : nihilominus conantur eſſe magni omnes & cœlum ſe intraturos ſperant, quia non credunt Chriſto. 136. Portæ cœli cuilibet patent in una Margarita. 136.

Calvaria. Verax calvariæ cujuſdam effatum. 272

Captivitas & captivus vid. in S. P. Nolaſco.

Caput Solus qui capite excedit est major. 213. Capite infirmo, parum prosunt brachia manusque armatæ. 177.

Catholicus. Sumus Catholici credendo tantùm, & hæretici Mandata non observando. 131. Catholicorum medietas salvatur & medietas damnatur. 273.

Cærimonia. Cærimonia notabilis, quâ subditi gratulati sunt Davidi de unctione & coronatione filii sui Salomonis in successorem. 27.

Certitudo. Nullus sapiens majorem certitudinẽ desiderare debet in qualibet materia, quàm illam, cujus materia capax est. 279.

Charitas. Major charitatis actus est animas liberare ab inferno, quàm à Purgatorio. 51.

Christus. Christus bis ab æterno exiit è mente Dei: primò prædestinatus homo, secundò homo passibilis. 154. Adeò fuit pauper, ut mendicare ipsi fuerit opus. 116. Quà Redemptor mendicavit à seipso quà Creatore materiam Sacramentorum. 118. Redemit nos lytro mendicato, & quomodo? 116. Christus Redemptor est animarum & corporum, quia fuit peccati, & erit mortis. 121. Ad purificandum aërem mortuus est in aëre. 106. Non solùm pro animabus salvandis, sed etiam pro damnandis mortuus, & solùm quia animæ sunt. 49. In flagellatione magis sensit hominum ignorantiam, quàm ipsum tormentum & injuriam. 252. Quòd Scribæ & Pharisæi dixerunt: alios salvos fecit; seipsum autem non salvaverit: maxima fuit misericordiæ ejus commendatio. 101 Christus in cruce nudus excarnificatus, pro nostra salute mortuus, exemplum est, quod nec pro bonis, nec pro honoribus, nec pro deliciis, nec pro vita, periculo exponenda sit anima. 50. Quando ad Limbum descendit erepturus animas, simul è sepulchris multa resuscitata prodiêrunt corpora, ut perfectum & animarum & corporum se ostenderet Redemptorem. 120. 121. Prædicavit in Inferno constitutis, & qualis illa prædicatio. 133. In SS. Sacramento captivus est & incarceratus. 124. Accusatus fuit, quod se Regem faceret; & accusationis hujus veritas notabiliter probatur. 11. Eligendo ex 72. Discipulis 12. in Apostolos honoravit electionem, electos, & exclusos & quomodo. 219. Christus quemlibet in hora mortis eodemq; quo moritur loco, judicaturus adest. 263. Terribilior est modus, quo veniet in hora mortis, quàm quo veniet in die Judicii. 268.

Clavis. Captum manere, vinculorum clave in manu retentâ formissimum est sacrificiũ 100

Cognoscere. Major est infelicitas non esse cognitum, quàm esse damnatum. 93. Amor magis æstimat cognosci quàm compensari. 250. Magnum doloris motivum est non cognosci ab hominibus, quando cognoscimur à brutis. 94. & 95.

Comestus. Mortuos necdum mandatos terræ, jam comedit omnis terra. 196.

Communitas. Optima Communitatis laus est, quando desunt loca & superfluunt merita. 219.

Comparatio. In malo cõmuni deest comparatio, & ubi non est cõparatio, non est miseria. 264.

Computus. Deo exigente computus & indulgente tempus, rectè formari possunt computus: sed Deo simul cum computu accipiente tempus rectè confici nequeunt. 270. In Judicio universali Deus dabit tempus, antequam computum accipiat: in Judicio particulari, simul tempus accipit cum computu. 271.

Confiteri. Facile est confiteri Christum, & difficile negare seipsum. 270. & 271.

Conscientia. Conscientiâ perditâ facilè fides perit. 145.

Consiliarius. Deus punit Reges permittendo, ut à suis decipiantur consiliariis. 171. Consiliarium bonum non personæ, sed consilii qualitas facit. 170. Cõsiliarius bonus integro præponderat Regno. 177. Melius est audire consilia-

liarium loquentem & respondentem, quàm mutum legere chartam. 179. Optimi consiliarii sunt Præcepta Legis Divinæ. 193.

Consilium. Optimum & pessimum mundi est concilium. 169. Mors Christi mundique salvatio; quæ maxima fuit hominum malitia, miseratióque divina, ex uno profectæ sunt Concilio. *Ibid.* Non à melioribus, sed melius consilium, à quocunque demum est accipiendum. 172. Consilium manuum est optimum. 176. Consilia prudentissima sine executione sunt fatua. 177. Consiliorum gubernaculum est Lex Dei 184. Consilia contra Christum sunt Rerumpublicarum & Monarchiarum interitus. 182. Rex Roboamus nolendo sequi Consiliariorum suorum sed secum enutritorum consilia regnum perdidit. 73.

Contagium. Sanitas quam S. Rochus impertiebat, erat sanitas contagiosa. 108.

Contractus. Malumus contrahere cum hominibus acceptando quinque pro centum, quàm cum Deo acceptando centuplum pro simplo, quia non credimus Christo. 138.

Contrarium. Virtus suo contrario juncta, est gemina virtus 7.

Conversio. Fiducia conversionis in futurum, quamvis homo oneratus sit vitiis, est sentatio, quâ diabolus omnes in ea degentes ad infernum deduxit. 277.

Cor. Pondus rerum mundanarum non ipsis, sed cordibus eas amantium inest. 39. Homines non ex pelle visibili, sed ex corde invisibili judicandi sunt. 221. Piscis Tobiæ cor ejiciebat dæmonia. 191.

Corona. Potissimùm hujus mundi sunt coronæ sed non sunt mercimonia Regum. 38. Coronæ terrestres nihil faciunt ad lucrandum illam cœlestem. 38. Coronata sanctitas etiam in gradu æquali, est major sanctitas. 7.

Corruptio. Mors viva occidit & corrumpi corpora: mors mortua illa corrumpere nequit. 15.

Corvus. Carne damnatorum datâ corvis secura est pax mundi. 223. Corvi comedunt Reos jam justificatos: homines illos comedunt necdum condemnatos, etiam quandoque innocentes. 224.

Credere. Aliud est credere Christo, aliud credere in Christum. 130. 131. Discipuli in principio credebant Christo & non in Christum: postmodum vice versâ. 131. Quàm grave peccatum sit non credere Deo, qui credit in Deum. 133. 134. Non laudatur in Abrahamo credere in Deum, sed credere Deo. Et quare? 141 Nos Christiani ordinariè credimus in Christum, sed non Christo. 131. Hæc veritas multis probatur exemplis. 134. & *seqq.* Ratio datur imprudentiæ hujus, quare Christiani credentes in Christum, non credant Christo 135. & *seq.* Fides non dolens facilè credit: dolens difficulter. 140. Si non credimus Christo, cuinam credimus? 143. Sicut à credendo Deo facilè transitur ad credendum in Deum: sic à non credendo Christo facilè transitur ad non credendum in Christum. 145 Si non credimus secundo modo, nec primo credimus: & si non credimus Christo, devenimus ad non credendum in Christum. 145. *& seq.* Exemplum rarum in quo Christianus & Sacerdos, quia Christo credere noluit, jam martyrio proximus, deficiendo à fide Christum negavit. 145. *usque ad* 148.

Crescere. Crescere sine crescere, quomodo potest esse? 247.

Crux. Crux in veteri Testamento figurata fuit in virga & statera. 148. Solâ Cruce veluti virgâ mensurari potest gratia Mariæ: & eâdem veluti statera potest ponderari. 149. Quare Christus in Cruce Matrem suam vocavit Mulierem; & Patrem suum Deum? 158. Parallelum Mariæ ad pedem crucis cum Patre æterno 157. 158. Deus se crucifigi permisit, ut homines in cruce ponderarent magnitudinem

dinem & excellentiam gratiæ, peccatis perditæ. 168. Crux Christi constabat recto & transverso, nam exterius dabat vitam, interiùs sinebat mori. 102. Nullum Crucis signum fuit similius, magisque signum, quàm quo S. Rochus sanabat peste infectos. *Ibid.* Facile est Crucem adorare, difficile portare. 141. Crux Christi tantùm est statera, in qua librari potest anima & Dei gratia. 167.

D.

Dare. Dare pauperibus, & non solvere creditoribus, est ordo inversus. 62. Christus non præcepit, sed consuluit dare quod habemus: non tamen petere, quod non habemus, ad illud dandum, consuluit aut præcepit. 115. Multò plus facit petens ad dandum, quàm dans quod habet. *Ibid.* Quare Reges & Principes magis inclinentur ad dandum, quàm ad solvendum; ad præstandas gratias, quàm satisfaciendum debitis. 62. Accipere ab aliis violenter necessarium, ad dandum aliis superfluum quàm gravis sit injustitia. 62.

David. David jam melior Saule electus fuit ad Regnum. 213. Magis extimuit unius hominis caput, quàm infinitorum hominum brachia. 177.

Decretum. Mysterium Incarnationis fuit prædestinatum ab æterno duobus decretis, uno ante, altero post prævisionem peccati. 153. Principium negotiorum est executio, & non Decretum. 175.

Demetrius. Generosa Demetrii responsio in respuendo honorario Caji Imperatoris. 36.

Deserere. Assumens contrarium ei, quod est, desinit esse quod est, quamvis illud retineat. 7.

Deus. Deus compensavit B. V. Mariæ excessum gloriæ quâ illam excellit, illam faciendo suam Matrem. 25. Deus solus dando nomina etiam esse tribuit. 14. Non semel sed sæpius, nec uno tantùm; sed variis modis se Deus dedit pro una anima. 44. Non contentus dare quod habebat, etiam mendicavit quod non habebat, ut in hominis pretium illud daret 16. *& seq.* Remunerans opera misericordiæ bonis temporalibus, non illa remunerat misericordiâ & veritate; sed remunerando bonis æternis id facit. 236. Nova creando officia, priùs creat officiales. 68. Quoties concurrit proprium interesse cum Deo, Deus postponitur. 137.

Diabolus. Diabolus ex nostris remediis facit tentationes. 33. Nos de tentationibus diaboli remedia facere possumus. *Ibid.* Eadem res à diabolo oblata, est tentatio, à nobis pensata, est remedium. 35. Tentando Christum insipienter egit, ostendendo illi mundum & glorias ejus: oportebat fucare merces si emi volebat. 40. Videns Christum non vinci toto mundo, animabus eum tentavit 45. Quod non obtinuit toto, particulis illius assequitur. 47. Dimidium fidei vili nobis pretio vendit, ut alterum dimidium furetur: permittit nos credere in Deum, sed tentat nos ne credamus Deo. 133. Posito, quod diabolus verus esset mundi dominus, eumque nobis cum omnibus contentis in eo dare posset: magna nihilominus foret stultitia animam illi dare pro isto pretio. 47.

Dies. Dies cooperit cœlum, & discooperit noctem. 210. Dies judicii erit & jam est. 259. Est hodie, fuit heri, erit cras. 259.

Dignitas. Quàm immensa dignitas est illa Matris Dei. 165. Dignitate Matris Dei, separatâ gratiâ, collatâ cum gratia non solùm ejusdem Dominæ, sed cujuscunque Justi, plus ponderat hujus gratia, quàm illa dignitas. *ibid. &* 166. Quanta insipientia fideique defectus sit, perdere gratiam Dei, ad obtinendas dignitates mundi. 168. Si pellis tegens hominem dignum splendeat, addit homini dignitatem. 221. Dignitas hominum ex intrinseco metienda est. 221.

Dispensatio. Dispensatio est vulnus legis. *63.* Dispensationem mortis nullus unquam petiit. Et quare? *Ibid.* & 64.

Divisio. Nemo melius partes sibi contrarias dividit, quàm qui cum ambabus intrat. *95.*

Dubium. Quare dubitans de fide tantus est hæreticus, quantus eam negans? 97. Dubitans me esse fidelem, supponit me esse posse infidelem: & tantundem fidelitatem meam offendit dubitans, quantum negans. 97. & *98.* Dubiis tribus Christus negationes S. Petri punivit dubitans de amore ipsius. 96.

E.

Electio. Electio cum Deo expedita est & certa 211. Eligat Deus, & non offendentur homines. 210. Electiones faciendæ sunt cum intentione eligendi Ministros, & non multiplicandi creaturas. 217. In electione bona Ministrorum cognoscitur lusus per rejectionem; id est, melioritas electorum, per capacitatem excluforum. *212.* Quicquid Pater æternus electione liberâ donare potuit, dedit Filio, & non accepit sibi. 30. Nihil Principem magis vigilantem reddere debet, quàm manorum Ministrorum electio. 208. Princeps vigilans in electione Ministrorum securè dormit in tempestate, *Ibid.* Nihil difficilius, quàm quod homo alium eligat hominē. *210.* Electiones faciendæ sunt cum Deo. *209.*

Elector. Nihil magis electorum judicium decipit quàm pellis. 210. & 221. Electore faciente quod suum est, non refert quod electus non faciat quod suum est. 211. Sit Judas traditor sui electoris; elector tamen non sit proditor electionis. 215.

Electus Electi in Ministros non solùm debent esse boni & meliores; sed ex melioribus meliores. 212. Non solùm meliores respectu excluforum; sed etiam meliores respectu electorum sunt præferendi. 212. & 213.

Eleemosyna. Eleemosyna non solùm est redemptio culpæ, sed etiam pœnæ. Et quomodo. 118.

Elisabetha. S. Elisabetha per Salomonem descripta tanquam Regina, Hispana & Aragona. 3. Filia Regis, Uxor Regis, Mater Regis. 2. Fuit optima negotiatrix regni cœlestis. 3. Coronâ terrestri lucrata est cœlestem. 5 Major Sancta, quia Regina: & major Regina, quia Sancta. 3. Minor fuisset Sancta, nisi sanctitas ipsius super imposita fuisset mulieri & coronæ 5. Quare coronæ non renunciavit? 6. Renunciavit coronæ non renunciando, & deseruit non deserendo. Et quomodo? *Ibid.* Nullus forum hujus mundi intravit cum majore substantia. 2. Virtutes ejus duplicatæ fuerunt virtutes. 8. Est figurata in muliere Apocalyptica. *Ibid.* Habitus S. Francisci coronæ super indutus glorioſiorem eam reddiderunt in cœlo. *10.* Scuta Lusitaniæ & Aragoniæ sunt varietates ornatûs, quo vestitur in cœlo. *Ibid.* Erat Domina vitæ & mortis, ideoq; major Regina. 12. Comparata cum aliis Portugalliæ Reginis ostenditur major fuisse. 13. Tagus diversus magis portentoso miraculo transitum ipsi præbuit, quàm Jordanis ad conspectum arcæ Testamenti. *Ibid.* Quantum miraculum S. Elisabethæ dicentis: pecunias esse rosas, & mansisse rosas. *Ibid.* Occidit mortem, & quomodo? 15. Parallelum S. Elisabethæ Reginæ cum Imperatrice Elisabetha utraque mortua & Lusitania. *Ibid.* Reges manendo Reges sancti esse possent, si à S. Elisabetha discerent. *16.*

Ensis. Ordinariè qui longum habent ensem, brevem habent linguam. 200.

Epicurus. Fundamentum Sectæ Epicuræorum erroneum, sed discretum. 162.

Exemplum. Exemplum notabile, quo Deus ostendit, quod defectu justitiæ, veritatis & misericordiæ punit civitates. 224.

Exequiæ. Exequiæ mortuorum ordinariè sunt obsequia vivorum. 231.

Fames.

F.

Fames. Alienâ mori fame magna est ignorantia. 202.

Ferrum. Ferrum Lusitaniæ est instar ferri istius Lanceæ, quæ Latus aperuit Christi. 86.

Fides. Fides inferni non admittit gaudium. 163. Fides est virtus (si dici fas est) infelix, quia mittendo homines in cœlum ipsa foris manet. 102.

Filius. Filiis conandum est, ut bonitate assequantur Parentes: & Parentibus optandum, ut filii se transcendant. 22. In concertationibus patris & filii, palma patris est, victum esse à filio. 23. Gloria filii magis est patris quàm filii. 23. Maxima gloria B. Virginis est in cœlo, videre gloriam Filii infinitè esse majorem suâ. 22. Berzellai gratias Regis suo voluit filio, non sibi. 26. In electione subjectorum plus vident Parentes oculis clausis, quàm filii oculis apertis. 74. Filius quantumcunque prudens supponere debet, Parentem suum sapientiorem esse, & inde gloriari. 75. In obedientissimo filio non potest obedientia tentari. 87. Filii in beneficiis non solùm adæquare possunt Parentes, sed etiam vincere. 19.

Fortuna. Omnis fortuna aufert cognitionem: si est prospera, non novimus nos ipsos; si est adversa, non noverunt nos alii. 9. Fortuna lineamenta faciei immutat. 91. Multi sunt amici fortunæ, & non personæ 92.

G.

Gaudium Carere gaudiis mundi, illorum nihilo, majus est gaudium ipso gaudio. 162

Glans. Casus notabilis, quo glans hostilis tormenti in os oppositi tormenti explosa, majori vi retorta, primum sui explosorem occidit. 35.

Gloria. Si electio ad gloriam est Dei, quomodo Maria dicitur elegisse suam? 29. & 30. Electio Mariæ respectu gloriæ suæ fuit sicut illa Patris æterni, respectu gloriæ Filii sui. 19. Gloriâ Dei Patris & illâ Mariæ diversimodè consideratâ, illa Mariæ est optima, & quo sensu? 18. 19. cùm gloria Dei sit maxima, quomodo pars Mariæ potest esse optima? 18. Excessus gloriæ, quo Deus Mariam excedit, est etiam Mariæ. 21. Palma Mariæ in cœlo, est victam esse à Filio. 21. Maxima gloriæ Mariæ palma in cœlo est, thronum Filii sui infinitè sublimiorem esse suo. 24.

Gratia Dei. Gratia Dei non æstimatur, quia non cognoscitus, neque ponderatur. 159. Gratia appenditur in statera cum rebus æstimatione hominum ponderosioribus. *Ibid* Ponderatur gratiâ Regum. *Ibid.* Ponderatur sanguinis notabilitate. 164. Ponderatur mundi gaudiis. *Ibid.* Ponderatur dignitatibus, & illa omnium maximâ, quæ est Matris Dei. 165. Ponderatur ipso Deo homine facto. 167. Quare S. Joannes vocatus est dilectus, & non cognatus Christi? 164. Melius est esse cognatum Deo gratiâ, quàm sanguine. *Ibid.* Ponderatur cœcitas hominum in consideratione vilitatum, quia gratiam Dei perdunt. 168.

Gratia Mariæ. Gratia Mariæ duas habuit considerationes: unam velut gratiam Matris Dei hominis: alteram velut Dei hominis passibilis. 155. Gratia Mariæ fuit major, quàm gratia Matris Dei præcisè. 150. Instanti Incarnationis Verbi omnem illam gratiam habuit, quæ dignitati Matris Dei competebat. *Ibid.* Jam gratiâ plenâ in Incarnatione, adhuc in gratia crevit. *Ibid.* In utroque statu Mater Dei competentem habuit gratiam, in uno majorem, in altero minorem. 155. Quia prædestinata fuit ad aliquid ultra Matrem, & Matrem Dei: idcirco gratia ejus major

fuit, quàm Matris Dei. 153. Si Adam non peccâsset, etsi Mater Dei esset Maria, non habitura fuisset tantam gratiam, quantam nunc habet. 251. Si spiritus S. fuisset incarnatus, & duæ essent Matres Dei, Maria majorem habitura fuisset gratiam, quàm Mater Spiritus sancti. *Ibid.* Gratia Mariæ per maternitatem fuit mare per crucem diluvium. 156. Maternitate non mensuratur sufficienter, sed cruce. *ibid.* Per Maternitatem fuit instar collis, per Crucem, instar montis. 1506.

Gratia Regum. Viginti quatuor differentiæ inter gratiam Dei & Regum. 160. Quare S. Paulus gratiam Regum vocat peccatum & temporale? 159. & 160. Gratia Regum & Dei difficulter simul subsistunt. 160. Gratia Regum non est secura, nisi in gratia Dei fundata. 161. Familiares Regum majoris facere debent gratiam Regis, quàm omnes alios favores & gratias; est enim major. 58. Familiares Regum gratias implere debent servitiis, & non ex illa se implere præmiis. 59. Nulla res pejus observatur in aulis quàm discrimen inter gratiam & justitiam. 62.

H.

Hæresis. Quomodo in tot Regna invecta fuerit pestis hæresis. 144. S. Antonius in dictis fuit malleus hæreticorum, & non vitiorum. 86.

Hispania. Hispania fuit magna mundi aquila, cujus duæ alæ sunt Lusitania & Aragonia 92.

Homo. Homines stateris veris fallaciter ponderant. 168. Quomodo homo salutem suam certam reddere queat si velit. 277. In homine, quod videtur, est minus: quod non videtur, est totum. 221. Non solum extrinsecus, sed ipsâ etiam pelle nudatus æstimari debet *Ibid.* Homo duorum hemisphæriorum duplex est inimicus. 86. Decipiuntur quia decipi amant. 39. Quantò remotius ab hominibus, tantò tutius. 190. Si media, quibus homines sese conservare conantur, sunt contra Deum, Deus illis utitur ad ipsos perdendos. 182. Homines deliberantes de faciendo, nihil unquam perficiunt. 173. Homines concludentes de præsenti, efficient quicquid demum machinati fuerint. 174. Iidem, omnes etiam ad Deum ipsum anxios reddunt. *Ibid.*

I.

Jacobus. Si S. Jacobus in Lusitania Episcopatum prætenderet, nominaretur Episcopus in Meliapor. Et quare? 70.

Idololatria Idololatria exordium sumpsit à Nemrod. 133.

Ignorantia. Ignorantiæ quatuor valde imminuentes amorem. *Vide amorem.*

Imago. Imago S. Rochi prodigiosa magis in danda sanitate, quàm umbra S. Petri, 108. 109.

Incarnatio. In Incarnatione Verbi voluit Deus ut Beatissima Virgo Maria suum daret consensum, ut esset filius suæ electionis. 30.

Infelicitas. Maxima Regum infelicitas est, quòd, qui in gratia ipsorum vivunt, extra gratiam Dei agant. 159. *in fine.*

Ingratitudo. Christus dubium seu incognitum suum fecit amorem, ut nostræ ingratitudinis minueret reatum. 253. 254.

Instans. Diabolus in instanti ostendit mundum, in instanti enim non datur motus, nec considerari potest quàm nihil valeat mundus. 39.

Jonas. Jonas sub aquis transiit Promontorium Bonæ Spei. 84. *in fine.*

Jonathas. Quare Jonathas renovavit juramentum amandi Davidem, cùm primum non violaverit? 245. & 246.

Judas. Judas tantus erat homo, ut locum ipsius occupaverint Ss. Matthias & Paulus, 217. Non solùm diabolum in corpore circumferebat, sed ipse diabolus erat. 45. Quia proditor

ditor erat, etiam morte proditoria periit. 104

Judicium. Descriptio totius, quod nobis de judicio finali constat. 255. Duo tantum de die judicii nos latent: primum, quando erit, secundum, quinam ad dexteram, seu sinistram collocandi. Docetur quomodo utrumque sciri possit. 257. Quomodo verificentur verba Christi de judicio universali: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant?* 259. Judicium universale & particulare est idem, 260. & 261. In die Judicii universalis nihil fiet novi; tantùm declarabitur quid factum sit in Judicio particulari. 261. Judicii dies erit & jam est. 259. Est hodie, fuit heri, & erit cras, &c. 268. & 269. Judicium particulare terribilius universali, nam hoc erit præviis signis, illud sine signis. 270. In die Judicii universalis, Christus multum promittit & concedit temporis, antequam rationem exigat; in particulari ne momentum quidem. 271. Notabiles effectus, quos causabit exspectatio Judicii universalis. 272. Quomodo quilibet cognoscere possit, utrùm ad dexteram seu sinistram sit collocandus. 276.

Justitia. Calvario demonstrante justitiam, Olivetum annunciat pacem. 223.

L.

Lacryma. Lacrymæ simulatæ sunt sicut figuræ pictæ, quæ sicut sine lætitia rident, ita sine tristitia plorant. 233.

Laqueus. Sunt laquei, qui bibuntur, & qui comeduntur. 103.

Lex. Lex Dei est vera politia, & ars regnandi. 184. Est gubarnaculum consiliorum Christianorum. 184. Leges oportet esse paucas & benè observari. 215. Præstat legem dicere *Non*, quàm Regem. 62.

Lingua. Ordinariè longum habens ensem, brevem habet linguam. 200.

Lisbona. Lisbona Romanæ Ecclesiæ acquisivit illa vastissima mundi membra, quorum Roma vocabatur, sed nondum erat caput. 77. Lisbonensis Curia, religiosâ statuum consideratione fundata est super fornices templi S. Antonii. 76. 77.

Locus. Loca conferenda sunt non pro qualitate, sed pro talento & merito subjecti. 72. Loca ne ad momentum quidem vacua relinqui oportet. 68. semper oportet esse viva & anticipato provisa, quamvis moriantur qui occupârant. *Ibid.* Loca vacua sortiuntur vacui inconvenientia, si natura illud permitteret. 66. Locus S. Bartholomæi in Evangelio (qui est medius inter Apostolos) est optimus. 219.

Lusitania. Esse lucem mundi in aliis nationibus & catholicis est gratia particularis perso-

Lusitanus. narum: in Lusitanis est universalis nationis. 78. Lusitani primò fuêre vocati mundani, eò quod nomine præferrent lucem mundi. 79. Lusitani tenentur profiteri & propagare Fidem. 78. Lusitani à Deo fuerunt instituti, veluti milites Gedeonis: ut manu unâ ferrent tubam, alterâ lucem. 79. Lusitanum nasci, est obligatio, ut moriatur peregrinus. 82. Deus Lusitanis ad nascendum exiguam dedit terram: ad moriendum omnem terram. *Ibid.* Argonautarum Lusitanorum cursus fuit instar Solis, &c. 83. In navigationibus primorum Lusitanorum, in detectionibus novarum Regionum Deus ostendebat viam. 84. Lusitani invenerunt fundum anchoris, ubi S. Augustinus non invenit intellectu. 84. Pro Catholicis habent scutum, contra infideles gladium. 86. Nullum ictum dedit gladius Lusitanorum, qui non lapidem adjiceret fabricæ Ecclesiæ. *Ibid.* Quini Lusitaniæ non tantùm sunt insignia, sed vera arma. 81. Infidelitas Gentilium non per arma Lusitanorum, sed Lusitaniæ fuit subacta. 80. Deus in Lusitania fecit semi-

seminarium lucis ad illam transplantandam per totum mundum. 82. Deus se cum Lusitanis gerit velut agricola cum lucibus. *ibid.*

M.

Magnus. Magnorum & Potentum pauci salvantur, & hoc magno miraculo. 274. Absque exire nemo magnus esse potest. 81.

Malus. In malo quod est omnium, deest comparatio; & ubi non est comparatio, non est miseria. 264.

Marcus Porcius. à Marco Porcio nullus quicquam, nisi quod justum, ausus fuit petere. 59. 60.

Maria. Maria in gloria non solùm excedit omnes electos seorsim, sed simul sumptos. 17. Maria in Assumptione sua vocatur nomina de Palma, & quare? 24. Palma Mariæ est in gloria se videre victam à Filio. *Ibid.* Congratulatio omnium Beatorum facta Mariæ in die Assumptionis suæ. 28. Quare S. Gabriel, ad eliciendum consensum, ut esset Mater Dei, Mariæ tantum proposuit magnificentias, quas habiturus erat Filius ipsius, & non ipsa? 31. Si non fuisset jam Mater Dei illud promerita fuisset fortitudine, quâ ipsum obtulit in cruce. 158. Fuit impassibilis per patientiam. 158. Maria fundatrix S. Ordinis de Mercede pro redemptione Captivorum. 126. Ordinem illum fundavit sicut Christus Ecclesiam, eâdem nocte tribus diversis personis, vicibus & locis sicut Christus in die Resurrectionis. *Ibid.* Sub titulo Mariæ de Mercede continentur omnes gratiæ & misericordiæ, sub aliis titulis distributæ, quibus nominatur & invocatur. 128.

Maria Cleophæ. Nobilitas Mariæ Cleophæ fuit major nobilitate omnium monarchiarum mundi. 164.

Maria Magdalena. Christus unctionem Mariæ Magdalenæ approbavit velut opus bonum, non quà sibi, sed quà mortuo sactum. 227. & 228.

Maximilianus. Maximilianus Imperator patibulis detegebat caput: & quare. 224.

Medium. Media, ne Princeps deveniat ad dicendum *Non.* 59. & 60.

Mendicare. Redemptionis nostræ excellentia à S. Paulo considerata fuit, quod pretio mendicato peracta fuerit. 116.

Merces. Religiosi de Mercede majores sunt redemptores quàm profiterentur, & se esse putant 118. Non solum redemptores corporum captivorum, sed etiam animarum, & harum primariò. 121. Similes sunt Negotiatori Evangelico, qui comparavit agrum amore thesauri. 121. & 122. Non solùm sunt Redemptores Captivorum de potestate infidelium, sed etiam eorum, à quibus mendicant eleëmosynas ad illos liberandos. 119. Cariùs illis constant lytrum, quàm redempti. 116. Notabile discrimen inter eos, & alios qui circa animarum salvationem occupantur 121. 122. Profitentur se velle manere captivos, deficiente lytro ad redimendos captivos necessario, qui in Apostasiæ periculo versantur: & quàm sublimis hic sit actus. 123. In Insula Maragnana fundârunt insigne templum eidem B. Virgini ipsemet adhuc in tuguriis commorantes, quæ optima templi istius est correspondentia. 126. Templum B. Virginis de Mercede Maragnanæ quomodo ibidem sint omnia templa & Sacraria totius Christianitatis, & extra illam. 128.

Ministri. Non expedit ministros habere supernumerarios. 216.

Misericordia. Non omne quod videtur esse misericordia, est misericordia & veritas. 225. Magna misericordiæ Dei excellentia est, esse misericordiam & veritatem. 226. Misericordia est simul veritas, absque mixtura vitiante. 227. Facta mortuis est misericordia & veritas. *Ibid.* Opus mirabile in Deo, re-

cor-

cordari mortuorum, illiſque miſericordiam exhibere. 230. Sepultura patibulatorum eſt propriè miſericordia & veritas 231. Deus remunerat miſericordiam & veritatem velut talem, quia præmiis æternis remunerat. 236.

Mori. Mori ſuffocatum alieno eſt miſerabile, 206. Mori fame & ore alieno, magna eſt imprudentia. 202.

Mors. Mors viva occidit & corrumpit corpora, quod mors mortua facere nequit. 15. Mori nunc, eſt mortem pati propriam & magis vitâ affligi alienâ. 264. Ex rigoribus mortis unus eſt, ſeparatio: mors finientium vitam in fine mundi erit mors, ſed non ſeparatio. 265. In morte moriuntur vobiſcum, qui in vita moriebantur pro vobis. 228.

Mortuus. Cum mortuis omnes moriuntur reſpectus. *Ibid.* Omnes homines, vel quaſi omnes moriuntur repentè. 270.

Moyſes. Deus Moyſi impoſuit nomen Dei Pharaonis, quia ſubſtantias in alias convertere debebat. 13.

Mundus. Mundus eſt forum univerſale pro omnibus hominibus privilegiatum à Deo, ut omnes in eo regnum cœlorum lucrifacere queant. 1. & 2. In hoc mundo, qui eſt terra mendacii, ſola veritas eſt gratia: in altero, qui eſt terra veritatis, omnis veritas eſt gloria. 236. In theatro mundi non ſolùm tranſeunt figuræ, ſed etiam ipſe mundus. 38. Mundus ex multis conflatus regnis, eſt vanitas ex multis vanitatibus conflans. *Ibid.* Diabolus in momento oſtendit mundum, quia tota duratio ejus non eſt niſi momentum. 39. Omnes res mundi, diſcurrendo per illas, oſtenduntur nullum habere pondus. *Ibid.* De mundi duratione variæ opiniones. 258. Idem eſt utrùm ego moriar in undo, aut ille mihi. 263.

N.

Navis. Nos noſtra incipimus naves ab aplustribus, Deus à Navarcho. 69.

Negare. Conceſſum uni quia petit, negari non poteſt alteri, quamvis non petenti. 64. Conceſſiſti alteri: ergo non debes negare mihi, eſt argumentum maximâ etiam ratione non ſolubile. *Ibid.* Ubi viginti quatuor modi negandi erunt viginti quinque petendi. 69. Differentia inter negationem & privationem. 59. Privatio honorat ſubjectum; negatio confundit. *Ibidem.* Difficile eſt abnegare ſe ipſum. 141.

Negotiari. Tres bonæ qualitates negotiantis, ſunt ſubſtantia, induſtria & fortuna. 1. Ad negotiandum cœlum Deus omnibus prærogat ſubſtantiam; offert fortunam, & exigit induſtriam. 2. Negligendi induſtriam etiam novercatur fortuna. *Ibid.* Mulier fortis negotiata fuit ſubſtantiâ, induſtriâ & favente fortunâ. 3.

Nominatio. Nominatio & electio utraque à Deo eſſe debet, & priùs electio quàm nominatio; non enim eligens, ſed nominans elegit. 210.

Non. Detectores Indiæ inceperunt à promontorio *Non*, & ſubſtiterunt in promontorio Bonæ Spei; prætendentes è contrario. 52. *Non*, ſine recto, ſine tranſverſo, quacunque parte acceptum ſemper eſt idem. 53. *Non*, nec fucari, nec obliniri, nec deaurari poteſt, in quocunque *Sol Fa* poſitum ſemper malè ſonat. *Ibid.* Eſt durum audienti, ſimul etiam durum eſſe debet pronuncianti. *Ibid.* Quamvis inſtar aliarum mundi rerum nihil

sit, bon. habet permixta malis. 56. Utrùm Principem deceat dicere *Non*: rationes pro & contra. *Ibid.* Media quatuor ad evitandum. *Non*: primum; ut primis in gratia negentur peti a: *Ibid.* Secundum ut Princeps justi & recti in omnibus sit tenax, & quà talis cognoscatur. 59. Tertium, legum indispensabilitas, 62. & 63. Quartum, nunquam relinquantur loca vacua. 65. Christus unum *Non* dicendo intimis suis, se liberavit ab eodem dicendo, octoginta duobus. 57. Christus oblinivit istud *Non*, dicendo, loca ista aliis jam esse destinata. 72. Melius est Leges dicere *Non* quàm Reges. 62, Congruentissimus Regibus modus dicendi *Non*, est remittere ad consilia. 71. Quando Reges dicunt *Non*, illud suis excusando consiliis, tali cautelâ faciendum est, ne lædatur authoritas Regis, nec Consiliariorum integritas, neque excusationis ratio. *Ibid.*

Numerus. Numerus ministrorum debet esse certus, non arbitrarius. 216. Cùm Apostoli fuerint duodecim, & S. Paulus tertius decimus, quomodo non fuerit supernumerarius. 217. Non sufficit tantùm eligere numerum, sed ipsum declarare & nominare. 218. *circa finem.*

O.

Obedientia. Obedientissimi filii Sedis Apostolicæ, est titulus, quo Reges Lusitaniæ gloriantur, 87. & 88. In filio obedientissimo obedientia tentari, nedum vinci nequit. Ibid.

Officium. Vide *Loca.*

Omnia. Ad *Omnia tibi dabo*, diaboli, respondendum est illud omnia Salomonis, *Omnia Vanitas.* 44 Non solum animæ omnes, sed una & quælibet earum est *Omnia. Ibid.*

P.

Palatium. Dantur Veterani, qui in gradibus Palatiorum cespitando parietibus abstinere nequeunt. 26.

Papyrus. Papyrus & atramentum sunt duo non necessaria in Concilio. 179. In concilio de morte Christi possibili fuit tam varia & multa executioni dari tantillo tempore; quia nec papyrus nec atramentum adfuit. 180. Si in processum & concilium de morte Christi papyrus & atramentum intrâsset, mundus necdum esset redemptus. Ibid. Papyrus semper fuit excoriandi inventio: & in principio excoriabantur arbores, deinde animalia, denique homines, 181. Papyrus est fur signatus. 182. Papyrus obsignata optimè foret inventa si sigilla solvere deberent Ministri & non partes. 181.

Parens. Parentes suis potius filiis, quàm sibi glorias volunt. 26. Major est gloria Parentum vinci à filiis, quàm illos vincere. 23.

Paris. Ignarus suæ conditionis adamavit tusticam puellam, sed cognitâ stemmatis sui sublimitate mox mutavit amorem. 241.

Patibulum. Quam infame supplicium sit patibulum. 233. Patibula conservant regna. 224. Imperator Maximilianus illis detegebat caput. *Ibid.* Quid prodest fortalitia provisa esse de præsidiis, patibulis neglectis? 223. & 224. Ossa patibulatorum sunt semen, ex quo pax nascitur. 223. Patibulatorum sepultura est propriè misericordia & veritas. 235. Misericordia Patibulatis exhibita est remota ab omni respectu 235. Patibulatus nullos habet amicos & cognatos, *Ibid.*

Patria.

Patria. Infelicem esse in patria, est fortuna Christi & S. Rochi. 99.

Pax. Prius pacem annunciavit corvus, quàm columba. 223. Pax est fructus justitiæ. *Ibid.*

Pecunia. Putamus nos servire posse Deo & pecuniæ, quia non credimus Christo 137. & 138.

Petere. Carissimum pretium quo res aliqua acquiritur, est petere 115. & 116. Qui caret meritis, à petendo non secus quàm à tentando abhorrere debet. 60.

Penna. Pennæ faciunt, ut negotia volent. 180. & 181. Penna cujuscunque volucris tota ex carne & sanguine nata est. 179.

Pestis. Descriptio Pestis quà malum universale. 105. Inter omnes infirmitates sævissima est pestis, quia infert mortem instrumento vitæ. 103. Maxima pestis acerbitas est, esse malum in quo vel maximè amantibus, aut amatis dicere oportet, us nos fugiant. 104.

Petrus. Tres negationes S. Petri Christus tribus de amore dubiis castigavit. 96. & 97. S. Petrus Apostolus relictis omnibus secutus est Christum: S. Petrus Nolascus plus fecit quàm relinquere omnia, & sequi Christus: & in istis duabus actionibus magna est differentia de Petro ad Petrum. 113. & 114. S. Petrus Nolascus plus fecit quàm relinquere & sequi; quia professus est mendicare, & assimilari, & quomodo. *Ibid.* Excellentia Instituti ipsius præ cæteris Religionibus à summis Pontificibus declarata. 125. Nomen accepit à S. Paulino Archi-Episcopo Nolano, qui ad redimendum captivum Filium viduæ, in locum ipsius subivit. 123.

Pisces, Pisces habent laudanda & vituperanda. 188. Prærogativa Piscium inter omnia animantia. *Ibid.* Quando homines habuerunt viscera ad Jonam projiciendum in mare, piscis habuit viscera ad recipiendum illum & conservandum. 189. Piscis Tobiæ corde ejiciebat dæmonia, felle sanabat cœcitates. 191. Pisce tremefaciente manum piscatoris, terræ piscatores piscantur multum & non tremunt. 193. Piscis quatuor præditus oculis, duobus superius, & duobus inferius tutus est à persecutione avium & piscium. 194. Affinitas piscis cum virtute. 195. Pisces sustentantes pauperes magis multiplicantur. *Ibid.* Pisces quia frigidi, & sine alis, manserunt in aqua. 81. Piscium sævitia quâ se invicem comedunt, est sicut illa hominum. 195. Si pisces parvi comederent magnos, minus esses malum; sed magnum est malum, quod magni comedant parvos. *Ibidem.* Quia magni comedunt minores, illi incidunt in majores à quibus devorantur: & idem accidit hominibus. 197. Respondentes pisces se alium vivendi modum nescire convincuntur aliorum animalium exemplo. 198. Magna piscium stupiditas, quod duabus panni particulis decipi se sinant; & idem accidit hominibus. 199. Pisces de naufragantium bonis participantes suo modo incurrunt pœnam excommunicationis. 205. Pisces excluſi fuerunt à sacrificio, quia vivi eò pervenire nequeunt. 206. Motiva piscium ad laudandum Deum. 206. & 207. Quod homines non servientes Deo piscibus invidere possint. 206. & 207. Sunt pisces adhærentes seu adhæsores, & adhæsores homines, à quibus id pisces didicisse videntur. 201. Adhærentibus hominibus idem accidit quod adhæsoribus piscibus. 202. Moriente Tuberano omnes cum illo moriuntur adhærentes. *Ibid.*

Polypus. Omnium quibus adhæret rerum colores recipit. 204. Est major proditor, quàm Judas. *Ibidem.*

Portugallia Singularis gloria Portugalliæ est, esse Regnum immediatè & spontaneè à Deo fundatum. 78. Finis Regni Portugalliæ non solùm est politicus, sed etiam Apostolicus. 79. Institutio Regni Portugalliæ fuit similis illi Ecclesiæ. 78. Quini Portugalliæ non solùm sunt symbola, sed vera arma. 80. Quare triginta argentei, quibus Christus fuit venditus, in sepulturam mortuorum, & Insignium Portugalliæ splendorem fuêre impensi? 81. & 82. Neque id Regno, neque in tota Monarchia Portugalliæ vel palmum terræ possidet non acquisitum ab infidelibus. 85. Quia Portugallia usque septies Romam venit sine stella, à sex stellis fuit recepta. 88.

Prædicator. Infelix Prædicator, qui salvans alios, semetipsum non salvat. 101.

Prætendens. Prætendentes sunt instar corvorum qui olfacto cadavere ad satiandum se advolant. 68.

Princeps. Princeps in nulla re plùs vigilare debet, quam in electione magnorum Ministrorum. 208. Princeps vigilans in electione Ministrorum, securè dormit in tempestate. *Ibid.* Utrùm Principem deceat dicere Non? rationes pro & contra. 56.

Privilegium. Privilegium est vulnus Legis: & gladius Regis non est ad vulnerandum Legem, sed feriendum & comburendum Legis violatorem. 63.

Q.

Quies. Quietem omnes quærunt, sed non inveniunt, quia ubi est, eam non inquirunt 135. Christus in observantia Legis suæ eam asserit, sed hoc homines non credunt, quia Christo non credunt. *Ibidem.*

R.

Rapina. Quare S. Paulus dicit, æqualitatem quàm Christus habet cum Patre non fuisse rapinam? 29.

Ratio. Lex naturalis est lumen rationis, dictans ut meliores ubique digniora occupent loca. 70. Princeps sequi debet non rationes Magnorum, sed magnas. 172. & 173. Antonio prædicante in hominibus erat ratio sine usu: & in piscibus usus sine ratione. 189.

Regina. Quare difficilius est Reginam esse & Sanctam? quàm Regem & Sanctum. 4 Regina & Sancta tantum una invenitur in toto Testamento veteri. 5.

Respectus. Non sunt electiones faciendæ cum respectu sanguinis & timoris. 209. Cum mortuis omnes moriuntur respectus. 228.

Rex. In Regno Israëlitico Reges & Sancti fuêre tres. 4. Deus Reges punit permittendo eos à Consiliariis decipi. 171. Rex Roboam deceptus à Consiliariis. Et quare? 73. Maxima Regum infelicitas est, quòd qui gratiâ apud ipsos valent, extra gratiam Dei plerumque agant. 159. Sole occidente loca quædam obscurantur, & illo oriente quædam illuminantur: idem accidit in occasu & ortu Regum. 72. Reges suum esse putant dare, quod Christus de se negat. 61. Reges oblivisci non oportet in prosperis beneficiorum quæ acceperunt in adversis. 25. Reges nomina dare possunt, sed non *esse* 14. Sunt Domini vitæ, non quia illam dare, sed auferre possunt. 12. Vera ars regnandi est Lex Dei. 184.

Rochus. S. Rochus bis beatus in Evangelio, & quater infelix in vita. 89. 90. Similis fuit Christo nato, capto, crucifixo, mortuo. 90. Infelix consanguineis. 95. Infelix patriâ & patriotis. 95. Infelix infirmitatibus. 100. Infelix remediis. *Ibid.* Salus à S. Rocho data fuit salus contagiosa. 108. 109. Fuit pestis pestis. 107. Liberavit Constantiam à peste, tempore Concilii stupendo miraculo. 107. 108. Imago ipsius in danda salute prodigiosior umbrâ S. Petri. 108. Continuit pestem in Algarvia, ne transiret in Lusitaniam. 109.

Ronchissator. Ronchissatores reprehenduntur. 200. Goliath erat ronchus Allophylorum: & pastorculus ad eum sternendum virgâ & fundâ sufficiebat. 200. Ronchissare ante occasionem, est dormire ipsâ jam præsente, 201. *In principio.*

S.

Sacramentum. Sacramentum Eucharistiæ institutum est in materia mendicata. 118.

Sacrificium. Melius est non accedere ad Sacrificium, quàm accedere mortuum. 206.

Sal. Quando sal non salit, nec terra saliri se sinit, quid utrique faciendum? 186. & 187.

Salus. Quomodo homo salutem suam certam facere possit. 277. Salus pro toto mundo non est in dubium vocanda. 50.

Sanctitas. Sanctitas coronata, etiam in gradu æquali, est major sanctitas. 7.

Sanguis. Non est sanguis quantumvis illustris qui non habeat multum de ochra, si habeat filium unum de purpura. 164.

Sapiens. Sapiens majorem non debet desiderare certitudinem, quàm cujus materia capax est. 279.

Saul. Saul adhuc melior Davide, fuit electus 213.

Scire. Scire & posse intumescere faciunt, quia utraque inflant. 201.

Sepultura. Quare sepultura vocatur perditio? 230.

Simon Magus. Quia petiit alas ad volandum, perdidit pedes ad ambulandum. 204.

T.

Tagus. Tagus domitor Oceani. Et quomodo tributum illi solvant Indus & Ganges 12. Rapuit tridentem ex manibus oceani ad ponendum illum ad pedes Tyberis. 85. Arenarum suarum auro perfecit annulum piscatoris. *Ibid.* Divisus transitum præbuit S. Elisabethæ Reginæ sicco vestigio. 12. Miraculum istud comparatur Jordani ad conspectum arcæ testamenti. *Ibidem.*

Tentatio. Tentatione propriâ diabolum vincere possumus, sicut Judith Holoferni, & David Goliatho ense proprio caput abscidit. 35.

V.

Vacuum. Loca vacua non permittenda. Vide *Locus.*

Vallis. Vallis Josaphat in omnibus mundi locis est. 263.

Virginitas. Virginitas Beatissimæ Virginis quate gemina fuit virginitas? 8.

Virtus. Virtus contrario suo juncta duplex est virtus. *Ibidem.*

Vita. Vita est lampas accensa, vitrum quod sufflatu conficitur, afflatu destruitur. 40.

Vivi. Vivi beneficium solvere possunt, mortui non. 230.

Volator. Piscis Volator reprehensus, magnis mortalibus. 203.

Votum. Quilibet det votum in materiis suæ professionis. 170. Etiam diabolus, pro qualitate

stitate materiæ, melius dare potest votum Angelo. 172. & 173. Voti præstantia est, proportione media suo fini & instrumenta mediis. 172.

Vulnera. Vulnerum Christi propria virtus est, infideles convertere. 80.

Z.

Zachæus. Ad amandum & laudandum Deum renunciandum est pecuniæ exemplo. Zachæi. 137.

Zelotypia. Non datur Zelotypia major, quàm Regnum coronámque concernens. 21.

Zelus. In electione eorum qui plus præstabunt, & rejectione eorum qui minus, hoc agere debet zelus boni publici, quod concupiscentia in bono particulari. 214. & 215.

Finis Partis Secundæ.

ADMODUM REVERENDI PATRIS

ANTONII VIEIRA,

E SOCIETATE JESU,

REGII IN LUSITANIA PRÆDICATORIS,

SERMONES SELECTISSIMI,

FOECUNDITATE MATERIARUM, SUBLIMITATE, SUBTILITATE, ET ACUMINE CONCEPTUUM ADMIRABILES:

IDIOMATE LUSITANICO CONSCRIPTI ET TYPIS EVULGATI,

NUNC IN CARTHUSIA COLONIENSI LATINITATE DONATI.

CUM TRIPLICI INDICE, THEMATUM, LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ, ET RERUM MEMORABILIUM.

PARS TERTIA.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus JOSEPHI HUISCH, Biblipol. M. DCC. LII.

Cum Privilegio Sacræ Cæsareæ Majestatis.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO
ET AMPLISSIMO DOMINO,

D. CONRADO KOCHHEN,

UBIO.

PERCELEBRIS ET ANTIQUISSIMI MONASTERII S. PANTALEONIS INTRA COLONIAM ORDINIS S. BENEDICTI, CONGREGATIONIS BURSFELDENSIS ABBATI AC PRÆLATO DIGNISSIMO, FUNDI DOMINO IN SüCHTELEN.

Reverendiſſime, Ampliſſimeque Domine!

CUm fortè fortunâ in peregrinam nuper incidiſſemus Aurifodinam, non contemnendum indè (quamvis non ſine labore) eruimus Theſaurum, neque ſpernendas congregavimus Divitias. Quas cùm publico magis, quàm cellarum ſecretò, utiles fore videremus: ne ſceleris argui poſſemus apud DEUM, etiam religioni nobis duximus, nobis privatim reſervare, quod bono communi, quia fructuoſum magis, etiam debitum videbatur. Undè quod laboriosè hucusque comparatum, promptè & ultroneè, ſinè invidia commune jam facere cæpimus; idem de omni eo facturi, quod deinceps foſſionem continuando colligemus. Eſt autem tale, ut non niſi ſub patrocinio & protectione fideli & validâ cum eo in publicum prodire conſultùm putaverimus, propter Zoilos & Momos, qui nullo magis, quàm dentem exacuere, & alienis immit-

tere delectantur. Ex Rev^mis igitur DD. Cathedralibus duos, & quidem Germanos Fratres, pro securitate majore Hyperaspistes primis duabus ejusdem Operis Partibus, Dedicationis viâ procuravimus, memores istius Sap. *Frater qui adjuvatur à Fratre*, &c. Quibus nunc tertium simili medio associare non omninò otiosum putavimus; siquidem eodem Sap. teste: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Proindè duplici acti motivo Reverendissimam & Amplissimam Dominationem Tuam desuper requirere præsumpsimus: Primò tanquam Patronum; secundò velut benè affectum Mecœnatem, cui nostrum reciprocè testatum faceremus affectum, simulque solveremus debitum. Et quidem ad interpellandum pro Opusculi præsentis Patrocinio, Agalmatis, & vel maximè Cognominis nos induxit consideratio: de quibus obiter, & tantum quod ad rem pertinet, tangere suadet Libelli præsentis parvitas, ut appareat proportio. Initium fiat à Cœlo, inde stellis Amplitudo Tua protegitur: ex utroque latere Rege & Reginâ, Leone & Aquilâ stipatur, media incedit armata & ornata Pedo Pastorali & Mitrâ, cognomento Natalitio KOCHHEN. Felicia sanè pro nobis omina! Quid enim à cujuscunque demum Zoili dentibus sibi metuat, tam validâ & sacrâ & profanâ præmunitus panopliâ? Si enim Stellas invadere præsumat, iras & vindictas cœli metuat: si Aquilam irritet, ab unguibus & rostro sibi timeat: si Leonem adoriatur, dentes ipsius suis robustiores, suique dilacerationem formidet: quòd si nec Mitram revereatur, Baculum attendat, qui vel ulcisci injuriam, vel vim vi repellere possit: deniqúe si adeò foret protervus & arrogans, ut nullâ horum habitâ ratione, ad rodendum seu mordendum dentem nihilominùs admovere tentaret, meâ saltem opinione, bruto erit insipientior, si malit dentes fatigare aut deterere aridam frustrà arrodendo pennam, quàm eosdem occupare & oblectare bene coctam discerpendo & masticando Gallinam, hoc facto tuti evademus.

Secundum nostrum motivum fuit, ut tanquam D. Mecœnati nostrum testaremur affectum, & exolveremus debitum; Mulierem istam imitati Evangelicam, quæ inventâ drachmâ, ad congratulandum sibi amicas convocavit & vicinas. Enim verò, quisnam, quæso, amicitiæ leges cum hac Cartusia sanctiùs colit quàm Reverendissima Dominatio Tua? Et quinam nobis propinquitate spirituali magis vicini quàm SS^mi Patriarchæ Benedicti & respectivè quidem, ad S. Pantaleonem Amplissi-

mæ

mæ Dignitatis Tuæ prudenti vigilantiqúe regimini Paſtorali commiſſi Alumni? Quibus, præter eam generalem, quàm ſub S. Benedicti regula arctam ſatis contrahimus ſpiritualem cognationem, hoc ſpeciale accedit pro debito, quod voluntario reciproco fœdere ad meritorum communicationem teneamur conſtricti. Cùm igitur amicorum omnia oporteat eſſe communia, obligationi nos noſtræ defuturos putavimus, niſi aliquam laboris noſtri partem etiam Ampliſſimæ Dignitati Tuæ conſecraremus, & eâ, quâ par eſt, devotione præſentaremus: quod nunc facimus; & eſt Libellus præſens, quem coràm cernis, cui Titulus: *Pars Tertia Sermonum R. Patris Antonii Vieira, S. J. Regii in Luſitania Prædicatoris, ex Idiomate Luſitanico nunc primùm à nobis in Latinum translata;* quàm eo quo offertur animo & affectu dignantèr acceptari petimus, & vel oculis dignari, ut Tuam deſuper pronunciare poſſis ſententiam; & contrà Zoilos & Momos Gentilitiis Tibi propugnare digneris armis. E cœlo Stellis & Aquilis, in terra Leonibus & Baculis, & ſi nec ſacra timeatur Tiara, ex cocta gallina fiat offa, quâ illis obſtruantur ora, quod fortè efficaciſſimum. Interim dum nos ſic tuti obligationis noſtræ ſatagere conamur, in favorem, gratiam & affectum ſæpefatæ Ampliſſimæ Dignitatis Tuæ recipi mereamur: Ipſaque vivat, valeatque pro voto, quòd optamus animitùs

Reverendiſſimæ Ampliſſimæque

Dignitatis Tuæ

Humiles Devotiqúe Clientes

Datum Coloniæ in Carthuſia,
13 Auguſti, 1691.

Fr. JOANNES GRUTER,
&
Fr. GODEFRIDUS HERDING,
Cartuſiæ Colonienſis Alumni.

Ad Lectorem Benevolum.

ECce, Lector Benevole! Tertiam inchoati à nobis Operis Partem, quam Divinâ nos adjuvante & comitante gratiâ primis duabus jam typis evulgatis, similiter impressam juris communis facimus. Quæ cùm in omnibus dictis jam Partibus duabus respondeat, hîc aliud præfari nequivimus, quàm quod ibi præfati sumus, quod & hîc repetitum tibique recommendatum cupimus. Eo accepta & evolve & utere animo & scopo, quo tibi offeruntur, nostramque quantulamcunque opellam æqui bonique consule, & vale in Domino!

Censura R. P. Doctoris
Fr. EMMANUELIS DE GRATIA,
Ordinis B. Virginis de Monte Carmelo, Qualificatoris S. Officii.

TErtiam hanc Reverendi Patris ANTONII VIEIRA, Societatis JEsu, Sermonum Partem, competenti Qualificatoris officio, tantique Authoris scriptis debitâ attentione revidi. Nihil in *eis*, aut Sanctæ Fidei nostræ offensivum, aut bonis contrarium moribus reperi: imò tam singulare opus illud deprehendi, ut non nisi aliud Authoris ejusdem ipsum adæquare queat. Ità ut congruentissimè illud ipsi elogium quadret: *Sola tua tuis æquare opera possunt.* Omni acceptione dignissimum est; omnibus enim utilissima sanè, tam pro morum reformatione, quàm gubernaculi politici directione documenta suppeditat. Neque subtilitates & acumina, quibus suos probat Conceptus; neque anagogiæ & allegoriæ, quas suis immiscet Discursibus, doctè & attentè discussa, vel minimum possunt movere scrupulum. Tam quippè eruditè & luculenter difficiliora puncta & loca, sublimissimosque suos elucidat Conceptus; ut palàm se omnium modernorum Prædicatorum Solem facilè demonstret. Nam si radiis Solaribus excellentiâ singulari debetur subtilitas maxima & claritas: in hoc opere subtile adeò est copulatum cum claro, ut nullâ censurâ, sed eodem dignum sit applausu, quem reliqua maximi hujus Prædicatoris Opera semper retulerunt à cunctis. In Carmelo Ulyssipponensi, 15 Februarii, 1683.

Fr. EMMANUEL DE GRATIA.

Censura

Censura

R. P. Fr. EMMANUELIS DE S. JACOBO,

Seraphici Ordinis S. Franciſci, Qualificatoris S. Officii.

Illuſtriſſime Domine!

LIbrum iſtum Sermonum Reverendi P. VIEIRA, Soc. JEſu, Celſitudinis Tuæ Prædicatoris vidi. Opus inſcriptum: Tertia Pars; eſt autem tam Prima, ut videatur ſine Prima, nec habere poſſe Secundam. Quindecim continet Sermones, in quibus ſubtile copulatur claro; elegantia naturalibus maximæ; materiæque Sermonis appropriatis conſociatur verbis. Porrò omnes Sermones ejus applauſu magis, quàm Cenſurâ ſunt digni: fama etenim rei, & res famæ reſpondet; cùm de eruditione ipſius maxima, ingenio ſtupendo & ſpiritu nemini dubitare fas ſit. Diſputat, commentatur, interpretatur, comprehendit, prædicat & docet Theologias profundiſſimas, idiomate luculentiſſimo; Scripturas vel maximè myſticas & myſterioſas in ſenſu magis literali; ex vocibus ſuis formans Conceptus, & ex Conceptibus ſuis voces; inſtruendo & dirigendo intellectus, & movendo & attrahendo affectus: in quo maximam eloquentiæ vim Athenienſes conſtituebant. Prædicatoris hujus per omnia Regii Diſcurſus ab Extraneis fuêre accepti, & æqualiter à Conterraneis judicati; quod maximum ipſorum eſt elogium. Cùmque hi Libri nihil contineant, quod Sanctæ Fidei noſtræ, bonisve moribus præjudicet, petitâ ab Illuſtriſſima Dominatione Tuâ pro impreſſione licentiâ ſunt digniſſimi. In Conventu S. Franciſci Civitatis Ulyſſipponenſis, 23 Februari, 1683.

Fr. EMMANUEL DE S. JACOBO.

Censura

Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi DOMINI

ARCHI-EPISCOPI DE BAHIA.

SERENISSIME!

MAndat mihi Celſitudo Tua videre Librum, cui Titulus: *Tertia Pars Sermonum R. P. Antonii Vieira, Soc. Jeſ.* tam digni Celſitudinis Tuæ Prædicatoris, ut in throno Sapientiæ, tanquam Prædicatorum omnium vertex, collocari mereatur. Ego Celſitudinis Tuæ imperio, ut par eſt, obediens, condignâ Fidei habitâ ratione Librum vidi, æqualique gaudio Sermones legi. Prima deſuper formata opinio eſt: Quòd licèt Liber Tituli inſcriptione careret, Sermones illum ex opere Authoris prodituri forent; omnia quippè ſingularis ingenii hujus opera eousque ſunt ſingularia, ut extrà omne dubium, nulla ipſis aſſimilari aliquatenùs poſſint alia: & ſolùm judicium, quod illis dedit, eſſe, etiam æſtimare valoremque deſignare ſciat;

non

non verò meum, quod rude & simplex materiam tantùm suspicit cum admiratione, omniqúe scrupulo caret pro Censura. Hunc verò adeò debitum respectum illi meritò etiam contribuit fortuna : nam in Sermonibus *P. Antonii Vieira*, omnes, quod admirarentur, habuerunt; nullus, quod carperet, unquàm invenit : Prædicator extitit difficultatum omnium victor, quod præsumptuosi admirentur sapientes, neque rudes dedignentur insipientes. Doctrina sana est, solida & suis sic absoluta numeris: immò Politica sic attemperata spiritui, ut æquali securitate clavum moderetur regiminis, viamque æternæ dirigat salutis. Scripturas sacras, juxtà sensum mentemque SS. PP. & Expositorum, sic propriè fideliterque exenterat, rigorem literæ, similitudines allegoriæ, doctrinam moralem seu tropologiæ sic explicat & ordinat, ut in literali nec syllaba quidem discrepet; in allegorico significatum propriè attingat, & in morali reformationem evincat. Et quod ampliùs est, cùm omnes Prædicatores suos ex Scripturis, pro suis Sermonibus conficiant Conceptus; hic Prædicator pro suis Sermonibus confecisse videtur Scripturas. Difficiliora intellectu Theologiæ loca tam clarè elucidat, ut subtilitatem, quà excutiuntur in subselliis, claritati unierit, quâ practicanda docentur in pulpitis. Quæ ut Auditores penetrent, sufficit intrare Auditores, ut egrediantur Theologi. Conceptuum ipsius excellentia, & subtilitas Authoris ingenio ex æquo respondent; tamque naturalia adducit assumpta, ut nec ad exaggeranda ea ars studuisse, neque ad accommodanda studium ullatenùs se fatigâsse videatur. Stylus tam serius, gravis & aulicus, ut quasi pro aula natum Prædicatorem referat. Verba sic Conceptus exprimentia, ut in idiomate nostro proprio, alii tam propriè exprimi nequeant; in tantùm, ut si quid in Sermonibus ipsius inusitatum inveniatur, sufficiat tanquam pro lege, ut suum, esse cognoscatur. In omnibus tam nervosè persuadet, tam suaviter influit in animos, ut nec ad persuadendum efficacioribus rationibus & argumentis componi, nec ad influendum eloquentia fœcundiore ornari possint. Deniqúe totum est tanquàm suum; & in hoc solùm dicitur totum. Ex quo approbatio mea tantùm affectûs poterit esse demonstratio, cùm eò pertingere nequeat, ut personæ authoritatem & gloriam conciliet: In applausu quippè generali, quo ubique terrarum nominis ipsius fama celebratur, quocunque notitia ipsius pervenit, maximam sortitur venerationem, tam veritatis securam, ut pro illo Fidei articuli sint exaggerationes, quæ pro aliis sunt lenocinia assentationis. Non solùm nihil continet, quod Regium Celsitudinis Tuæ servitium vel in minimo offendat, sed nescio quo pacto servorum quispiam majus in hac materia, Principi suo posset præstare obsequium, quàm scriptis suis sic nobilitare nationem, cujus Celsitudo Tua Princeps & Dominus est. Et proinde, opinione meâ, Licentia, quæ ad imprimendos hosce Sermones à Celsitudine Tua petitur, eidem concedenda videtur ex justitia, quæ petitur pro gratia : ut non tantùm præli beneficio, cùm jam literis aureis insculpi nequeant duritiæ adamantis, nec soliditati æris, immortales futurorum inhæreant memoriis; verùm etiam ut præsentes, qui feliciter audire meruerunt, nunc fruantur tunc desideratis; & nunc viventes legendi facultate destituti, fruantur iis, quæ tunc desiderare potuissent. Hoc meum desuper est judicium. Celsitudo Tua fieri mandabit, quod optimum facto sibi fuerit visum. Ex Conventu S. Francisci Ulyssipone, 9 Martii, 1683.

Fr. Joannes de Matre Dei.

Licen-

Licentia R. P. Provincialis.

EGo Antonius de Oliveyra, S. J. Provinciæ Braſilienſis Provincialis, ex ſpeciali commiſſione mihi facta à Revmo. P. Joanne Paulo Oliva, Præpoſito Generale, concedo Licentiam imprimendi hunc Librum, cui Titulus: *Pars Tertia Sermonum P. Antonii Vieira*, ejusdem Societatis in Provincia Braſilienſi, Prædicatoris Majeſtatis ſuæ, per doctos & graves ejusdem Societatis Religioſos reviſum & approbatum. In cujus rei fidem hasce literas patentes manu meâ ſubſcriptas, & Officii mei Sigillo munitas dedi Bahiæ, 20 Julii, 1682.

ANTONIUS DE OLIVEYRA.

Approbationes RR. PP. Prædicatorum.

NOn ſinè voluptate legimus Tomum Tertium Sermonum verè aureorum Admodum Reverendi Patris *Antonii Vieira*, Societatis JEſu, quos, ſicut & reliquos Primo, Secundóque Tomis comprehenſos, Luſitanico idiomate conſcriptos, Latinitate donârunt, non ſine ingenti laborum impendio Venerabiles Patres, *Fr. Joannes Grüter*, & *Fr. Godefridus Herdingh*, Cartuſiæ Colonienſis Alumni: Quia ergo memorati Sermones nec in minimo Fidem lædunt, aut bonos mores offendunt, & ſint Authoris ſapientiſſimi, quem viri graves, ob rarum eloquentiæ flumen nunc Pulpiti Oraculum, mox omnium Concionatorum Principem, nunc modernorum Prædicatorum Solem, mox Prædicatorem per omnia Regium, & tandem Prædicatorum Verticem appellant; idcircò judicamus illos prælo digniſſimos. Coloniæ, 1691, 7 Auguſti.

F. ADRIANUS SCHÖNEN,
Ord. Prad. SS. Theolog. Magiſter.

F. PETRUS DIETZINGER,
Ord. Prad. SS. Theol. Doctor.

PErmitto ut & hic Tertius Tomus aureorum Sermonum, ab Adm. R. P. *Antonio Vieira*, Soc. Jeſ. Regio Concionatore, primò in vernacula Luſitanica compoſitorum, deindè in Latinitatem translatorum ſtudio & labore RR. PP. *Joannis Grüter* & *Godefridi Herdingh*, Cartuſiæ Colonienſis Alumnorum, typo mandetur. Datum Coloniæ, 7 Auguſti, 1691.

F. LEONARDUS MESSEN,
Ord. Prad. SS. Theologiæ Magiſter, & Inquiſitor Apoſtol.

Licentia & Extractus Litterarum Reverendiſſimi Patris

D. INNOCENTII LE MAISSON,

Prioris Cartuſiæ, nec non Sacri Ordinis Cartuſienſis Generalis.

Venerabiles in Chriſto Patres!

STatim atque primam Epiſtolam veſtram recepi, reſponſum dedi ſimul & conſenſum ad poſtulata veſtra executioni mandanda, ſcilicet quoad impreſſionem Sermonum Admodum Reverendi *P. Antonii Vieira*, Soc. JEſu, à vobis latinitate donatorum ex Idiomate Luſitanico, ſervatis tamen de jure & ſtatutis ſervandis: per me ergò non ſtabit quin labor veſter utilis ſit, & publicè appareat ad DEI honorem & proximi ædificationem quod valdè aveo, & omnia fauſtiſſima vobis apprecor. Benè valete! Cartuſiæ, hac 29 Martii, 1690.

Veſter in Chriſto Confrater

Fr. INNOCENTIUS,

Prior Cartuſiæ.

Licentia Venerandorum PP. Viſitatorum Sacri Ordinis Cartuſienſis in Provincia Rheni.

NOs infrà-ſcripti concedimus licentiam, Sermones Admodum Reverendi Patris *Antonii Vieira*, Soc. JEſu, ex Idiomate Luſitanico à duobus PP. Cartuſiæ Colonienſis in Latinum translatos, & à RR. PP. Prædicatoribus reviſos & approbatos, ad boni publici emolumentum, typis mandari. Mertzlich, ſuprà Treverim, 27 Octobr. 1690.

Fr. MARTINUS SCHUE,

Prior Cartuſiæ Trevirenſis, ac Provinciæ Rheni Viſitator.

Fr. JODOCUS SCHWAB,

Prior Cartuſiæ Moguntinæ, ac Provinciæ Rheni Conviſitator.

INDEX

INDEX
SERMONUM ET THEMATUM,
QUI IN HAC TERTIA PARTE CONTINENTUR.

I. Sermo de Sanctiſſimo Sacramento.

Hic eſt Panis, qui de Cœlo deſcendit. Joan. 6. Pag. 1

II. Sermo de B. V. Maria de Monte Carmelo.

Beatus venter, qui Te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti: quinimò beati, qui audiunt Verbum Dei, & cuſtodiunt illud. Luc. 11. 14

III. Sermo in Feriam quartam, poſt Dominicam ſecundam Quadrageſimæ.

Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad ſiniſtram in Regno tuo. Matth. 20. 39

IV. Sermo de S. Auguſtino.

Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Matth. 5. 58

V. Sermo pro Dominica prima Adventûs.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cœli, cum poteſtate magna & majeſtate. Luc. 21. 87

VI. Sermo pro Dominica quarta Quadrageſimæ.

Fugit iterùm in montem Ipſe ſolus. Joan. 6. 104

VII. Sermo de S. Antonio de Padua.

Quæ mulier habens drachmas decem, & ſi perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Luc. 15.

Item:

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo ſunt. Matth. 5. 126

VIII. Sermo de S. Catharina.

Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes. Matth. 25. 148

Sermo

IX. Sermo pro Dominica in ramis Palmarum.
Alii autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Matth. 21. Pag. 171

X. Sermo de Bono Latrone.
Domine! memento mei, cùm veneris in Regnum tuum; Hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23. 187

XI. Sermo de Mandato.
Sciens JEsus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13. 210

XII. Sermo de Spiritu Sancto.
Ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis. Joan. 14. 231

XIII. Sermo pro decima nona Dominica post Pentecosten.
Incidente in diem, quâ singulis mensibus Festum de Venerabili Sacramento celebratur.
Misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias. Matth. 22. 253

XIV. Sermo pro felici successu armorum Portugalliæ contrà Hollandos.
Exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare Faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Exurge, Domine! adjuva nos, & redime nos propter Nomen tuum. Psalm. 43. 274

XV. Sermo de Sancta Theresia,
& de
Sanctissimo Sacramento.
Concurrentibus duobus Festis in Dominica decima nona post Pentecosten. Anno 1644.
Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos, vocare invitatos. Matth. 22.
Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Joan. 6.
Simile est Regnum Cœlorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas, exierunt obviam Sponso & Sponsæ. Matth. 25. 294

SERMO
DE
SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Habitus Ulyssippone, in Conventu Regio, de Esperansa, sive de Spe. Anno 1669.

Hic est Panis, qui de Cælo descendit, Joan. 6.

§. I.

ECce, quàm hodiè satisfactum est Fidei! Ecce, quàm hodiè satisfactum est Charitati! Soli Spei nec satisfactum esse, nec satisfieri posse videtur. Fidei satisfactum est; quia sublimatam se videt, ad credendam altissimi, profundissimi & abditissimi Mysterii veritatem: *Caro mea* Joan. 6. v. 56. *verè est Cibus.* Charitati satisfactum est; quia arctissimo affectuosissimæ, amorosissimæ, intimæque unionis mutuæ vinculo se Deo videt illigatam: *In Me manet, &* Ibid 57. *Ego in illo.* Soli Spei in hoc Divinissimo Sacramento, nec satisfactum esse, nec satisfieri posse videtur; negatur enim illi, quod desiderat; absconditur illi, ad quod suspirat; subducitur illi, quod sequitur: denique eodem præsente ipsi subtrahitur, quod sperat Deus ibi adest pro Fide; adest ibidem pro charitate: Spei tantummodò ibidem deesse videtur. Adest ibidem pro Fide; objectum enim Fidei est DEUS creditus. Adest ibidem pro charitate; objectum enim charitatis Deus est amatus. Soli spei ibi videtur deesse; objectum enim spei, Deus est visus, attestante S. Paulo. Deum invisibilem, credere potest Fides, Deum invisibilem, amplecti potest charitas: Deo invisibili, nec frui nec gaudere spes potest. Porrò, si objectum spei, Deus est visus: essentia verò Sacramenti, Deus est, nec visus, nec visibilis; idcircò enim Sacramentum dicitur: quo pacto, quæso, spei satisfiet hac denegatione, illâ satisfiet absconsione, illo denique impossibili spes contenta quiescet? Si spes firma

sit, si constans, si magnanimis & anxia existat, ita protinus se res habet : si verò spei foret satisfactum, si contenta quiesceret, spes non esset spes. Profecto, Domine! non usque adeò oblivios tibi est indoles, aut cor tam parum humanum, quin illud sibi devinciant desideria, invitent angores, penetrent gemitus, suspiria emolliant & affectus. Proinde si ista est essentia continuúmque exercitium spei, quomodo illius, in hocce Mysterio, Tua adeò oblita videtur providentia, ut nonnisi ad exercenda novis afflictionibus desideria, martyriúmque addendum angoribus, in Sacramento adesse videaris?

Ad satisfaciendum hisce quærimoniis, hodierni discursus materia deserviet: ut nomen loci & circumstantia, celebritati novitatem addat diei. Spes querula excellentiæ videbit extrema, quæ Deo debet in Sacramento: nosque, sine querela, videbimus Sacramenti, posito quod Fidei vocetur Mysterium, quod majora contineat spei Mysteria. Ave Maria.

§. II.

Hic est panis, qui de Cælo descendit, Joan. 6. v. 59.

QUare hic Panis de Cœlo descendit? Ad exercendam tantùm Fidem? Ad augendam tantùm charitatem? Non. Descendisse tantùm dico, ad spei satisfaciendum. Attendite. Quærunt Theologi: Utrum spes detur in Cœlo? Omnesque concorditer, cum S. Thoma, eam in cœlo & inferno dari negant. Ratio est: quia Bonum, objectum spei duas habere debet conditiones: scilicet esse possibile & futurum. Possibile, impossibilis enim nullum est desiderium: futurum, quia præsens non speratur. Quia verò Summum Bonum, quod supernaturalis spei est objectum, in inferno non est possibile, nec in Cœlo est futurum: hinc neque in Cœlo, neque in inferno spei locus esse potest. Anima ad Cœlum pergens, salvatur; ad infernum pergens, damnatur: Spes verò nec in Cœlo, nec in inferno locum invenit. In Cœlo, per claram Dei visionem; in inferno, per visionis ejusdem desperationem perit. Idem spei evenit cum anima, quod Moysi cum promissionis terra, & prudentibus virginibus, cum sociabus. Moyses Israëlitas ad terram promissionis deduxit, ipsemet introire non est permissus: prudentes virgines Cœlum sunt ingressæ, sociabus, quanquam ad januam usque progressis, exclusis. Fidissima animæ socia est spes: nihilominus ea animæ est felicitas, eaque spei fortuna, ut reseratâ animæ Cœli januâ spei claudatur: animâ intromissâ, hæc foris maneat exclusa. Et quoniam spei ascendere, Cœlumque intrare non licet? Quidnam huic consolandæ fecit Deus? Descendit, egressus è Cœlo, sub accidentibus panis: *Hic est panis, qui de Cœlo descendit*; ut spes illo ab intra frui nequiens, eodem frueretur ab extra.

Ezechiëli Prophetæ in spiritu, è Babylone, ubi attinebatur captivus, in Jerusalem rapto, ad templum angelus ostendit Sanctuarium januâ clausâ, dicens extra illam sic clausam assessurum Principem mensæ, ad comedendum panem coràm Domino: *Et convertit me ad portam Sanctuarii, & erat clausa; & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit; Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coram Domino.* Hic nunc adsunt Expositores Sacri, ad ænigma illud declara- Ezech. 44. v. 1. 2. & 3.

clarandum, dicentes: Sanctuarium esse Cœlum, Principem Christum, & consequenter mensam altare, panem Sanctissimum Sacramentum. Quod omni difficultate caret. Verùm, si Sanctuarium est Cœlum, & princeps Cœli Principes, & panis Panis cœlestis; quare porta cœli est clausa, dicitur que semper fore clausam, Princepsque, nec non mensa extra portam, & non intra ostenditur? Majore profectò circumstantiarum proprietate depingi nequiret, quod probatum imus. Divinissimi Sacramenti mensa, cui gloriæ Princeps realiter assistit, hominibus non in patria, sed spe constitutis fuit apparata: porrò, quia spei ingressus in cœlum interius negatur, foris ad portam mensa adornatur. Christus amorosè adeò cum spe se gessit, ut, quia ab introitu cœli, ad assidendum beatitudinis mensæ arcebatur, mensam aliam instruxerit: aliamque extra cœlum beatitudinem adinvenerit, quâ spes sola fruendo gauderet. David audiatur.

Psal. 33. David fideles omnes ad mensam panum propositionis legis gratiæ invitat (prout eodem loco PP. Græci notant) inquiens ita: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*; non dicit: Gustate & videte, quoniam suavis est panis; sed: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*; Dominus enim panis est, qui illic comeditur. Quibus dictis, Propheta mox exclamat: *Beatus vir, qui sperat in Eo!* In hac exclamatione, & hac consequentia considero. Supposito, quod David ad gustandum Deum in Sacramento, ejusdemque percipiendam in Eo suavitatem invitet: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*; inferendo exclamare debuisse videtur: O Beati, qui illum manducant; & non: Beati, qui in Eo sperant! *Beatus vir, qui sperat in Eo!* In Beatitudine cœlesti, quæ in Dei visione consistit, Beati sunt videntes: ergò similiter, in Beatitudine terrestri, quæ in gustu, manducatione que Dei consistit, beati sunt manducantes & gustantes. Sic est. Ut quid igitur David non dicit hîc: Beati manducantes & gustantes, sed, sperantes? Quia Prophetæ intentio erat non solùm Mysterium revelare, verùm etiam motivum declarare. In primis verbis: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus*; revelavit Mysterium, quod erat Sacramentum; in secundis: *Beatus vir, qui sperat in Eo!* declaravit motivum, quod erat spes. Nec sine ratione exclamavit David, magis admiratus motivum quàm Mysterium; non enim excessus majore admiratione dignus dari potest, quàm cùm Deus universalem, pro omnium virtutum præmio, creaverit beatitudinem, particularem aliam Spei adornârit. Pro omnibus reliquis Virtutibus Beatitudinem unam in Cœlo; pro Spe alteram fecerit in terra. Pro omnibus una est Beatitudo in Cœlo, quæ consistit in Deo viso; pro Spe altera, quæ in Deo gustato & comesto consistit. Pro omnibus una Beatitudo futura; pro Spe altera præsens. Pro omnibus una Beatitudo, quâ gaudetur sine spe; pro spe altera, quâ soli gaudent & fruuntur sperantes: *Beatus vir, qui sperat in Eo!*

Psalm. 33. v. 9.

Ibidem.

§. III.

VErùm enim verò, ad quid Davidis vaticiniis, Ezechiëlisque visionibus immoror? Cùm ipsum SS. Sacramenti Institutorem & Authorem Dominum præsentem habeam testem? Cap. 12. S. Lucæ Christus certos servos suos nominat Beatos:

tos: *Beati sunt servi illi.* Et quasi beatitudo promissa foret incredibilis, eandem juramento confirmat, dicens: *Amen dico vobis! quod præcinget se & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis.* Inquirendum nunc est: Qualis illa sit mensa? Qualisve beatitudo sit ista? Interpretes communiter Christum de mensa beatitudinéque cœlesti locutum exponunt. Hæc verò opinio ipsis textûs verbis validè impugnatur: *Præcinget se, & transiens ministrabit illis.* Deus in Convivio gloriæ, effusissima immensitatis suæ largitate sese Beatis communicat; proindè de hoc Convivio verificari non potest, quod Deus cinctus stringatur: *Præcinget se.* Præterea gloriæ Convivium perennat, in omnem enim durat & durabit æternitatem; ergò transiens transitoriúmque indigitari nequit: *Et transiens ministrabit illis.* Quodnam igitur Convivium illud, in quo Deus non permanenter, sed transeunter, non diffusâ, sed contracta & cincta magnificentiæ suæ immensitate sese communicat? S. Augustinus, tanquam aquila, visûs præpollens acumine, SS. Sacramenti Convivium esse affirmat: *Quid nobis ministravit, nisi quod hodiè manducamus & bibimus?*

Luc. 12. v. 38.

Ibid. 37.

Expositionem istam S. Augustini esse sufficiebat, ut venerabundi eam amplecteremur: quia verò est singularis, neque probata à Sancto; ego probationem illius assumo, nec proprietate solùm, sed ipsa etiam ejusdem institutione Mysterii illam demonstrabo. Quid ait Textus: *Præcinget se.* Quod Christus antè Sacramenti institutionem egit: *Præcinxit se.* Quid Textus ulterius innuit? Quod in propria illud administrabit persona: *Ministrabit illis*; quod Christus in Cœna egit: *Fregit, deditque Discipulis suis.* Quid ultra, quod transiens id faciet: *Transiens*; ita factum est: *Sciens, quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Ipsúmque festum, quod tunc Christus recolebat, vocabatur *Phase*, id est, *Transitus.* Totum ejusdem Textu parabolæ confirmatur: *Quando revertatur à nuptiis*; Sacramentum enim institutum est, quando Christus, celebratis jam cum natura humana nuptiis, reversurus erat in Cœlum. Hoc quantum ad historiam modum, tempus, circumstantiásque institutionis. Quantúmque ad Mysterium, proprietas magis naturalis nequit haberi: Christus enim in Sacramento suam collegit, contraxitque Magnificentiam, & non solùm ad totius Hostiæ circumferentiam, sed ad quantulacúnque ejus partem reduxit: *Præcinget se.* Et quia Sacramentum viatorum est Viaticum, in hoc solùm se nobis dat Christus, quousque vitæ hujus peregrinatio & transitus durat: *Et transiens.* Denique quia licèt Sacerdos verba confecrationis proferat, Christus tamen principalis est Sacrificii Minister & Sacramenti, juxtà omnium PP. & Conciliorum sententiam: *Ministrabit illis.* Benè igitur S. Augustini probatur sententia, mensamque nec non beatitudinem, quam Christus hoc loco promittit, non esse mensam beatitudinémque cœlestem, sed extrà cælum: & non gloriæ, sed esse Sacramenti, demonstratur.

Joa. 13. v. 4.

Matth. 26. v. 26.

Joan. 13. v. 1.

Exo. 12. v. 11.

Luc. 12. v. 36.

Cuinam verò hæc facta est promissio? Cuinam promissum est hoc præmium? Et quænam ob merita? Casus grandis! Non aliis promissum est hoc præmium, quàm sperantibus; neque alia ob merita, quàm Spei; quod Textus ipse insinuat: *Et vos similes hominibus expectantibus Domi-*

Luc. 12. v. 36.

Dominum ſuum; more ſervorum, inquit Chriſtus, expectate Dominum veſtrum: quod, ubi feceritis, idem Dominus, menſæ vos ſuæ accumbere faciet, vobisque miniſtrabit dando ſeipſum: *Amen dico vobis, quod præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, & tranſiens miniſtrabit illis.* O admirabilem Chriſti excellentiam! O ſingulare virtutis Spei privilegium! Quoniam ſpei concedi nequibat, quod ſperat in cœlo, dedit ſperantibus in terra; quod nec ſperabant, nec ſperare poterant. Sperabant, ſeu ſperare poterant ſervi fore, ut à Domino ad menſam collocarentur? Non; & hoc ille fecit: *Faciet illos diſcumbere.* Sperabantne, aut ſperare poterant ſervi futurum, ut ſibi à Domino perſonaliter inſerviretur? Nequaquam; & ille ipſe eſt miniſtrans: *Et tranſiens miniſtrabit illis.* Sperabantne, aut ſperare poterant fore, ut ſemetipſum ad manducandum eis præberet? Multò minus. Tantùm ſperabant & ſperare poterant, quod videndum ſe exhibiturus eſſet in Cœlo: ille verò tempus præveniens, præter ſpem ad ſpei ſatisfaciendum deſiderio, ut manducare ſe poſſent in terra, deſcendit è cœlo, panemque in Corpus ſuum tranſubſtantiavit: *Hic eſt Panis, qui de Cælo deſcendit.*

§. IV.

PRobatis hoc modo meis, de Ezechiëlis viſione, Davidis vaticinio, ipſiusque Chriſti parabola aſſertis; ſi quis forſan etiam ab experientia deſiderat exemplum, neque hoc nobis deeſt. Altera, poſt Reſurrectionem, die, Chriſtus duobus in Emmaus tendentibus diſcipulis, in habitu apparet peregrini; diſcumbensque cum illis, ut ſe agnoſcerent, acceptum panem conſecrat & frangit: *Et cognoverunt Eum in fractione panis.* Neſcio, num quid non admirabile ſolùm, ſed multò potiùs ſingulare in hoc caſu advertatis. Multis aliis Chriſtus eodem die apparens, cognoſcendum ſe præbuit; ſed nemini tali favore, ſimilique extraordinario modo. Apparuit Magdalenæ, apparuit aliis Mariis, apparuit Petro, apparuit omnibus Diſcipulis congregatis, manducavitque cum illis: porrò cum eandem etiam hîc panem conſecrandi miſteriumque Sacramenti iterandi occaſionem haberet, iſtud non fecit, cùm ſuperflua videretur præſentia ſacramentalis, ubi naturaliter ipſis aderat. Omnibus in Galilæam profectis ſimiliter apparuit Chriſtus, multisque vicibus cum Diſcipulis ſuis manducavit: cumque menſa eſſet (prout multi volunt) ſuæ ſanctiſſimæ Matris, etiam ibi Corpus ſuum non conſecravit. Quibusnam igitur binorum Diſcipulorum iſtorum in Emmaus tendentium meritis, quâve majore ratione motus, ſe illis, & non reliquis, Chriſtus in Sacramento dedit? Recordemini, quid dixerint, moxque patebit, obligationem fuiſſe, & non favorem: neceſſitatem, & non exceſſum. Dicebant, allegatâ triſtitiæ ſuæ causâ, quod ſperabant diffidentes: *Nos autem ſperabamus.* Quia verò ſpes eorum adeò erat infirma, & quaſi exanimis: quonam alio Chriſtum ſuccurrere oportebat, quàm Spei alimento, quod eſt Sacramentum? Remedium itaque fuit, & non favor: neceſſitas, & non exceſſus. Et notate, hac prima vice panem naturalem in Corpus Chriſti fuiſſe conſecratum, poſtquam in Cœna ultima Sacramentum fuerat inſtitutum; ut ab iſto inſtanti principium

daretur Institutionis fini. Quemadmodum particularis instituti Sacramenti finis fuit, nostram in hac vita alere & sustentare spem : hinc ipse Christus, qui remedium instituerat, primus etiam esse voluit, qui in prima illo indigente infirmitate ejus nobis efficaciam demonstraret.

Porrò ne dubitetur quin Spei remedium maxima differentiæ hujus fuerit ratio; Evangelium inquit, Christum eodem instanti, quo consecravit & fregit, se oculis eorum subtraxisse invisibilem factum: *Et Ipse evanuit ab oculis eorum.* Enimverò, si consecrationis istius finis fuit, ut bini isti Discipuli ipsum agnoscerent, quare eodem momento disparendo sese oculis eorum subduxit? Velare se, ad manifestandum se? Abscondere se, ad notificandum se? Sic est; aliterque esse nequibat: quia cùm esset Mysterium Sacramenti, remediumque spei, nec spes consolata & adjuta videre, neque Christus in Sacramento poterat visibilis comparere. Quod si in Sacramento visibilis appareret, Sacramentum esse desineret: si spes illum cerneret, spes esse cessaret: & quoniam verè erat Sacramentum, & Sacramentum pro spei remedio; idcircò non conveniens solùm, sed necessarium fuit, ut Christus se oculis eorum subduceret: *Et Ipse evanuit ab oculis eorum.* Istud magno hoc die accidit; istud hoc octiduo præsens habuimus: Christum pascentem & sustentantem, non deliquia, sed spei desideria, quamvis non visum, aut visibilem, oculisque abscondi-
Luc 24. v. 31. tum: *Et Ipse evanuit ab oculis eorum.* Neque enim spes foret spes, neque Sacramentum foret Sacramentum, nisi ita esset. Mediante itaque Sacramento, spes fruatur in terra, quo frui non dabitur in Cælo, & Deus virtute Sacramenti de cælo descendat: *Hic est panis, qui de Cælo descendit*; quò spes ipso in terra frui possit.

§. V.

HOc adeò in veritate subsistit fundatum, ut non nisi durante spe Sacramentum sit duraturum, illa finiente hoc esse cessabit. Conformiter promissioni Christi, Altaris Sacramentum ad finem usque mundi tantum durabit: *Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* Et quare non finito mundo? Nonne Christus Sacerdos est æternus? Sic est; & in æternum: non secundùm ordinem Aaron, qui offerebat agnos, sed secundùm ordinem Melchisedech, qui panem & vinum offerebat: *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech: Melchisedech proferens panem & vinum.* Cùm igitur Sacerdos sit æternus, quare Sacrificium etiam & Sacramentum non erit æternum? Quia Sacrificium fuit institutum ad propitiandum pro peccato: Sacramentum verò, ad satisfaciendum spei. Proinde quemadmodum in fine mundi cessabit Sacrificium, quia finem habebit peccatum; pari ratione in fine mundi cessabit Sacramentum, quia finem spes habebit. Jam nunc Mysterium Mannæ patebit, quando & quare cessârit.

Matth. 28. v. 20.

Psalm 109. v. 4. Gen. 14. v. 18.

Proficiscentibus filiis Israël ad terram promissionis, quotidie pluebat manna è cælo. Desideratæ tandem terræ terminos ingressi, fructus ejusdem deliberare & manducare cœperunt; & Sacro attestante Textu, mox manna pluere cessavit: *Cessavit manna, postquam comederunt de frugibus terræ; nec usi sunt ultra cibo illo filii Israël.* Ita ut filii Israël peregrinantes

Josuæ 5. v. 12.

adhuc

adhuc in deserto, desiderio & spe ad terram promissam anhelantes sustentarentur mannâ: Ast desiderii spei que suæ finem assecutis, finiente jam spe, manna quoque similiter finem accepit: *Defecit manna.* Quodnam verò istud est Manna, nisi Divinissimum Sacramentum? Loquatur Rupertus: *Nunc pascimur ore manducando Panem vitæ æternæ: at ubi venerimus in terram viventium, ubi in sua specie videbitur Deus, jam non in istis speciebus, sed in propria substantia videndo, manducabimus panem Angelorum. Igitur postquam comederunt terræ fruges defecit manna.* Scitis, quare manna cessârit filiis Israël terram promissam ingressis? Id factum, quia & nobis Gloriæ Beatitudinem jam consecutis, Sacramentum similiter cessabit. Quotquot hic vivimus, exules & peregrini illius beatæ Patriæ sumus; qui nos præcesserunt, jam pervenerunt: nos adhuc peregrinando illuc tendimus: similiterque nos sequentes pergent, omnes eâdem beatâ Patriâ fruendi spe animati. Finiente mundo prædestinati omnes in Patria erunt collecti, proinde omnibus spei suæ metam assecutis, ipsâque jam spe finitâ, finem quoque habebit manna, cum Sacramento. Si spes foret æterna, Sacramentum quoque duraret æternum: verùm sicut spes cum temporis mundique rota sistet, etiam Sacramentum non nisi ad finem Mundi durabit: *Usque ad consummationem sæculi.* Ita Christus Panem cœli primogenituræ spei copulatum reliquit.

Rupert. hic.

Enim verò si quis à me naturalem hujus correspondentiæ, & connexionis reciprocæ, tanquam spei cum Sacramento, & vice versâ, uti in duratione, ita etiam in fine necessariæ, rationem nosse cupit; ipsa ejusdem spei natura illam suppeditabit. Spes est affectus, qui suspirando semper ad videndum, non videndo vivit, & viso moritur. Sic theologicè S. Paulus de eadem spe sermocinans: *Spes, quæ videtur non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* Spes boni sperati jam compos ad videndum, non est spes: qui enim sperat, nondum videt; & qui videt, jam non sperat. Hæc natura est spei: illa verò Sacramenti qualis est? Est Humanitatis Divinitatisque Christi præsentia illo velamine tecta, quod eousque ipsam invisibilem reddit; ut si posset, aut videri se sineret, jam Sacramentum non esset. Cumque spes in desiderio videndi Deum consistat, illo jam viso spes esse cessaret: & Sacramentum Deum in se continens non foret Sacramentum, si ipsum visibilem exhiberet. Hinc illa inter spem & Sacramentum, & utriusque durationem connexio oritur; ut si Deus liberam sui intuitionem omnibus in se sperantibus indulgeret, quod in mundi fine fiet spes simul cum Sacramento necessariò desinere deberent. Spes, quia jam videbimus Deum: Sacramentum, quia jam Deus non erit invisibilis.

Rom. 8. v. 24.

Stellæ viventes nocte, moriuntur die. Idem nobis in hac spei nocte, illucescente gloriæ die eveniet. Non sine ratione Christus Divinum hoc Sacramentum instituit in nocte, quando pro una præsentia, quam subtraxit visui, multas nobis reliquit fidei. Occumbente Sole in Occidente, mundus noctis involvitur tenebris, suspiciendo verò sursum in Cœlum, in tot minores eundem multiplicatum videmus Soles, quot numero stellæ videntur, quas sibi absenti substituit, & in quibus non repræsentatur solùm,

sed

sed vivit. Hoc pacto sese Christus abscondit nobis, non se subducendo, relinquens se ita conclusum Sacramento, in præsentias verò tot multiplicatum, quot consecratæ dantur Hostiæ, in quibus Eum adoramus, realiterque præsentem nobis habemus. Proindè in hac absconsione, obscuraque spei nocte, quâ Deum non videmus: Quid aliud est Ecclesia cum Diviniſſimo Sacramento, per omnes Mundi Partes multiplicato, nisi Sol cum stellis, sperantibus cum Jobo, ut illucescat: Job 37. *Post tenebras spero lucem?* Sed quemadmodum ex Oriente Sole nox fugit & finitur, & stellæ disparent: ita præsente jam clara Dei visione, cum Sacramento disparente, simul spes finietur.

Christo in Cruce expirante, scissum est templi velum ante Sancta Sanctorum expansum, in argumentum apertas tunc fuisse Gloriæ Portas eousque clausas: eodemque momento in Jerusalem & limbo finem acceperunt duo notabilia: in Jerusalem Sacrificia legis veteris, in limbo Patriarcharum spes. Pari modo finiente hoc mundo, prædestinati ingredientur Cœlum, clarâ Dei visione fruituri: eodemque momento finem accipient Sacrificia & Sacramenta legis gratiæ, spesque omnium eandem legem profitentium. Illudque erit tunc testimonium ultimum, & probatio evidens, uti modò certa, quod ad satisfaciendum spei, descenderit ille panis: *Hic est panis, qui de Cœlo descendit.*

§. VI.

VErùm enim verò, si spes est affectus, ad videndum semper anhelans, & pro visione suspirans; in Sacramento verò Summum Bonum desideratum, nec videt, nec videre potest: Quo pacto Sacramentum, & Deus invisibilis in eo, spei satisfacere potest? Hoc ultimum est Mysterium, & obscuriſſimum discursus nostri punctum; ad quod intelligendum interiora spei profundius scrutari; exactamque ejusdem anatomiam instituere oportet. Celebris inter Theologos agitatur quæstio: Utrum in intellectu, an in voluntate, locum spes habeat? Potior pars eam voluntatis actum, minor verò, eam intellectus actum esse defendit. Opinio verò mihi probabilior, dubioque meo congruentior videtur, spem utrasque includere potentias, pedem unum intellectui, alterum infigendo voluntati. Idcircò spes accepto à S. Paulo nomine anchorâ indigitatur: *Ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* Hebr. 6. v. 18. & 19. Quemadmodum verò anchora pro securitate utrimque est firmanda; ità & spes, ut debitè firmetur in anima, non in alterutra solùm, sed utraque simul potentiarum harum figenda & fundanda venit. Spes desiderio & fiduciâ constat: Voluntate desiderat, & intellectu confidit: spes, sine fiducia desiderans, esset nudum desiderium; sed sicut desiderat, ita confidens est spes. Ex quo sequitur, spei pleniſſimè esse satisfactum: cujus satisfactionis pars desiderium, parsque altera fiduciam, seu confidentiam respicit: desiderium, pro solatio; fiduciam, pro securitate: quæ omnia Spes in Sacramento habet. Securitatem habet, pro confidentia; quia Sacramentum est pignus: Solatium habet, pro desiderio; ipsum etenim Sacramentum est possessio. Pignus, in quantùm illum habemus inclusum illi custodiæ: possessio,

qua-

quatenus illum præsentem nobis habemus in pectore. Totum jam est dictum, ad probandum per partes progrediamur.

Cum primis Spes in Sacramento securitatem habet confidentiæ, est enim speratæ gloriæ pignus, prout nos docet Ecclesia: *Et futuræ gloriæ nobis pignus datur.* Quis verò petiit unquam, vel dedit, aut imaginatus sibi fuisset hujuscemodi pignoris genus. Eliâ in cœlum rapto, duplicem ipsius spiritum postulabat Elisæus; quem quia Elias statim dare non poterat, illum appromittendo pallium suum in pignus reliquit. Drogo Hostiensis, in pallio hoc & pignore, mysterium Sacramenti recognovit, in quo Christus accidentium pallio se nobis operit. Sed, prô, quantum inter pallium & pallium, inter pignus & pignus discrimen intercedit? Elias relinquendo pallium subtraxit personam, subtractâ verò personâ pallium insufficiens est pignus: Christus nobis in pignus pallium simul relinquit & personam. Pallium in accidentibus: personam in substantia. Num pignus dari potest securius? Unum tantummodò huic simile, valde tamen inæquale in mundo fuit datum.

Ecclesia.

Joseph contemplante suos Fratres in Ægypto, Benjamin, quem teneriùs quàm cæteros diligebat, in isto numero deerat, quem intensè videre desideranti promiserunt fratres, se illum adducturos: hâc tamen promissione, confidentiæ minùs fuit satisfactum: initio igitur pacto, in pignus Benjamini promissi Simeon vinculis & custodiæ traditur: *Frater vester unus ligetur in carcere*; & ita factum est. Nunc interrogo: Cujusnam spei magis poterat esse satisfactum, cujusve fiducia magis secura, illane Josephi, an nostra? Jam me interrogâsse pœnitet: injuria quippe tam supremo & non imaginabili irrogatur pignori. Confidentia Josephi valde poterat esse secura; siquidem pignoris loco in carcere & sub clave fratrem habebat pro fratre altero: nostræ verò confidentiæ securitas incomparabiliter est firmior; quia pignus promissionis (cujus similiter claves habemus) est ipse promissus. Spes Josephi erat valde securâ, pignoris enim loco, pro Benjamin, Simeonem tenebat: fiducia nostra incomparabiliter est securior: Benjamin enim loco, ipsum Benjamin habemus. Quid sperat spes nostra? Videre Deum? In pignus igitur videndi Deum, ipsum sub clave habemus Deum, in specie panis nos sustentantis, pro majore securitate. Portò si Deus se tribuit ad manducandum, non se exhibebit ad videndum? Si Deus de se facit discum, nonne & faciet de se speculum? Secura est confidentia.

Gen. 42. v. 19.

Enim verò, si ex parte fiduciæ, adeò satisfactum est Spei in pignore; non minùs satisfactum est ei ex parte desiderii, in solatio. D. Thomas divinissimum Sacramentum: *Singulare Solatium*, nuncupavit. Et quare singulare est illud solatium? Rationabiliter sanè. In aliis enim spebus, aliisque desideriis, solatium semper bono desiderato est inferius: hîc ipsum bonum desideratum inferius est illo, quod nobis datur pro solatio. Quale bonum est, cujus desiderio spes æstuat? Visio Dei in cœlo. Quodnam solatium Deus spei ministrat? Sacramentum Altaris in terra. Majus ergo bonum nobis datur pro solatio desiderii, ipso bono desiderato; plus enim Deus tribuit communicanti,

D. Tha.

nicanti, quàm in Cœlo communicetur videnti. Beati in Cœlo Deum vident, sed non comprehendunt. Ita, ut Deus illis communicet quod vident, sed non, quod non comprehendunt: in mysterio verò Sacramenti, hoc quod Beati quidem vident, sed non comprehendunt, totum recipit communicans. Ergóne dicemus: Communionem esse Dei comprehensionem? Ad hoc asserendum non multum quidem laborarem, malo tamen, ut sanctus Epiphanius id adstruat.

Concepit Deum Beatissima Virgo Maria (in maxima filii sui solemnitate, non deceret, nobis deesse Matrem, præsertim in domo sua) concepit, inquam, Deum Beatissima Virgo Maria purissimis visceribus suis: magnitudinemque nec non profunditatem Mysterii hujus admiratus S. Epiphanius, in hunc exclamavit modum: *O uterum Cœlo ampliorem, qui incomprehensum Deum verè comprehensum portâsti!* q. d. O uterum Virginalem, cœlo capaciorem! verè enim comprehendisti in te, incomprehensibilem in cœlo! ly *Verè*; non tantùm quocunque modo, sed *verè comprehensum*. Agedum, sciamus. Nunquid Beatissima Virgo Maria in Cœlo comprehendit Deum? Non. Quamvis claritas gloriæ Beatissimæ Virginis Mariæ, beatificaque visio, quâ Deum intuetur omnium aliorum Beatorum gloriam & visionem in gradu sublimissimo excedat; nihilo seciùs Deum non comprehendit: Deus quippe infinitâ suâ perfectione & essentiâ omni creato intellectui incomprehensibilis existit: Si igitur Dei Mater Deum non comprehendit in cœlo, quando illum videt, quomodo S. Epiphanius inquit, quod illum comprehendit, quando concepit, & suo in utero portavit? Tantus Pater, velut tantus Theologus, fuit locutus. Ad comprehendendum Deum necesse est illum videre totaliter, & totum: *Totum & totaliter.* Quod ita definiunt tres scholæ Theologicæ præcipui, S. Thomas, Scotus, Suarez. Et quamvis Beati (computatâ etiam Beatissimâ Virgine Maria) Deum videant totum, non tamen vident totaliter; hinc illum non comprehendunt. Nunc interrogo: Quando Beatissima Virgo Maria Deum conceptum suo utero gestavit, habuitne illum totum, & totaliter? Immò verò. Propterea enim S. Epiphanius dicit, quod illum comprehenderit verè: *Verè comprehensum portâsti*; non comprehensione intellectuali, sed corporali, eo modo, quo S. Paulus de humanitate Christi asserit: *In ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Coloss. 2. v. 9.

S. Epiphan.

Hoc suppositio, nostra nunc mihi dicat Fides: Num Deus in Sacramento minùs est integrè, quàm in visceribus Matris suæ fuit? Nullatenus. Totus, & totaliter in Visceribus Mariæ: Totus & totaliter in Sacramento. Si igitur Maria, quia Deum totum & totaliter habuit in pectore, Illum comprehendit: quare Illum communicans, totumque ac totaliter in Sacramento recipiens Eum non comprehendit? Extra controversiam est, pectus Beatissimæ Mariæ sine comparatione capacius, sine comparatione purius, sine comparatione denique dignius esse: Verùm, prout doctè & graviter notat P. Suarez: Sphæram Solis, quæ est quarta, tantùm capit Cælum quintum, quantùm octavum, licet octavum majus innumerisque sit stellis consitum, quintum verò minimè. Proinde si Deus in Sacramento comprehenditur, & non in Cælo: si Deus

se

se totum & totaliter communicantium tribuit pectori; & in Cælo se totum, sed non totaliter videntium exhibet oculis; expendite, annon plus habeat spes pro solatio, quàm speret in desiderio? Spei itaque satisfactum est, & ultra, tam ex parte confidentiæ in securitate, quàm ex parte desiderii in solatio: pro uno enim habet pignus, pro altero possidet panem, qui de Cælo descendit: *Hic est panis, qui de Cælo descendit.*

§. VII.

IStæ sunt, (redeamus ad nos) istæ sunt supremæ excellentiæ, quibus Deus in Sacramento nostræ satisfacit spei: Verùm nescio utrum reciproca sit ista satisfactio. Spei nostræ satisfactum est à Deo: curandum nunc restat, ut etiam Deo reciprocè, satisfiat à nostra. Sed quomodo fiet istud? Sola & vera satisfactio, quam spes nostra Deo redhibere potest, est, totam in ipso collocari. Enim verò, si non in, & à solo Deo speramus, quid, quæso, & in quo speramus? Speravit David in Saule, tanquàm Rege; speravit in Jonatha, tanquàm amico; speravit in Absalone, tanquàm filio; sed omnibus istis spebus deceptus est, nec utilitatem habuit ex eis; erant enim spes in hominibus collocatæ. Hinc idem David duplicem capessivit resolutionem, utramque dignam tali, qualis ipse erat, homo scilicet, & Propheta. Velut homo, in solo Deo sperare resolvit: *Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* Velut Propheta, omnibus prædicare hominibus, ne quis spem suam & fiduciam, collocet in hominibus, quantumcumque demùm sint, aut esse videantur: *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* Ad Veritatis hujus probationem non aliam, quàm illam nostri textus considerationem requiro: *Hic est Panis, qui de cœlo descendit.* Quæ verba ritè pensans, directè & indirectè, videbit, solùm Deum dignum esse, ut omnes in ipso spes collocentur, omnemque hominem indignum, ut quis alius spem in Eo ponat.

Ps. 72. v. 28.

Ps. 145. v. 2. 3.

Primò, textus noster Deum descendisse inquit: *Descendit.* Et unde descendit? *De Cælo.* Descendit de Cælo, descendit de gloria, descendit de altissimo immensoque Majestatis suæ throno: Nec solùm descendit semel in Incarnatione ad nos redimendos; sed infinitis quotidie vicibus in Sacramento ad nos cibandos, ad nos curandos, ditandos & Deificandos. Quis, quæso, hominum vel uno gradu ab authoritate & vanitate sua, alterius hominis amore descendit? Deus ad vos exaltandos descendit? Et homines ut ascendant, vos conculcant. Quis hominum superiorem se non conculcat, si potest, ut fortunæ suæ gradum ex eo faciat? Si fueritis velut Abner, amicum habebitis instar Joab, qui amplexu & osculo vos interficiat, ut locum vestrum occupet: si fueritis velut Miphiboseth, famulum habebitis similem Cibæ, qui falso vos circumventos testimonio, hæreditate privet, ut eam in se transferat: si fueritis velut Esau, fratrem habebitis instar Jacob, qui dolosè surreptâ vobis benedictione, in vestram primogenituram sese insinuet: si fueritis velut David, filius vobis non deerit velut Absalon, qui subditorum contra vos animos solicitet, ut vestram capiti suo coronam imponat: & si esse possetis velut Christus, non deforet vobis discipulus, sicut Judas, qui vel pro minimo lucello, inimicorum vos ma-

nibus traditus, in crucem ageret. De hoc homine ipsemet protestatus est Christus:

Psal. 40. v. 10. *Homo pacis meæ, in quo speravi; magnificavit super me supplantationem.* Agedùm sperate & confidite nunc in hominibus, penes quos nec obligatio, nec amicitia, nec sanguis, nec ipsa fides quicquam valet, ut eam integram vobis servent. Tam diu solùm vobis parcunt, quamdiu ex ruina vestra commodum aliquod non sperant. Primus & optimus homo cum toto genere humano retrogressus est; solùm quia ascendere nitebatur, quò non poterat; & nos prostrati adhuc jaceremus, nisi aderigendos nos Deus descendisset: *Descendit.*

Quomodo verò descendit? In Pane: *Panis, qui de cœlo descendit.* Deus fit Panis, ad vos pascendos: & homines de vobis faciunt panem, ad vos devorandos. Non ego hoc dico. Josuë & Caleb ad explorandam terram Chanaan missi reversi ad suos retulerunt tanquam nova, quod Chananæos sicut panem devorare possent: *Sicut panem eos possumus devorare.*

Num. 14. v. 9. Sic illi sunt locuti, & sic fecerunt Hebræi, devorârunt illorum bona, civitates, libertates, vitas: Pessimum est, quod in Natione eadem, in eodem populo, & in eadem quandoque familia homines hi, devorent alios. Iste usitatus est panis, & hæc desuper Dei, per Davidem, querela:

Psal. 13. v. 4. *Qui devorant plebem meam, sicut escam panis*; q. d. video, quod populum meum, cui ego me in panem tribui, sicut panem devorent. Notat hic Genebrardus, Prophetam hîc loqui de Magnis & Potenti-

Genebr. bus: *Loquitur de Magnatis.* Parvi non devorant, nec devorare possunt Magnos: Magni; quia possunt, devorant parvos. Hinc plebs adeò est depopulata & attenuata, & devoratores adeò impleti & saginati.

Humana potentia & malitia, cum divina luctata videtur omnipotentia & bonitate, ad aliud conficiendum Sacramentum, illi contrarium divino. Omnipotens substantiam Panis, in substantiam Carnis & Sanguinis convertit, ut Corpus ipsius comederemus. Illi potentes mundi carnis sanguinisque populi substantiam in Panem convertunt, ut illum devorent. Qui illud patiuntur Jobum auscultent, ut similem illius patientiam, à Deo petant: *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* Job. 19. v. 22. Job persecutores suos se carnibus suis saturâsse, & in hoc Deo se assimilare voluisse conqueritur. Ergò similes Dei, carne Jobi se satiantes? In quonam consistit hoc: *sicut Deus?* In miraculo transubstantiationis, quod nec nomen habebat, & mysterium Sacramenti illi affignavit. Solus Deus substantiam aliquam in aliam convertere potest. Et in hoc perversè æmulantur Deum, qui substantiam alienam convertunt in propriam; & de pauperum carnibus faciunt Panem. Tales erant Jobi persecutores. Sicut Deus substantiam panis in carnem suam convertit, ut ipsum comedamus; sic illi è contrario, substantiam Jobi & carnem convertebant in panem, ut illum devorarent. Enim verò, quinam erant illi, ad cognoscendum melius, quid sint homines? Erant Jobo vel maximè devincti, quibus maximè confidebat; erant familiares ejus & domestici: *Dixerunt viri Tabernaculi mei: Quis det de carnibus ejus ut saturemur?* Job. 17. v. 5. Ecce quid machinentur homines, ut videatis quid de ipsis sperandum sit, & ubinam

me-

meliùs ſpes collocetur, utrum in eo qui ſe tribuit ad manducandum, an in eo qui vos devorat.

Concluſionis vice deſerviat, quod Jeremias Propheta utroque debitè expenſo intulit: *Maledictus homo, qui confidit in homine: Benedictus vir, qui confidet in Domino.* In die noviſſimo, quo omnibus ipſa patebit veritas, quibusdam dicetur: *Ite maledicti.* Et hi erunt iſti ſtulti & infelices, qui ſpem ſuam collocârant in hominibus: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* E contra dicetur aliis: *Venite Benedicti*, qui erunt prudentes illi & felices, qui in Deo ſolo omnem ſuam ſpem collocârant: *Benedictus vir, qui confidit in Domino.*

Jerem. 17. v. 5. Ibid. v. 7. Matth. 25. v. 41. Ibid. v. 34.

Nullum hominum adeò à ſemetipſo, aut aliis infatuatum deceptumque puto, qui dum optio adhuc datur, qui non ſortem præeligat eorum, qui in Deo & ſolo Deo omnem ſuam ſpem fixerunt. Tunc videbunt, quod ſicut Deus in hac vita, beatitudinem unam pro ſpe, alteram adhuc reſervârit in vita futura pro ſperantibus in ſe: *Expectantes beatam ſpem, & adventum gloriæ magni Dei.* In quibus verbis S. Paulus duo magna ponderatione digna exprimit; præſens unum, futurum alterum. De præſenti ſpem noſtram aſſerit beatam: *Beatam ſpem.* Enim verò quænam beatitudo iſta, niſi illa, quæ, uti videmus, incluſa eſt Sacramento, quæ ſpei præſentique vitæ eſt propria? In futuro promiſſam, terminis majore penſatione dignis declaravit, inquiens venturam beatitudinem, eſſe gloriam magni Dei: *Et Adventum gloriæ magni Dei.* Nunquid Deus ſemper eſt æqualis, ſemper magnus, ſemper idem? Ecquænam iſta eſt gloria Dei magni? Nunquid alia eſt gloria Dei magni, & alia Dei parvi? Ita planè. Gloria Dei, in Sacramento eſt gloria Dei parvi. In Sacramento quippe Deus contraxit, collegit & compendiavit Majeſtatem ſuam in tantilla ſphæra, qualis eſt iſta hoſtiæ. Gloria Dei in cœlo, eſt gloria Dei magni; quia ibi majeſtas ipſius & magnificentia in tota immenſitatis ſuæ infinita latitudine exhibebitur nobis. Hîc collecta & compendiata, ut eam capere poſſimus: ibi dilatata & extenſa, ut cum eam capere nequeamus, nos intremus in illam: *Intra in gaudium Domini tui.* Quis igitur tam erit inſipiens, qui cùm in hac, & altera vita beatus eſſe poſſit in Deo, & ſolo Deo ſperando, in illo ſolo non ſperet? Agedum Auditores, in ſolo ſperemus Deo, vanis omnium creaturarum ſemel ac pro ſemper, ſpebus renunciantes. Et quouſque cœlum aſcendere non datur ad fruendum ibidem beatitudine nos expectante, ſpes noſtra interim fruatur hîc beatitudine quam præſentem habet in pane, qui de cœlo deſcendit: *Hic eſt panis, qui de cœlo deſcendit.*

Ad Tit. 2. v. 13. Matth. 25. v. 21.

Amen.

SERMO
DE
B. V. MARIA,
de Monte Carmelo.

Habitus in Festo ejus Ordinis, exposito SS. Sacramento, in Ecclesia, & Conventu ejusdem Beatissimæ Virginis, in Civitate S. Ludovici, Maragnanæ, Anno 1659.

Beatus venter, qui Te portavit, & ubera, quæ suxisti; quin imò beati, qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud. Luc. II. v. 27. & 28.

§. I.

SAnè observatu dignissimum est (id quod animo in Sacris Litteris à quopiam adversum fuisse equidem ignoro) quod ubicunque Christo Domino de materna generatione quis quidpiam proponeret, ille semper de paterna generatione mentionem reposuerit. Ità supplicat mater filiorum Zebedæi, atque, ut filiis ille ipsius supremas Regni Sedes indulgeat, obtestatur; statim verò Matiæ Filius objectâ paternâ generatione respondet: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Matth. 20. v. 23. Aliàs quoque ubi Christus in Templo Jerosolymitano vitæ verba disseminaret, insinuatum Ei fuit à nonnemine, à Matre ipsius foris stante Ipsum avidè exspectari: Illi illicò paternæ generationis injecta mentione respondit: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in Cœlis est, ipse frater meus, & soror, & mater est.* Matth. 12. v. 50. Cùm etiam sacratissima Dei Genitrix ipsum Filium suum post triduanam amissionem in templo in medio Legis Doctorum considentem invenisset, atque illi amoris doloriscque solicitudinem, quâ ipsum, ut Mater filium requisierat, aperuisset: *Fili*, inquiens, *quid feciśti nobis sic?* Luc. 2. v. 48. Ille rursus, paternâ propositâ generatione, respondit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet Me esse?* v. 49. Ex ista loquendi methodo, & hâc statu Christi ratione intelligere facillimè poterimus momentum responsi, quod Ipse ad mulieris istius Evangelicæ verba reposuit. Cum nimirùm Scribarum & Phariſæorum calumnias validissimis æternæ veritatis rationibus atque argumentis retudisset &

con-

confutâſſet, in media audientium turma aderat quædam mulier, & illa quidem plebeja, intellectu tamen haud vulgari, atque animi generoſitate non minori conſpicua, quæ vocem in medio turbarum extollens, in hæc verba prorupit: *Beatus venter, qui Te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.* Non adeò equidem videbatur conveniens, Verbi Dei ut diſſeminator hujuſcemodi verbis, maximè hujus generis hominum, præſertim in publico ac propalam reſponderet: at quia materna ipſius deprædicabatur generatio, ſilere noluit, ſed pro more adductâ generatione paternâ reſpondit: *Quinimò, Beati, qui audiunt Verbum Dei & cuſtodiunt illud.* Ubi nimirum maternæ generationis illius ei mentio fiebat, ad paternam ille quaſi confugit, palam omnibus ut inſinuaret, ita quidem eſſe ſe Filium Mariæ, ut ſimul eſſet Verbum, adeòque Filius Patris æterni. Sic enim Venerabilis Beda hocce Chriſti reſponſum expendens, per Verbum Dei non tam intelligit Chriſti doctrinam, quàm ipſum Chriſtum, qui ſecundùm Divinitatem æterni Patris eſt Verbum: *Non autem,* inquit, *tantummodò eam, quæ Verbum Dei corporaliter generare meruerat, ſed omnes, qui idem verbum ſpiritualiter audire, fide concipere, & bonâ operis cuſtodiâ, vel in ſuo, vel in alieno, vel in proximorum corde parere, & quaſi alere ſtuduerint, aſſerit eſſe beatos.* Quomodo te ſacratiſſima Carmeli mentis Religio ſimilem conſtituit, qui te propter ſe ſolum, atque alios multos ad ſe alliciendos creavit? Chriſtus prædicta omnia fecit idcircò, ut animis hominum Divinitatis ſuæ Fidem imprimeret, mundumque doceret, uti duplicem ipſe habebat naturam, ita etiam duas eſſe generationes illius; æternam videlicet unam, quâ à Patre æterno ante ſæcula genitus eſt; noviſſimam verò alteram ac temporalem, quâ fuit poſt ſæculâ ex Matre Virgine natus. Quemadmodum verò Chriſtus duplici generatione, & utrâque virginali, uti ait Divus Gregorius Nazianzenus, proceſſit, vetuſtiſſimâ videlicet & æternâ, quâ genitus eſt à Patre ſine matre, & noviſſimâ ac temporali, quâ ex Matre, ſine Patre, conceptus & natus fuit, ſacratiſſima Carmeli Religio duplicem quoque virginalem ſortita eſt generationem: alteram in lege ſcripta antiquiſſimam, quâ ab Elia parente Virgine abſque Matris intervenientis conſortio edita fuit; alteram verò in lege gratiæ recentiorem, quâ ex Maria Virgine orta fuit ac producta; quæ productio ex Matre fuit ſine Patre. Color geminus ac duplices diſtinctæ Carmelitani habitûs partes iſtius ſunt duclicis generationis & teſtificatio & hæreditas. Paternæ quidem abſque matris interventu factæ teſtificatio & hæreditas eſt pallium album, ab Elia, Eliſæo Carmelitæ, relictum: maternæ verò abſque Patris conſortio factæ teſtificatio & hæreditas, eſt ſacrum & pullum Scapulare à Sanctiſſima Virgine Maria ſancto Simoni olim Carmeli Ordinis non modò alumno, ſed & Generali Præpoſito cœlitùs delatum. Hoc unum inter duplicem Chriſti & illius ſacratiſſimæ Religionis generationem intercedere diſcrimen videtur, quod in Chriſti generatione Pater cœleſtis, Mater verò eſſet terrena: in Carmelitani verò Ordinis productione Pater terrenus, Mater verò erat cœleſtis. Sed in hac cœli terræque diverſitate duplex illa productio tantùm cœleſtis ſubſtantiæ

Nazian. de laud. Virgin.

stantiæ participavit, & ambæ Carmelitici habitûs partes tot ac tantis cœlestibus dotibus ornatæ fuêre ac prærogativis, ut Mater è cœlesti Curia in terram descendens Scapulare detulerit; Pater verò ad Cœlum è terra conscendens pallium dimiserit ac reliquerit.

Nulla datur Religio (etsi sanctissimæ omnes existant) quæ tale habuerit initium, quæve de talibus queat gloriari Progenitoribus: & cum benedicta hæc progenies duplicem sortita sit originem, & duplici generatione utrâque miraculosâ, utrâque singulari, utrâque cœlesti & Divinâ sit exorta, devotionis excessui, aut laudum atque encomiorum exaggerationi attribuo omnium minimè debet, si hodiernâ die iisdem Sacri Evangelii verbis dupliciter beatos hujus Instituti proclamemus Alumnos; quia verè Beati, tantæ quod Matris sint filii: *Beatus venter, qui Te portavit.* Et reverà Beati, quia tanti Patris filii: *Beati, qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Duæ istæ Sacri Texrûs clausulæ, ac duplex ista origo præsenti orationi nostri fundamentum suppeditabunt atque argumentum. Benevolas præbere aures, atque ad gratiam obtinendam vestram operam conferte, dicentes:

Ave Maria, &c.

Beatus venter, qui Te portavit, & ubera quæ suxisti. Luc. 11.

§. II.

MAxima omninò Beatissimæ Virginis Mariæ excellentia in eo consistit, quod sit Filii Dei Mater; maxima Sacræ Carmelitanæ Religionis excellentia in eo sita est, quod ipsius Alumni sint filii Dei Genitricis. Ad hanc glotiosam applicationem opus non est, ut sacri Evangelii verba commutemus. Necesse, inquam, non est, ut illa de Genitrice in Genitricem transferamus, quia eadem est Genitrix; sed ut de Filio ad filios extendamus, quia diversi sunt filii, quamvis sibi haud omninò absimiles, prout deinceps videbimus.

Dum Spiritus sanctus de eodem utero virginali, de quo Evangelicum exclamat præconium: *Beatus venter*, mentionem faceret Canticorum cap. 7. inquit: *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* Cant. 7. v. 2. Prætermissis hic liliis & tritico, soli explicando acervo insisto. Lilia, ut inquit S. Ambrosius, puritatem virginalem sanctissimi ventris designant; triticum exprimit Filium, qui in illo, aut ex illo natus est, veluti Christus, ipsemet ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, &c.* Joan. 12. v. 24. Sed ex hoc ipso enascitur dubium, quia si triticum sit tantum granum frumenti, quomodo dicendus erit acervus tritici? *Beatus venter, & venter vallatus liliis;* De quo in utroque Testamento fit mentio, est idem venter virgineus. Si ergò triticum, quod in illo & ex illo est prognatum, solùm sit unicum granum, quomodo acervus dicendus erit? Quodsi granum sit Christus, acervus quis erit? Quis erit mons? Est mons Carmeli, quia & granum frumenti, & acervus tritici ambo ejusdem Matris sunt filii, ambo ejusdem sunt uteri partus. Ita supremum Ecclesiæ Dei oraculum Sixtus quartus, Pontifax maximus, declaravit ac definivit; verba ipsius, quæ notatu dignissima sunt, attendite: *Venustissima Virgo Maria, quæ Dominum nostrum Jesum Christum, admirabili cooperante virtute Spiritus sancti genuit, ipsa produxit Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo.* Ita, ut granum tritici & ejus-

ejuſdem acervus ambo ſint partus ejuſdem ventris, quia unica & eadem Mater, quæ unicum peperit Filium, alios quoque progenuit. Dum Chriſtum peperit, *Beatus venter, qui te portavit*; Dum autem Carmeli Ordinem produxit, *venter tuus ſicut acervus tritici* dictus eſt. In primo partu unicum edidit Primogenitum; in ſecundo autem plurimos cœlo dedit: ſed in unico Filio, quem genuit, & in multis, quos produxit, ſemper una & eadem Mater eſt. *Ipſa produxit Ordinem B. Mariæ de Monte Carmelo.* Hinc ſacratiſſimi Evangeliſtæ Lucæ percipietur textus ille, in quem occæcatus Elvidius, non ſolùm ut triobolaris Theologus, ſed etiam ut deterior Grammaticus graviter impegit. Sanctus nimirum Evangeliſta evangelico penicillo ſuo admirabilem Virginis Mariæ partum, qui in ſtabulo Bethlehemitico contigit depingens ait, quod ſereniſſima mundi Domina *peperit Filium primogenitum.* Primogenitum? Ergo alios quoque genuit filios? Id Elvidius blaſphemo & hæretico ore aſſeverat. Ego autem & in ſenſu Catholico verum eſſe non diffiteor. Sacra ergo Deipara Virgo & Primogenitum & ſecundogenitos habuit filios. Primogenitus eſt Chriſtus; ſecundogeniti ſunt illius Carmelitæ. Ubi Deus ordine & dignitate primus eſt, ibi dari poteſt & ſecundus. In hoc ſenſu D. Anſelmus, Rupertus & Guerricus Abbas Elvidium refutârunt: ſed quia iſtorum Doctorum applicatio generalior eſt, utamur verbis Sixti, quæ non ſolùm hujus ſublimis prærogativæ fundamentum præbuêre, ſed etiam ejus nobis rationem ſuppeditant. Virgo Maria, ut inquit Pontifex, Chriſtum genuit: Ordinem verò & Familiam Carmelitanam produxit: atque iſtud diſcriminis eſt inter Filium & filios; inter Primogenitum & ſecundogenitos. Primogenitus in utero conceptus, ex utero natus & genitus eſt; ſecundogeniti verò ſunt producti. Ad iſtorum intelligentiam, agitè, paulò altiùs provehamur. Poſtquam æternus Pater genuit Verbum, alium generare non potuit filium, ſed quamvis non potuerit generare, potuit tamen producere. Potuit *ad intra* producere, & producit Spiritum ſanctum æqualem Filio. *Ad extra* poteſt producere filios, ſed illis Perſonis nequaquam æquales, qui ſunt filii adoptivi, quos ejuſdem ſpiritus efficit participes: *Ut adoptionem filiorum Dei recipere-* Gal. 4. *mus, miſit Spiritum Filii ſui in corda no-* v. 6. *ſtra.* Ad eum pene modum contingit ſacratiſſimæ Virgini, quam idcircò Divus Auguſtinus ideam Dei appellat, ubi ait: *Si formam Dei de appellem, digna exiſtis.* Serm. Deipara enim Virgo Filium à ſe genitum de Nat. ac naturalem præter unicum, qui ſimul eſt unigenitus Patris Filius, alium nullum habet nec habere poteſt; Filios autem productos & adoptivos potuit plurimos hæc Mater ſublimis obtinere: hi verò ex ſpeciali prærogativa ac filiatione ſunt in primis Religioſi Carmelitæ, quos impoſito eis nomine, & factâ in filios adoptione *ad extra* produxit; *ad intra* verò (ſic dici ſi lubet) communicando, & in illis proprium producendo filium, uti videbimus, *ipſa produxit.*

§. III.

PRobè equidem ſcio, naturalem inter Virginis Filium & adoptivos infinitum intercedere diſcrimen. Verùm in hoc ipſo ſtatu, & in ipſis his verbis aliqua mihi illuceſcit excellentia, quæ etiam

in comparatione filiorum ad filium talis esse videtur. Quæro enim: in quo sit major prærogativa & præstantia; an in eo, quod sit quis filius naturalis, an quod sit adoptivus? Adoptio est naturæ supplementum, atque idcirco palam esse videtur, longè esse excellentius, naturâ esse filium, quàm adoptione. Veruntamen absolutè ac præcisè loquendo, dico, quod Filius adoptivus ampliori gaudeat quodammodò prærogativâ, quàm naturalis. In filio naturali præstantia fundatur in filiatione seu progeneratione; in adoptione autem filiatio fundatur in ipsa præstantia. Filius naturalis ideò amatur, quia filius est; adoptivus autem est filius, quia amatur. Quod quis naturalis sit filius, fortuitò fit, quod verò adoptivus evadat, ex merito accidit. Ratio istius rei est, quia naturales filii sunt partus naturæ, adoptivi autem sunt filii electionis. In prioribus voluntas, uti & judicium locum omninò nullum habent; in posterioribus verò quidquid agitur, totum à judicio, totum procedit à voluntate. Hoc signanter in Epistola ad Sisinnium Divus observat Ambrosius, ubi ait: *Aut naturâ filios suscipimus, aut electione, in natura casus est, in electione judicium.* Quantum igitur sors vel casus differt ab electione, tantum una proles aliam antecellit: quod si parentes filios electione susciperent, proprios plurimi alienis commutarent, imò liberis quandoque omninò carere, quàm tales habere mallent. Nunquid Adamus electurus vobis videtur fuisse Cainum, Noë Chamum, Abraham Ismaëlem, Isaac Esaum, Jacob Rubenum, David Absolonem? Absolutè ira futurum fuisse non videtur; at quilibet iis prolibus esse debet contentus, quas sorte obtinuit, quia proles in hac parte bonis fortunæ adscribuntur. In filiis autem adoptivis contrarium usu venit, quia istius alterius ve electio à nostra voluntate, à nostro pendet judicio, ac magno proinde voluntas & judicium illius præpediatur errore oportet, qui omnium excellentiorem dignioremque non eligat: *Non est dignus adoptari*, ait Cassiodorus, *nisi qui fortissimus meretur agnosci.* Cassiod. Ac ratione subjungens illam ipsam, quam observavimus, differentiam insinuat in his verbis: *In sobole frequenter fallimur; ignavi autem esse nesciunt, quos judicia pepererunt.* Filii naturales sæpe sæpius desiderio parentum non respondent, quia licet sint filii naturâ, sunt tamen & fortunâ; in filiis verò adoptivis adoptans plerumque de fine intento votique sui effectu consequendo est certus, quia sunt filii electionis ac partus judicii, *quos judicia pepererunt.*

Talis aut penè talis (cum personarum distantia sit infinita) differentia est, quæ gloriosè inter naturalem Virginis Mariæ Filium, & hosce adoptivos reperitur. Et naturales & adoptivi ambo ejusdem Matris sunt filii; sed Christus est viscerum ipsorum sacratissimorum Virginei Corporis Filius: *Beatus venter, qui te portavit*; Carmelitæ autem sunt filii judicii ipsius, *quos judicia pepererunt.*

Suprema Virginis Mariæ excellentia, quam S. Anselmus stupendam vocat, est, quod Maria & Deus ejusdem sint Filii Parentes: suprema autem prærogativa, quæ huic sacræ tribui potest Religioni, est, quod Carmelitæ & Christus sint Matris ejusdem Filii. Nec Deus amplius quid præstare potuit Mariæ, quàm ut Unigenitum suum ipsi daret in Filium; nec Maria amplius quid exhibere potuit Carmelitis, quàm ut Filium suum donaret ipsis in Fratrem.

Et

Et quamvis Christus naturalis sit ejusdem Genitricis Filius, ipsi verò adoptivi; naturalis autem filiatio sit partus corporis: *Beatus venter*; adoptiva autem filiatio partus sit judicii: *Quos judicia peperunt*; Nescio an ob istam differentiam dicere queam: *Quinimò Beati.* Verùm animis advertite felicissimi Patres, vos Filios esse judicii, judicii inquam, non Jacob, uti fuêre Manasses & Ephraim; neque Augusti aut Trajani, ut illi, quos ipsi adoptârunt, sed Sacratissimæ Dei Genitricis. Vos, & cogitationes Deiparæ Virginis ejusdem estis judicii partus. Videte igitur, cùm sitis cogitationum ipsius Germani Fratres, an vestri memoria in illa vobis deesse queat. Solùm Verbum Divinum præstantioris judicii Filius est, quàm vos, quia ex æterni Patris mente genitum est, vos autem ex ipsius Matris judicio producti estis.

§. IV.

VErùm de judicio ad voluntatem, quæ altera animæ pars est, quæ ad adoptionem, sive adoptivorum generationem filiorum concurrit, transeamus. Jacobus Apostolus, ubi loquitur de adoptione & dignitate filiorum Dei, ad quam per merita Christi elevati sumus, disertè observat, ac tanquam singulare quid ponderat, quod in hoc generationis modo Deus nos generat voluntate: *Voluntariè nos genuit verbo veritatis.* Hæc voluntareitatis, ut sic dicam, circumstantia est transcendens & generalis in omnibus Dei operibus, atque in cunctis naturalibus, sive supernaturalibus beneficiis, quæ ex infinita illius liberalitate in homines proficiscuntur. Voluntariè nos creavit, voluntariè nos redemit, voluntariè nos conservat, sustentat & gubernat, & quidquid operatur aut non operatur, voluntariè facit. Cùm ergò voluntas & voluntarietas Dei ita inseparabiliter cunctis adsit operationibus ipsius, cur, obsecro, divinus Apostolus in filiorum adoptivorum generatione singulariter exprimit voluntatem, atque in illo verbo, voluntariè vim maximam facit: *Voluntariè genuit nos?* Differentiæ rationem ex ipsis Apostoli verbis hausit S. Fulgentius, quam etiam ante ipsum jam animadverterat Divus Athanasius, & est utroque dignissima. De tribus nimirum Apostolus in verbis illis facit mentionem; nempe de voluntario, generatione, & verbo: *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* Dicit ergo S Fulgentius: *Nos Deus voluntariè genuit, quia voluntas generationem præcessit; in Unigeniti autem generatione nulla generantis præcessit voluntas; ubi sine initio naturali permanet æterna nativitas.* Generatio æterna, quâ Pater generat Verbum, non est, nec esse potest voluntaria, quia Filius per actum intellectûs, quo se Pater ante omnem voluntatis actum cognoscit & comprehendit, genitus est. Quia verò naturalis filii generatio non est libera nec voluntaria, sed necessaria, ideò quando Apostolus loquitur de generatione adoptiva, ita illam voluntatis circumstantiam ponderat & exaggerat dicens: *Voluntariè genuit nos*; discrimen ostendens & inæqualitatem exactâ mentis staterâ expendens, atque si diceret: Etsi Deus nullum præter unicum Filium naturalem generare potuerit, potuit tamen generare, & re ipsâ generat filios adoptivos. Et suppositio, quod illi eadem attributa & eandem æqualitatem non obtineant, habent tamen quandam circum-

Jac. 1. v. 18.

cumstantiam, quâ hæc inæqualitas plurimùm adæquatur, si enim adoptivæ generationi desit esse naturale, illa tamen superabundat in esse voluntario. Et hæc voluntarii circumstantia tanti ponderis, momenti ac pretii est, ut voluntarium secundæ primæ generationis ferè suppleat excessum. In prima generatione Pater totum esse Divinum tribuit Filio, sed absque ullo voluntatis concursu; in secunda verò idem Pater solam istius esse participationem filiis adoptivis largitur; sed voluntariè: *Voluntariè genuit nos.* Nolo his diutius immorari, atque ea, quæ dixi de Patre, applicare & Matri, sed ulteriùs progredior.

Quærunt Theologi: an Christus sit Filius Dei naturalis, an adoptivus? In quantum Deus & Verbum est, dubium esse nullum potest, quin sit Filius naturalis. In quantum autem homo est, Scotus & plures affirmant esse Filium adoptivum; sed communior ac magis recepta, & secundùm Doctorem Angelicum certior sententia est, quod etiam ut homo sit Filius Dei naturalis. Hinc sequitur Christum dupliciter, ac duplici ratione esse Filium Dei naturalem; semel nempe per generationem æternam, ac semel per temporalem. Sed quare Deus voluit, ut Unigenitus Filius naturalis ipsius veluti bis esset hujusmodi Filius, & quasi suo animo factum satis non esset, quod semel ipsum genuisset, voluit illum in alteram quoque vicem generare? Quia videlicet etsi in prima generatione satisfactum esset naturæ, nondum tamen satis esse factum videtur amori, cui etiam ut fieret satis, non solùm voluit, ut naturâ ipsius esset Filius, sed simul & naturâ & electione; unâ quidem ratione filius naturalis cum omnibus proprietatibus filio naturali competentibus, ac rursus aliâ ratione filius etiam quidem naturalis, sed cum aliqua adoptivi proprietate. In prima Filii Dei generatione voluntas, uti vidimus, partes nullas habuit, quia fuit generatio necessaria, non verò libera. Quare ut voluntas & amor ad generationem Filii Dei quoque concurrerent, iterum filius generatur, ut sicuti per naturam filius est naturalis, ita etiam per electionem talis existat.

Fuit hæc sancti Hippolyti cogitatio sublimissima, cujus verba, etsi intellectu difficillima sint, quia amplius quid illis exprimere videtur; hoc tamen ipsum, quod diximus, & aliud nihil illis significat: *Qualem igitur Filium suum Deus per carnem misit, nisi Verbum, quod à principio scilicet Filium vocavit quia futurum erat, ut ortum caperet. Et cùm Filius vocatur, commune nomen amoris erga homines sumit; nec enim Verbum per se & sine carne perfectus Filius erat, cùm tamen perfectum esset Verbum Unigenitus;* S. Hipp. id est: antequam Unigenitus Dei Filius humanam assumeret naturam & ab æterno, quod attinet ad perfectionem & integritatem infinitam naturæ perfectus fuit Filius; sed quod spectat ad satisfactionem & nomen amoris, deerat ipsi concursus voluntatis, quia necessariò, non verò liberè & per electionem naturâ genitus erat, ideòque ab ipsâmet æternitate aliam in tempore futuram decrevit, vel quasi adoptavit generationem, ut suppleret & quâdam ratione perficeret in secunda, quod absque tamen ulla imperfectione (cùm ubique summa perfectio reluceret) non potuit obtinere in prima. In prima Verbum fœcundissimæ

Patris

Patris naturæ fuit Filius, sed absque affectu, uti S. Gregor. Nazianz. affirmat,
S. Greg. Nazian. ubi ait: *Pater genuit Filium sine affectu.* In secunda verò affectus unitus est naturæ, & Pater, cui sati non erat diligere Filium, postquam illum genuisset, voluit denuò diligendo generare, atque idcircò quia diligebat, generavit, ut quemadmodum prius Paternè vocabatur Filius intellectus, ità etiam Filius dilectionis
Col. 3. v. 13. ipsius vocaretur: *Filium dilectionis suæ,* inquit Apostol. Hæ sunt vestræ prærogativæ, Partheniæ Carmeli Matris Filii, videtur enim Mater cum Patre, uti Rebecca cum Jacob, competiisse hîc in dilectione filii primogeniti, illa in amore secundo genitorum. Vos estis Sacratissimæ V. Mariæ filii; sed quales filii? Filii mentis, voluntatis, judicii & dilectionis. Ipsius judicium vos cæteris prætulit; amor ipsius vos elegit; judicium vos concepit, amor verò genuit. Non estis equidem Virginei Mariæ uteri filii; hoc enim privilegium soli Dei & Virginis Filio debetur. *Beatus venter, qui te portavit*; sed ex quodam jure prærogativo, quod non minus, sed aliquo modo sublimius videri cuipiam posset, estis viscerum animæ ipsius Filii, in anima illius concepti, in mente geniti, & ex mente prognati. Quis ista præcisè considerans negabit, hunc generationis modum longè esse nobiliorem atque excellentiorem, concipi nimirum & generari in anima, quàm concipi & generari in corpore? Certè ipse Christus in hocce negotio comparationem instituit, & quæstionem, sive difficultatem hac ratione resolvit ac decidit. Marcella beatum proclamabat sacratissimum Beatissimæ Virginis uterum sive ventrem, quia conceperat & genuerat Christum: *Beatus venter, qui te portavit.* At Magister divinus respondit: *Quinimò beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Quasi diceret: imò beatiores dico illos, qui concipiunt & pariunt in corde vel in anima, sive aliàs mea Mater sit, sive alia. Iste est genuinus istorum verborum sensus, uti S. Augustinus, cæterique sacri Interpretes exponunt. Duobus ergo modis sacra Virgo Maria Christum concepit & genuit; concepit in utero & concepit in corde, genuit in corpore & genuit in mente. Et iste concipiendi ac generandi modus fuit multò nobilior & præstantior priori. *Felicius Christum mente, quàm ventre gestavit*; de ipsa Deipara ait S. Augustinus: Nunc ipso Christo cum bona illius venia tantisper relicto, de secundo genitis Matris ipsius etiam comparativè ad encomium istud Evangelicum: *Beatus venter*, dicamus, *quinimò beati.* Quia cùm Christus & Carmelitæ sint ejusdem cœli Reginæ filii; Christus in hac consideratione est Filius naturalis, & Carmelitæ adoptivi; Christus in utero Mariæ conceptus, Carmelitæ in corde; Christus in corpore, Carmelitæ autem in anima, quia judicii illius & amoris sunt filii. D. Aug.

§. V.

MUltum dixisse videri possem nonnemini, nisi Privilegii istius generalitas pretii singularitatem & peculiarem tolleret existimationem. Video enim & audio quosdam doctiores, atque eos inprimis, quorum interest, dicentes esse adoptivum V. Mariæ Filium non esse singularem unius istius Religionis prærogativam, sed multis aliis Congregationibus & Communitatibus, etiam à Sacra

Sede Apostolica probatis communem, quæ sub eodem nomine & vexillo merent ac militant, & speciali quoque cultu venerationis Deiparæ Virgini sunt addictæ. Atque isti primarii ac potiores sunt æmulatores atque oppositores: secundarii verò sunt omnes, quotquot singulari sunt in eandem cœli Reginam pietate, quique speciali affectu, atque obsequio ei se consecrârunt; nemo enim illam in Matrem assumpsit, quin illa ipsum vicissim in filium acceptârit. Quando Christus è cruce pendens dixit S. Joanni: *Ecce Mater tua*; mox idem ipse qui vidit, & testimonium perhibuit Evangelista, subjungit; *Et ex illa hora accepit eam Discipulus in sua*, vel, ut alii legunt, *in suam*. Ubi studiosiùs observandum est, quod de seipso sanctus ille Evangeliographus ait, quod Mariam in Matrem acceperit; at ex parte Mariæ non dicit, quod illa ipsum acceperit in Filium. Cur verò cùm dicit eam à se receptam, non ait etiam ab illa se fuisse acceptum & ipsum? Utique disertis id verbis asserere supervacaneum videri potuisset; quamprimum enim Matrem V. in Matrem nostram nos accipimus, mox ipsa omni seposità morâ in filios nos quoque suos assumit. *Expressit, quod magis dubium esse poterat: tacuit, quod minus erat dubium:* in dictum Evang. locum ait Salmeron. Dubium enim, an illam in Matrem accipiamus ex parte nostra se tenet, quin verò ipsa benignissima Domina in filios nos suos lubens volens accipiat, dubium esse nullum potest. O quanto peccatoribus id solatio est! sed plures sunt nobis, qui obsistant, omnes nimirum cujusvis conditionis fideles, omnes enim Christiani Christi Matris sunt filii. Ita affirmant D. Aug. Origenes, S. Anselmus, Rupert. atque alii ex Patribus non pauci. Ratio est, quia per fidei unionem, perque Baptismi regenerationem cuncti fideles sunt membra Christi, qui est corporis hujus mystici caput, adeoque Mater Christi omnium istorum membrorum Mater est. *Ipsa unica V. Mater, quæ se Patris unicum genuisse gloriatur, eundem unicum suum in omnibus membris ejus amplectitur, omniumque, in quibus Christum suum formatum vel formari cognoscit, matrem se vocari non confunditur,* ait Guerr. Abbas. Gilbertus verò, similiter Abbas, paucioribus ac magis energicis verbis sic inquit: *Mater Christi mater est membrorum Christi, unde etiam ab omnibus Mater appellatur, & ab omnibus cultu debito, ut Mater honoratur.* Si ergo omnes Christiani, si omnes Virginis ter sanctæ cultui devoti, si omnes qui speciali vitæ instituto ejus se se mancipârunt obsequio, & sub ejusdem sanctissimæ Dei Matris Mariæ nomine & patrocinio Christo militant & inserviunt, hujus serenissimæ Reginæ filii vocentur, quænam est ista Carmelitanæ Religionis prærogativa, quam tantis hucusque encomiis celebravimus? Etenim ipsi soli, aliis exclusis, Deiparæ Virginis filii si essent, quædam illa eximia dignitas foret atque eminentia; sed hæc eadem gratia multis communis cùm sit, adeòne illa magna, adeòne excellens, adeòne censenda est gloriosa? Imò verò: at enim nihil continere singulare videtur: ex hoc ipso capite singularissimam ego esse decerno. Est enim prærogativa hæc omninò singularis, quæ similem non habet, quod ipsi sublimissimæ hujus Dominæ filii specialiter nominentur, quæ tot tamque illustribus fœcunda est liberis. Quod in Evangelica historia in majorem me rapiat admirationem nihil est, quàm

Joan. 19. v. 27

Guerr.

Gilbert.

ubi

ubi amabilem illam pompam, stylumque intueor singularem, quo S. Joannes suppresso nomine proprio, quo tamen reliquos indigitare Apostolos solet, ubi de se loquitur, semper dilectum sese Discipulum nominat: *Discipulus, quem diligebat JESUS.* Quid ais divina aquila? Ergone S. Petrus, S. Andreas, cæterique Apostoli omnes non sunt Discipuli JESU? Sunt utique, & ante te in Discipulos assumpti. Nunquid Petrus & Andreas sunt dilecti? qui nimò priùs te electi, prius te vocati. Cum ergo cæteri Apostoli æquè sint Discipuli, & Discipuli dilecti, quænam illa exceptio aut prærogativa est, de qua ita gloriaris? Amplior & singularior est, dari quæ possit. Si alii non darentur Discipuli, & Discipuli à Christo dilecti, tam eximia non esset hæc excellentia: sed cum tot sint Discipuli totque dilecti, specialissima hæc Joannis gloria est, quod sit Discipulus Christo dilectus. Singularitas non consistit in unitate, neque sublimitas in magnitudine; sed in eo, quod quis inter multos sit solus, & inter magnos magnus, in hoc consistit singularitas. Idem de Mariæ filiis pronuntio. Verùm, ut id percipiamus apertiùs, ipse S. Joannes declarator accedat. Ultima conditi à Christo agonizante Testamenti clausula fuit, quod Matrem suam Joanni & Joannem Matri, ipsam in matrem, hunc in filium destinârit & commendârit: *Ecce Filius tuus, ecce Mater tua.* Quæro jam: an per hanc clausulam cæteri Apostoli fuerint exclusi? Nullo modo; sic enim ipsemet testator Christus post suam resurrectionem, quando tres Marias ad Apostolos legavit, declaravit dicens: *Ite, nuntiate fratribus meis.* Si ergò post denominationem ac designationem Joannis in filium Mariæ, cæteri Apostoli æquè fuêre fratres Christi, adeoque & Mariæ matris ipsius Filii, quid Christus plus contulit Joanni? Et si pro Joanne speciale fuit privilegium, quare illud ad cæteros extendit? Ut magis ipsi soli proprium esset, & singularitas sublimior redderetur; societatem ei attribuit, ut singularem efficeret, attribuit comparationem, incomparabilem ipsum ut constitueret. Alii quidem Apostoli sunt Fratres Christi, adeòque & Filii Mariæ; sed Joannes ex omnibus istis filiis est filius. *Ecce filius tuus.* Et sicut Joannes respectivè ad Christum inter Discipulos est Discipulus, & inter dilectos dilectus; sic ad V. Mariam quod attinet inter filios est filius. Cæteris Christus nomen contulit, Joanni antonomasiam. Cæteris filiationem concessit, Joanni filii tribuit specialitatem. *Ecce filius tuus, ecce Mater tua.* Jam nunc indubiè me percepistis, & quàm proprium ac peculiare sit sacræ huic Religioni Carmelitanæ singulare filiorum Mariæ privilegium, intellexistis. Cum cæteris sunt filii, sed non ut cæteri; speciali enim electione, speciali amore, speciali nomine, speciali prærogativâ; speciali denique filiatione ex omnibus Mariæ filiis Filii sunt hujus Sacræ Religionis alumni. In tres particulares Hierarchias cœli Reginæ filios distribuimus, quarum quælibet aliam antecellit. In prima & infima omnes annumerantur fideles. In secunda & media, omnes eidem Virgini quodam pietatis affectu singulari addicti. In tertia verò & suprema omnes, qui speciali Religionis Instituto ejus obsequio mancipati & conscerati sunt, comprehenduntur. Sed ex omnibus his Hierarchiis verè Angelicis specialiter electa, & Angelorum Reginæ dilecta est Carmelitana

Joan. 21. v. 20.

Joan. 19. v. 27.

Matth. 28. v. 10.

tana ipsius Familia. Ipsemet Christus istius gratiæ (sicut omnium aliarum) Author id nobis apertè testabitur & confirmabit: Salomonis enim oraculo & figurâ Cant. sexto sic dicit: *Sexaginta sunt Reginæ & octoginta Concubinæ, & adolescentularum non est numerus: una est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa Genitrici suæ.* Omnes Patres & Expositores consentiunt, quod in his tribus hujus divisionis differentiis, Reginarum scilicet, Concubinarum & Adolescentularum: tres comprehendantur animarum status sive ordines, qui in majori vel minori perfectionis & unionis cum Christo gradu, omnes sunt ipsius sponsæ & Matris ipsius filiæ. In hoc etiam optimè discriminatas atque expressas tres à nobis jam propositas filiorum Virginis adoptivorum habemus hierarchias. Id verò, quod magis extollit Salomon, seu Spiritus S. est, quod inter istas hierarchias & ordines, & super omnes illas detur una, quæ est unica singulariter electa Matri suæ. *Una est Matri suæ, electa Genitrici suæ.* Sed quænam est hæc unica & singulariter electa? Ponderata verba, & videbitis, quod sit Religio Carmelitana: *Una est Matri suæ, electa Genitrici suæ.* Non dicit solummodò, quod sit unica & electa *Matri suæ*, sed magis signanter & appositè dicit, *Matri suæ*, quæ ipsam genuit: *Genitrici suæ*; distinguens in ipsa maternitate duo diversa nomina, & duplicem maternitatis modum ostendens. Sacratissima Virgo omnium cæterorum Ordinum Mater est; sed Carmelitani Ordinis & Mater & Genetrix, quia illum genuit & produxit, uti jam diximus. Ipsa produxit Ordinem de Monte Carmelo, & quia producendi & istos filios generandi modus fuit speciali electio, quam de ipsis fecit, hanc electionem mox declarans statim subjungit: *Electa Genitrici suæ.* Cæterorum Mater est, quia ipsi propria devotione moti illam elegerunt: Carmelitarum autem Mater est & Genitrix, quia Sacratissima Virgo illos elegit: *Electa Genitrici suæ.* Propterea ex tot filiis unici sunt filii; & ex tot instituris unica est Religio: *Una est Matri suæ, electa Genitrici suæ.*

Cant. 6. v. 7. 8.

Hæc mundi Domina in electione Carmelitani Ordinis, & hæc glorioſissima Mater in horum filiorum suorum electione habuit se sicuti Deus in electione Matris suæ se habuit. Ut Deus Virginem Mariam in Matrem eligeret, tres inprimis instituit electiones, easque melioris portionis earum in mundo reperiri quæ possent. Ex omnibus Populis elegit & selegit unum, qui fuit Populus Hebraisus in Abraham. Ex omnibus Tribubus populi istius, statim elegit unam, quæ fuit Juda. Ex omnibus familiis istius Tribus elegit & segregavit unam, quæ fuit Davidis. Denique ex ista familia dignioremelegit personam, quæ fuit B. Virgo Maria: *Ad Virginem desponsatam Viro de domo David.* Idem Deipara Virgo in istorum fecit electione filiorum, ut ex omnibus suis filiis ipsi unici essent, & electorum præelecti: *Una est Matri suæ, electa Genitrici suæ.* Ex omnibus enim Populis & Gentibus Orbis universi elegit Christianos, qui sunt ipsius filii per fidem: ex omnibus Christianis omnes sibi devotos elegit, qui sunt filii per affectum: ex omnibus sibi devotis sacras elegit Congregationes, qui sunt filii illius per institutum, qui sub ipsius sacro nomine & patrocinio Ei inserviunt. Denique ex

Luc. 1. v. 27.

omni-

omnibus institutis, quæ fuerunt, sunt aut erunt, elegit Ordinem Montis Carmeli, ut hæc Religio esset unica electa inter omnes illius filios, & super omnes illos propria sua: *Una est Matri suæ, electa Genitrici suæ.* Aliud enim est respectivè ad eosdem Parentes esse filios, & aliud esse filios suos. Jacob plurimos, uti novimus, habuit filios, sed filius suus erat Joseph. Inter cæteros filios triplex reperiebatur distinctio: alii enim erant filii Balæ, alii Zelphæ, alii Liæ; sed Joseph, qui erat Rachaëlis primogenitus, erat filius suus. Hæc fuit inhumana allusio, quam invidi fratres tunicæ sanguine conspersæ exhibitione fecerunt, ubi dixerunt: *Vidi utrum* Gen. 37. v. 32. *tunica filii tui sit, an non?* Et hæc quoque fuit energia doloris, quo ipse Jacob agnitâ tunica ait: *Tunica filii mei est.* Heb. v. 33. Cæteri filii ipsum filium tuum appellârunt: *Filii tui*; Pater vocat ipsum filium meum: *Filii mei*; quia licet omnes essent filii Jacob, Joseph tamen erat filius suus. Et ad majorem rei istius, de qua tamen dubitare nemo potest, expressionem: *congregatis* (inquit sacer Textus) *omnibus liberis ejus, ut lenirent dolorem patris:* v. 35. ipse respondit: *descendam ad filium meum lugens in infernum.* Nolo, inquit, aliam habere consolationem præter mortem, ut vadam ad requirendum & videndum filium meum. Omnes ergò, quos habes hîc præsentes, non sunt filii tui? Ita, filii mei sunt, sed non sunt filius meus. Cæteri quoque erant filii, & hoc non inficiabatur Jacob, sed filius suus erat Joseph. Multum inter se differunt, esse filios ipsius, & esse filium suum. Hæc est differentia, quæ in electione purissimæ Virginis Mariæ, ut cùm tantus sit numerus filiorum ipsius, omnesque dilecti, unus ab aliis plurimùm discriminetur. Cæteri sunt Filii Virginis, sed Carmelitæ sunt filii sui: *Una est Matri suæ, electa Genetrici suæ.*

§. VI.

ABsque eo, quod ab historiæ Josephi contextu recedamus, ego authenticum instrumentum, regulamque firmissimam istius differentiæ producam. Dicit Sacer Textus, quod *Israël diligebat* Gen. 37. v. 3. *Joseph super omnes filios suos.* Hunc verò excessum & diversam ac differentem parentis dilectionem cæteros Josephi fratres minimè omnium latuisse ipsa sacra historia fidem facit, ubi ait: *Videntes au-* v. 4. *tem fratres ejus, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur.* Amor affectio est, quæ aspectum non minus fugit, quàm anima, in qua nascitur, & in qua vivit. Si verò non videtur amor, quomodo ergo cæteri filii Jacob amorem illius adeò manifestè videbant, ut absque ulla jam ambiguitate cognoscerent Josephum parenti præ cunctis in amoribus esse? *Videntes quod à* Gen. cap. cit. *patre plus cunctis fratribus amaretur.* Per effectus id coloris agnoverunt: *Fecit ei*, ait sacer textus, *tunicam polymitam.* Fecit nimirum Jacob Josepho tunicam ex variis coloribus contextam, & cæterorum tunicis præstantiorem, & hoc fuit evidentissimum signum, quod ipsius amoris differentiæ notitiam ipsis indidit. Videre jam vultis, qua ratione Carmelitæ sint Beatissimæ Virginis Mariæ Josephi? Intuemini Scapulare, quod ipsa in manibus tenet, quodque ipsa Cœlorum Regina eis tradidit, cum pro ipsis solis contexuisset: *Fecit ei tunicam polymitam.* Polymita interpretatur ex variegatis coloribus. Duæ hæ fasciæ è cœlesti vestiario depromptæ, quibus Virgo Sacratissima album Eliæ vestimentum variis coloribus inter-

texuit, sunt characteres ac signa, sub sensum cadentia, quibus, quod ipsi præ cæteris omnibus sint filii sui, apertè comprobatur. Non me latet Josephum fratribus ob vestis singularitatem duntaxat non fuisse invisum. Plurimi fuêre, qui linguâ & calomo hanc gloriam impugnare atque obfuscare, Carmelitásque eâ, haud secus atque invidi fratres Josephum tunicâ exuerunt, spoliare sunt conniſi. At modò æmuli isti latrare amplius non queunt; quia sancta Mater Ecclesia Summorum Pontificum Diplomatibus eis ora obturavit. Veritatem enim hanc declarârunt & confirmârunt Alexander V. Clemens VII. Paulus V. Gregorius XIII. & alii, ac præ reliquis & antè illos Joannes XXII. cui sacratissima Virgo apparuit, ac fore revelavit, ad supremum Ecclesiæ Solium ut ipse sublimaretur, cui tamen revelationi hanc conditionem ac legem adjecit, ut ipse sacri sui Scapularis certitudinem firmaret & roboraret Privilegia, quod Scapulare ipsemet Pontifex *Habitus sancti Signum* appellat. Voluit nimirùm purissima Virgo, postquam sacrum hocce pignus Carmelitis impertiit, illud rursus, instar Jacobi, velut suum agnoscere: *Hæc est tunica filii mei.* Hoc est filiorum meorum vestimentum. Quid igitur invidos reperiri miramini? Sinite illos, maximis enim impelluntur rationibus. Bene natas non adeò improbo invidias, etiam inter ejusdem parentis filios. Invidebat Cainus justo Abeli: Et cur ipsum invidiâ non fuisset persecutus? Invidebat enim ipsi, quod Deo esset acceptior, adeoque veluti cæteri rationem invidendi nullam habent, qui res alias invident, ita ille per magnam habuisse videtur. Sanè si quid aliud, sola Dei, & post illam (semper enim conjunctim incedunt) Deiparæ Virginis gratia ad invidiam quempiam exstimulare debere videtur. Cur natu minorem fratrem invidiâ non prosequeretur primogenitus, cùm videret eum primâ vestiri stolâ: *Citò proferte stolam primam?* Si ergò hæc prima Dei Matris sit stola, cur filii isti invidiæ non essent expositi? Ipsi enim, respectu Christi, sunt filii natu minores, & ipsorum stola, respectu cæterorum filiorum, est prima. Vestivit Primogenitum naturalem, vestivit & primogenitos adoptivos, adeoque unum velut alios insignivit, & colorum varietate distinxit. Dum ex purissima Virgine quæreretur: *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* Ipsa respondit: *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Dilectissimum suum præ omnibus ex rubro albicante (incarnati nomine alia idiomata exprimunt) humanitatis colore super Divinitatis candorem convestivit, filios autem super omnes dilectos pullo super Eliæ candorem colore cooperuit.

Luc. 15. v. 22.

Cant. 5. v. 9.

Tertiò, lib. Reg. cap. 19. refertur, quòd Elias imposuerit pallium super Elisæum, quo pacto, uti percelebres istius loci Expositores affirmant, eum suæ Religionis habitu donavit, atque in illam ipsum cooptavit; veluti etiam comprobatur ex eo, quod statim Elisæus, facta omnium renunciatione bonorum suorum, relictâque paternâ domo, etiam secutus est & obedivit ei. Deindè, post aliquod tempus, uti lib. 4 Reg. cap. 11. habetur, Elias ab Elisæo digressurus, illi ait: Ut peteret, quidquid vellet; hic verò postulavit, ut ipsius spiritus in se duplicaretur: *Obsecro, ut fiat in me duplex spiritus tuus.* Cui respondit Elias: Rem esse perdifficilem,

3 Reg. 19. v. 19.

4 Reg. 2. v. 9.

cilem,

ciſem, quam poſtulâſſet, fore tamen ipſum, dum ab eo tolleretur, intueri, ſi poſſet, id quod petierat, ut obtineret:
10b.v.10. *Si videris me, quando tollar à te.* Tunc igneus apparuit currus, quo Elias ſubve-
12b.v.12. ctus, per aëra volitat; Eliſæus verò *ſcidit veſtimenta ſua*; atque illicò levavit, tulitque pallium Eliæ, quod eo in aërem ſublato
12b.v.12. deciderat: *Levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Innumera propemodum ſunt, in hoc percelebri eventu obſervari atque expendi quæ poſſent. Imprimis immoderatum, imò temerarium fuiſſe videtur deſiderium iſtud, quo Eliſæus poſtulat ſpiritum Eliæ duplicatum, idque vel maximè, quòd ille ipſum ſpiritum ſuum (quando minùs eum quem ipſe non habebat) dare non poſſet. Quòd ſi ſpiritum igitur illum daturus erat Deus, quid referebat, utrùm Eliſæus raptum Eliam videret nec ne? Quòd ſi Eliſæus Eliæ jam habitum geſtabat, cur in alteram ei vicem hic imponitur? Et ſi illum ei dare volebat Elias, cur non dabat, in terris cum ipſo etiamnum cùm ageret? Denique, cur Eliſæus ſua ſcindit veſtimenta, & utraque retinet, nempè iſtud à ſe diſcerptum, & aliud è Cælo delapſum & integrum?

Omnia iſta unica Prophetica figura erant eorum, quæ poſtmodùm Carmelitanæ Religioni, in Eliſæo, tanquam capite, tunc repræſentatæ erant obventura. Poſtulavit Eliſæus futurorum præſcius, ut fieret in eo duplex ſpiritus, quia ſpiritus ille, quem in lege ſcripra receperat, in lege gratiæ duplicandus erat ac perficiendus, non tamen conciliatore ipſo Elia. Id ex ipſo Sacro Contextu ſatis apertè evincitur; poſtquàm enim Elias primâ vice pallium ſuum Eliſæo impoſuiſſet, ei ait: Feciſſe jam ſe, quod ad ipſum ſpectaret: *Quod enim meum erat, feci tibi.* 3 Reg. 19.v.20. Non igitur erat Elias, qui ſecundùm ei daturus erat veſtimentum, neque qui in eo duplicaturus erat ſpiritum; & ideò Eliſæus non dixit: *Da mihi*; ſed: *Fiat in me.* Elias autem, ubi ad petitionem illius reſpondit, non dixit: *Dabo tibi*; ſed: *Erit tibi.* In hacce figura propheticè adumbratum myſterium iſtud erat, quòd Eliæ poſteri ac ſucceſſores aliud accepturi eſſent veſtimentum, & cum ipſo duplici quoque ſpiritu donandi, utì factum fuit ſacro recepto Scapulari. Quamobrem cum veſtis Eliana altera vice donaretur Eliſæo, non fuit ea tradita in terra, ſed è Cœlo delapſa. Atque idcircò etiam Elias futurum adpromiſit, quod petebat Eliſæus, at non niſi ſub iſta conditione, ſi ipſum raptum conſpicaretur; quia ſi Carmelitæ, in eodem inſtituto, Eliam præ oculis ſemper habentes, non perſeverâſſent, hanc gratiam à Deipara Virg. promeriti non fuiſſent, nec ipſa puriſſima Virgo illos in Carmelo morantes adeò frequenter, utì fecit, viſitâſſet, neque ipſi in eodem monte, etiam antè illius ſuæ Matris in Cœlos aſſumptionem, primam ei ſacram ædem erexiſſent, veluti reverà erexerunt. Ideò Eliſæus, quod ſtuporem conciliare cui poſſet, veſtimentum, quod ab Elia primum receperat, ſcidit; illud verò, quod è Cœlo dimiſſum ei fuerat, levavit atque ſuſcepit: ſic enim Carmelitæ pervetuſtam Eliæ veſtem ſcindentes, ex illa pallium ſibi album concinnârunt; ac recepto altero, ſacro pullóque Scapulari, ejusdemque coloris tunicâ fuêre perfectè veſtiti, atque, ut ſacratiſſimi Deiparæ Virginis filii, inſigniti.

Idem omninò celſiſſima mundi Domina egiſſe videtur cum Elia, quod Jacob

cum socero suo Labano. Convenerat Laban cum Jacob, quod omnes agnelli, qui varii & diversi coloris nascerentur, spectarent ad Jacob, qui verò nascerentur albi ipsius essent Labani. Quare hic ei oves commisit omnes albas, ut eâ ratione agnelli quoque omnes procrearentur albi; & appositis à Jacob quibusdam ob ovium conspectum virgis, discolores prognati sunt agnelli? *Factum est, ut parerent maculosa, & diverso colore respersa.* Idem penè in Monte Carmelo evenit, quamdiu enim Carmelitana Religio solum Eliam præ oculis habuit: *(si videris me, quando tollar à te)* ipsius agnelli Eliani habitus colore erant candidi, quali veste amictum ipsum Eliam vidit parens, cùm mater illum enixeretur, uti refert S. Epiphanius: sed illo variato ac mutato propositâque virgâ de radice Jesse, quæ est Sacratissima Virgo Maria cum Scapulari fusco, omnes agnelli postmodum lanea veste diverso colore respersâ amicti prodierunt, ac propterea Matris suæ charactere maternoque signo insigniti ab omnibus filiis aliis, tanquam speciales ac proprii filii sui, sunt discriminati ac discreti.

Gen. 30. v. 39.

§. VII.

GLoriosæ hujus singularitatis ac differentiæ filiorum evidentiam satis jam superque commonstrasse nobis videmur: solùm igitur, ut illius rationem ac fundamenta, quæ gloriæ minoris non erunt, exhibeamus, supereſt. Cùm enim filiatio adoptiva non fundetur in casu aut naturæ fortuna, sed in judicii & voluntatis electione, necessariò meritum supponit; & quò sublimius est judicium, vegetiorque voluntas, eò majora merita præsupponit. Quanta ergo & quanta sint merita oportet, quorum singularitate ac magnitudine Carmelitanæ Religionis filii, cæteris omnibus in Deiparæ Virginis electione præferri ac præponi meruerunt? Fateor in argumento adeò gravi, in quo omnes sacræ Religiones tantos, tamque illustres meritorum, devotionis & obsequii titulos, totque ac tam singularia huic Virgini sacratissimæ exhibita obsequia recensere possunt, adeò me hæsisse ancipitem, ut quàm diutissimè resolvere me ad aliquid peculiare dicendum non potuerim, donec ipsomet, Evangelio duce, per viam adeò præter ordinariam, uti modò videbitis, veram singularitatis illius, meâ quidem sententiâ, deprehendi rationem.

Dico igitur, Carmelitas cæteris fuisse præpositos ob maximam, quam hæc sacra Religio à suis antiquissimis principiis habuit cum Christo similitudinem. Et quidem rationi, quàm maximè consentaneum erat, ut illi in adoptivorum electione filiorum cæteris anteponerentur, qui filio naturali similiores conformioresque esse dignoscerentur. Virgo sanè Deipara in hoc suæ electionis decreto ipsimet electionum ac decretorum ideis dirigebatur Divinorum. Quâ, quæso, ratione Deus adoptivos filios ab æterno selegit ac decrevit? Hoc Divinus Apostolus in capite octavo Epistolæ ad Romanos nobis exposuit, ubi ait: *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus*; id est: quos Deus prædestinavit, ut essent adoptivi ipsius Filii, illos etiam ante destinavit, ut filio naturali similes & conformes evaderent,

Rom. 8. v. 29.

ut

ut filius naturalis esset primogenitus, ipsi verò natu minores, atque ita quidem, ut sicuti omnes ejusdem parentis liberi sunt fratres, adeoque convenit, ut sibi invicem haud adsimiles sint, sed conformes, & sicut Christus veluti est filiorum primogenitus, ita etiam est omnium exemplar, forma & norma virtutum; ità adoptivi, qui sunt minores natu, ipsi sint similes necesse est, ab ipso ut effingantur, atque cum eo conformentur, quia aliàs essent quidem fratres, sed invicem sibi dissimiles. Hæc est decretorum Dei in suis electionibus forma. Tali quoque Virgo Maria in hac sua electione usa methodo fuit, hoc unico excepto discrimine, quòd Deus illos, quos in filios adoptare constituit, illos filio suo similes efficiat, cœli verò Regina, quos jam similes invenit, in filios adoptat. Similitudinem præbuit Elias, & purissima Virgo adoptionem, sed adoptionem in similitudine fundatam: *Conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

Quanta jam Carmelitarum à suo exordio cum Christo, id est, primogenitorum Deiparæ Virginis adoptivorum cum primogenito naturali fuerit similitudo; non minus disertè testatus est Salomon, quàm si Carmelitas proprio nomine designâsset. Cœlestis videlicet Sponsus Canticorum capite septimo Sponsam describit, ac nativis nobis veluti coloribus adumbrat, unamquamque illius sigillatim in membris delineando perfectionem: *Caput*, inquiens, *tuum* Cant. 7. v. 5. *ut Carmelus.* Non miror sponsæ caput à virorum sapientissimo comparari monti, quia comparationes illius non minus sunt, quàm ipsius sapientia, exquisitæ ac singulares. Sed cur potiùs monti Carmelo quàm alteri? Videamus prius, quodnam & cujus caput quod comparatur, & statim comparationis proprietatem explorabimus. Sponsa, de quia in Canticis agitur, Ecclesia est, Caput istius sponsæ, est Christus, *quem Deus dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius*, inquit Apostolus. Volens ergo Salomon Christum cum aliqua re terrena comparare, nihil adeò ipsi simile reperit ac Montem Carmelum, qui à Carmelitis incolebatur. Sic Justus Orgelitanus: *in Carmelo Monte*, inquit, *sanctus Elias & Elisæus sæpe receptaculum habuerunt: quapropter in Capite Ecclesiæ Domino nostro JESU Christo, quo sublimius nihil est, Justi habitaculum recipiunt.* Plurimi viri sancti & justi alios tam Israëlis, quàm extra Israëlem, montes percelebres reddiderunt: sed Salomon Christum nec monti Sinai ob Moysis legem insigni, nec monti Moria Abrahami sacrificio consecrato, nec monti Oliveti Davidis lacrymis irrigato, nec monti Libani à Josua & Ezechia frequentato assimilat, sed solummodò ac singulariter monti Carmelo, quia nobilissimum erat solum vitæ & instituti ipsorum sanctitate consecratum, neque temporibus istis fuit vita aut aliud institutum ita Christo persimile; quod, ut perspiciamus apertius, videamus, cui homines Christum, postquam apparuisset in mundo comparârint ac similem esse dixerint. Christus ipse aliquando suos ita interrogavit Apostolos: *Quem dicunt homines esse Filium Hominis?* Atque si diceret, qualis in vulgo de illo viget opinio, & quemnam esse illum existimant? At illi responderunt:

Ephes. 1. v. 22. & 23.

Justus Orgel.

Matth. 16. v. 13.

v. 14. *Alii Joannem Baptistam, alii Eliam, alii verò Jeremiam aut unum ex Prophetis.* Magni licet sint homines illius ætatis, in qua nati sunt æmuli, citius tamen credunt, ex illis, qui insignes jam decesserunt, Heroibus aliquos posse resuscitari quàm similes illis denuò enasci: Usque adeò viventium præsentiumque proprium vitium invidia est. Quamobrem ipse etiam Deus, postquam nascendi semet necessitati subjecit, ab hac temporis injuria nequaquam fuit immunis. Verùm posito quod eum homines judicarent & asserererent esse unum ex antiquis, Regibus potius quàm Prophetis ipsum comparare debuisse mihi videntur, quia Messias tanquam Rex futurus exspectabatur, & Christus, ut Rex proclamatus atque adoratus fuit à Magis, qui quidem titulus tanto constitit Innocentium cruore; quin & turbæ ipsæ Regem illum proclamare voluerunt in deserto, ac reapsè denique Hierosolymis publico Regis cum triumpho & applausu receptus fuit, ubi clamabant: Joan. 12 v. 13. & Matth. 21 v. 21. *Benedictus, qui venit in nomine Domini, Rex Israël!* Veruntamen tanta erat similitudo, quam Christus habebat cum Carmelitis, & Carmelitæ cum Christo, ut nemini Carmelita non videretur. Elias erat Carmelita, & primus parens ac fundator Carmelitarum, uti ex tota sacra Scriptura constat: Joannes Baptista erat Carmelita, uti sanctus Gregorius Nazianzenus, sanctus Macharius & sanctus Antonius asseverant: Jeremias erat Carmelita, si non habitatione, saltem vitæ instituto, uti ex sancto Hieronymo de vitæ perfectione istius Prophetæ scribente colligitur. Ex cæteris quoque Prophetis plurimi erant Carmelitæ, ita ut Carmelitana Religio communiori appellatione *Cœtus Prophetarum* vocaretur. Et quia Carmelitæ jam à prima sua origine Christo adeò similes fuêre & conformes, ubi Sacratissima Virgo Deipara huic natutali suo Filio primogenito alios adoptivos, veluti, ut sic dicam, secundo genitos dare volebat, eosdem Carmelitas, utpote illi similiores & conformiores quasi eligere debebat: *Conformes imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.*

§. VIII.

VErùm hoc unum hic adverto, posse mihi validissimè objici, quod si similitudo cum Christo fuit hujus prærogativæ meritum, quamvis ultrò vetustis totum hoc concedamus Carmelitis, quod essentialiter ad veram pertinet Religionem, eamque constituit, dubium tamen esse nemini potest, quin legis gratiæ Religiones multò majorem perfectioremque cum Christo similitudinem habeant; vel igitur quælibet ex istis in hac filiatione præferri debuisset, vel certè similitudo ista illius non erit fundamentum aut meritum. Quantumvis verò ista ea ratione habere videantur, à proposita tamen me sententia dimoveri non sino: neque tamen hic uti volo scuto, quo istum aliosque haud absimiles ictus retundere facillimè possem, quod nempe leges & regulæ amoris non sint *stricti juris*. Licet enim amoris rationes quibusvis expositæ sint objectionibus, illis tamen contra veritatem & electionum ab illo factarum certitudinem omnino nihil evincitur, quin potius ob hanc ipsam illæ causam ipsi sunt propriæ, multòque ad illum fortiùs quàm parentes ad filios, referuntur. Rationem assignat Scriptura, cum Jacob majori prosequebatur amore Josephum

quàm

quàm cæteros filios, hancque fuisse ait:
Gen. 37. v. 3. *Et quod in senectute genuisset eum.* At obsistere videtur, quòd ratio ista magis faveret Benjamino, qui post Josephum natus fuit, eratque ultimus Jacobi Patriarchæ filius. Nihilo tamen minus conclusio erat certa, ratioque, quâ nitebatur, à veritate haudquaquam aliena, quam idcircò Sacer Textus, ut talem tuetur. Idem igitur & hîc possem reponere, si objectio & instantia subsisteret, ad minimè subsistit.

Cum Carmeli Religio mille annis ante alias, etiam vetustiores, suum sumpsisset initium, duplex habuit tempus, ac duplicem quasi ætatem, unam scilicet post, & aliam ante Christum. Post Christum æquè illa perfecta fuit atque alia quævis legis gratiæ Religio: ante Christum totam illam obtinebat perfectionem, quam tempus & status ille permittebant. Et hæc temporis circumstantia, quod nempe tamdiu ante Christi adventum habuisset initium, est quædam prærogativa, quæ illam unicam, singularem, & in eâdem similitudine, in qua ipsius fundatur præferentia, incomparabilem constituit. Cæteræ Religiones Christi imitatione illi similes extiterunt; Carmelitæ Christo fuerunt similes, antequam Christum, quem imitarentur, haberent in mundo. Et hoc similitudinis genus cæteras omnes incomparabiliter exuperat similitudines. De Job asserit ipse Deus, non habuisse
Job. 1. v. 8. sibi similem in terra: *Nunquid*, ait, *considerâsti servum meum Job, quod non sit ei similis in terra?* Et cur hoc? Sanctus Augustinus inquit: *Quis tantùm potuit promereri, cui tale testimonium Dominus perhiberet, nisi hic, qui non imitator inventur, sed Author eorum, quæ gessit:* Non habuit Job sibi similem in mundo, quia non fuit imitator sed author. Cæteri alium imitati sunt, & ipse non habuit, quem imitaretur, ipse fuit Prototypon, cæteri verò Ectypon, ipse Magister, cæteri Discipuli, ipse Præceptor, antequam mundi advenisset Magister. Mutate Job in Eliam, & S. Augustinus pro me respondet. Sed vestra mihi largiatur devotio, ut aliquid ex multis explicem atque exponam, quæ in hujus similitudinis differentia delitescunt. Dicit Christus: *Beati, qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud.* Luc. 11. v. 28. Sed quantò beatiores erunt, qui Verbum Dei non audiêrunt & tamen illud custodiunt? Hæc ergò præeminentia est, quâ Carmelitana Religio cæteras Ecclesiæ Religiones antecellit. Cæteræ Religiones audiverunt Verbum Dei & custodiverunt illud; Religio autem Carmelitana custodivit Verbum Dei antequam audiret illud. Cæteræ Religiones audiverunt Verbum Dei & custodiverunt illud, quia Christus priùs Evangelica consilia prædicavit, in quibus Religiosa perfectio consistit, & postmodum cæterarum Religionum Fundatores illa secuti & amplexati sunt, seseque sub hoc vitæ instituto Deo consecrârunt: sed Carmelitana Religio, & antiquissimi ac sanctissimi illius Fundatores, antequam Christus mundi contemptum prædicâsset, antequam paupertatem commendâsset, jam ipsi ex paupertatis voto pauperes erant; necdum castitatem & obedientiam prædicaverat, & jam ipsi ex voto casti & obedientes erant: denique necdum Christus Religiosum prædicaverat & consuluerat statum, & jam ipsi erant Religiosi. Sanctus Paulus dicit, neminem posse operari, nisi credat, neque credere nisi audiat, nec audire nisi prædicetur: veruntamen Religiosi

Car-

Carmelitæ hanc impossibilitatem gloriosè devincentes Evangelio ante illius promulgationem crediderunt, & necdum auditum illud adimpleverunt: Evangelici fuerunt, antequam daretur Evangelium, Apostolici, antequam essent Apostoli, Christiani, antequam Christus nasceretur. Non bene dixi: plus est esse Religiosum, quàm esse Christianum, & quando in Orbe universo nullus dabatur Christianus, jam omnes Carmelitæ erant Religiosi. Marcella extollens vocem dixit: *Beatus venter, qui te portavit.* Christus ad hanc vocem altius intonuit & dixit: *Quinimò Beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* At Religiosi Carmelitæ symphonicè sono altero & acutissimo ad Christi gloriam aliud *quinimò* addere & dicere possunt: *Quinimò Beati, qui non audiverunt & custodierunt*; quia ipsi Verbum Dei, etiam necdum auditum, servaverunt.

Regius Vates mirum, quid ac notatu dignissimum de Sanctis Angelis ait: Ps. 102. v. 20. *Qui faciunt verbum ejus ad audiendam vocem sermonum ejus.* Aut ergo rem hanc non percipio, aut verba sunt valde ambigua: videtur enim dici debuisse: Angeli audiunt verbum Dei ad faciendum illud, non verò Angeli faciunt verbum ejus ad audiendam vocem sermonum illius, quia prius audiendum est, quid Deus mandet, & postea illud executioni mandandum. Cur ergo dicit illos operari ad percipiendum, & non percipere ad operandum? Quia tanta est promptitudo & diligentia quâ Angeli Verbum Dei exequuntur, ut prius videantur illud exequi quàm audiant, in eodem temporis momento audiunt & exequuntur. Sic omninò intelligenda sunt verba ista, neque alium in cœlestibus Angelis sensum admittunt: sed non ita in Montis Carmeli Angelis, quia auditum Christi Verbum non modò verissimè opere compleverunt, sed & longè, hoc est octingentis annis ante Christi adventum (tot enim annis Elias Christum præcessit) compleverant. Octingentis ergo annis, priusquam Christi Verbum in terris audiretur, jam Evangelium in Carmelo servabatur: *Facientes Verbum ejus ad audiendam vocem sermonum ejus.* Necdum auditum erat Christi Verbum, & jam executioni traditum erat: adhuc verbum Christi carebat voce, & jam ei obediebatur: Verbum Christi necdum erat ore prolatum, & jam erat in opere. Una è potissimis sententiis à septem Græciæ Sapientibus prolatis ista erat: *Sequere Deum.* Abrahæ tamen spiritus & opera diu illam præcesserant, ut ipse jam plurimis annis ante illud adimpleverit, quod Sapientes nonnisi multo post tempore pronunciârunt. Unde Sanctus Ambrosius ait: *Pro magno inter septem Sapientum dicta celebratur (sequere Deum) fecit Abraham factoque Sapientum dicta prævenit.* S. Ambr. Si ergò prius illud exequi, quod Græciæ Sapientes postmodum faciendum proposuerunt, maxima sit Abrahæ gloria, qualis erit laus Carmelitarum, qui operibus suis æternæ Sapientiæ verba prævenerunt, illud, quod Christus docuit, priùs, quàm ipse id doceret, adimplentes; & Christi Discipuli existentes, priusquam essent ipsius Auditores: *Qui non audiverunt Verbum Dei & custodierunt illud.*

§. IX.

§. IX.

VErùm enimverò, ut similitudo hæc inter Filium Virginis naturalem & adoptivos mutua foret, non solùm ipsi fuêre imitatores Christi, sed & Christus (quoad ejus fieri potuit) illos imitatus est. Non solùm Carmelitæ fuerunt illi, qui facto id prævenerúnt, quod Dei Verbum necdum aununtiaverat, sed & Verbum Dei fuit, quod prædicavit & docuit id, quod Carmelitæ jam fecerant. Ipsi custodierunt, quod Christus necdum docuerat; & Christus docuit, quod ipsi jam observaverant: *Custodiunt illud.* Unus è difficilioribus sacri Evangelii locis satìs erit ad istam admirabilem excellentiam nullo negotio probandam: *Nolite*, inquit Christus, *putare, quoniam veni solvere legem aut Prophetas, non veni solvere, sed adimplere.* Certum est, Christum ad legem adveniſſe solvendam; venit enim, ut legi scriptæ legem substitueret Gratiæ. Si ergo Christus ad solvendam legem venit, quomodo dicit: *Non veni solvere, sed adimplere?* Id jam expono, aures benevolas ac faventes arrigite. Lex Moysis (non loquimur hîc de judiciali, huc enim illa non spectat) duas habuit partes, ceremonialem nempe & moralem. Christus ceremonialem abrogavit, uti luce dissipatur umbra, figura figurato, promissum solutione, & spes possessione destruitur: partem verò moralem Christus non abrogavit, sed duobus modis perfecit. Primus perfectionis modus fuit, quod abusus, quibus illam Pharisæi adulteraverant purefecit & abolevit. Secundus, quod consilia Evangelica addidit, non quidem ex necessitate præcepti servanda, sed ut ornamentum & ejusdem legis coronam, pro iis, qui eam liberè adipisci vellent. Quia verò Propheturum Religio, id est, Elias, illiusque Successores, jam initium (licèt minori cum perfectione) iisdem consiliis dederant, Christus autem utrumque servavit, ideò dixit: *Non veni solvere legem, aut Prophetas, sed adimplere.* Quod autem genuinus textus sacri hîc sit sensus, ex omnibus illius circumstantiis & consequentiis probatur. Quia inprimis argumentum, de quo Christus reapse loquebatur, erant Evangelica consilia. *Beati pauperes spiritu, &c.* Illi deinde, quibus loquebatur, erant Apostoli ad eorundem consiliorum perfectionem sectandam vocati. Accesserunt ad eum Discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos. Ad hæc præmium, quod pollicebatur, erat: *Hic magnus vocabitur in regno cœlorum*, quæ conditio solis consiliorum observatoribus tribuitur. Nomen præterea, quo illa expressit, fuit: *De mandatis istis minimis*; Consilia enim vim præcepti non obtinent, nec præcepti necessitatem habent, nec à regno cœlorum excludunt: *Minimus vocabitur in regno cœlorum.* Hæc denique particula disjunctiva *aut*, *Legem aut Prophetas*, evidenter ostendit Propheturum doctrinam, de qua Christus loquebatur, fuisse à lege distinctam; quia si Prophetas solùm ut legis interpretes accepisset, dicere debuisset: *Legem & Prophetas*, sicut cùm dixit: *Lex & Propheta usque ad Joannem.* Luc. 16. v. 16. Sed Prophetæ, de quibus in præsenti loquebatur, non erant legis interpretes, sed qui institutum & vitam lege superiorem sectabantur, quod institutum Christus reverà prædicabat: quia verò Elias & Elisæus, eorumque successores,

Matth. 5. v. 17.

Matth. 5. v. 13.

qui communiter erant Prophetæ, ante Christi adventum hæc prædicare cœperunt, quæ postmodum Evangelica fuerunt consilia, ideò Christus dicit, se non venisse, ut legem, quantum attinet ad præcepta, neque Prophetas, ad vitæ illorum perfectionem, quod spectat, dissolvat, sed potiùs ad illam observandam & adimplendam. Non veni solvere, sed adimplere. Hujus expositionis veritas atque proprietatis aliis notatu dignis ejusdem textus verbis confirmatur: *Donec transeat cœlum & terra, Jota unum, aut unus apex, non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Matth. 5. v. 18. Est hoc Christi vaticinium & promissio, in qua asserit legem, de qua loquebatur, ejusdem apices usque ad finem mundi debere servari. Usque ad finem mundi? Ergo Christus non loquebatur de lege ceremoniali, quæ finem jam accepit, sed de morali, quam re ipsa adjunctis Evangelicis consiliis ad majorem reducebat perfectionem, quæ consilia sunt legis apices, id est, partes ejusdem & minutiora, tenuiora & sublimiora puncta, quæ mandata minima vocantur: *Apex, est Evangelica perfectio*, ait Glossa & sanctus Chrysostomus, *non pro veteribus legibus hoc dicit, sed pro his, quæ ipse erat præcepturus, quæ quidem minima vocat, licet magna sint.* E quo apertè consequitur, Prophetas, de quibus Christus dixit, cùm ait: *Legem aut Prophetas*, fuisse illos, qui institutum consiliis Evangelicis simile servabant. Ideò in hoc secundo textu non distinxit Prophetas à lege, nec dixit legem & Prophetas, sed solùm de lege locutus est: *Non præteribit à lege.* Postquam enim moralis Lex scripta ad statum transivit Evangelicum, in ipsa sunt etiam comprehensa Consilia, quæ sub ipsa Legis scriptæ tempora traditione & virorum sanctorum exemplo, non verò ex legis ipsius præscripto servabantur. Hanc autem Legem & apices istos, quæ nunc Evangelica dicuntur consilia, & olim in Elia, ipsiusque successoribus, erant Prophetica instituta, non solùm affirmat Christus ad finem usque mundi duratura, sed etiam seipsum asserit venisse in mundum, ut ea servaret & adimpleret: *Non veni solvere legem aut Prophetas, sed adimplere.* O ingentem atque omnem ultra modum deprædicandam Religionis hujus gloriam! Ingens profectò singularis, imò ineffabilis illa est, quod Deus in mundum ad solvendam legem, quam ipsemet instituerat, adveniens dicat, se venisse non quidem ad destruendas, sed servandas leges, quas Carmelitæ condiderant. Hæc differentia est, quâ hæc sacra Religio à nostris institutis secernitur: Nos Christi sequimur vestigia, Christus autem per illorum semitas incedere asserit: nos per illam ambulamus viam, quam Christus calcavit, & Christus per illam cucurrit semitam, per quam Carmeli prædecessores incesserant. Christus triumphali pompa innumeràque, quasi hominum turbâ stipatus Jerosolymitanam aliquando intrabat civitatem, acclamantibus cunctis: *O sanna Filio David!* Illic notant Evangelistæ plurimos præcessisse, alios verò Christum fuisse subsecutos: *Et qui præibant, & qui sequebantur.* Quærunt itaque Doctores: quinam erant vel quos repræsentabant, qui præibant, & qui sequebantur? Et cum S. Hilario respondent, illos, qui præibant, veteris fuisse legis Sanctos, qui

Matth. 21. v. 9.

Matth. 11. v. 9.

qui Christi adventum præcesserunt; illos verò, qui subsequebantur, esse novæ legis Sanctos, qui post Christum venerunt. Qui præibant erant Elias, Eliseus, Jeremias, Joannes Baptista: qui autem sequebantur, erant Petri, Pauli, Augustini, Dominici, Francisci. Quænam autem erat inter utrosque differentia? Ista erat, quod qui retrò veniebant, sequebantur, qui verò præibant, illorum vestigiis alii instabant: qui subsequebantur, per Christi vestigia incedebant, ipse verò Christus eandem calcabat viam, per quam ii, qui præibant, incesserant. Et hæc erat via, per quam ambulabant Carmelitæ, qui ità Christum in custodiendo sacro ipsius eloquio adimplendâque ipsius doctrinâ prævenerunt, ut qui Christum imitari debuissent, hos fuerit ipse Christus secutus: *Non veni solvere legem aut Prpphetas, sed adimplere.*

Verùm & majus aliud in hoc eventu nobis reseratur mysterium: qui præibant, qui quales fuerint, jam diximus, sternebant vestimenta sua, ut Christus illa calcaret atque super illis incederet: *Eunte autem illo substernebant vestimenta sua.* Luc. 19. v. 36. E quo sanctus Paschasius optimè advertens infert, Christum triumphantem nulla reliquisse vestigia, quia gressus suos supra terram non figebat, sed super vestimenta. Cùm autem Christus venerit in mundum, ut posteri ipsius sequerentur vestigia, *ut sequamini vestigia ejus*; cur in hac via nullum in terra impressum reliquit vestigium? Quia præcuntium vestimenta, Carmelitarum erant pallia, & amictus, & veluti Carmelitarum erant vestimenta, illa Christi supplebant vestigia: quod enim Christus suis vestigiis, suo eloquio docuit, illud erat, quod Carmelitæ suo amictu, suo exemplo, sua professione ante docuerant. Quid mirum igitur, quod ii, qui sequebantur, audito Christo Verbo, visoque ipso Christo, illud postea exequerentur? Sed quod præeuntes, necdum viso vel audito Christo, illius exequerentur verbum, prorsus est obstupescendum, atque in hoc singularis exstitit excellentia Carmelitarum: *Qui non audiverunt Verbum Dei, & custodierunt illud.* Sed nemo hîc sibi persuadeat, hanc temporis præcedentiam aliquid dignitati Christi & supremo illius primatui inferre vel videri adferre, præjudicii, quia omnis hæc virtus, totum istud exemplum, tota lux, quantumvis antecedens, ab ipsomet tamen Christo dimanavit. Deus quarta primæ mundi hebdomadæ die Solem creavit, illumque in quarto cœlo collocavit. Cur verò in quarto cœlo & quarta die creatus est? Singulari omninò providentiâ ac mysterio id factum fuit. Quartum diem tres ante præcesserant, & alii tres postea fuêrè subsecuti. Sub quarto similiter cœlo tres infra collocati sunt planetæ, tres verò alii supra fuêre creati: Sol ergo illo tempore, in illo loco, illa die, ad illud cœlum destinatus est, ut in medio, veluti prima lucis origo, collocatus, æquè posset illuminare inferiores planetas, atque superiores, & æquè anteriores illustrare dies atque posteriores. In planetis id in propatulo est, neque tamen minus certum de diebus, quia lux illa, quæ prioribus creationis diebus antecesserat, erat, uti Divus Thomas cum communi Theologorum sententia affirmat, ejusdem portio lucis, licèt minus illustris, ex qua

postmodum formatus est Sol. Sic & Sol justitiæ nil minus aut amplius habet. Nam tempus, quo venit in mundum, in medio fuit annorum: *In medio annorum notum facies.* Locus, in quo natus fuit, erat terræ medium: *Operatus est salutem in medio terræ.* Ut intelligeremus uti revera erat, quod Lux, Sapientia, virtus, gratia, exempla & vitæ Sanctorum, tam Christum quocunque tempore, quovisque loco præcedentium, quam ipsum subsequentium virorum, instituta ab illo primario fonte cuncta dimanabant, omnes fuerunt hujus radii solis, omnesque primæ hujus causæ effectus. Omnes Religiones, post Christi adventum, sumpserunt exordium, Carmelitana utrumque complexa est tempus, jam enim pridem præcesserat, & postea permansit, quando quem imitaretur obtinuit, & quando quem imitaretur non habebat, quando secuta est, & quando quem sequeretur non erat, quando audivit & quando necdum audiverat & semper à Christo illuminata, permota & præventa fuit semper supra & infra solem planetas habuit, dies ante & post solis ortem possedit, sed omnes ab eodem sole illustratos. O quanta cum gloria & proprietate de hac sacra dici potest familia: *Permanebit cum Sole & ante lunam.* Semper cum sole, sed ante lunam, semper cum sole, quia utroque tempore, in utroque statu semper à Christo illuminata fuit, sed ante lunam, quia priori tempore & in statu priori sacratissimam præcessit Virginem. Veruntamen licet isti Religiosi priores sint Matre, illius tamen esse filii non desistunt. Quinimò eâ ipsa de causa magis proprii singulariores que illius filii & magis primogenito ipsius similes existunt: hæc enim est unica præcellentissimæ hujus Matris prærogativa, quod illa eorum sit Mater filiorum, qui antequam illa esset in mundo, jam existebant: *Et genitrix quando non, quæ sæculorum generavit Authorem?* Fuit horum illa genitrix filiorum, qui jam tempore ante illam existebant, sicut Mater fuit Filii, qui ab æterno jam erat: *Beatus venter, qui te portavit.*

Hab. 3. v. 2.

Ps. 73. v. 12.

Ps. 71. v. 5.

§. X.

VErùm cum ad finem mea decurrat oratio, erit fortasse, nec immeritò, qui dicat perperam ei finem à me fuisse impositum. Etenim cum Divinissimum Sacramentum solemnitatem hodiernam præsentiâ suâ honoraverit, & cum ipsum solemnitatis hujus partem potissimam constituat, æquum esse non videtur, ut ipsum in dictione hac mea locum nullum inveniat. Audio, atque eum in finem intacta hactenus reliqui illa mei thematis verba: *Et ubera quæ suxisti*, isthic pro coronide illa ut exponerem, cum sint à sermonis hujus mei contentu nequaquam aliena. Luc. 11. v. 27.

Non ignoratis, Auditores, primogenitos ad alimenta natu minoribus, sive, ut sic dicam, secundogenitis præbenda teneri, quæ quidem alimenta qualitati & conditioni eorum sint conformia oportet. Et quemadmodum Carmelitæ ex parte Deiparæ Virginis secundogeniti fratres sunt Christi, hic proinde alimenta eis suppeditare tenebatur, & talia quidem alimenta, quæ Matris Dei Filiis digna & convenientia essent. Sed quænam hæc esse debebat alimonia, nisi ipse Deus in cibum datus? Verissimum equidem est Sacratissimum Corporis

Chri-

Christi Sacramentum pro omnibus esse institutum, at potest illud diversis omnino modis applicari. Christus enim ex gratia ac pura pura liberalitate Panem cœli dedit cæteris hominibus, Carmelitis autem veluti ex debito atque obligatione. Cæteris fuit gratia, fuit liberalitas, quia Christus, ut Redemptor, hoc illis Sacramentum dare non tenebatur: pro Carmelitis autem fuit debitum, fuit obligatio, quia ut primogenitus frater ad hæc ipsis suppeditanda alimenta obstringebatur. Sed dicet fortasse nonnemo, quod alimoniam quidem ipsis suppeditare tenebatur, at non istam, ad alimenta quidem fratribus suis ac Matris suæ filiis subministranda obligabatur, at quanam ratione hæc alimonia ex propria ipsius substantia sub diversis accidentibus, quale est Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum, depromenda erat? Jam dicam, attendite. Christus ut Frater primogenitus propriæ matris filios & fratres secundogenitos talibus alimentis sustentare tenebatur, qualibus mater ipsum aluerat. At quænam illa erant? Respondet Evangelium: *Et ubera, quæ suxisti.* Cibus, quo Sacratissima Virgo suum enutrivit Filium, fuit purissimum lac uberum suorum. Lac verò quodnam est alimentum & quænam substantia? Interrogate Aristotelem & Galenum. Lac, inquiunt, est sanguis albus, & alia lac inter & sanguinem distinctio non est, nisi quod lac sit sanguis albus, & sanguis lac rubrum. Eadem enim est substantia, sed accidentia sunt diversa. Atque ita purissima Virgo, Domina nostra, duabus vicibus ad duplici modo purissimum sanguinem suum Christo communicavit: semel enim viscerum suorum sanguinem ei dedit, è quo sacratissimum corpus illius, ipsum dum genuit, efformatum fuit: *Beatus venter, qui te portavit.* Dedit secundò & millenis vicibus sanguinem uberum suorum, quo illum sustentavit atque enutrivit: *Et ubera, quæ suxisti.* Et inter unum & alterum sanguinem, qui totus in Christi convertebatur substantiam, alia differentia non erat præter accidentium albedinem. Quemadmodum ergò Sanctissima Virgo proprii sui corporis substantiâ sub accidentibus albis, Christum alebat, Christus ut primogenitus minores natu ejusdem suæ Matris filios eâdem corporis sui substantiâ sub coloris ejusdem accidentibus, quod est sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, enutrire quodammodò tenebatur. Primus Carmelita primus fuit, qui hoc cibo fruitus est, & sub figura illius possessionem accepit. Elias in solitudinem fugiens ad arboris cujusdam radicem se prostravit, sub qua cùm obdormisset, Angelus eum excitavit, & panem quem gustaret, porrexit. Comedit Elias, & iterum obdormivit, quem rursum Angelus cùm excitasset, panem denuò ei porrexit. Communis est Patrum allegoria per hunc panem sanctissimum repræsentari Eucharistiæ Sacramentum: quod autem panis iste per modum alimenti ipsi sit collatus, circumstantiæ demonstrant; ipsum enim Elias nullo labore aut industriâ comparatum comedit, edens & dormiens. Frater autem natu major est ille, cui labor & cura alimentorum suppeditandorum incumbit; natu verò minoribus cibi apponuntur mundi & sicci, sicque ipsi comedunt, atque absque alia cura obdormiscunt. Sed quandonam magno Carmelitæ hoc Sacramentum datum fuit in cibum? In deserto & sub arboris umbra. Desertum, inquit Hugo Cardinalis, sæculi significat recessum &

fugam, arbor autem Crucem designat. Solitudo jam dabatur, illam enim professitebatur Elias; Crux autem necdum præsens aderat, quia Christus necdum fuerat natus. Verùm Sacramenti alimonia Eliæ data non fuit, nisi postquam fuit in solitudine, & Crucis sub umbra, quia Carmelitæ hoc cibo fruituri non erant, ut filii Eliæ, sed ut fratres Christi, non quidem per præteritam Patris ejus generationem, sed per futuram suæ Matris filiationem: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti!*

Ad finem jam demum perveni: Si pauca dixi, qui Concionatorem me elegit, excuset; si prolixior fuit, punitionis genus id erit pauca dixisse, & prolixum fuisse. Quod si quæ verò ex Religionibus, quæ me audiunt, atque etiam quæ concionantem non audiunt, contra ea, quæ dixi, habeat insuper quod opponat, tanta mihi argumentorum est copia super, ut quibusvis novæ rationis articulis nullo queam negotio respondere. Sed majus & postremum sit istud, ut omnes agnoscamus, quæcunque de sacra Carmelitana Religione astruuntur, cùm singularia sint; communia fieri, & cùm solummodò Religionis sint istius prærogativæ, omnium cedere in gloriam cæterarum. Quæ hodierna die dixit: *Beatus venter, qui Te portavit*; noverat Matris Encomia laudem esse filiorum. Hoc ego secutus exemplum, istud subjicio (quod veritati quàm maximè consentaneum est) nos omnes hujusce esse filios instituti, & omnes ab illo descendere. Ita enim sancti Hieronymus, Macharius, Isidorus & Bernardus asseverant. Illorum verba, ne æquo prolixior sim, hîc minimè refero, sed unius Baptistæ Mantuani verba ad Montis Carmeli radicem maneant exarata, qui Parnassi spiritu impulsus, omnes Religiones & instituta hisce paucis complexus est versibus:

Illinc perpetuis ceu missi ex fontibus amnes,
Religio & sacri fluxit reverentia cultus.
Quidquid habent alii Montes pietatis, ab isto
Ducitur, hâc unâ plures è vite racemi
Diffusi latè terras, atque æquora complens.
Hinc Carthusiacis æterna silentia claustris.
Hinc varias Benedictus oves collegit, ab isto
Cannabe nodosâ tunicas arcere fluentes,
Lignipedes didicêre viri quique arva colebant
Invia, & assiduo terras ardore calentes,
Et quos Vitriacus de litore vexit Ibero,
Hinc orti, Sanctum & summo genus ordine dignum:
Hinc nostri venêre Patres.

Et quemadmodum ab hac sacra & primitiva Religione promanârunt & propagatæ sunt omnes aliæ, velut trunci ab eadem radice, velut rivuli ab eodem fonte, vel sicut radii de eodem Sole; hoc, quod solummodò superest, est, ut omnes congratulemur Beatissimæ Matri de talibus filiis; & benedictis filiis, de tali Matre: *Beatus venter, qui Te portavit*; & ut intelligant omnes, & quælibet aliarum Religionum, & sibi persuadeant, quòd tantò majorem in iisdem gloriis habebunt partem, quantò magis & melius observaverint hoc, quod illi custodierunt, & non audierunt: *Beati! qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.*

Amen.

☞ (✠) ☜

SERMO

SERMO
IN
Feriam quartam, post Dominicam secundam
QUADRAGESIMÆ.

Habitus Ulyssipone, in Capella Regia, Anno 1651.

Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad Dexteram tuam, & unus ad Sinistram in Regno tuo. Matth. 20.

§. I.

HÆc fuit matris Zebedæorum Christo insinuata petitio, toties in Regio hoc pertractata auditorio, sicut variè ex eodem ventilata loco. Verùm quoniam Dominus supremus respondit filiis, ut audiret illud mater: Ego nunc hodiè, matri quod filii, ac etiam qui non sunt filii, audiant, respondere statui. Cum una loquens, ad omnes dicam. Et quia Mariam Salome, vel Scripturam, vel exemplum, vel authorem non illius temporis allegare foret incongruum: ad eundem me restringendo diem, quo hæc adornata fuit petitio (qui juxtà probabiliorem Chronologiam, decimus seu nonus Christi Passionem præcessit) omne reliquum, quod ab eo tempore usque in præsens, aut gestum, aut dictum est in mundo, nec mentione quidem illius facta, alto silentio præteribo. Ex opulentissimo Ecclesiæ thesauro nihil depromam; magnorum exemplorum Parallela non adducam; gravium authoritatum & sententiarum ponderibus abstinebo; quibus tamen similia nobis haud defutura spero. Sermonem igitur cum matre Zebedæorum exordiendo, quod ipsi dico (vel dixissem) est hujusmodi.

§. II.

INspecto, Domina, hocce memoriali tuo (quod antequam Christo præsentaretur considero) posito, quod emendandi illud authoritate caream, neque reprehendere aut improbare præsumam; singularis mea ergà filios tuos devotio, nec non magnus & illis, & honorabili personæ tuæ debitus respectus zelum meum excitat & accendit, persuadet & compellit hoc animadvertere &

excu-

excutere, quod in petitione hac ſcrupulum mihi movet. Quod ut diſtinctè, clarè, breviterque peragam, ſingula ejuſdem verba ſucceſſivè expendendo de quolibet eorum, quod norâ dignum videbitur, pronunciabo. Non condemnabo: quamvis aliis id liceat admirari.

Primum igitur, quod in memoriali hac animadverſione dignum noto, eſt primum ejuſdem verbum: *Dic.* Non eſt iſte ſtylus, unde petitiones auſpicari oporteat. Petitiones inchoantur per, *dicit*, & non per, *Dic*, ſed quia, tu Salome, mater es familiaris Chriſto, eadem hæc familiaritas petitionis formam dictâſſe videtur. Alii ſuas exordiuntur petitiones *dicit talis*; familiares verò non dicunt, *dicit*: ſed, *dic*. Hujuſcemodi petendi methodus, non eſt petitio: eſt præceptum, eſt mandatum: proinde Princeps hoc modo expediens, non concedit, ſed obedit: non dat gratiam, recitat lectionem. Chriſtus Magiſter eſt, & Dominus: *Vos vocatis me Magiſter & Dominus.* Et quà Domino, nihil præcipiendum eſt; & quà Magiſter, non eſt docendus.

Joan. 13. v. 15.

Porrò ſi quod petis, ut dicat, *Dic*, eſt, ut duobus filiis tuis ſeſſionem ad latera ſua indulgeat; quâ ratione ſtatim & unico Verbo à Chriſto expediri deſideras? Numquid tam leve tibi videtur negotium, vel unius primarii Miniſtri electio, & quod amplius, binorum Miniſtrorum primorum, ut per ſimplicem petitionem ſine deliberatione prævia, diſcuſſione & conſilio concedenda videatur? Integro licèt tale quid prætendente regno, nihilominus ſuſpendenda foret prætenſio: Quid ni conſiderarent ſubditi, quod ſibi ſociati ac individui pondus & energiam nec non vim reſolutionibus ſupremis addere poſſent. Et hoc eò magis, quod ſimilia loca ea ambientibus non conferantur: immò ambiendo, indigni videri incipiant, & dum actualiter petunt indignos ſe oſtendunt. Petere & expediri, in hiſce caſibus correlativa eſſe oportet. Quantò prudentiùs meliuſque egiſſent hi duo prætendentes filii, ſi Chriſto ſeligente ſe ex aliis, ut majoris momenti negotia committeret, declinâſſent, modeſtéque & diſcretè reluctando ſe excuſaſſent? Moyſen primarium Dei miniſterium recuſantem in Ægypto, exaltatum Deus lateri ſuo ſociavit, etiam nomen ſuum illi delegando cum poteſtate: *Conſtitui te Deum Pharaonis.* Exod. 7. v. 1.

Scio equidem, breve illud verbum *Dic*, tribus literis omnem trium divinarum perſonarum, quarum Chriſtus una eſt, includare poteſtatem. Hinc omnium Angelorum ſapientiſſimus, utrum Chriſtus Filius eſſet Dei, probaturus, eodem uſus eſt verbo: *Si Filius Dei es, dic, ut lapides iſti panes fiant.* At quamvis Chriſtus vel unico verbulo *dic*, lapides in panes convertere, & ex lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare poſſet: ad creandos nihilominus homines, quibus totius mundi gubernaculum credere velit, nunquam uſus eſt, nec ſolis utetur verbis. Creaturæ iſtæ non uno, *dic*, fiunt, licèt Creator ipſe ſit Deus, Solem, lunam, ſtellas, plantas, animalia aëris, terræ & maris, dicendo creavit Deus: *Ipſe dixit & facta ſunt.* Creaturus verò hominem, quem illis præficeret, conſilio præmiſſo non dixit: *Dicamus*; ſed: *Faciamus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & præſit.* Non ſic fiunt Miniſtri tanti. Qui illos creat, facere eoſdem debet: & ipſimet ut fiant, ſe diſponere debent. Re-

Matth. 4. v. 3.

Pſ. 148. v. 5.

Gen. 1. v. 26.

cor-

cordare, Domina, fauſtiſſimi illius diei, qui unquam domui tuæ illuxit, quando Chriſtus eoſdem filios tuos eligendo in Miniſterium ſuum aſſumpſit: & quid illis tunc dixit? *Faciam vos fieri piſcatores hominum*, q. d. Ego faciam, ut vos piſcatores hominum fiatis. Si Chriſtum in ipſis multum facere, ipſosque multum in ſe facere oportet, ut ex piſcatoribus piſcatores evadant: quomodo ad ſubeunda loca prima, quæ pro illis poſtulas, vel verbulo tantum illos admitti deſideras, *dic?*

Matth. 4. v. 19

Verùm poſito, non conceſſu caſu, quo Deus petito tuo annuendo diceret, quod petis: quid dicturum putas mundum? An ignoras Chriſtum illum eſſe Dominum, qui quà Deus, & quà homo valde ſemper ponderavit, quid homines dicerent? Quà Deo Prophetæ ligabant manus dicendo: *Ne quando dicant gentes; ubi eſt Deus eorum; ne quaſo dicant Ægyptii*, & quà hominem; tui ipſi filii, interrogantem audierunt: *Quem dicunt eſſe homines Filium hominis?* Et mox: *Vos autem, quem me eſſe dicitis?* Non enim tantum ſolicitus erat, quid mundus diceret ab extra, ſed etiam, quid ſui Diſcipuli in ipſa ſua dicerent ſchola. Quâ igitur ratione non conſideras, quid de perſona Chriſti & regimine diceretur, ſi quod petis, ipſe diceret, *dic?* Ad interiora nos vertamus. Quid dicet Petrus clavibus ſibi jam promiſſis? Quid cani dicent Andreæ? Quid renuntiatio dicet Matthæi? Quid zelus Simonis? Quid regius ſanguis dicet Bartholomæi? Quid ſanctitas alterius dicet Jacobi, cui ſoli *Sancta Sanctorum* ingredi fuit permiſſum? Quid generoſa omnium abdicatio dicet Philippi, qui ſibi omnibuſque ſufficere putabat & proteſtabatur ſolam viſionem Patris? Et quidem, ſi iſtud domeſticos inter parietes dici poteſt, excluſis etiam murmurationibus Judæ, quid foris portis poterit dici? Nunquid conſultum eſt dici & audiri, apud juſtitiæ veritatiſque magiſtrum, plus valere affectum quàm meritum, unumque latus indulgeri Joanni, quia ejus dilectus; alterumque Jacobo, quia ejus frater? Nunquid conſultum eſt, ut ſarcaſticè dicatur, cùm Chriſtus miraculis ſuam probaverit Divinitatem, & electione hac ſuam demonſtraverit humanitatem, quod humanis agatur affectibus? Et quod excedit omnia, ut dicatur, quod in unius Monarchiæ (quam exemplar oportet eſſe omnium) gubernatione, ad mulieris unius interventionem diſtribuantur officia & loca? Ecce hoc eſt, quod de Chriſto dici tacitè deſideras, dum tuum *dic* pronuncias.

Pſ. 113. v. 2.

Exod. 32. v. 12. Matth. 16. v. 13. & 15.

Neque ab hujuſcemodi dicteriis exemptos & immunes arbitreris futuros, pro quibus poſtulas. Proinde ſi tuos amas filios, Domina, per eundem te amorem obſecro, ne iſto tuo *dic* illos ſimilibus dicteriis exponas. Potiſſimum ipſorum encomium hucuſque fuit, quod Petro & Andreâ relinquentibus tantum retia, Joannes & Jacobus cum retibus ſimul reliquerint patrem: *Relictis retibus & patre.* Modò dicetur, quamvis reliquerint retia & patrem, non reliquiſſe retia & matrem; quâ mediante, unico velut tractu duo potiora regni Chriſti loca piſcari conantur, quod illi toti æquivalet; ſi quidem totum ejus regimen complectatur. In præſens uſque dicebatur, quod cum duo eſſent illorum trium, qui ad contemplandam gloriam Thabor fuerant electi, tam fuerint prudentes, ut videntes tacuerint, quando ſocius ipſorum Petrus pro impru-

Matth. 4. v. 22.

imprudente fuit habitus, eò quod fuisset locutus: nunc verò ingratitudinis arguentur erga Petrum; ut, cum ille eosdem suæ incluserit petitioni, dicendo: Matth. 17. v. 4. *Bonum est nos hic esse*; hi non solùm illum suâ petitione non comprehenderint, sed expresè, nec sine injuria præteritum excluserint; cum solum istum, ne obicem ponoret petito pertimescere possent. In præsens usque, inter potissimos scholæ Christi Discipulos fuerunt computati, & hinc toties aliis prælati: jam verò imperfectioribus & rudioribus annumerabuntur: motâ enim quæstione, quis eorum major esset, cum resolveret Christus, eum fore maximum, qui hic sese faceret minimum, tam perperam doctrinam istam intellexerunt lectionemque ex ea tam erroneam assumpserunt, ut vice ejus, quod ultima sibi mox loca eligerent, uterque loca ambiverit prima.

Similia de filiis Zebedæi, Domina, super illo tuo *Dic*, disseminabuntur eloquia: à quibus nec mater exempta manebit. Quid Marias reliquas, nec sine ratione & fundamento, dicturas opinaris? Devotionis pietatisque laude illæ sunt illustres; verùm quemadmodum tuarum contemplationum sublimitas totaliter in te non mortificavit ambitionem contingere quoque potest, quod nec illæ in suarum exercitio contemplationum debitè mortificârint invidiam. Nequæ illis desunt Filii: & quæ filiis caret, fratrem habet. Et subticendo reliquas (in quibus conditionis cognationisque æqualitas sufficientissimè differentiæ istius admirationem movere potest) quid Magdalena, pro parte dicet Lazari? Et si illa usitato sibi morte tacuerit; quid dicit, aut dicere poterit Martha, quam mulierem querelis assuetam nosti? Nunquid non dicet (saltem intra se) estne possibile, quod sublimes adeò cogitationes, in sororum Domini Bethaniæ corda non ascendant, quales vilium Tyberiadis piscatorum mater conceperit, & prodere non erubescat? Si Christus distantias illas, iisdem non metitur circinis, quibus eas mundus discernit: modestia saltem ipsius inficias ire non poterit, pro authoritate Regis, Ministrorumque respectu, nec non eorundem officiorum dignitate personarum, qualitatem & capacitatem plurimum conferre. Salome fiduciam suam fundante in sui gratia Joannis, non est minor illa Lazari; quia si unus titulo gaudet dilecti: *Quem diligebat JESUS.* Joan. 21. v. 7. Alter titulo gaudet amati: *Quem amas.* & 20. Joan. 11. v. 3. Ante octiduum Christus illum quatriduanum suscitavit mortuum. Et quodnam, quæso, subjectum Principis latere dignius, quàm homo mundi alterius? Quis omnes ipsius *resolutiones* pronis auribus venerabundus non exciperet, & singula ipsius verba & decreta, velut oracula non habebit? Omnes Ministrorum errores aliam non habent originem, quàm quod de præsenti tantùm vita tractent, alterius immemores: Ast homo experientiâ gnarus, quid vivere sit, & mori, quid machinabitur, quid molietur, quod non debitum assequatur scopum, vel quasi acu tangatur? Proinde ex sola hac prærogativa non unum, sed utrumque Christi latus Lazarus merebatur. Christus in monte Thabor, prima Regni sui majestatis edens specimina lateri uni Moysen, alteri verò junxit Eliam; quia alter adhuc vivebat, alter

mor-

mortuus erat: quæ utraque proprietas in uno reſuſcitato concurrit. Tanquam vivus, requirentium ſe vivorum merita remunerabit: tanquam mortuus, requirere ſe jam non valentium merita remunerabit. Rex Herodes auditis miraculis Chriſti, Joannem Baptiſtam à mortuis reſuſcitatum illum eſſe opinabatur: de mortuo enim non niſi miracula expectanda ſunt, & talis hodie eſt Lazarus. Omnia iſta, pro parte fratris ſui, allegare poterant Martha & Maria, abſque eo quod ipſum ſervitiorum à ſe utraque Chriſto impenſorum hæredem conſiderare poſſent. Confracta Magdalenæ alabaſtra, effuſa unguenta, lacrymæ & capilli occaſioni huic materiam ſuggerebant. Et quamvis Martha non ſe jactaret (quod nec fas erat) quod Chriſtus in domo ſua cibum ſumpſiſſet, ipſam ſaltem miniſtrandi ſedulitatem & ſolicitudinem, ciborumque largam copiam, ipſomet Chriſto non ſine admiratione, atteſtante ſuperfluam allegare poſſet; cui accederet, ſi domus ratio habenda eſſet, quod eſſet ejus.

Verùm ambabus iſtis ſororibus, pro inſita ſibi virtute, & modeſtia, prætacta omnia tacentibus, quis reliquis os obturabit, ne dicant, iſtud tuum *Dic*, majorem prodere ambitionem, quàm præ ſe ferre videatur? Te non filiorum tuorum tantùm, ſed tuam ipſius quoque promotionem, & exaltationem prætendere dicent: & illis petendo cathedras, tibi negotiari pulvinar. Quemadmodum Prophetiæ de Chriſti tractantes regno, etiam ſponſæ meminerunt (de qua ſolus Salomon integros conſcripſit libros) non Regem tantùm, ſed etiam ſperamus Reginam. Te igitur pro filiis tuis latera throni, & pro te pedum ſcabellum petere dicent: cumque naturaliter familiares prævaleant, ad utraque gubernanda aulæ latera aſpirare dicetis. Eheu! quomodo onuſtam & gravatam te video memorialibus, quando chartarum harum loco, præter annorum tuorum gravamen, multo ſanè melius tibi foret, manibus tuis tenere aut Davidis Pſalterium, aut Jeremiæ Threnos? Omne id & aliquid adhuc amplius tuum *dic* comprehendit, quod non ſolùm qualitati tuæ derogat perſonæ, filiorumque tuorum profeſſioni; ſed & plurimum ipſimet derogaret Chriſto: ſi tale quid diceret. Sed ad verbum ſecundum tranſeamus.

§. III.

UT ſedeant: neque hic terminus aulæ curiæve uſitatus eſt: ſed abſonus planè & indecorus. Age, Salome, filiis tuis ſedes commodas & honorificas, quibus ſedeant, poſtulas; ſedere autem, ipſum implicat, quod petis. Prætendendo latus dicis, *ut ſedeant?* Num ignoras, quod ſicut in palatio non niſi una eſt umbella, ſimiliter non niſi una ſit cathedra? An ignoras, quod ibidem Magnates fatigentur pedibus ſtando, vel geniculando quieſcant, vel, ut multum, alicui idololatreuticorum altarium iſtorum menſæ incubando laſſitudinem conſolentur? Suffi iebat pro hoc Chriſtum ſolummodò eſſe Regem; quantò magis Regem ſimul & eſſe Deum? *Tu es ipſe Rex meus, & Deus meus.* Thronus Dei in templo eſt propitiatorium, ubi audit & reſponder: & poſito, quod nec tibi, nec filiis tuis ſanctuarium illud ingredi liceat, audiviſtis nihilominus, utrumque propiia-

Matth. 20. v. 21.

Pſ. 43. v. 6.

pitiatorii latus à duobus ſtipari Cherubinis, & his quidem pedibus ſtantibus. Porrò ſi petis, ut horum duorum Cherubinorum vicem & locum ſuppleant, utrumque Chriſti latus ſtipando, quonam pacto petis, ut ſedeant, *ut ſedeant?* Cherubini ſtant pedibus, & filii Zebedæi ſedeant in ſedibus?

Enim verò, aliquid adhuc amplius notatu dignum, de iſtis aſſeritur Cherubinis: non ſolùm ſtant pedibus, ſed extenſis inſuper alis: *Extendentes alas.* Et quare alis extenſis? Quia juxta latera Throno, cui aſſiſtunt, ſeſſionis non datur requies, ſed pedibus ſemper ſtari oportet. Habenti ſolummodò pedes, inſtar hominis, ſemper pedibus eſt ſtandum: habenti verò pedes ſimul cum alis, inſtar Cherubini, ſtandum eſt pedibus, & inſuper pedibus ſimul & alis. Auſculta, Domina! quod dico, ut te non benedicere videas. Noſti Cherubinis, nec pedes eſſe, nec alas, nec corpus; ſunt enim ſpiritus. Quare verò ſcriptura in ſpecie hominis pingit & repræſentat eos cum alis? In figura illos depingit humana; ut innuat eſſe rationales creaturas, uti nos: addit ipſis inſuper alas, ut naturam eorum ſublimiorem, noſtrâque ſuperiorem cognoſcamus. Proinde uti Cherubini in hac forma repræſentati, ex duabus participant naturis, alterâ hominis, alterâ avis: ideò, quâ parte videntur homines, ſtant pedibus; & qua parte communicant cum avibus, pedibus ſimul ſtant & alis: quoniam ad latera throni, nec velut hominibus, neque velut conditionis ſublimioris, ſedendo aſſiſtere licet. Homo ſedens pedibus non conſiſtit, ſimiliter nec avis, ſedens innititur alis, immò illas colligit.

Exod. 37. v 9.

At Cherubini ſtando pedibus, ſimul conſiſtunt alis (hinc illas ſemper habent extenſas) neque enim ab alterutro latorum ſedere permittuntur, velut homines, pedibus ſemper ſimul & alis inſiſtere quomodocunque compulſi. Idem Iſaias in duobus Seraphinis Throno Dei à latere aſſiſtentibus obſervavit: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum, & elevatum, Seraphin ſtabant, & volabant. Stabeant*, qui pedibus: *Volabant*, quia pedibus ſimul & alis inſiſtebant. Sedens verò ſolus erat Deus: *Vidi Dominum ſedentem.* Unum filiorum tuorum, Domina, Cherubinam eſſe negare non poſſum, Joannem ſcilicet, hominem alis, & non quibuſcunque, ſed aquilæ inſtructum (ſic enim illum Ezechiël, in currus ſui deſcriptione depinxit) verùm quamvis ille ſit, ſimulque frater ejus Jacobus eſſet alis inſtructus, & Chriſtus ipſis ſic alatis indulgeret quod petis, ſcilicet loca ad latus dextrum & ſiniſtrum, nihilominus nec ſedebunt, nec ſedere poterunt: quod memoriale tuum prætendit: *Ut ſedeant.*

Iſa. 6. v. 1. & 2.

Ulterius notum tibi cupio, poſtulata loca, nec ad ſedendum ſolummodò eſſe, nec ad ſtandum. In cujus rei probationem filiis tuis vocationis ſuæ tantùm recordari ſufficiebat. Chriſtus illos vocando, quid dixit? *Venite poſt Me.* Non ergo ad ſedendum, nec ad ſtandum: ſed ad ſequendum & ambulaudum. Chriſtusque eos vocavit, non ſedens, neque ſtans, ſed ambulans: *Ambulans JESUS juxta mare Galilæa.* Cùm igitur expreſsè vocati ſint ad ſequendum, & ambulandum poſt Chriſtum, velle modò non ambulare, ſed ſedere, neque poſt Chriſtum ſed ad latera ipſius, quis non dicet, hoc

Matth. 4. v. 9.

Matth. 15. v. 18.

eſſe

esse vocatione contraire, vel ab ea deficere? Ah quàm vereor, ne non solùm exeant, non bene expediti, sed stultorum instar & malèsanorum more habiti! Velut mentis impos habitus fuit Petrus in monte Thabor. Et quare? quia volebat, ut Christus sedem ibidem & tabernaculum figeret in monte. Ipsi solares radii è facie Christi exeuntes, qui Petri perstringebant oculos, in mentem illi vocare debebant, Christum non venisse in mundum, ad sedendum aut standum, locumque; tabernaculi ipsius non esse montem quietum: *In Sole posuit tabernaculum suum*, inquit David, q. d. Christum in Sole tabernaculum suum esse posiPs. 18. v. 5. turum, ut non solùm habitator, sed domus; & non solùm domus & pavimentum ejus, sed ipse situs & locus, in quo fundata erat, in perpetuo ambularent motu. De circulo, quem Sol incessanter circumeundo peragit, & ad mundum circumeundum revertitur, inquit Salomon: *Gyrat per medium, & flectitur ad*Eccl. 1. v. 6. *Aquilonem, lustrans universa in circuitu.* Istudque facit & fecit semper Christus, postquam ad illuminandum illum apparuit: cùm certò certiùs, si vita ipsius actionesque conscriberentur, frequentiMatth. 4. v. 23. Luc. 19. v. 1. ssimè in hac historia occurreret: *Circuibat, per ambulabat.*

Optimi passuum Christi testes iidem esse possunt, qui modò petunt ut sedeant, quomodo sine quiete, sine sessione in viva quasi rota circuierit: nunc in civitatibus, nunc in desertis, nunc in littoribus: nunc in Judæa, jam in Galilæa; modò in Samaria: nunc in Jerusalem, jam in Capharnaum: modò in Tyro, jam in Sidone: nunc in Cana, jam in Jericho: nunc in Cæsarea Philippi, jam in regione Gerasenorum; modò in finibus Decapoleos, nunc in Bethsaida, Naim, Bethania, Nazareth, Ephrem: ita ut nec patria, seu regio esset populosa, nec locus exiguus aut pagus, quem Christus, ad omnes luce sua illuminandos, suis passibus non sanctificâsset. Denique in illis ipsis secretis, quæ modò Christus Discipulis suis revelat, clarissimè aperuit, viam, quâ tendebat in Jerusalem, esse ut suspensus moreretur in cruce: ut hînc videatis, num æquo & decoro sit congruum, quod latera petant Regis ad mortem pedibus tendentis, qui ea prætendunt ad sedendum: *Ut sedeant.*

§. IV.

Hi. Verbum valde breve, sed non minore dignum consideratione. Tu dicis: *Hi*; & quis non dicet, qui sunt hi? Credibile est, non paucos sese mox retibus & navi intricaturos; ast tam longè absit à me, ut hoc abjecto (posito quod tale sit) & vili offendar officio, quin piscatorum exercitium optimus mihi potiùs videatur novitiatus; qui hisce Apostolis, pro primorum Ministrorum professione obtingere posset. Quid est navis, nisi parva respublica? Et quid est monarchia, nisi navis magna? Exercitio unius, praxis addiscitur alterius. Novisse clavum de una in alteram navis partem mittere, moxque firmare, ubi congruit; nosse explicare vela, quando progrediendum, eademque contrahere, quando inflectendum, aut regrediendum, colligere remos, quando appellendum: fluxum & refluxum expectare maris, conjunctiones cognoscere, cursumque cœlestem observare: nosse vela ventis accommodare, funes eorum extendere & retrahere, pro ventorum

torum alternatione eosdem firmare in tempestate, & in tranquillitate rudentes laxare. Tantam politiam ars piscatoris, navigando mare requirit, majorémque adhuc piscandi industria. Nòsse texere rete, & suo loco facere nodum; scire plumbum & subter ponderare: mare circumcingere, solidámque extrahendæ sagenæ terram providere, novisse disponere hamum, eundemque tegere, ne piscis aut præmordeat, aut videat: scire dimittere, vel retrahere, & retinere chordam: congruam affigere escam, & allicientia alimenta spargere. Unum tantum pro locis lateralibus piscatori deesse noto, scilicet exercitium attrahendi: & istud, Domina! non solùm non reprehenditur, sed commendatur in illo; hoc verò filii tui prætendunt, & ipsum tu petis.

Verum dices mihi, eodem verbulo, *Hi*, huic scrupulo responderi. Cùm illi, pro quibus intercedis, ab omni proprii commodi studio & amore tam sint remoti, ut omnia reliquerint; nec de illis minùs, quàm decem reliquis veraciter dixerit S. Petrus: *Ecce nos reliquimus omnia.* Matth. 19. v. 27. Propositio hæc magnam quandoque patietur replicam, in uno ex duodecim istis, juxtà Psalmi quadragesimi Prophetiam, ubi dicitur: Quod postquam reliquit propria, ex alieni concupiscentiâ eò deveniet, ut proprium suum vendat Dominum. Quia verò ad propositionem hanc nihil replicavit Christus, nec ego quicquam replicabo. Solùm tibi dico, Salome! quamvis filii tui modò sint, *Hi*, ubi ad latera se viderint Christi contingere potest, ut evadant alii. Num adhuc ignoras, quòd officia, & honores mutent mores, & loca naturas? Quis innocentior, quis humilior, quis modestior, quis sanctior Saule, antequam conscenderet thronum? Et postmodum, quid in ipso apparuit? Omnes istæ virtutes in vitia fuerunt immutatæ contraria, tamque indignè è throno meruit deponi, quàm dignè antea adeundem fuerat evectus. Evectus verò & depositus, propriè non fuit idem Saul, jam enim alius erat. Nemo excelsam conscendit turrim, quin despiciens deorsum oculorum caliginem, capitisque vertiginem incurrerit. Has filiis time caligines & vertigines, nec penitus credas, eos modò esse hoc quod sunt; *Hi*, posteà enim erunt alii. Quousque Adam fuit privatus, innocentiam originalem conservavit, in qua fuerat creatus: sed de regimine & præsidentiis aliarum creaturarum jam investito, ipsa mox honoris sublimitas capitis vertiginem, judiciique caliginem induxit: *Homo, cùm in honore esset, non intellexit.* Psal. 48. v. 13. Similem metamorphosim mutatio status Adamo induxit, ut jam non esset idem, sed dupliciter alius. Alius, quia voluit esse sicut Deus: & alius, quia remansit velut brutum. Utramque hanc metamorphosin DEUS declaravit, illam hominis in Deum per intellectum: *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est*; Gen. 3. v. 22. & illam hominis in brutum: *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis.* Psal. 48. v. 13. Ne filiorum tuorum intellectui virtutivè plus æquo fidas. Attende, quamvis tui sint filii, & Adami quoque filios esse. Quod modò in ipsis est modestia, posteà erit superbia; quod jam videtur scientia, posteà erit insciția; tantòque amplius, quantò ex humiliore evecti fuerint fortuna. Illa verba Jobi considera: *De terra surrecturus sum, & videbo Deum, ego ipse, & non alius.* Job. 19. v. 26. & 27. Ut homo erectus de terra

idem

idem sit, & non alius, in gratia simul & gloria confirmatus sit, necesse videtur. Ecce num filii tui periclitentur, ne sint alii & valde alii, quamvis modo sint isti: *Hi!*

Verùm enim verò, ego alios esse nolo, sed eosdem ipsos, qui sunt, neque ulla ratione ipsi lateribus, aut latera Christi ipsis conveniant. Quando Christus illos ad sequendum se vocavit, ipsos Marc. 3. v. 17. *Boanerges*, id est, *filios tonitrui*, appellatos nôsti. Nec te latet filios tonitrui in phrasi Hebraica, idem esse, quod fulmina; fulmina enim tonitrui sunt partus. Nunquid igitur consultum tibi videtur, ut Christus regio jam insidens throno à fulminibus circumdetur? Consultissimum sanè foret, omnes ex palatio fugere, nec quenquam in auditorio comparere. Primam legem condente Deo, inter tonitrua & fulgura (erat enim lex rigida) in monte Sina, omnes procul fugerunt à monte, dicentes: *Non* Exod. 20. v. 19. *loquatur nobis Dominus:* at in lege Christi, quam suavem ipse vocat, omnesque, Matth. 11. v. 28. & 30. ad se ut veniant, invitat; *Venite ad Me omnes, jugum enim meum suave est*; non conveniunt fulmina mansuetudini, tamque benigni Principis clementiæ. Operæ pretium foret, talibus à latere stipari Ministris, quorum quodlibet responsum esset tonitru, quilibet aspectus fulmen, & quælibet resolutio fulgetrum. Si Joannes est Aquila, & Jacobus ambit esse sicut ille, aquila cum fulgetro in manu, lateri quadrabit Jovis, at non Christi. In summa, isti tui filii valde ignei sunt & ardentes, nec ad latera Regis tanta ferocia toleratur. Porrò, ne importunum illud nomen *Boanerges*, sive filii tronitrui, plus habere sonitus, quàm realitatis existimes; vel quòd ego interpretationem ipsius, in filiorum tuorum naturam intorqueam, ipsi tibi narrent, quid sibi in Samaria acciderit. Certâ occasione Samaritani Christum recipere, secumque demorari noluerunt. Et ecce quanta mox in tuis solis Joanne & Jacobo ferocia & vindictæ zelus se prodidit: *Domine, vis dicimus, ut ignis descendat de cœlo,* Luc. 9. v. 54. *& consumat illos?* Ecce, nunquid erant fulmina, ut non minus, quàm toram Samariam, igne cœlitùs emisso, unico momento deleturi essent? Cum talibus consiliis, & furiis ne vel octidui, quidem spatio totus consisteret mundus, quantò minus Monarchia una? Christus ad illos conversus dixit: *Nescitis, cujus spiritus* Ib. 55. *estis*; Eliæ iste est spiritus, non meus. Et quomodo latus stipabit Christi, qui non est spiritus Christi? Spiritus adeò præcipites & vehementes nec Principes juxta se tolerant, neque ipsimet illi sui ipsius sunt capaces & potentes. Et hi sunt, Salome, illi, quibus non unum, sed utrumque latus petis: *Hi.*

§. V.

DUo, istud, *duo*, majorem adhuc involvit dissonantiam. Regis ambis familiaritatem, & hanc duobus postulas: *Duo?* Utrum expediat Regibus, vel unum habere familiarem, an non? Problema est, inter Politicos nondum decisum: sed duos habere familiares, nemo affirmaret, id, aut cogitaret quidem. Enim verò, si filii tui historias sacras aut profanas legissent, ab exordio mundi in præsens usque tempus, nequidem tale quid in mentem admittendum foret. Deus sexto mundi die creavit Adam, ut in gubernatione illius

imago

imago ſua appareret, & mox die ſequenti Deus requieviſſe dicitur: ſupremis enim Principibus conſultum eſt perſonam habere ſecundam ſui repræſentativam, & cui initendo quieſcant. Iſte verò homo (qui in omnibus ſupponitur eſſe primus) ſingularis eſſe debet, & non geminus: proinde Deus non duos, ſed unum condidit Adamum: inter primos Chaldæos primus Nabuchodonoſoris Miniſter fuit Daniel, ſed ſolus: inter Ægyptios Pharaonis, Joſeph, ſed Joſeph ſolus: inter Græcos Alexandri, Epheſtion, ſed Epheſtion ſolus: inter Perſas Aſſueri, Aman & Mardochæus, ſed non ſimul, ſed ſucceſſivè diverſo tempore, & ſemper unus ſolus. Si quod exemplum habetur de duobus, non fuit niſi in exitium & ruinam Regis, & perditionem coronæ. Nullus Regum majorem ſeu meliorem à latere ſuo habuit Miniſtrum Abſolone, invaſo & auſpicato jam regno, ſcilicet Achitophelem, cujus conſilia, atteſtante Scripturâ Sacrâ, non erant alia, quàm Divina oracula. Porrò David Abſoloni velut regni invaſori, & tyranno coronam denuò abripere meditans, quid fecit? Velut adeò prudens non alio medio fuit uſus, quàm quòd alteri Abſolonis lateri ſecundum aſſociaret Miniſtrum, qui fuit Chuſai; & ita factum eſt. Diſſidebant ſententiis hi duo Miniſtri: neglecto Achitophele, Chuſai opinionem Abſolon fuit ſecutus: proinde, qui Achitophele ſolo uſus, ſe conſervâſſet, quia adhibuit duos, ſe perdidit.

Naturalis inconvenientiæ hujus ratio eſt; quia ubi duo ſunt intellectus, duo voluntates, duæ naturæ, duo denique diſcordantes concurrunt perſonæ, non poteſt eſſe unio. Unio hypoſtatica in Chriſto (quæ maximum Divinæ omnipotentiæ & ſapientiæ fuit miraculum) duas univit naturas, duas voluntates, & duos intellectus: ſed notate, quòd in admirabili hoc compoſito, non duæ, ſed una tantùm ſit perſona. In una perſona duo intellectus, duæ voluntates: ſed in duabus perſonis diſſidentibus (uti duobus hominibus, *duo*) hæc unio eſt miraculum, quod Deus nunquam fecit, aut faciet. In SS. Trinitate quoque hujuſcemodi invenitur unio, alio admirabiliore modo. Perſonæ ſunt tres realiter diſtinctæ, ejuſdem omnes intelligentiæ & voluntatis: quamvis enim tres ſint perſonæ, non tamen tres ſunt naturæ, tres intellectus, & tres voluntates, ſed una natura, unus intellectus, & una voluntas. Age, nunc conſidera, utrum in duobus hominibus, in quibus naturæ, intellectus, voluntates & perſonæ diſcrepant, in tam *variis* & diverſis materiis, quales in Monarchia aliqua, aut regno concurrunt, unio & concordia dari poſſit.

Ut in duobus ſubjectis diverſis voluntatum eſſet unio, matrimonium inſtituit Deus, de quo dixit: *Erunt duo in carne una.* Gen. 2. v. 24. Sed quamvis ſint duo tam arcto ſibi vinculo illigati, nec voluntates quidem ligari ſe propterea ſinunt, etiam ubi eadem motiva concurrunt. Eſau & Jacob, ejuſdem Iſaac filii erant, & ejuſdem Rebeccæ: & cum motiva utrimque eſſent eadem tamque naturalia, Rebecca in unam inclinans partem amabat Jacob: Iſaac verò in alteram inclinans partem diligebat Eſau. Enim verò, ſi id accidit in parentibus, non alio ex capite, quàm quod duo ſint: *Duo.* Quid tuis duobus non parentibus eventurum putas? Et quomodo concors erit eorum voluntas

(pro-

(prout esse oportet) & æqualis pro omnibus, cùm non filii sint, sed extranei, quos gubernare deberent? Intellectus non eâ libertate gaudent, quâ voluntates, sed nec ideò minus discrepant judicando, etiam quando informationes sunt eædem.

Moyses & Josuë eodem tempore de monte Sinai descendebant, quo filii Israël in castris fuso recenter Idolo festa agebant; uterque clamores applaususque populi tripudiantis auribus percipiebat; sed ecce, quàm diversum desuper utriusque judicium; Josuë tumultum bellicum interpretabatur: *Ululatus pugnæ auditur* Ex. 32. v. 17. *in castris*; Moyses non tympanorum & tubarum sonitum, sed tripudiantium voces sibi videbatur audire: *Vocem can-* Ibid. 18. *tantium ego audio* Ira, ut cum eædem essent voces, & uterque æqualiter informatus proprio recipiendis instructionibus sensu: duos fuisse suffecerit, qui audierint, ut singuli aliud desuper diversum formarent judicium. Uno dicente: Cantant; alter dixit: Pugnant; & pugna non erat in castris, sed in judicio audientis. Nullatenùs igitur aulæ Christi expedit, prout tu ideam ipsius concipis, ut binos primarios Ministros habeat: licèt enim Moysi & Josuë præstantiâ forent pariles (quod rarissimum est) duos tantùm esse sufficit, ut non intellectibus minus, quàm voluntatibus, semper, seu quasi semper discrepent & dissentiant. Naturalem prætereo inclinationem, quâ quilibet lucere appetit, ubi velut in duobus Planetis divisam lucem esse oportet. Ut luna splendorem suum impertiat, à Sole segregari opus est; sequendo enim Solem iisdem passibus, non apparet. Et quis intellectus, quæve voluntas eâ est rectitudine, quæ non opinionem intorqueat, ut recta videatur? Quoties quis gauderet idem de re aliqua ferre suffragium, quod dedit socius, & quia tantum est alienum, & non suum, suffragatur in contrarium? Hoc modo sistet & impedietur negotiorum cursus, & hæc opinionum discordia Regni erit remora, & ex hoc solùm capite, quod non unus, sed duo admoti sint gubernaculo: *Duo.*

§. VI.

Filii mei. Dicendo, tuos esse filios, video, Salome, te totum discursum meum explodere, dum velut mulier & mater omnes inconvenientias, discordiæque metus dissipari putas eo eo, quòd sint fratres, quantumvis duo. Sunt fratres, & fratres germani, ejusdemque patris & matris filii, ergo secura est, semperque erit in ipsis animorum unio & concordia. Ah! Domina, quàm parum nôsti, quàm infirma sit specioſi hujus significatio nominis, quod inter homines fraternitas nuncupatur? In carne & sanguine fundatum esse sufficit, ut subsistentia & firmitas illi desit. Longè alia ambitionis, cupiditatis, æmulationis, invidiæ, aliarumque humanæ societatis concordiæque pestium est potentia, quâ sacratissima naturæ fœdera & vincula profanata dissolvuntur. Et quemadmodum pessima vitiorum horum sementis nascitur & communicatur inter æquales, ità inter iisdem ortos parentibus naturalior est discordia. De eodem Paradisi fonte exeunt flumina, sine omni societate ad invicem, quolibet diversam tenente viam; non solùm divisa ab invicem, sed sibi opposita. Porrò, si illud contingat in aqua limpidissima, quid fiet in calore sanguinis? Dicat ipsum ille Abelis,

à Caino, & ille Remi à Romulo effusus. Si binos famosæ istius civitatis, quam hodie non capit mundus, fundatores fratres ipsa non cepit civitas: si binos fratres naturæ primogenitos ad humanum propagandum genus, tota non sustinuit terra junctos, ubi non erant alii: quomodo binos tuos sibi socios & concordes idem continebit consistorium, ubi quodlibet memoriale, quodlibet consultum, quælibet petitio, discordiæ materiam & fomitem ministrat? Quamvis non semel, sed septuagies forent fratres, ego nec pacis, nec vitæ ipsos rederem securos. Abimelech septuaginta occidit fratres, ipse, & illi famosi Gedeonis filii, tantùm ut solus regnaret. Ita sitis dominandi æstuat, ut etiam inter fratres, non nisi sanguine fuso restinguatur. Ubi septuaginta securi non sunt ab uno, quo pacto unus securus erit ab altero? Ecce quàm facilè eliditur objectio, Joannem & Jacobum esse duos, *duo:* cum exceptione esse filios tuos: *Filii mei.*

Verùm enim verò, si adeò manifesta horum duorum germanorum ambitio, tot alios interturbat respectus, quâ, quæso, ratione, pro illis diu duraturam sperare potes concordiam? Jam sunt amici, jam sunt concordes, jam verè sunt fratres germani; & nonnisi socii esse appetunt: sed quemadmodum unanimes jam sunt ad ascendendum, sic discordes postmodum erunt ad se invicem præcipitandum. Quot unanimes in pugna, se post mutuò occiderunt propter spolia? Ambitio, quæ jam illos unit, eadem postea dividet, & de latere ad latus, velut è duobus oppositis sibi montibus pugnando bellum sibi inferent. Sicut modò alias decem excluserunt Apostolos, ita duellando postea unus excludet alterum: & à quocunque steterit victoria, te dolor excipiet & gemitus. Utinam, Salome, eadem, quæ tam æstuanti nunc desiderio & solicitudine procurare satagis loca, postquam obtinueris, non graviorem tibi inducant pœnitudinem? Filiorum ne credas amori: ab ambitione eorum tibi time. In mentem tibi veniat Jacobi & Esau adhuc materno in utero lucta, qui non solùm erant fratres, sed gemini. Quis securam te fecit, quod Jacobus non sit futurus Jacob Joanni; & Joannes Esau futurus sit Jacobo? Expende dolores & tædia, quæ duo isti filii (è quibus descendunt tui) suæ intulerunt matri, antequam nascerentur, & jam nati. Antequam nascerentur, jam intestinum in visceribus sentiens bellum, ajebat: *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Si tanto mihi labore & dolore hi duo constituti erant filii, melius mihi fuisset eos nunquam concepisse. Et jam natis & adultis, Esau minator necem Jacobo, iterum Rebecca majore emphasi & dolore dixit: *Cur utroque orbabor filio uno die?* q. d. Estne possibile, quod uno die mater sim, utroque orbata filio? Utrumque non sine ratione dixit: unus enim illi deplorandus fuisset mortuus, & alter parricida. Pro medio utriusque conservandi vitam, magis dilectum Rebecca ab oculis suis amandavit, ut de offensi & irati fratris manibus ipsum liberaret. Et amor tuus, Salome, tam est cæcus, ut loco ejus, quòd filiis tuis occasionem præscindas, præsentiori discrimini eos exponas. Ergo cùm illos non ames tanquam mater, nec illos ames, ut filios, non voces eos tuos filios: *Filii mei.*

Gen. 25. v. 22.

Gen. 27. v. 45.

§. VII.

§. VII.

Matth. 20. v. 21. *UNus ad dexteram, & unus ad sinistram.* O quis mihi verba vires-que ministrabit! ut exponere tibi sufficiam, prout oportet, discrimina, præcipitia, pœnarumque & ærumnarum labyrinthum, quæ verbis hisce involuta non vides; uni dexteram, alteri sinistram indeterminatè postulas. Enim verò, quis tibi dixit, quemlibet eorum huic distributioni acquieturum? Persuasum tibi habe, utrumque dexteram, & neutrum præcisè prætendere sinistram. Jacobus dexteram deberi putat ætati; Joannes assignandam confidit amori: cumque necessarium sit alterutrum præferri, quo pacto ambo erunt contenti? Si Christus duas haberet dexteras, necdum secura esset partilitas. Verùm cùm loca sint inæqualia, & eadem utrique ambitio, uter eorum præferentiam, in altero, vel in seipso æquo feret animo inæqualitatem? Rachel secundo genitum enixa (qui vitam illi sustulit) nomen illi *Benoni*, quod filium doloris significat, imposuit, quod Jacob pater ejus mox in *Benjamin*, quod filium dexteræ significat, immutavit. Sed in casu vel contentione præsenti, in qua filiorum alteri obtinget dextera, & alteri sinistra, non est dubium, quin filius dexteræ filius sit futurus dolorum. Qui fuerit Benjamin Principis, erit Benoni fratris: nam gravissimo omnium dolore torquebitur, quod alter in loco, quo se dignum existimabat, & quem ambiebat, sibi prælatus sit tolerandus. Acerbè tulit Rachel, Liam sibi, ob ætatem, fuisse prælatam; similiterque Esau, Jacob sibi prælatum propter amorem. Et quemadmodum in utroque casu justum dolorem consolari non poterat fraternitatis respectus, cùm cujuscunque duorum fratrum horum præferentia eveniet; sive causa illius ætas in Jacobo, sive amor in Joanne: sed in quocunque fratrum erit dolor, idem etiam erit dolor matris.

Imaginare tibi, Domina, te unum jam habere ad dexteram, & alterum ad sinistram; sed recordare simul, quid dixerit Christus: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Matth. 6. v. 3. Porrò si Christus hoc suum in praxin redigendo consilium fratri manus suæ dextræ communicaret & committeret secreta, quorum consium nollet fratrem sinistræ: quis, quæso, hinc dolor, quis gemitus, quis mœror hunc occupabit, qualis invidia corripiet, si non in odium & rancorem transeundo, in vindictam tandem erumpat? Quid, amabo, Aaronem & Mariam ad murmurandum contra fratrem suum Moysen concitavit, nisi quod Deus huic secreta communicabat, quæ ipsis abscondebat? Quare Cain fratrem suum Abelem occidit, nisi quod Deo gratiorem videret, qui sacrificium ipsius majore favore prosequebatur? Non datur fraternitas æquo ferens animo, alium sibi in confidentia & favore esse prælatum. Primò omnium habitâ gratiâ illum exturbare allaborat, licèt uterque eam perdat. Enim verò, si fratres Josephi non potuerunt præferentiam tolerare somniatam, quo pacto quispiam frattrum sufferet experimentaliter notam? Violentiam & vim ambitionis humanæ ignorat, qui adversus tantum dolorem se sufficienter in patientia solidatum præsumeret.

Verùm adverte, quod si sinistra his periculis est exposita, nec dextera ab aliis haud minoribus timoribus sit secura.

Non datur res ſecura minùs quàm Principum gratia, nec quicquam in ſuprema poteſtate faciliùs, quàm commutare manus. In materia juſtitiæ, Regibus ad dexteram ſeu ſiniſtram declinare non licet: ita enim præcepit Deus:
Deut. 17. v. 20. *Neque declinet ad partem dexteram, vel ſiniſtram.* In favorabilibus verò & gratuitis, ex arbitrio, præter ſeu contra, ſpem manus commutare poſſunt. Quando Joſeph duos fratres filios ſuos Manaſſen & Ephraim patri ſuo Jacob pro impertienda ipſis benedictione præſentavit, Manaſſen primogenitum ad dexteram, Ephraim verò natu minorem collocavit ad ſiniſtram; Jacob in formam crucis commutando & tranſponendo manus, ſtanti ad dexteram ſuam, impoſuit ſiniſtram; ſtanti verò ad ſiniſtram ſuam, impoſuit dexteram. Hoc modo commutare poteſt manus, qui ex arbitrio ſuo impertit benedictionem. Porrò illud ipſum, quod duobus fratribus, licet filiis Joſeph evenit, tuis ſimiliter evenire poteſt; rota quippe adeò volubilis, non ad pedes ſtat fortunæ, uti pingitur, ſed in manibus Principis, à quo dependet.

Ex hoc ſupremo arbitrio ſequitur, quòd binis iſtis lateronibus, non ſolùm à ſe invicem timendum ſit, verùm etiam ab iis, quos ipſi procul abarcere ſolent; quales ſunt illi deforis ſtantes? Deforis & eminùs ſtabat Mardochæus, & repentè in locum intravit Amani, non ſolùm nihil tale ſuſpicati, ſed jam ad accelerandam ruinam ipſius negotiati. Quis ſecuram te redder, quod filii tui in obtentis locis, quæ prætendunt, diu perſeverabunt; vel quis illos à naturali ſeu violenta ipſorum locorum inſtabilitate exemptos faciet? Pro navigio, in quo remigabant, portus erat & anchora; pro cathedris, quas ambiunt, nec locus, nec inſtrumenta, eſt quod illas firmet. Qua ratione mutationem in liberioribus & mutabilioribus non timebunt voluntatibus, gnari quàm facilè mutentur venti? Mox ut viderint Principem in alium conjeciſſe oculos, ex hoc nec de die cibum, nec de nocte ſomnum capient. Ecce, ſi mediâ horâ illum loqui vel audire viderint, quod illi non audierint, jam corruiſſe, gratiâque excluſos autumant. Quidquid bene fecerit, non illi attribuent; & quicquid mali evenerit, ipſi authores exiſtent. Conſiderate in illis virtutes, quotquot volueritis, ſed earum nulla, neque omnes ſimul ſumptæ, à metu, ſuſpicione, zelotypia & æmulatione juſtâque diffidentiâ illos liberare ſufficient. Nam ab invidia, nec ſacrarium, vel locus ſacer immunis eſt. Æmuli Danielis ipſum à latere Regis amovere geſtientes, occaſionem aliquam & prætextum ad hoc inquiſierunt: *Quærebant occaſionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis,* Dan. 6. v. 4. Cum verò eſſet eâ vitæ innocentiâ, officiique integritate conſpicuus, ut teſtante Sacro Textu, nec cauſam, nec ſuſpicionem aliquam invenire poſſent: *Nullam* Ibid. *que cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt.* Tandem tamen non ſolum ipſum à latere Regis amoverunt, ſed in lacum inſuper leonum conjeceruut, non alia de cauſa, quàm quòd ter in die Deum adoraret: *Tribus temporibus flectebat genua ſua,* Ib. v. 10 *& adorabat coram Deo ſuo.* Num injuſtior dari poteſt cauſa? Num truculentior dari poteſt prætextus? Talis nihilominus cauſa non cauſa, prætextus iſte, qui prætextus non poterat eſſe, ſtratagemate tali

ab

ab æmulis Danielis fuit adornatus, ut Rex eum non condemnare, à latere ſuo arcere, & in lacum leonem non poſſet non mittere. Ecce nunc, Domina, quo filios tuos ducas & dirigas. Hoc tibi tantum ſine exaggeratione dico; ut filii tui objiciantur leonibus, non neceſſarius eſt lacus: ſufficit eſſe latus. Thronus Salomonis, qui throni Chriſti fuit figura, ab utroque latere ſeptem habebat leones; & hæc ſunt latera, quæ tu pro filiis prætendis, ubi quatuordecim ſunt leones pro ambobus, & ſeptem pro ſingulis. Quod ſi mihi regreſſeris, throni Salomonici leones fuiſſe eburneos; ego tibi aſſero, ex hoc non minus fuiſſe timendos. Leones naturales tantum dentes habent in ore, eburnei illi ex omni parte & toti ſunt dentes: idcirco quotquot loca illa conſcendunt, arroſos adeò & præmorſos videmus. Quia verò conſiderationibus meis te fatigare nolo, ad ultimum nunc tranſeamus, ſeu ultimo memorialis verbo, ſeu clauſulæ nonnihil immoremur.

§. VIII.

IN Regno tuo. Statim pergemus ad *tuum*; primò adeamus regnum. Si ſcires, quid ſit regnum, ejuſque pondus penetrares, præſertim quando cauſis incumbit ſecundis; protinùs mihi perſuaſum haberem fore, ut vel à cogitatu abhorreres, nedum illud filiis tuis, quibus tam bene velle tibi videris, deſiderares. Qualis, quæſo, Hercules erit Joannes, qualis Athlas erit Jacobus, ad imponendam humeris ſuis unius regni molem? Quibuſnam in aulis ſunt enutriti? Quas peragrando viderunt terras? Quas legerunt hiſtorias, quibus negotiis fuerunt occupati? Nec quid, nec quomodo loqui oporteat, ſciunt; tractare cum hominibus à mutis non addiſcitur piſcibus. Si gubernaculo & remo bene regebant navem; inſtrumenta, quibus in minoribus exercitiis dexterè utimur, majoribus adhibita machinis inutilia planè & inepta experimur. Ab araneis didicêre piſcatores, retibus minores capere piſces: ediſcere nunc mihi, an etiam Balænas? Dicito mihi, vel dic illis, utrum ſuper tabulas confractas, quibus lacum tranſeunt Tyberiadis Oceani ſe credant undis? Ubi terra non apparet, cælumque tempeſtatibus obductum latet? Hæc nihilominus felicia ſunt illa & fortunata, tam malè intellecta, quæ filiis tuis procurare tam anxiè ſatagis. Cùm jam ipſis vitam dederis, vivere illos permitte: cùm illis jam eſſe dederis, etiam eſſe ſine, quod ſunt: cùm jam tibi magnis doloribus conſtiterint, eoſdem & ipſis, & inſuper tibi augere noli. Dolores partûs ipſorum jam tranſierunt: porrò dolores ex promotione ipſorum naſcituri, totâ durabunt vitâ (totâ dico vitâ) ſi familiaritas ipſis procurata, & promotio eam adæquaret, durando non diu durabilem ipſis fortunam deſideras. Enim verò, ſi quoties lacui iſti ſe committebant, nullus in ipſos inſurrexit venti flatus, qui non ſimul cor quoque tuum concuteret; quo pacto, quæſo, quieto & tranquillo eris animo, ubi immenſo ſemperque turbido mari ipſos videris immerſos, in quo tot naufragium ſunt paſſi?

Jobum auscultа dicentem, Navarchum utique, in hisce maribus benè versatum, & utramque fortunam expertum; à qua nunquam, nisi vestibus & pelle
Job. 26. v. 5. nudatus, evasit ad terram: *Gigantes gemunt sub aquis.* Gigantes hi (de quibus Job loquitur) sunt homines, qui eò potentiæ, familiaritatis, dignitatis, & honoris ascendunt, ut omnibus supereminеant: nullus verò tam magnus est, tantusve Gigas, ut vadum illud illæsus transire, aut isto in fundo pedem figere possit: hinc omnes gemunt. Et nota, quòd non gemant suprà aquam, velut nauta & piscator tempore tempestatis, sed sub aqua: *Sub aquis gemunt.* O quam hoc verum, considerationeque dignum! Gemens extra aquam, respirat: sub aqua gemens, respirare prohibetur: gemitum supprimere cogitur,
Ps. 6. ne à gemitibus suffocetur: *Laboravi in gemitu meo*, inquiebat David, Regis Saulis latus stipans, quia inter alia displicentia multa, in familiaritatibus devoranda, gemitus necessariò est resorbendus. Tristitia cordis à facie arcenda est: nec in favoribus tantùm, verùm in ignominiis etiam & injuriis vultus lætitia & serenitas præferenda est. In hac continua corporis animæque tortura, ecce quanta illis patientia necessaria sit, quos familiares esse desideras; & utrum præcipuam hanc virtutem conservare possint, ubi virtutes perduntur omnes. O Domina, quàm deceptam te filiorum tuorum virtutibus video!

Aula neminem reddidit meliorem: multos bonos reddidit pejores. Memento Moysen aulam deseruisse Pharaonis loco filii, & non Ministri, habitum. Jesse, Davidem filium suum ex aula Saulis revocavit: Berzellai in aula Davidis vivere & mori recusavit: & si illum adoptavit in filium, quod tu desideras tuis, id factum est, æquè ut tu deceptus, quid hoc esset ignorabat. Manifestè sanè apparet, te procul aulâ & in agris ruralibus littoribusque maris Galilææ contiguis enutriam. In Jerusalem tende, quomodo Christus eò vadit: si permiserint excubiæ, sæculare intra palatium Herodis, vel Ecclesiasticum Caiphæ Pontificis, & in tanto famelicorum prætendentium tumultu & concursu (omnes enim comedere appetunt, & se invicem comedunt) vide utrum inveniri possit quies, in tanta perturbatione tranquillitas, inter tot mutationes stabilitas, inter tot mendacia veritas, inter tot negotiationes justitia, inter respectus integritas, inter tot invidias securitas, inter tot adulationes & adorationes modestia, temperantia, & fides. Super omnia considera, num tanta ambitionis, insatiabilisque cupiditatis sitis satisfactione aliquâ expleri seu temperari queat: & utrum filii tui id præstare possint tot, quot ibi contendunt & decertant super re una, aut neganda omnibus, aut nonnisi uni concedenda? Hinc oriuntur displicentiæ, querelæ, murmurationes de regimine, arrogantiæ & elationes Magnorum, lacrymæ & lamentationes pusillorum, dissensiones, partialitates, odia, rancores, quarum omnium venenatarum scopus & meta sunt, qui proprius supræmæ potestatis throno assistunt, qui ejus vice respondent, qui oracula excipiunt & declarant, qui decreta ejus distribuunt: enim verò si hæc toleranda & subeunda veniunt, non in Babylone, aut Ninive, sed in Jerusalem

ſalem: neque in imperio Aſſyriorum, Perſarum, Græcorum, aut Romanorum; ſed in una Republica in tantum hodie devaſtata, imminuta, ad easque redacta anguſtias, qualis illa Judææ; quid in univerſali Chriſti eveniet Regno? *In Regno tuo?*

§. IX.

Tuo; Tuo, inquis, non advertens aut ſciens, quantum breve hoc verbum includat. Propheta David dilatandum aſſerit, Regnum Chriſti à mari uſque ad mare, & à flumine Jordane uſque ad terminos & fines terræ. Propheta Iſaias, ex quatuor Mundi Partibus, ex Oriente, ex Occidente, ex Septentrione & Meridie venturos vaticinatur, ut ſe illi ſubjiciant, ipſumque adorent. Propheta Daniel omnes Gentes, linguas omnes & populos ipſi confeſſuros, omnesque Reges & Monarchas obedientiam & ſervitia exhibituros adſtruit. Hæc amplitudo & magnificentia eſt Regni. Quanta proindè capacitas, & qualia Miniſtrorum talenta tibi videntur neceſſaria, ad congruè movendos & ſuſtentandos duos tantæ Machinæ Polos? Sufficientne tui Joannes & Jacobus? Circino non aſſueti, & mappâ nunquàm inſpectâ, ad cognoſcendas Regiones & Gentes, ad percipiendas intelligendásque linguas, ad penetranda Statûs, torque Statuum negotia, ad expediendas legationes, recipiendas obedientias & homagia, qualificandas & diſponendas conditiones; ad conciliandas denique voluntates, omniumque totius univerſi Regum & Principum intereſſe & commoda procuranda & promovenda? Liquidò conſtat, quòd vel non cognoſcas tuos filios, vel loca, dignitatesque, ad quas eos evehere ſatagis, non debitè fueris dimenſa. Joſeph & Daniel tantæ capacitatis ſubjecta, totam illam ſinguli uni impenderunt regno: Joſeph Ægypti, Daniel Babyloniæ regno. Et quæ proportio Babyloniæ ſeu Babyloniarum centum; unius Ægypti, vel mille Ægyptorum, cum Regno & Monarchia Chriſti? Intra ipſos parietes domeſticos majus adhuc ſub oculis verſatur exemplum. Moyſes ille homo, plus quàm homo titulo præferens Deitatem, & manibus omnipotentiam, quoties DEO, de ſua ad ſuſtinendum populi pondus inſufficientia, & quidem populi tantùm unius, ſuâ lege viventis, nationis ejusdem & linguæ eſt conqueſtus? Admiſsâ tandem excuſatione DEUS ſocios regiminis ipſi adjunxit: ſed quos & quantos? Non minus quàm ſeptuaginta, ex ſenioribus, majoribus, melioribusque ejusdem populi electos. Age, ſi pro mole unius regni, tunc necdum regni, ſeptuaginta tam fortes neceſſariæ fuerunt columnæ, quâ ratione, tu duabus tam infirmis, immenſam illam Machinam, quæ omne, quod firmamenti convexo continetur, in ſe colliget, credi & imponi poſtulas? Non eſt phraſis poëtica, vel mea, ſed Danielis Prophetæ: *Et magnitudo regni, quæ eſt ſubter omne cælum, detur populo Sanctorum Altiſſimi.* Dan. 7. v. 27.

Verùm dices ad hoc, in Regno Chriſti, hoc ipſo, quod ſit ſuum: *In Regno tuo*; locum non habebunt pericula tanta & gravamina, velut in aliis: quantùm Rex ille ab aliis Regibus differt. Quoad perſonam,

nam, justitiam & bonitatem Regis rationabiliter loqueris. Maxima privatorum, seu Regum hujus mundi familiarium infelicitas, præsentissimúmque ipsarum familiaritatum præcipitium est, quòd Ministri illi non tam Regno, quàm passionibus Regum deserviant, appetitibus eorum indulgeant, & vitia eorundem palpent. Proindè gratiam Dei negligunt & posthabent, ne de illa Regum periclitentur, vel ut magìs in eam se insinuent & stabiliant. Abrahamo cum Sarâ, uxore sua, sub sororis nomine, Ægyptum ingresso, laterales Regis, loco novorum, non retulerunt Regi, quod homo sanctus advenisset in aulam, sed mulier illius insignis & ornata naturæ dotibus, quas æstimant, & latriæ quasi cultu venerantur non Sancti. Si Rex Herodes amore flagitioso deperit Herodiadem; si David Bethsabeen; familiariores expediunt adulteria, iidemque per se, vel subornatos approbant & exequuntur homicidia. Rege avaro, instar Roboami; vel vano, instar Assùeri; illi imponunt tributa, illi laudant prodigalitates, & deprædicant pompas & ostentationes. Illi denique Nabuchodonosoris statuam adorant; quique ligna comportare juvant, ad accendendas seu inflammandas fornaces Babylonicas, procurantes sine scrupulo, ut in iis comburantur innocentes. Similia longè aberunt à Regno Christi; ex parte enim Regis omnia erunt æquitas, justitia, moderatio, temperantia; neque assistentes lateribus ipsius, factâ sibi potestate abuti, ejúsque limites excedere audebunt, quæ non nisi justum & necessarium respiciet. Non vindicabit se de Mardochæi injuriis, & contumeliis Aman, manu regiâ; neque Doëg invidiæ se vindicabunt Saulis lanceâ; nec Joab odia, Davidis dissimulatione. Verùm, licèt ex parte Regis, Laterales Christi ab his periculis futuri sint immunes: ex parte subditorum, graves non deerunt difficultates, quas superent, nec non repugnantiæ & contradictiones, quibus se opponant.

De Regno Christi prophetatum constat, cuncta in eo fore nova: *Ecce nova facio omnia*; nec te latet quàm difficulter novitates introducantur. Si mundus de novo est fundendus, ipsum prius dissolvi & liquefieri oportet; quod non nisi violentissimo omnium elementorum igne possibile est. Prophetatum est (quòd hisce nostris diebus, ipsius Christi præcursor etiam prædicavit) valles implendas, montes & colles humiliandos, nec aliquos tantùm, sed omninò omnes: *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur.* Quis tam excelsi & generosi est animi, ut hanc deprimendi magnos, & exaltandi parvos, & utrosque in tanta natalium fortunarúmque imparilitate, coæquandi Provinciam in se suscipiat? Quod si operarii vineæ sine omni præjudicio suo, ægrè tulerunt alios sibi in mercede æquari; quis, quæso, arrogantiam, superbiam, tumorem & superfluitatem Grandium mundi, omnia sibi debere existimantium, nullíque, quod debetur solventium, ad talem reducet mediocritatem & moderationem? Prophetatum quoque est, regnante Christo, lupum habitaturum cum agno, & leonem bovis instar comesturum paleas: *Habitabit lupus cum agno, & leo quasi bos comedet paleas.* Sed quis lupi coërcere poterit voracitatem, ut talem observet abstinentiam,

Ap. 21. v. 5.

Luc. 3. v. 5.

Isa. 11. v. 6. & 7.

tiam,

tiam, & regiam leonis compescere rapacitatem & gulam; ut bovis instar horrei pabulo pro pastu contentus, montuosis & sylvestribus in cibum prædis & venationibus abstineat? Justior, benigniorque lex dari nequit, affatimque favoris leoni indulgetur, quod sine labore obambulans, æqualiter cum bove, cum damno hujus participet, quod tanto ipsi labore aratrum trahendo & currum, nec non triturando, constitit. Porrò cum iniquum hoc forum consuetudine introductum sensimque sit canonizatum: cuinam Ministrorum tantus erit zelus, tanta virtus, tam intrepida & constans magnanimitas, ut contra tantam adversantium vim, illam in praxin deducat, confirmet, atque defendat? Ita ut, Domina, prætermissis, quæ adhuc dicere potuissem, & resumendo quod dixi, neque integritati Regis, neque bono regni, neque tibi, neque filiis tuis expediat concedi loca, quæ petis; neque acceptare quamvis non peterent, ultroneè oblata. Quare, si omnium rationum harum pondus, aliquid apud te valeat, author suasorque tibi sum, ut brevissimè, facillimè, & securissimè, non desiderando, non interpellando, neque petendo temetipsam expedias.

§. X.

HÆ sunt, Clementissime Domine! considerationes (& nondum omnes) quas respondendo matri Zebedæorum, memoriali ejusdem, prout occurrerunt, opposui. Quod si omnia memorialia similiter excuterentur, contingeret fortè, quod ratior memorialium & prætendentium foret numerus; Regesque & Ministri importunitate carerent. Hæsitavi perplexus, utrum cum dictis considerationibus in publicum prodirem, uti nunc factum, timens ne læsæ majestatis reus haberer, quod veritatibus istis, subditos à Regis ministerio retrahere & absterrere viderer. Resolvi tandem non reticere, quæ dixi, scrupulo isti dilemmate hoc, opinione meâ, verò & infallibili sucurrendo. Adduris me persuadebo, vel non persuadebo: si non persuasero, in eodem perseverabimus statu, & multi loca sæpe fata prætendent: si persuasero (quod non spero) nullus ea appetet, aut procurabit. Et quando loca ista minus fuerint affectata & procurata, Majestas tua magis idoneis Ministris melius erit stipata.



SERMO
DE
S. AUGUSTINO.

Habitus in ejusdem Eccleſia, & Conventu S. Vincentii Ulyſſipone, Anno 1648.

Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt. Matth. 5.

§. I.

MAximum inter Doctores Sanctum, maximumque inter Sanctos Doctorem, in hoc magno theatro, velut Patrem familiarum ſuarum celebrat Primogenita, Evangelium, quod in hac ſolemnitate cantat Eccleſia, non ſolùm S. Auguſtino applicatum, ſed per eundem proponit explicatum. Ego verò utrumque venerando pro debito, tam in applicatione, quàm explicatione, implicationem non minimam invenio. Ita, ut Evangelium hodiè S. Auguſtino applicatum, à S. Auguſtino explicatum, & cum S. Auguſtino implicatum habeamus. Sed quomodo, quæſo, & qua parte implicatum? Non minùs quàm duabus eſſentialibus ipſius Evangelii partibus, & duabus potioribus excellentiis ejusdem S. Auguſtini, quæ ſunt illæ duæ, à quibus Sermonem ſum exorſus Evangelium cum S. Auguſtino implicatum, quà Doctore; iterúmque implicatum cum S. Auguſtino, quà Sancto. State mecum.

Chriſtus toto hoc Evangelio nihil intendit aliud, quàm perfectam Eccleſiaſtici & Apoſtolici cujusdam Prælati efformare ideam. Hæc indifferenter ex duabus partibus eſſentialibus; ſcientia videlicet, & virtute componitur. Ex ſcientia, oportet enim eſſe doctum; ex virtute, oportet enim eſſe ſanctum. Virtute præditus ſine doctrina, erit ſanctus; ſcientiâ præditus ſine virtute, erit doctus: ſed quacunque, earum deficiente, verus non erit Prælatus. Et quid, utraque deficiente futurum? Sufficietne igitur ſolâ ſcientiâ eſſe doctum, & ſolâ vir-

vicrute esse sanctum? Minimè gentium. Contingere quippè potest, Prælatum quempiam doctum esse simul & sanctum, nihilosecius bonum non esse Prælatum; potest enim esse doctus & sanctus sibi, & non aliis. Taliter ipsum doctum esse oportet, ut doctus sit, simul & Doctor: taliterque sanctus, ut sanctus sit, simul & sanctificator. Hoc innuit illud:
Matt. 5. v. 19. *Qui fecerit & docuerit*; Doctor docendo, & sanctificator faciendo. Ad docendum necessaria est scientia, ut doctrina sit sana: ad faciendum, necessaria est ipsi virtus, ut sint opera bona: porrò ista opera, totaque scientia occulta & abscondita esse non debet, ut non videantur, sed publica & manifesta omnibus apparere: *Neque accendunt lucernam,*
Ib. v. 15. *& ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Scientia publica & manifesta,
Ib. v. 16. ut luce doctrinæ illuminet: *Sic luceat lux vestra coràm hominibus*; & opera manifesta & propatula, ut vitæ exemplo ædificet: *Ut videant opera vestra bona.* Denique utraque non ad laudem, æstimationemque propriam referenda sunt, quod vanitatem & terram saperet; sed ad honorem, gloriamque Patris, qui in Cœlis est: *Et glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.*

Hic naturalis propositorum verborum est sensus; hæc summaria totius Evangelii, variis in partibus à sancto Augustino tam solidè, tam propriè, usitato ipsi more explicati intentio: ast ubi idem ipsi S. Augustino applicaverimus, planè & totaliter, ut dixi, cum ipso implicatum inveniemus. Apertis S. Augustini libris, primo præfixum titulum videbitis: *Liber Retractationum Augustini*; in quibus idem Sanctus valdè minutatim omnes declarat errores & ignorantias (ut ille vocat) quas minoris certitudinis, dubiæque veritatis scripserat. Ad secundum transeundo librum, eundem pari modo, in frontispicio præferre videbitis titulum: *Liber Confessionum Augustini*; quibus similiter totius vitæ suæ peccata accuratè describit & manifestat. Si igitur Evangelium omnibus Prælatis scientiam suam & doctrinam, virtutem suam & opera bona propalare mandat; quo pacto S. Augustinus, scientiæ loco, suas ignorantias & errores, & bonorum operum suorum loco, peccata sua in publicum producit? Ergò vel Evangelium incongruè applicatur Augustino, vel Augustinum cum Evangelio habemus implicatum. Ad binas hasce solvendas hodie implicationes, duplici gratiâ indigeo. Ave Maria.

§. II.

Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.

BInos illos, Retractationum & Confessionum suarum à se compositos libros, S. Augustinus in operum suorum capite posuit. Primo librorum folio Typographi solent proponi errata: S. Augustinus novâ nunquam visâ & usitatâ methodo errata præmittit authoris. In libro Confessionum, errata vitæ: in libro Retractationum, errata doctrinæ. Ego utrumque, *Indicem rerum notabilium*, intitulabo. Cum enim omnia S. Augustini libris contenta, tam sint

alta, tam profunda, tamque Divina, hæc duo præ cæteris sunt notabilia. Sunt multi, qui non contenti suum apponere nomen; imò ipsis libris, quos de famæ contemptu inscribunt (prout notavit Cicero) volentes ut non solùm legantur, sed & illi ipsi videantur, in fronte libri effigiem suam exprimi curent, & hoc, quod in tot aliis authorum nomine indignis fecit vanitas, in celebratissimo Ecclesiæ authore modestia fecit & humilitas. Corpora penicillo, anima depingitur calamo: proinde bini isti libri, opinione meâ, S. Augustini animæ *vera* sunt *effigies*. Petierunt nonnulli à S. Paulino, ut dipingi se sineret: & ipse, qui sicut primam vitæ partem dederat mundo, ita secundam consecraverat Christo, respondit: *Vel cupitis depingere meum veterem hominem, vel novum: si veterem, ille deformis est, nec picturâ, sed latebris dignus: si novum, ille nondum perfectus est.* Concludens, nolo me depingatis. Nihilosecius S. Augustinus, quamvis singularis S. Paulini amicus, longè diverso consilio, quicquid in vita sua fœdissimum, & maximè deforme, in suaque doctrina distortum invenit, propriâ suâ manu, non tantum certioribus, sed etiam vivacioribus coloribus depinxit.

S Paulinus.

In libro suarum Confessionum S. Augustinus sua propalavit peccata, & in Retractationum suarum libro suas publicavit ignorantias: & qui tantùm peccatorum fœditatem, ignorantiæque indecorum comprehenderit, binas istas S. Augustini actiones pro merito, poterit æstimare. Maximum Dei opus fuit Incarnatio, cujus potissima excellentia non constitit tantum, in nostram assumendo naturam, quantum in nostram assumendo similitudinem: *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Non assumpsit Deus naturam humanam, qualem eam in Adamo condiderat, sed qualem ipsam posteà invenit, à primo scilicet statu collapsam, tamque infinitis gravibusque miseriis & ærumnis subjectam. Ad nascendum, vivendum, moriendum (& quod non minus est) ad labores, fatigationes, sudoresque se dimisit: doloribus, mœroribus, lacrymisque se subjecit: persecutiones, contumelias, ipsamque crucifixionem passus. Verùm toti illi miseriarum despectuumque abysso se immergens (nam juxtà S. Paulum *debuit per omnia fratribus similari*) à duobus nihilominus humanitas Christi immunis prorsus mansit & exempta. Et quænam illa? Peccatum, & ignorantia. Quia tam vilis & fœda res est peccatum, tamque deformis ignorantia; ut si quo casu possibile foret, nullo protinus modo in humanitate Divinati unita, ea toleranda essent. Cùm igitur ea peccati sit fœditas, ignorantiæque absurditas; S. Augustinus voluntate determinatâ proprioque motu, duo ista sibi seligens assumpta, ad binos istos libros, unum de suis peccatis, alterum de suis ignorantiis, ex proposito conscribendos se accingat; jamque conscriptos evulget totique mundo publicè proponat? Ad defendendas culpas, vel excusandas ignorantias, multæ apologiæ, & manifesta extant conscripta: sed ad confitendas & propalandas solus eas Augustinus conscripsit. Binas hasce actiones in laudem ipsius considerare & expendere

Hebr. 2. v. 17.

pendere cœpi : & nunc excusatione, & quidem non facili, mihi indigere videntur.

Verùm respondebunt mihi (ut dixi) forsan nonnulli, pro parte S. Augustini, utrumque illud humilitatis fuisse actum; sed responsio ista jam dicendis validè impugnatur. Virtus Christo propria, & per antonomasiam Christi, est humilitas: *Ut inhabitet in me virtus Christi.* Virtus, quam Christus specialiter in mundo docturus venit, cujusque se Magistrum fuit professus, humilitas est: *Discite à Me, quia mitis sum, & humilis corde*; humilitas verò Christi, non maxima solùm, sed & extrema humilitas fuit; nihilominùs peccatum & ignorantiam non admisit: ergo, Augustinus peccata sua, & ignorantias subticendo, licèt obnoxius illis fuisset, perfectè humilis esse valebat. Quantò magis, quod præcepto contraria non detur virtus: & contrà duplicem istum actum, humilitatisque excessum, duplex jam auditum Evangelii militabat mandatum, contrà peccatorum propalationem, illud exempli; & contrà evulgationem ignorantiarum, illud doctrinæ. Cùm igitur Evangelium Augustino scientiâ & doctrinâ fulgere præcipiat, quo pacto errores suos & ignorantias in publicum producit? Et si operibus & exemplis præluc ere & illuminare illum jubeat, quâ ratione vitia sua & peccata publico exponit? Errores potiùs contegat, ne doctrina Eclypsin superinducant: peccata obvelet & abscondat, ne exemplo tenebras offundant. Cùm igitur ex mirabilibus Sancti Augustini operibus sit tam consona Evangelio explicatio, idem ipse illud dissonum sibi non ostendat.

2 Cor. 12. v. 9.

Matth. 11. v. 19.

§. III.

AGedùm, Auditores! ne diutius suspendamus judicium, totum quod in S. Augustino dissonum videtur Evangelio, non fuit dissonantia, fuit consonantiæ amplificatio. Sic non habemus Evangelium cum Augustino implicatum, sed per Augustinum amplificatum Evangelium illis, qui lux sunt Ecclesiæ, scientiâ & virtute, doctrinâ & exemplo illuminare præcipit: præceptum hoc S. Augustinus amplificando limites ejusdem excedens, non suis solùm scientiis, sed & ignorantiis; non suis solùm virtutibus, verùm etiam peccatis mundum illuminat. Suis ignorantiis, nam ex eis doctrinam fecit; suis peccatis, ex ipsis peccatis fecit exemplum; & cum ignorantiæ & peccata sint tenebræ, de ipsis tenebris fecit lucem: *Sic luceat lux vestra coràm hominibus.*

Christus Dominus noster hoc suo præcepto viris Apostolicis lucere mandans, etiam in quo, & qualiter prælucere oporteret, specificavit. Quoad primum, ut lucendi instrumentum esset lux: *Luceat lux vestra*; quoad secundum, lucendi modus esset talis, qui gloriam DEI promoveret: *Sic ut glorificent Patrem vestrum.* Quid verò Augustinus fecit? Observato modo amplificavit instrumentum: non enim solâ luce, verùm etiam tenebris præluxit, & in utroque lucendi observavit modum; nam sicut luce, ità & tenebris gloriam Dei promovit. Simile quid in terra non invenio, sed in Cælo; unde Augustinus admirabilem hanc Philosophiam hausit: *Cæli enarrant gloriam DEI,*

Psal. 18. v. 1. *& opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Cœli (inquit David) semper prædicant gloriam DEI : & firmamentum manuum ipsius opera omnibus manifestat. Enim verò, quænam ista sunt Dei opera, quibus Cælum publicè, velut instrumento, gloriam Dei deprædicat? Admirabiliter ad nostrum intentum id innuit Textus : *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Opera, quibus Cælum gloriam Dei publicat & prædicat, sunt dies & nox. Ergò nox tenebrosa & deformis, cùm die lucido & formoso, ad glorificandum Deum intrat in chorum ; ita planè, dies enim luce, & nox tenebris Deum glorificat : nec minor ex tenebris, quàm ex luce gloria DEO accedere potest. Quod ita, ter geminâ voce, tres pueri in fornace Babylonica decantârunt : *Benedicite noctes & dies Domino : Benedicite lux & tenebræ Domino.* Ita actu modoque singulari & extraordinario id S. Augustinus præstitit, qui non solum scientiarum suarum virtutumque luce, verùm etiam ignorantiarum suarum peccatorumque tenebris Deum glorificavit ipse, & alios docuit glorificare : *Ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.*

Hb. v. 2.

Dan. 3. v. 71. & 72.

Verùm plus innuit, plusque Evangelium intendit. Qualitatem lucis istius declarans : *Sic luceat lux vestra* ; inquit : Eam accensæ instar lucernæ esse oportere, quæ non accenditur, ut abscondatur, sed lucem omnibus impertiat : *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Sed & in similitudine hac excedens Evangelium Augustinus, non solùm luxit, mundumque accensâ, sed etiam extinctâ illuminavit lucernâ : Ad Cœlum revertamur. Nascente Christo, Cœlum unam accendit lucernam : eodem moriente extinxit alteram. Lucerna Christo nascente accensa, fuit stella, quæ apparendo Magos deduxit : Lucerna ipso moriente extincta, fuit Sol, qui Eclypsin passus, ab ea hora, quâ Christus in Crucem actus est, usque dum expiraret, in ea tenebris mundum involvit. Quo verò mysterio, Cœlum, duobus diebus adeò memorabilibus, binis adeò contrariis prodiit signis ? Consideravit illud S. Augustinus, serm. 30. de tempore. Respondit (ne in causa sit propria) S. Petrus Damianus his verbis : *Habuit testimonium lucis, quia claritas stellæ illustravit Magos : & habuit testimonium tenebrarum, quia in morte ejus tenebræ sunt super universam terram.* Cœlum lucernam accendit unam, & extinxit alteram Christo intrante, & salvo exeunte de mundo ; ut Christus, in asserenda gloria sua & Divinitate, non solùm lucis, sed etiam tenebrarum testimonium haberet : *Testimonium lucis, & testimonium tenebrarum.* Ergóne etiam tenebræ, quarum officium est obscurare, illuminare, testimoniumque perhibere queunt? Etiam, tantoque magis idoneum, quantò subjectum, quod obscuratur, clarius instar Solis splenduerit. Stella testimonium perhibuit lucendo : Sol, obtenebrescendo : tantoque validius fuit testimonium Solis, illo stellæ ; quod stella lucendo tres homines, Sol tenebras inducendo, totum illuminaverit mundum. In casu & quæstione, quam tractamus, Augustinus semel accensa, & rursum extincta videtur lucerna. In scientia sua & doctrina, in virtutibus suis & exemplo lucerna accen-

S. Aug. ser. 30. de tem. S. Petr. Dam. serm. de Epiph.

censa: in ignorantiarum suarum manifesto, peccatorumque suorum propalatione, lucerna extincta. Verùm ità oportebat esse, ut suæ testimonio lucis, suarúmque testimonio tenebrarum DEUM glorificaret: *Habuit testimonium lucis, & testimonium tenebrarum.* Advertendum nihilominùs, quod in testimonio lucis, scientiis lucendo & virtutibus, Augustinus illuminârit instar stellæ, aliorum more Sanctorum: In testimonio verò tenebrarum, ignorantiis peccatisque se obscurando, illuminârit instar Solis; quoniam singularis & extraordinarius S. Augustini fuit actus. Alii sese Evangelii adstrinxerunt: Augustinus illud dilatavit.

Restat maxima validissimaque ipsiusmet Evangelii oppositio: verùm & huic amplificatione majore S. Augustinus satisfaciet. Evangelium, quales radios seu splendores lucis esse oporteat, quos commendat, strictè & indivisim determinans, inquit, oportere esse opera bona sic manifesta hominibus, ut ex eis Deum glorificent: *Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Cœlum nobis repetendum est, ob textum à Davide productum, in quo grande & abditum nobis eruendum remansit mysterium. Si Cœli ad glorificandum DEUM ipsius opera publicat: *Cœli enarrant gloriam DEI, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Quomodo operibus DEI noctem tenebrasque annumerat, quæ licet sint opera Dei impropriè, propriè non sunt bona? Tenebræ negatio sunt lucis; porrò negationibus nec est, nec inesse potest bonitas; quia & ipsum esse ipsis deest. Eadem Scriptura illud clarè in utriusque creatione innuit; de luce loquens, ait: *Facta est lux,* Gen. 1. *& vidit lucem, quòd esset bona.* E contrario v. 4. de tenebris loquens, quæ lucem præcedebant, ait: *Et tenebræ erant super faciem abyssi;* Ib. v. 2. non inquit: Deum vidisse, & bonas dixisse tenebras; Et quare? Quia lux, cùm habeat esse, & tam excellens esse, bonitatem habet, estque bona: tenebræ verò, cùm sint negatio, esse carent & bonitote, neque bonæ sunt. Si igitur tenebræ non sunt bonæ, quare Cœlum illas inter opera Deum glorificantia numerat? Etiam Cœlum, ad amplificandum gloriam Dei, Evangelium amplificare voluisse videtur: Verùm non eâ excellentiâ quâ id præstitit Augustinus. Evangelium Prælatis bona opera præcipit, quibus glorificetur DEUS: *Ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Cœlum uno passu ulterius progressum, Deum operibus glorificare volendo: *Et opera manuum ejus annunciat firmamentum;* adjunxit opera, quæ propriè non sunt bona, qualia sunt tenebræ & nox: *Et nox nocti indicat scientiam.* Verùm Augustinus, præter hæc omnia, modum insuper adinvenit, quod impossibile videtur, glorificandi Deum operibus verè & propriè malis, qualia sunt errores & peccata. Ita ut Evangelium Deum glorificare præceperit operibus bonis: Cœlum eò progressum sit, ut glorificet operibus non propriè bonis: & Augustinus eò usque pervenerit, ut non solùm operibus, non bonis, sed etiam operibus propriè malis. Et hoc novo inauditoque modo assecutus est, cum duobus istis libris Confessionum suarum, & Retractationum in publicum prodeundo, non contra, sed ultra præceptum,

idem,

idem, quod sibi loquebatur, dicens: *Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.*

§. IV.

VIdimus, seu diximus in generali, quomodo S. Augustinus Evangelium amplificando, non luce tantùm, verùm tenebris etiam illuminârit, ut & ipsi suo modo gloriosè accommodari possit, quod soli Deo tribuitur; quòd scilicet tenebræ ejus, instar lucis ejus sint: *Sicut tenebræ ejus, ita & lumen ejus.* Vidimus ipsum non solùm illuminâsse lucernâ accensâ, sed etiam extinctâ; similiter Evangelium excedendo, in quo virgines, cum lampadibus accensis, intraverunt ad nuptias, reliquis, cum lampadibus extinctis, manentibus foris. Vidimus, quomodo non solùm illuminârit operibus bonis, sed etiam malis, ea in lucem producendo; cùm hoc sit exceptio contrà Evangelium, dicens: *Omnis, qui malè agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus*; sequitur, ut nunc videamus, quomodo illud sit factum, vel fieri possit, non enim difficultate videtur carere. Enim verò, si liber Confessionum vitia continet & peccata, quo pacto Augustinus vitiis & peccatis vitiosos & peccatores illuminare poterit? Et si liber Retractationum errores continet & ignorantias, quo pacto Augustinus erroribus & ignorantiis, errantes & ignorantes illuminare valebit? Totum illud facere potuit, & fecit Augustinus, & modo non quocúnque, sed illo ipso, quo Christus in Evangelio, homines illuminare præcepit: *Sic luceat lux vestra coràm hominibus.* Modus, quo Christus & Evangelium, hominibus prælucere mandavit, fuit, exemplo & doctrinâ; & eodem ipso Augustinus illuminavit: In libro quippè Confessionum, de peccatis, fecit exemplum: & in libro Retractationum, de ignorantiis, fecit doctrinam. Porrò de hoc nobis jam tractandum est: & quia Augustinus bina hæc assumpta in duos divisit libros, nos quoque, pro majore claritate & distinctione, in duas illa dividemus partes.

Pſ. 138. v. 12.

Joan. 3. v. 20.

Exordiamur à prima. Nihil æquè naturale est homini, quàm propria sua abscondere & contegere peccata. In tota illa famosa verborum disceptatione, à tribus amicis suis cum Job inita, omnis eorum eò dirigebatur intentio & contentio, ut Jobum convincerent ad credendum, quòd in pœnam peccatorum suorum omnes istas sustineret ærumnas: Jobo è contrario suam probante & propugnante innocentiam. Hunc in finem magnum virtutum suarum, operúmque bonorum confecit syllabum, concludens: Quòd si peccata haberet, ea omninò deberent esse publica; & nota, quòd nunquàm ea occultâsset: *Si abscondi, quasi homo, peccatum meum.* In his verbis magnum continetur arcanum, magnáque consideratione digna est ista exclusiva: *Quasi homo.* Non tantùm peccata sua se abscondisse negat, sed non abscondisse, quasi hominem. Ut Job qualificaret innocentiam, sufficiebat dicere, se peccata non habere; utque testimonio id probaret publico, sufficiebat dicere, se nunquam ea abscondisse: Cur igitur addit, quòd ea non absconderit velut homo: *Si abscondi, quasi homo, peccatum meum?* Quia homini nihil

Job. 31. v. 33.

magis

magis naturale, quàm peccata ſua abſcondere & occultare. Peccare, vel eſt malitiæ, vel infirmitatis; peccatum abſcondere, eſt naturæ. Primus peccans fuit Adam. Et quis primus peccati primi fuit effectus? Seſe abſcondere. Non erant alii tunc in mundo oculi, à quibus Adam ſe abſconderet, niſi Dei; & ad ipſos uſque oculos Dei abſcondere ſe voluit mox, ut peccârat. Thamar, in bivio itineris ſedens, obvium habuit Judam; primum Tribus Regiæ fundatorem & caput, ex cujus congreſſu Phares & Zaram concepit: de qua Textus inquit, quod videns illam Judas, *ſuſpicatus eſt eſſe meretricem.* Et quo ex motivo: *Operuerat enim vultum ſuum, ne agnoſceretur.* Videant ibi obvelatæ, quas conſequentias detegant, quando ſic ſe operiunt.

Gen 38. v. 15.

Porrò rationem, quare adeò naturale ſit homini operire & abſcondere peccatum, dedit Quintilianus, & hæc eſt: *Non quisquam tam malus, ut malus videri velit.* Et ab hoc principio Tertullianus validum formavit argumentum, in defenſionem Chriſtianorum contrà tyrannos. Ite, inquit ille, ad veſtros carceres, ubi habetis captos fures, latrones, adulteros & Chriſtianos; & ab his & aliis delicta eorum inquirite. Chriſtianus interrogatus: Num ſit Chriſtianus? Mox reſpondebit: Quòd ſit. Fur, latro, adulter, etiam in tormentis negabit. Et quæ cauſa, quod hi negent, & illi non? Quia quod malum eſt & peccatum, nemo vult eſſe ſuum: *Nolunt enim ſuum eſſe, quod malum eſt.* Sequitur ergò, eſſe Chriſtianum, non eſſe malum, neque peccatum; ſi enim hoc malum eſſet, illi hoc utique operirent & negarent. Porrò hoc concludit modo: *Quid hoc mali eſt, quod naturalia mali non habet? Timorem, pudorem, tergiverſationem*; q. d. Quod malum, quodve peccatum eſt, in quo non invenitur naturale omnis peccati, cura ſcilicet & artificium operiendi, nec non timor & verecundia confitendi? Proindè, quia tam naturale eſt homini, ſua operire & abſcondere peccata. S. Auguſtinus Confeſſionum ſuarum librum conſcripſit, in quo ſua detexit, manifeſtavit & evulgavit peccata toti mundo, ad tollendum de eo iſtud ſalutis impedimentum, ſuoque exemplo perſuadendum hominibus, ſua non operire, ſed confiteri peccata. Paulò antè dixerat Chriſtus: *Omnis, qui malè agit, odit lucem.* Et Auguſtinus, velut ab omnibus hominibus exceptus, quicquid malè egit, in lucem produxit; ut ſuo doceret exemplo, quid faciendum ſit malè agentibus. Ecce differentiam Auguſtini, ab aliorum imprudentia hominum. Reliqui homines, malè agentes, abhorrent lucem, cùm potiùs abhorrere deberent malum, nec non illud operantem: verùm loco illius, quod abhorreant peccatum, oderunt lucem, quæ illud detegit; & quia illi ſunt mali, volunt videri boni. Ad corrigendam igitur iſtam imprudentiam, illique ſubſtituendum iſtum malè applicatum horrorem, Auguſtinus, cum omnibus anteactæ vitæ ſuæ malis, in publicum prodit; ut intelligerent homines, horrori eſſe oportere ipſum malum, & non lucem: malumque opertum eſſe infirmitatem; lucemque illud retegentem eſſe remedium.

Quintil.

Tertul. adverſ. Gentes.

§. V.

IN remedium peccati Chriſtus Dominus noſter Confeſſionis Sacramentum inſtituit; quod vel maximè arguit, vehemen-

mentemque naturæ repugnantiam summè exaggerat, quâ homo peccata sua detegere horret; quia verò Deus illa justè pœnâ puniret æternâ, eò quòd infinitæ majestatis sint offensæ, idem omnes istas pœnas benè commutandi modum adinvenit, si homo homini alteri sua peccata confiteretur. Sed ex hoc ipso elucescit, quàm admirabili stupendáque resolutione S. Augustinus Confessionum suarum librum conscripserit: quamque valido & copioso exemplo peccatis suis præluxerit, ad superandam repugnantiam, ad animandum timorem, naturalemque expediendum horrorem, quo fragilitas humana à peccatorum suorum confessione retinetur. Quòd homo confitendo sua revelet peccata, ad eorundem veniam obtinendam, est justo & competenti pretio gratiam Dei emere & comparare. Verùm Augustinus, antè peccator, annorum jam triginta trium baptizatus, non ad gratiam DEI recuperandam, quâ jam gaudebat; neque ad obtinendam eorundem veniam, quia jam condonata erant, peccata sua propalavit. S. Paulus de hac venia, & de hac loquens gratia, cum Davide inquit: *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* Textus hujus significatio, jam tum Augustini tempore, inter Catholicos & Hæreticos in controversiam fuit deducta, propter distinctionem, quam inter peccata remissa, & tecta Apostolus facit. Enim verò, si peccata remissa & tecta duæ res sunt distinctæ, in quonam consistit, esse remissa, *quorum remissæ sunt iniquitates?* Et in quo, esse tecta, *quorum tecta sunt peccata?* Omissis quæstionibus multis, quæ hîc involvuntur, velut Theologus Divinus, Apostolus est locutus; nam in remissione, & absolutione peccatorum duo concurrunt: remissio culpæ (aliis terminis dicta condonatio) & infusio gratiæ; per remissionem culpæ peccata sunt condonata: *Remissæ sunt iniquitates*; per gratiæ infusionem, sunt tecta: *Tecta sunt peccata.* Et quod Augustinus condonatis jam tectisque suis peccatis, sine omni obligatione, sine necessitate, ea denuò discooperiat, tantum ne alii sua cooperiant; quantum peccatis suis præbuerit exemplum, judicate.

Psal. 31. v. 1.

Amplius, Præceptum, quo DEUS Christiano omnia sua confiteri peccata mandat, præterquàm, quod inviolabili sigillo sit munitum, tali cautelâ & circumspectione, integritate & famæ confitentis consulit, ut neminem, quamvis ob defectum aliquem, seu memoriæ labilitatem, omnia non confiteretur, ad scribendum peccata obliget. Cujus limitationis motivum, est periculum, ne quo casu charta perdita ad aliorum manus deveniret. Augustinus verò exemplum cumulando exemplo, non solùm misso timore, sed æstuante desiderio, ut peccata sua in oculis manibúsque versarentur omnium, ideò omninò illa conscripsit. Quomodo verò illa conscripsit? Idiomate magis universali, & usitato totius mundi; neque abbreviatè & per metaphoras, sed diffusè & luculenter: nec non vivaciore omnium circumstantiarum ponderatione, quamvis ab intellectu ipsius procedente: dolor enim ejus intellectum excedebat, dolorique alienorum peccatorum zelus respondebat. Considerate Davidem plorantem & orantem; & Augustinum flentem & scribentem: eodémque in casu differentes harum duarum animarum videte affectus.

David

David in libris Dei peccata sua conscripta cernens, illa deleri petebat à DEO: Psal. 50. *Dele iniquitatem meam*; & S. Augustinus v. 3. sua, per Baptismum, in libris Dei, deleta peccata sciens, eadem de novo scribebat: ast David remedium petebat pro se, & Augustinus remedium scribebat pro omnibus. Christus ad liberandam peccatricem, peccata scribebat accusantium; Augustinus ad emendandos peccatores, non aliorum, sed propria accusavit & exaravit peccata: Christus ea inscripsit pulveri, ubi facilè poterant exteri & deleri; Augustinus sua inscripsit libris, quod plus fuit, quàm si æri insculpsisset: Christus illa scripsit suppresso reorum nomine; Augustinus suo sub nomine, Confessiones peccatorum Augustini indigitando.

Ulteriùs. Præceptum Confessionis obligat, ad confitendum alii homini, sed duntaxat uni. Ut, casu quo, Confessarius non intelligeret idioma confitentis, hic non teneatur confiteri per interpretem, ne vel duobus saltem peccata sua innotescant. Et quis hoc punctum citè pensando, non dico exaggerare, sed vel aliquo modo, pro merito explicare sufficiet actum illum plus quàm heroicum, resolutionemque humanâ capacitate majorem, quà Augustinus peccata sua non omnibus solùm sui temporis & ætatis hominibus, sed quotquot hodiè sumus, quotquot à mille ducentis annis vixerunt hucusque, quotquot denique ad finem usque mundi futuri sunt, confessus est & manifestavit? Porrò in die judicii duntaxat, aliquam cum hoc actu paritatem invenio, non tamen sine magno discrimine. In die judicii omnibus hominibus singulorum peccata patebunt: verùm talem cuique ista peccatorum suorum manifestatio, in immenso isto theatro, ubi totus mundus erit collectus, horrorem incutiet, ut potiùs prælecturi sint infernum, quàm publicam istam sustinere confusionem, quod ita declaravit Job, dicens: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec transeat furor tuus?* Rationem mox subjungens: *Tu quidem gressus meos dinumerásti: signásti quasi in sacculo delicta mea.* In præsenti quidem processus sunt signati, & peccata seu delicta obserata; tunc verò patebunt omnia. Hæc verò publica manifestatio tam erit probrosa & horroris plena, ut quilibet sibi potius petiturus sit abscondi, & ab ea protegi in inferno: *Ut in inferno protegas me, & abscondas me.* Notate bene hoc verbum *Protegas*, quod defensionem, præsidium, refugiumque significat: tam quippe confusione & pudore plena erit ista ignominia, tamque vivax illius apprehensio, & vera cognitio; ut cum ipso inferno collata, ignominia futura sit rigor & sævitia, infernus verò refugium: ignominia tormentum, & infernus præsidium; ignominia pœna, & infernus protectio: *Ut in inferno protegas me.* Cujus rei, si rationem à me petieritis, quod magis exaggeratio videatur quàm veritas, hanc esse dico, quia in inferno quilibet suas sustinet pœnas, & in judicio, omnes suas conspicient culpas. Tantum malum culpæ, quod hodie non agnoscimus, totum excedit malum pœnæ, quamvis sit æterna. Enim verò, casu quo responsio hæc nimiam adhuc exaggerationem vobis redolere nec adæquata videtur: ipsum interrogate infernum, quot ibidem animæ ardeant, eâ solùm causâ, quod peccata sua Confessario detegere Job 14. v. 13. Ibidem v. 16.

& confiteri erubuerint. Cùm ergò dentur homines præeligentes infernum, quàm vel uni homini sua revelare peccata: Quid magnum, quòd tales malint suas pœnas sustinere in inferno, quàm in die judicii, peccata sua omnia toti protinùs mundo manifestari?

Ah, Augustine! tuorum tantummodò lux peccatorum, te illa in publicum producente, hanc invincibiliter cœcitatem illuminavit: tuarúmque liber Confessionum illam magis confutavit, convicit, & insuper ad nihilum redegit, quàm quicquid hucusque dictum fuit, aut dici, & sub imaginationem cadere potest. Validissimo hoc argumento, horror & repugnantia hominis peccata sua uni homini confiteri erubescentis, dissipatur, quod eadem ipsa peccata, quæ modò uni homini confiteri verecundatur, in die judicii omnibus omninò hominibus patebunt. Verùm quia judicii dies procul abest, Confessio verò propè est, plùs in nobis valet præsens, quàm ista veritas. Prodeat igitur Augustinus adhuc vivens, cum suarum Confessionum libro, anticipando sibi soli judicii diem: non tantùm præsens fecit judicium universale futurum; sed cùm illud, propter publicam peccatorum manifestationem, horrore & rigore ipsum superet infernum, ipse rigidius adhuc illo, in semetipso judicium exercuit. Attendite parallelum, visuri, quo pacto judicium, quod in libro Confessionum suarum Augustinus de peccatis suis instituit, rigore suo ipsum universale DEI judicium excedat: nec propter unam, sed omninò septem circumstantias. Si lubet, eas enumerate.

Judicium universale erit tantùm unum; & Augustinus duo sibi universalia judicia fecit: unum nunc inter vivos, & alterum inter resuscitatos. Judicium universale erit in fine mundi, quando finientur omnia; & Augustinus suum fecit judicium durante adhuc mundo, tot sæculis antè, quot jam duravit hucusque, & durabit in posterum. Judicium universale uno tantùm durabit die, quo culpæ publicabuntur; & Augustinus fecit Judicium suarum omnibus continuare diebus; si quidem culpæ Augustini quotidie leguntur & legentur. In Judicio universali, cujuslibet personæ opera mala patefient, sed pariter etiam opera bona, ut virtutes & peccata altrinsecùs ponderentur: & Augustinus, tali methodo, in suo judicio sua patefecit peccata, ut virtutes suas sepelierit silentio. In Judicio universali, peccata publicabuntur aliquorum, similiter autem & aliorum: & quia quilibet satis habet, quod admiretur in se, excessibus alienis, proprii magis excusabuntur excessus: verùm Augustini peccata, in suo judicio injuriam patiuntur manifestationis, sine levamine societatis; illo etenim tempore patent, quo aliorum latent. In Judicio universali peccata judicabuntur per Deum; sed Augustinus, suo in judicio, peccata sua judiciis subjecit & exposuit hominum, quorum judicia velut adeò temeraria, longè ampliùs veniunt timenda. Denique in Judicio universali culpæ patebunt fidelissimè conscriptæ, ut non imputetur ad peccatum, quod non fuit peccatum; neque pro gravi, quod fuit leve: in judicio verò Augustini doloris ipsius intensioni culpæ apparent commensuratæ, & quandoque fœdæ magis & graviores, quàm reipsâ fuêre: Deus enim in suis libris peccata conscribit

bit velut justus; Augustinus suis in libris sua conscripsit velut scrupulosus. Tam rigidum sibi Augustinus judicium, peccata sua propalando instituit, tamque notabilibus circumstantiis, judicii Dei, quo universum judicaturus est mundum, rigores excessit: ut naturalis in detegendis peccatis suis repugnantia, tanto proposito sibi exemplo verecundetur magis ea tegere quàm confiteri; magisque eadem excusare & extenuare, quàm integrè se de illis accusare erubescat. Et hic modus sublimissimus, solo suo authore & inventore dignus, quo Augustinus de ipsis suis tenebris, prout dixi, lucem, & de ipsis suis peccatis adornavit exemplum.

§. VI.

VErùm enim verò, nemo mihi dixerit, peccata in exemplum transire non posse, argumentando, quod quocunque modo considerata, semper sint peccata: eadem quippè peccata retentâ substantiâ, mutare possunt accidentia, & sub illis, per modum Sacramenti, contrarios operari effectus: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*; inquit Deus ore Isaiæ; q. d. Quod si fuerint peccata vestra instar coccini rubra, facite quòd vobis præcipio, & instar nivis albescent. Textus iste multum fatigavit Expositores, omnesque concorditer sentiunt, Prophetam hîc, per figuram, quam Rhetores Metonymiam vocant, fuisse locutum, accipiendo qualitatem pro persona, & peccatum pro peccatore: peccator enim desinere potest esse peccator, & fieri justus; peccatum verò nunquam desinere potest esse peccatum. Ast animadvertendum erat, Prophetam non loqui de substantia peccati, sed de accidentibus, qualia sunt colores. Non dicit: Quòd peccata esse desinent, peccata, sed quod colorem mutabunt; ut cùm sint, vel fuerint instar coccini rubra, nivis adinstar sint dealbanda: *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Eademque peccata colore mutato, aliisque accidentibus vestita, sub ipsis contrarios possunt habere effectus, quos necessariò producent, ubi fuerint visa. Hujuscemodi fuêre peccata Augustini. In quantum perpetrata, alium, & in quantum confessa, alium referebant colorem: proindè qua perpetrata, prout ipse dicit, præbebant scandalum; quà confessa, exhibebant exemplum. Augustinus peccata sua publicando, ex illis fecit exemplum; quanquam naturalis peccatorum publicorum effectus est, producere scandalum: verùm quemadmodum hypocrita scandalizat mundum ostentatione virtutum: ità Augustinus ædificavit Ecclesiam suorum publicatione peccatorum.

Isa. 1. v. 18.

Pace D. Gregorii, eadem & majore ratione dicam de Augustino, quod ipse de Jobo asseruit: *Videatur vir iste cuilibet magnus in virtutibus suis, mihi certè sublimis apparet in peccatis suis.* Videatur itaque Augustinus aliis magnus in virtutibus suis; quoad me, mihi major videtur in peccatis suis. In virtutibus suis, quas exercuit, aliisque suis libris depinxit, magnus fuit Augustinus: verùm in suarum libro Confessionum, quo omnia sua peccata toti manifestavit mundo, omni procul dubio, multo major extitit. Proindè liber iste collatus cæteris, corona fuit omnium. Ipse Job, S. Gregorii encomio laudatus, eò quòd peccata sua non

Greg. ibid.

texerit, prolixam virtutum suarum narrationem confidenter his verbis concluſit: Job 31. v. 35. 36. & 37. *Liberum ſcribat, ipſe qui judicat, ut in humero meo portem illum, quaſi coronam mihi. Per ſingulos gradus meos pronunciabo illum, & quaſi Principi offeram eum*, quod dictum. Ipſe judex juſtus omnes actiones meas, in libro uno deſcribat, quem ego in humeris meis portabo, nec non capiti, quaſi coronam imponam, ſingulaque ipſius contenta periegens, illum Deo tanquam principi præſentabo, ut me juxta illum expediat. Multum dicis, S. Job, & valde confidenter loqueris, quia vis, ut Deus, tanquam Judex, & non tu, virtutum tuarum librum conſcribat, quem tantum evaſurum putas, ut non manibus, ſed humeris tantùm eum portare poſſis, quem oblaturus ſis, ut ex eo expediaris, & necdum expeditus tibi coronam promittis. Verùm, omne illud, quod tu de virtutum tuarum libro dicis, quis non juſtiore ratione, de libro peccatorum Auguſtini aſſerat? Ipſe librum illum, & ſua in eo peccata conſcripſit, quando jam Deus ea in libris ſuis deleverat: ipſe illum confecit, tantóque ponderoſiore ex materia, quantum inter peccata, quæ ignominiâ afficiunt, humiliant & deprimunt, & inter virtutes, quæ honorem, gloriam & exaltationem conciliant, intercedit: quem Deo, totique obtulit mundo, non pro expeditione, ſed pro pœna; & velut infernum meritus, & non coronam: & ex hiſce omnibus coronâ digniſſimus. Multis coronis Auguſtinus redimitur in cœlis, ſed hæc præfulget cæteris. Job virtutibus ſuis admirabilis fuit; in illis enim obſervavit Evangelium, quod nondum erat: ſed Auguſtinus ſuis peccatis fuit admirabilior; illis enim, cùm jam eſſet Evangelium, ad perfectius & plenius illud obſervandum, ipſum amplificavit Evangelium tantùm conſtringebat lucere operibus bonis; & ille ſplenduit, illuminavitque mundum etiam peccatis: quod nec juſſit, neque dixit Evangelium: *Sic luceat lux veſtra coràm hominibus, ut videant opera veſtra bona.*

§. VII.

A Libro Confeſſionum Auguſtini, ad ejuſdem Retractationum librum, non minus, imò magis admirabilem, tantoque nobiliorem, quantò intellectus voluntatem nobilitate tranſcendit, tranſeamus. Quemadmodum naturale eſt omni homini, ſuum abſcondere peccatum; ita naturale eſt omni ſapienti, ſuum ſuſtinere, nullatenuſque retractare errorem: tantoque magis, quantò majore fuerit ſapientiâ præditus. Creatorum à Deo ſpirituum ſapientiſſimus fuit lucifer: porrò caſus eſt verè ſtupendus, creaturam eâ intellectûs perſpicacitate dotatam, adeoque ſublimi ſapientiâ illuminatam, in tam groſſum, tam manifeſtum, & fatuum labi errorem; ut cogitatione affectet aſſimilari Deo, illudque ſibi perſuadeat futurum, dicens: *Similis ero Altiſſimo.* Enimverò, non hic ſiſtit ſtupor: verùm hunc auget, quod nec in cœlo, ubi erravit, à cogitatu tam erroneo deſiſtere; neque in inferno, ubi eum luit, retractare, aut de eo pœnitere voluerit. In cœlo, inter lapſum condemnationemque luciferi; ſententia divinæ clementia reſpondit. Deus enim illi ſufficiens ad reſipiſcendum tempus indulſit: & in inferno, juxta Theologiam certam, libertati arbitrii ipſius ſubeſt, illud facere. Iſa. 14. v. 14.

cere. Quomodo ergo possibile est captu, intellectu tam sapientem eligere & resolvere, corruere potiùs velle è Cœlo, & ardere in inferno, quàm semel dictum retractare, eodemque in errore in omnem æternitatem persistere malle? Si minoris scientiæ lucifer esset, errorem suum agnosceret; at magna scientia, quæ inflavit ad errandum, eadem obstinatum illum fecit, ad non retractandum. Non inferior, quàm Propheta Ezechiël, casum hunc cum stupore considerat. Propheta de hoc luciferi casu loquens, illum antè lapsum in Cœlo, post lapsum in inferno considerans, in utroque loco Cherubim illum vocat: *Et tu Cherub, posui te in monte sancto Dei; perdidi te, ô Cherub! projeci te in terram.* Certum est luciferum non Cherubim, sed Seraphim fuisse; nam inter Angelos primæ Hierarchiæ & primi supremique Chori primus & maximus erat. Si igitur fuit Seraphim, quare Propheta illum tam in Cœlo, quàm in inferno, non Seraphim, sed Cherubim vocat? Quia Cherubim idem significat, quod sapiens, & inter Spiritus Angelicos, Cherubim sapientiâ præeminent. Porrò quia sapientia luciferum inflavit ut crearet, & in tam stolidum errorem incideret, eademque sapientia illum excæcando obstinatum reddidit, ut non retractaret: hinc illum Cherubim & sapientem, & non Seraphim compellat. In Cœlo Cherubim, quia cùm tantâ emineret sapientiâ, in Cœlo erravit; in inferno Cherubim, quia cum tantâ sapientiâ tumeret, errorem suum, ne in inferno quidem, voluit retractare.

Ezech. 23. v. 14. 16. & 17.

Lucifer dicens: *Similis ero Altissimo*; id est: DEO similis ero; similiter dixit: *In Cœlum conscendam*; ex quo egregiè arguit S. Hieronymus: *Vel antequam de Cœlo corrueret, ista dicebat, vel postquam corruit*; si istud lucifer dixit in Cœlo, quomodo dicit: *In Cœlum conscendam?* Et si dixit, in Cœlum conscendam, argumento est, quòd jam lapsus, è Cælo deciderat. Totum fuit, & ità se habet. In Cælo dixit: *Similis ero Altissimo*; & ideò cecidit; jam lapsus similiter dixit: *Similis ero Altissimo*; idipsum dicit, & in omnem æternitatem dicet: ista enim est scientiæ ejus pertinacia & superbia, ut dicat in Cælo, dicat extrà Cælum; dicat in Cælo, & in inferno; idem, quod dixit semel, ipsumque retractet nunquam. Ita, ut illa scientiæ magnæ sit contumacia, quando quis semel eâ fuit abusus, ut malit præsumptuosus sapiens cadere è Cælo, quàm ab opinione sua recedere: & potiùs in inferno ardere, quàm, quod dixit, retractare. Quod si veritati consonaret illa Origenis imaginatio sustinentis, ánimas nostras esse Angelos, qui nostris, in corporibus, pro commissis quibusdam culpis, pœnas luerent, de multis sapientibus hominibus, qui errârunt retractare nolentes, affirmarem, ipsos esse Angelos luciferi sequaces.

Isa. 14. v. 13.

S. Hier.

Hujusmodi idem fuit Origenes, hujusmodi Tertullianus & Apollinaris, nec non alii famosissimi, in omni Divinæ humanæque eruditionis genere Doctores, qui cùm insignes fuissent Ecclesiæ Magistri, & hodiedùm adhuc in ea allegentur, eò quòd errores quosdam, in quos humanitùs erant lapsi, noluerint retractare, cum perpetuo ipsiusmet Ecclesiæ gemi-

gemitu, fuerunt anathematizati ab eáque segregati, de quorum unoquoque veraciter pronunciari posset, quod Felix de
Act. 26. v. 24. S. Paulo dixit: *Multæ te litteræ ad insanium convertunt.* Origenes tanto Religionis doctrinæque Christianæ propagandæ zelo æstuavit, ut quò rutius liberiusque sexum utrumque eâ imbuere posset, literaliter illàm Christi interpretando
Matth. 19. v. 12. sententiam: *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt, propter Regnum Dei*, seipsum evitaverit. Tertullianus in vita & conversatione adeò fuit rigidus & austerus, tantusque virtutum heroicarum propugnator, veluti ipsimet ejus errores testantur: negavit enim Christianis secundas nuptias esse licitas; neque licitam persecutionis tempore fugam, sed animo constanti martyrio occurrendum; neque peccatores publicos, quamvis pœnitentes, in Ecclesiam recipiendos. Apollinaris non solùm adeò sapientiâ & scientiâ enituit, ut celeberrimus in Scripturis Sacris ipsemet Doctor, maximique in interpretandis & exponendis Sacris Scripturis Doctoris Hieronymi fuerit Magister, verùm etiam tam præclaræ indolis & conditionis in multis, ut venerati, amati, defendique meruerit à duobus præcipuis Ecclesiæ luminibus Nazianzeno & Basilio, quousque errores ipsius publici & manifesti non erant. Sed hi, aliique illustres viri, tam fortes & imperterriti aliàs humanarum domitores passionum, ubi ad punctum retractandi, quod docuerant, perventum est, hic omnis eorum vigor & animus infirmatus succubuit; hic omnis eorum sapientia & scientia substitit; & hic magna illa obtenebrata & excæcata sunt ingenia: ut maluerint unionem dimittere Ecclesiæ, simulque salutis suæ fundamentum perdere, quàm quod dixerant, retractare.

Verùm, quemadmodum hominibus doctis & sapientibus adeò insitum est à natura, pertinaciter suis erroribus inhærere, superbéque eos sustinere & propugnare cum salutis discrimine; ad hanc illuminandam cæcitatem secundam & maximam, quæ non suos solùm authores, sed multos alios cum eis perdit: cum suo Retractationum libro Augustinus in publicum prodit, in quo errores suos confessus, ignorantiæ correxit, doctos omnes & sapientes suo animans exemplo (velut sapientior & doctior omnibus) ne quem errâsse, aut errorem confiteri perderet, cum Augustinus adeò luculenter id præstiterit. Vel suis in sermonibus continuis, vel variis disputationibus publicis (quarum alicui Carthagine ducenti octoginta sex interfuerunt Episcopi hæretici) argumentorum suorum vi & evidentiâ, Augustinus innumeros Donatistas, Pelagianos, Manichæósque confutavit atque convicit, qui suos agnoscentes errores publicè eosdem abjurârunt; validissimum tamen argumentum sine responsione, quod præsumptionem pertinaciamque confudit omnium, ipsorúmque non retractare contendentium, fuit scriptus & evulgatus Retractationum ipsius liber. Potuisset Augustinus, ex ipsa, in qua docebat & prædicabat cathedra, sese depingere verbis, nec sine magna Doctorum Magistrorúmque ædificatione; sed maluit illud publicis facere scriptis, quia scriptorum & publicorum retractatio in hominibus obstinatis majoris est moliminis.

Christo sibi præsentato Pilatus excepit

pit accusationes, examinavit testes, cognitisque odio & invidia inimicorum, Christum innocentem pronunciavit. Porrò, instantibus accusatoribus, obtendendo: *Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris; omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari*; id est: Absolvendo istum accusatum, crimen læsæ Majestatis contrà Cæsarem committeret, quod supremæ Imperii Majestati præjudicaret, dissimulando consentire, ut quis in Imperio Regis sibi nomen usurparet: cujus instantiæ metus, nec non respectus, nomenque amicitiæ Cæsaris tantum in Pilato prævaluit, ut retractatâ, quam pronunciaverat, sententiâ ut in Christo condemnando innocentiam, cum Christo in Crucem egerit justitiam. Christo demùm crucifixo, causam supplicii conscripram, pro more, in cruce jussit præfigi, his verbis: *JESUS Nazarenus, Rex Judæorum!* Quibus accusatores denuò offensi, replicârunt, ut corrigi, & loco, *Rex Judæorum*, quod se Regem Judæorum dixisset, scribi mandaret; Pilatus verò respondit: *Quod scripsi, scripsi*; & ad scriptum murandum frustra inducere attentârunt. Responsum istud quanta sit consideratione dignum, omnibus liquidò patet. Pilatus Regis titulum Christo tribuendo, multo gravius peccabat in Cæsarem, quàm Eum condemnando ad mortem; majorémque incurrit reatum, Illum adjudicando morti, quàm ab illâ liberando. Porrò, si Pilatus non attendit, quòd propter Cæsaris respectum & se & Christum morti adjudicet, quare propter ejusdem Cæsaris respectum Regis titulum Christo non adimit? Quia eâ jam formâ scriptum publicaverat: *Quod scripsi, scripsi.* Quod quis eruditus & tumidus semel scripsit, pro nullius respectu revocat & retractat. Ipsam innocentiam hoc faciet, condemnari propter humanum respectum; delere verò, quod quis semel scripsit, suo nomine publicatum, eruditus quis & inflatus ob nullius, neque præsentis, neque futuri sæculi respectum volet. Illa intolerabilis est intellectûs cæcitas, intolerabilis rationis abusus, justitiæque intolerabilis injuria simul & veritatis, ut, quod scribendum non erat, sustinendum sit solùm, quia scriptum est; & quia semel scriptum est, necessariâ consequentiâ, semper scriptum sit relinquendum: *Quod scripsi, scripsi.* Verùm ista sententia, quasi Authoris optimi, communiter est omnium scribentium, suaque scripta publicantium. Libros suos, illi Prædestinationis Libro æquari volunt, in quo, quicquid scriptum, deleri nequit: characteres suos illis Sacramentorum æquiparari volunt, qui semel impressi indelebiles existunt. Deniique scripta sua, præscripta esse volunt: *Quod scripsi, scripsi.* Centum & octodecim libros, Authore Augustino, habemus, exceptis iis, qui ad nostras non pervenerunt manus: & quando calamum ponere, temploque sapientiæ, veluti scientiarum omnium trophæum, applaudente sibi mundo, celebrioreque scriptorum omnium famâ consecrare potuisset; resumit, denuoque pennam aptat: Quem in finem? Ut singulari in libro, omnes suos corrigat libros; ut revocet retractetque multa, quæ in eis dixerat & scripserat: omnibusque suo prælucendo exemplo veritatem ostenderet, quos sua sic scripta decipiunt.

Joa. 19. v. 12.

Ib. v. 22.

§. VIII.

DEceptionis hujus rationem elegantèr dedit S. Ambrosius, cui plus præ cæteris Doctoribus ex hoc debet Ecclesia, quia eidem S. debet Augustinum:

S. Amb. *Unumquemque fallunt sua scripta, & Authorem prætereunt: atque, ut filii, etiam deformes, delectant parentes; sic etiam indecores quoque sermones palpant.* Omnes Authores, inquit Ambrosius, decipiunt sua scripta, & licèt errores contineant, soli illi eos non vident. Cujus cœcitatis ratio est, quod sui sint fœtus intellectûs: & quemadmodum filii, licèt sint deformes, parentibus suis placent, formosíque videntur; sic cujusque scripta, quamvis nævis erroribusque aspersa & incondita, authoribus suis naturaliter arrident, bonaque videntur, quia ipsis sunt similia. Hoc dixit, docuitque Sanctus Ambrosius, Magister Augustini dignissimus; & cùm tam vera hæc sit doctrina, tamque universalis ejusdem ratio, seu iniquitas, in omnibus hominibus, excepto solo Augustino, fuit verificata. Trium Job amicorum sapientissimus Eliphaz, justitiam DEI, oculorumque ejus perspicacitatem tam esse puram asseruit, ut etiam in Angelis suis imperfectionem

Job. 4. v. 18. deprehenderit: *In Angelis suis reperit pravitatem.* Porrò exaggeratio non consistit in eo, quod DEUS in Angelis imperfectionem invenerit, eò quod essent Angeli; sed quod in Angelis, qui essent, *sui*: *In Angelis suis.* Si oculi DEI fuissent velut oculi hominum, licèt Angeli non fuissent, sufficiebat, quod essent *sui*, ut sibi viderentur Angeli. Angelica sunt omnia Augustini opera & scripta, ejus verò oculi tantùm de Divinâ participârunt perspicacitate, ut cùm essent angelica & sua, imperfectiones in eis invenerit & errores: *In Angelis suis reperit pravitatem*; non sibi blanditus sit, quod animæ suæ essent partus, suique intellectûs filii, ut ab iis deciperetur.

Age, nunc propriam & fundamentalem cognoscemus rationem, quare inter quatuor mystica animalia, visum ab Ezechiële gloriæ DEI currum trahentia, & quatuor Ecclesiæ Doctores figurativè exprimentia, Aquila Augustinum denotârit. Num fortassis, quia, uti illa omnibus pennatis & alatis altius volat, Augustinus sic cæteris altius volavit; sit ita: sed aliud adhuc profundius mysterium similitudo includit. Aquila, dicente Aristotele, & vulgari notitiâ, pullos suos, quos indiscriminatim educat exploratura, utrum sint sui, sublatos de nido unguibus suspensos Solis opponit radiis: quos si irretortis & irreverberatis oculis Solem intueri conspexerit, tanquam genuinos suos filios agnoscit, & educare pergit & defendit: sin verò oculis clausis aut aversis intueri splendorémque totum excipere non posse notat, tanquam adulterinos præcipitat. Idem Aquila nostra, omnibus suis libris, omnibus suis resolutionibus, dictis & conceptibus fecit. Ad radios Solis veritatis ea rigidissimè examinavit; quæque conformia, solida & irretorta deprehendit, tanquam sua recognovit & approbavit; quæ verò aliquatenùs infirma, distorta, difformiaque notavit, velut non sua retractavit, improbavit & damnavit. Jam dicta ad propriam mysterii hujus secundi & maximi significationem intelligendam sufficerent.

cerent. Aſt ego interrogare pergo: Dum aquila pullos ſuos examinat & probat, quinam probatiores & ſaniores reputantur oculi, illine matris, an pullorum aut filiorum? Nullus dubitat, quin oculi parentis: oculi quippè pullorum non cœcutierunt ad Solem, oculi parentis non cœcutierunt in filiis: quod pulli non cœcutiant ad radios Solis, iſtud eſt eſſe aquilas: quod verò aquila non cœcutiat in filiis, iſtud eſt eſſe parentem ſine amore parentis. Talis fuit Auguſtinus cum ſuis libris. Erant judicii ſui partus, erant ingenii ſui fœtus, ſed tali eos rigore examinavit, tali juſtitiæ ſeveritate eos cenſuravit, ac ſi ſui non fuiſſent. Vel amabat eos Auguſtinus, vel non amabat: ſi eos non amabat, cùm ſui eſſent fœtus; qualis excellentia? Si verò amabat, & nihilominùs ſic tractavit & retractavit; quanta hoc admiratione dignum?

Non eſt amor ad ignoſcendum, benigniorem in partem interpretandum, diſſimulandúmque defectus propenſior amore paterno. Enormes erant filii iſtius prodigi exceſſus, & adeò quidem enormes, ut & ipſe hoc agnoſcens, talis patris filii nomine ſe judicaverit indignum:
Luc. 15. v. 21. *Pater! non ſum dignus vocari filius tuus*; nec tamen propterea pater eum pro filio habere ceſſavit, aut à ſe repulit; quin potius teneriſſimi amoris amplexibus illum excipiens, omni ſolicitudine & curâ optimis eum veſtibus indui, exornarique
Ibidem v. 22. mandârit: *Citò proferte ſtolam primam.* Illud paſſim omnes æmulantur & imitantur Scriptores, rigidiſſimi defectuum alienorum cenſores, benigniſſimique propriorum palpatores inſtar parentum. Aſt non ita Auguſtinus, quamvis juſtius omnibus hoc facere potuiſſet. Licet enim quædam dicta ipſius, vel ſcripta talibus eſſent nævis aſperſa, ut Authore Auguſtino viderentur indigna, talisve Patris fœtus vocari non mererentur, nihilominùs in amplexus admittere, à ſe non repellere, talibus interpretationibus velare, talibus veſtire coloribus, Divinaque ſuæ Rethorices figuris, & verborum phaleris exornare potuiſſet, ut non ſolùm viderentur ſua, verùm etiam aliorum ſibi invidiam conciliarent, quod mox filius in ſe fuit expertus. Tantùm verò abfuit, ut ea velaret, ut potiùs publicârit; tam longè abfuit, ut ea furcaret coloribus, ut potiùs fœdarit; tam longè denique abfuit, ut ea veſtirèt, diſſimularet, vel quomodocunque larvam ipſis ſuperinduceret, ab omni parentis affectu exutus & amore, ſeveriſſimi inſtar judicis, aut infenſiſſimi inſtar hoſtis ea tractârit & condemnârit.

David, tam enormibus filii ſui Abſolonis delictis, cùm ipſe veniâ excuſatioque eſſet indignus, ex ætate colorem excuſationemque quæſivit & invenit, ut ſalvaret: *Servate mihi puerum Abſalon.* 2 Reg. 18. v. 5. Si Joab, totúmque regnum, tunc veniâ indignum judicavit, & totus hodiè mundus condemnat; quo pacto David illi condonat, ut ſalvet? Quia erat pater, inquit S. Ambroſius. Et hæc unica & vera eſt ratio. Non eſt opinio tam erronea, non eſt propoſitio tam temeraria & impia, ſicut illa Abſolonis fuit actio, quam authores, velut patres, ſalvare, excuſare & defendere non ſatagant; quia licèt fœtus ſint tam monſtruoſi, ſunt nihilominùs ſui partus ingenii. Hujus non erant generis errores Auguſtini, ſed

tam sanæ interpretationis, excusationisque capaces, ut multi jam reprobati, pro naturali sua elegantia, instar illius Absolonis, cum admiratione sint visi, & cum applausu recepti. Nihilosecius, tantus ipsi inerat veritatis amor, tanta judicio Augustini erat integritas, ut cùm veniâ digni viderentur, ipse, quamvis foret Pater, nullatenùs ipsis pepercerit.

Maximum opus, quod quis hominum Deo præstitit, fuit Abrahæ sacrificium: maximúmque, quod DEUS hominibus exhibuit, fuit Incarnatio, morsque Christi, in qua similiter Ipsum sacrificavit. Ad utrumque hoc exaggerandum, his Scriptura utitur terminis, quòd videlicet, nec Abraham, nec Deus, proprio suo Filio pepercerit: *Quia fecisti rem hanc, & non pepercisti unigenito filio tuo, propter Me*; inquit Deus, Abrahamo loquens. Et S. Paulus, de DEO loquens: *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit Illum.* Tam arduus & heroicus est actus, quòd pater eò usque progrediatur, ut proprio suo filio non parcat; sicut Augustinus iis, quorum pater erat, non pepercit. Utrinam verò Sacrificiorum horum duorum, similius fuisse videtur illud Augustini, num illi patris Abrahami, an illi Patris æterni Filio suo non parcentis Sacrificio? Sacrificium Abrahami illud æterni Patris præfiguravit. Porrò collatione inter utrumque facta, non inter Deum & hominem (hæc enim impossibilis est) sed præcisè inter patrem & Patrem: nulli dubium relinquitur, quin etiam sic æterni Patris sacrificium, illud Abrahami excesserit; filius enim, cui non pepercit Abraham, erat suæ carnis; & Filius, cui non pepercit Pater æternus, erat Filius sui intellectûs; tantoque excellentior est actus, filios sacrificare sui intellectûs, quanto intervallo spiritus & caro, animaque & corpus distant. Sacrificium igitur Augustini similius fuit illi æterni Patris, nobilitateque illud Abrahami præcessit: filii enim, quibus Augustinus non pepercit, erant fœtus suæ animæ, & intellectûs sui partus. Filius Dei conceptus & genitus est per intellectum, & hinc Verbum Patris appellatus: & istud est nomen, & generatio filiorum, quibus Augustinus non pepercit.

Gen 22. v. 16.

Rom. 8. v. 32.

§. IX.

LIbrum Retractationum Augustini evolvendo, comperiemus errores & ignorantias (ut Augustinus vocat) quasdam ab aliis jam deprehensas & censuratas, plurimas verò ab ipsomet propalatas & castigatas. In utrisnam verò ingenium ipsius & judicium magis videatur obstupescendum; an in non defendendo primas, an in conando eruere & detegere secundas, dubitare me fateor. Enim verò, res erat notatu, admirationeque digna, evulgatis jam Augustini libris, totum videre mundum evolvendis scrutandisque Augustini, immò hunc ipsum, propriis suis libris perlegendis similiter intentum; finis verò & intentio utriusque studii valdè discrepabant: alii quippè legendo libros Augustini sapientiæ ipsius thesauros sibi comparare satagebant: ipse verò Augustinus ex eis errores suos, ad condemnandum investigabat. In Ecclesiaste cap. 1. Salomon se omnes antecessores suos sapientiâ præcelluisse protestatur: *Praecessi omnes sapientiâ, qui fuerunt antè*

me

Eccl. 1. v. 16. *me in Jeruſalem* ; valdè modeſtè locutus eſt, ſiquidem ex tertio Regum libro conſtat, non ſolùm ipſum ſapientiorem fuiſſe omnibus anteceſſoribus, 3 Reg. 3. v. 12. verùm etiam ſubſecuturis: *Dedi tibi cor ſapiens, ut nullus antè te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Quibus dictis Salomon ſubjunxit, quòd non ſolùm addiſcendæ ſcientiæ, verùm etiam cognoſcendis erroribus & ignorantiis Eccl. 1. v. 17. operam dederit: *Dedique cor meum, ut ſcirem prudentiam atque doctrinam, erroresque atque ſtultitiam.* Non conſidero, cùm Salomon ſapientiam, ſcientiasque habuerit infuſas à DEO, illis adhuc addiſcendis & ſciendis ſe applicaverit, hoc etenim de ordine ad praxin & exercitium venit intelligendum. Quod ego conſidero, laborque videtur inutilis & ſuperfluus, eſt quod tantâ ſapientiâ præditus, omne ſuum ſtudium, ad errores, ſtultitiamque cognoſcenda conferat, *erroresque & ſtultitiam.* Certum eſt, multò plures eſſe errores & ignorantias, quàm ſcientias; ad ſciendum quippè & attingendum, unica ſuppetit via, ad errandum verò infinitæ. Quare verò has ipſas erraticas & erroneas vias, illos ipſos errores & ignorantias Salomon ſcire & penetrare ſatagit? Nunquid illi ſcientiæ, adeóque numeris omnibus abſolutæ ſcientiæ ſufficiebant? Nulla ratione. Salomonem enim fecit DEUS Eccleſiæ veteris Doctorem: nec ſolas noviſſe ſufficiebat ſcientias, verùm & errores inſuper & ignorantias ipſum ſcire oportebat; ſcientias, ut doceret ſcire; errores, ut doceret non errare; ſcientias, ad eas comprobandas, & confirmandas; errores, ad eos confutandos & confundendos. Et hoc Salomon toto iſto libro admirabili, qui Eccleſiaſtes, id eſt, Doctor ab ipſomet inſcribitur, egregiè præſtat.

Verùm enim verò, quemadmodum DEUS Eccleſiæ veteri in Salomone unum contulit Auguſtinum; ſic Eccleſiæ novæ in Auguſtino alium contulit Salomonem; & de corde, quod manibus præfert Auguſtinus, ſine exaggeratione dici poteſt poſt Apoſtolos: *Dedi tibi cor ſapiens, ut nullus antè te ſimilis tui fuerit, nec poſt te ſurrecturus ſit.* Uterque iſte Salomon tam profundæ ſcientiæ theſauris jam dotatus; inveſtigandis erroribus & ignorantiis dedit operam; utendo ſcientiâ, ad docendam ſapientiam; & erroribus ac ignorantiis, ad non errandum. Salomon erroribus & ignorantiis, in libris ſtudebat alienis, ut errores & ignorantias confutaret & corrigeret in aliis: at Auguſtinus in libris propriis, ut ignorantias has & errores in propria perſona ſua confunderet & emendaret. Alienorum ſcientia errorum, ſequeſtrato odio, proprioque commodo, examinata, expedita & facilis eſt: propriorum verò errorum, non ita; ſiquidem eos proprio ſemper amore ſubornatos judicamus. Alienos errores judicio cognoſcimus libero, proprios intellectu captivo: alienos videmus tanquam judices, proprios verò tanquam amantes. Magis igitur admiranda fuit ſcientia in Auguſtino, quàm in Salomone; uterque enim errores habuit & ignorantias: admirabiliorque idem fuit Auguſtinus lumine & cognitione, quà errores & ignorantias retractavit ſuas, quàm argumentis invincibilibus, quibus confutavit alienas. Enim verò, quænam ignorantiæ, qui errores, quæ hæreſes non ſolùm antè, ſeu tempore Auguſtini, ſed etiam

tempore subsecuto, & nostro præsenti unquàm exstitêre, quæ libris doctrinâque Augustini non confutentur & convincantur? Liber verò Retractationum ipsius vincit omnes, triumphúmque agit de omnibus etiam victoribus. In libris aliis, pro Fide & veritate, decertantem in acie videmus Augustinum contrà Fortunatum, Augustinum contrà Faustum, Augustinum contrà Arrium, Augustinum contrà Donatum, Augustinum contrà Pelagium, Augustinum contrà Julianum; sed in libro Retractationum, Augustinum contrà Augustinum. Hoc acerrimum fuit duellum; hæc insignissima victoria Augustini; victor enim & vincens omnes, neque quem vinceret habens, vicit seipsum. De quatuor animalibus currus, ab Ezechiële visi, inquit Sacer Textus, quod omnibus quatuor alatis, aquila volârit super omnia quatuor: *Desuper ipsorum quatuor.* Age, si aquila quatuor animalium fuit unum, quomodo super omnia quatuor volavit? Si dixisset, super alia tria, obscuritate careret; sed super omnia quatuor, cùm esset unum ex eis. Ita fuit, nam aquila (utì jam diximus) Augustinum denotabat, & Augustinus in aliis suis libris super alios volavit Ecclesiæ Doctores: in libro autem Retractationum suarum, super omnes quatuor volavit; quia volavit super seipsum.

Ezc. 1. v. 10.

Porrò, si quis me interrogaverit: Quomodo Augustinus erroribus istis & ignorantiis, ut ille vocat, scribendo sit deceptus, & quomodo postmodum cognoscendo retractârit? Respondeo: Deceptum eum fuisse anteâ, quia ignorantiæ erant tales, ut scientia viderentur; & errores tales, ut viderentur esse veritas: veritatem posteà agnovit, majore enim & clariore luce eos revidit, quam eos scripserat. Unicus tantum Scripturæ locus utrumque nobis ad oculum demonstrabit: notabilis sanè, omnique admiratione dignus fuit casus, quòd nocte nuptiarum Labano introducente, loco Rachelis, Liam, Jacob ita deciperetur, ut omninò illam Rachelem esse sibi persuadens, non nisi illucescente die, dolum, & Liam esse cognoverit. Nunquid Jacob vidit Liam illam accipiens? Immò verò. Quomodo igitur tunc non esse Rachelem, non cognovit, sicut posteà illucescente die cognovit? Quia de nocte videbat eam ad lucem candelæ, de die eandem videbat ad splendorem Solis. Lia & Rachel, veluti sorores, sibi perquàm similes erant, oculis tantum, ut notat Scriptura, differentia aliqua inerat: ad discernendas verò res valdè similes (maximè ubi amor subintrat) nisi luce valdè clarâ, facilè quis decipitur. Idem Augustino usu venit: Veritas & similitudo duæ sunt sorores, instar Liæ & Rachelis, sibi persimiles: hinc verosimile videtur verum, & verum, nisi verosit simile, videtur falsum. Proindè quia ignorantiæ Augustini adeò erant vero similes, ut viderentur scientiæ, erroresque adeò vero similes, ut viderentur veritas: quid multum, quod Augustinus minore adhuc luce, in erroribus suis & ignorantiis fuerit deceptus, majoreque postmodùm desuper lumine accepto, errores istos & ignorantias agnoscens retractarit?

§. X.

DIxi, non esse multùm, nec bene dixi; quia, licet non fuerint multum, quod Augustinus recognoverit errores, quos ipse solus deprehendit, & ex semetipso detexit; censuratos tamen ab aliis

non

non defendere, sed recognoscere & retractare, excellentissimus retractationis fuit actus. In errore secreto, ubi honor non læditur, opinio propria facilè veritati se submittit; in publico verò & censurato, ubi de existimationis & famæ præjudicio agitur, contrà ipsammet veritatem, vel honor errorem, vel error propugnat honorem. Quod idem Augustinus intelligens, in casu asseruit alieno. In casu correptionis fraternæ mandavit Christus, ut correptio eâ fiat cautelâ & secreto, ut inter corripientem & correptum tantùm ipsa correptio sistat: *Corripe eum inter te & ipsum solum.* Quare verò tam secretè, ut, nedum in publicum, sed nec ad tertium quidem transeat? Respondet S. Augustinus: *Corripe inter te, & ipsum solum; intendens correctioni, parcens pudori: fortè enim, præ verecundia, incipit defendere peccatum suum, & quemvis correctiorem, facis pejorem*; id est: Christus sub tali secreto correptionem fieri mandavit, ut inter corripientem & correptum tantum sistat, ut in correptione attenderetur correctio, & in secreto, correpti consuleretur honori; honore enim prostituto, quid foret, si error publicaretur? Emendationis loco naturaliter sequeretur contumacia, & correptus infamatum se cernens, tantum abest, ut admitteret correptionem, ut in arenam potius descenderet, ad defendendum errorem. Istud in omnibus hominibus dictat natura; & hæc maxima fuit victoria, quam ab ea, velut plus quàm homo, reportavit Augustinus. Cernens se publicè à suis censuratum, in suisque scriptis errores quospiam ab ipsis notatos, tantum abfuit, ut arma contrà ipsos expediret, ut in omnibus, in quibus ratione ducebantur, partibus ipsorum contrà seipsum accesserit: à quibus qualem sustinebat censuram, talem & ipse sibi similiter inferens retractavit. Quod si S. Augustinus acerrimè, hoc passu, se defendisset; meo quidem judicio, extraordinariæ sapientiæ, magnique ingenii specimen non edidisset. Asina Baalam læsa linguam habuit ad respondendum, rationesque ad impugnandum, convincendumque aliquem Prophetam: verùm quod offensus censuratusque ab æmulis suis Augustinus, inveniat quod in ratione fundentur, parti eorum accedens, retractet quod scripserat, plusque ponderis apud ipsum habeat veritas, quàm famæ suæ præjudicium; hoc fuit, *non plus ultrà*, quousque sola cordis ipsius magnanimitas poterat pertingere.

Matth. 18. v. 15.

S. Aug. ibid.

S. Paulus semetipsum, omnesque viros Apostolicos exhortans, ut se gerant velut Dei Ministros, inquit: *Exhibeamus nosmetipsos sicut Dei Ministros*; virtutibusque, quibus instructos esse oportet, veritatem, scientiam, scientiæque junctam longanimitatem annumerans: *In scientia, in longanimitate, in verbo veritatis*; addit, quomodo in pugnis se gerere debeant, his verbis: *Per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam.* Arma justitiæ dextrorsùm & sinistrorsùm vibranda sunt, tantique æstimanda honor & gloria, quanti ignobilitas, tantique fama, quanti infamia. Arma à dextris & sinistris scutum & gladius sunt: scutum ad excipiendum & retorquendum tela & ictus inimici; gladius ad offendendum & feriendum. Quâ verò ratione, quòve Mysterio S. Paulus exhortando docet, scutum in sinistra, gladium verò in dextra, esse

2 Cor. 6. v. 4.

Ib. v. 6.

Ibidem v. 7. & 8.

debere

debere arma justitiæ : *Per arma justitiæ à dexteris & à sinistris?* Optimè dixit Philo Hebræus : Patriarcharum actiones & facta, optima esse Scripturæ commentaria. In nullo commentatorum Textus istius considerationem declarationemque ejus reperi: verùm S. Augustini actum discutiendo, Textus hujus considerationem & declarationem Divinè in eo explicatam invenio. Gladius & scutum Augustini, purissima & validissima fuerunt arma, quorum maxima excellentia fuit, quod, semper arma fuerint justitiæ, quamvis contrà ipsummet usurpata. Bello impetitus ab adversariis, sic dextrè opponebat scutum, ut nullus id posset penetrare; gladio verò tam validum intorquebat ictum, ut nullus posset resistere. Inimicis occasionaliter bellum inferentibus justum, velut in casu, de quo tractamus, ea armorum Augustini erat justitia : *Per arma justitiæ*; ut ea non solùm poneret veritasque submitteret, sed ad adversariorum transeundo partem, ea in se converteret, ipse se impugnaret, se convinceret, & retractaret. Et istud fecit in illo plusquam humano, vereque stupendo Retractationum suarum libro.

Pœnitet me jam quodammodo, quod libro Confessionum famosum illum librum Job adæquarim, quo ipse se coronare, Deóque, ut secundùm eum remuneraretur, offerre & præsentare volebat; nam libro Retractationum Augustini deberi videtur, ut propter ultimam tantùm hanc circumstantiam, corona sit omnium. Ratio verò & verba S. Pauli in utroque libro æqualiter verificantur. Concludamus itaque præter lauream Doctoris, duas Augustinum habuisse coronas, ambas primas: unam Doctoris confitentis per librum suarum Confessionum, in quo de peccatis suis fecit exemplum; & alteram Doctoris revocantis, per librum suarum Retractationum, in quo de suis erroribus fecit doctrinam. Ratio verbaque S. Pauli nondum ponderata, sunt illa: *Per gloriam, & ignobilitatem : per infamiam, & bonam famam*; Apostolus vult, ut Ministri Christi gloriam Domini sui procurent, sine respectu & reflexione ad propriam suam: sive hoc fiat cum honore, sive despectu, sive salvâ famâ, sive cum infamia; & si utroque fiat modo, non solum magna est differentia, verùm etiam ingens perfectionis excessus. Procurare & promovere gloriam, honoremque Dei nostro honori & gloriæ conjunctum: *Per gloriam & bonam famam*; omni difficultate caret : verùm procurare & promovere gloriam Dei, quando cum nostro conjungitur vilipendio & despectu, *per ignobilitatem*; procurare honorem Dei, in famæ propriæ præjudicium, *per infamiam:* hic difficultas occurrit naturæ viribus non superabilis; & hinc claritatem acceperunt prodigiosi duo Augustini actus, quibus in utroque suo libro gloriosè Evangelium amplificavit Christi. Quod Christus mandat in Evangelio, est, ut Prælati suæ Ecclesiæ luce illuminent, suæ doctrinæ, bonorumque operum præluceant exemplo : *Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona*; & quamvis idem Dominus doceat, doctrinæ exemplique finem non alium esse debere, quàm gloriam solius DEI : *Ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est*; ambæ hæ actiones ex se ipsis tam gloriosæ sunt & illustres, ut pro solâ etiam gloriâ Dei exercitiæ, connexam habeant semper gloriam

huma-

humanum. In peccatis & erroribus contrarium accidit : peccata enim, posito quod exemplo sint publicata, semper infamant ; & errores, posito quod confessione per doctrinam sint detecti, semper fidem perdunt : porrò gloriam honoremque DEI, propriæ famæ dispendio, fideique propriæ jacturâ promovere: *Per ignobilitatem & infamiam*; tam ardua res est, ut solus illud Augustini intellectus adinvenerit, solúmque cor Augustini illud exequendi animum habuerit.

Enim verò, si ipse non nisi duobus hisce, adeò propriæ suæ gloriæ contrariis mediis, gloriam Dei promovere quivisset, heroica sanè fuisset excellentia : sed plùs illam extollit & adauget, quod Augustinus, quà Prælatus, justissimas habens peccata sua occultandi ; & qua Doctor, errores suos dissimulandi causas ; peccata sua & errores pœnosâ adeò & arduâ resolutione potiùs maluerit publicare, tantùm, ut quibuscunque modis gloriam DEI amplificaret. Generosus quidam miles, nomine Achan, coràm Josuë convictus, quòd ex manubiis Jerichuntinis, omnibus Deo consecratis, pallium coccineum, & auream regulam furtivè abscondisset, ut commissum à se grande piaculum confiteretur, à Josuë adhortatus, audiit : *Fili mi! da gloriam Domino, & confitere* ; non solùm illi dixit Josuë, ut confiteretur, sed ut daret gloriam Deo; quia inter virtutum actus, quibus homo animi sui magnitudinem exercere & ostendere potest, ob naturalem suam difficultatem, nullus tantum Deum glorificat, quantum propriorum errorum & peccatorum confessio, & amplius ex hoc, si publica fit, velut ista fuit, Christus dixit Augustino *Da gloriam Domino*; sed non illi dixit : *Confitere*. Dixit illi, ut daret gloriam Deo.: *Ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est* ; sed non dixit, ut errores suos & peccata publicè confiteretur, sed è contrario, ut publicè splenderet, & luce doctrinæ bonorumque operum exemplo luceret : *Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona.* Et Augustinus duplici gaudens motivo: quà Prælatus, non confitendi peccata; quà Doctor, non confitendi errores : utraque nihilominùs confiteri voluit, ut duplicem Deo gloriam daret : *Da gloriam Domino, & confitere.* Ego hoc casu Augustinum, cum istis militis Josuë manubiis considero, scilicet cum pallio coccineo, & regula aurea : valdè bonum optimique coloris habebat pallium, ad cooperienda sua peccata, considerando se Prælatum; regulam quoque valdè bonam, ex optimo metallo, ad deaurandos suos errores, considerando se Doctorem : sed quà Prælatus, non solùm suis virtutibus, sed etiam suis peccatis, eadem confitendo voluit præbere exemplum ; & quà Doctor, non solâ suâ scientiâ, verùm etiam erroribus & ignorantiis suis eas retractando voluit docere, ut omnibus modis magis magisque gloriam Dei amplificaret : *Ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.*

Josuë 7. v. 19

§. XI.

REsolvimus, ni fallor, implicationem Augustini cum Evangelio, idemque Evangelium magnificè per S. Augustinum tam libro suarum Confessionum, quàm suarum libro Retractationum amplificatum demonstravimus. Pro complemento materiæ restat unum combinare cum altero, ambobusque in statera positis, videre uter alteri præponderet.

deret. In ambobus se magnum ostendit Augustinus, sed in utronam majorem? Respondeo in utroque, sed diversimodè consideratus. Augustinus consideratus ut Sanctus, major est in suarum libro Confessionum; quia in illo sua peccata publicavit: consideratus ut homo, major est in suarum libro Retractationum; quia in illo suas ignorantias evulgavit.

David à Deo peccatorum juventutis suæ (qualia etiam Augustini erant) remissionem petens, orationem hac com-
Psal. 24. posuit formâ: *Delicta juventutis meæ,*
v. 7. *& ignorantias meas ne memineris, Domine!* Quas secundo loco ignorantias vocat, primo loco peccata vocavit; peccata verò ignorantias vocavit, quia extenuare, & ignorantiarum nomine voluit excusare; sed non ita fieri, nec ita dici debere videtur. Ignorantiæ sunt defectus intellectûs; peccata defectus voluntatis: porrò si defectus excusandus foret defectu alio, ille partem ignobiliorem, qualis est voluntas, & non partem nobiliorem, qualis est intellectus, magis gravaturus videretur. Hoc faciendum fuisset Davidi, si velut homo locutus fuisset, aut intellexisset: ast loquebatur, & intelligebat ut Sanctus. Sancti, utpote gravitatem malitiamque peccati penetrantes, quantóque fœdiores sint defectus voluntatis, quàm illi intellectûs, magis dolent se malos, quàm non intelligentes: potiusque ignorantes, quàm peccatores eligunt videri. Hinc David, velut Sanctus, confitendo peccata pro delictis, ignorantias allegat pro excusationibus: *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas.*

Differentiæ hujus ratio est, quia ignorantia scientiæ, & peccatum virtuti opponitur: & verè sanctus longè majoris æstimat virtutem, quàm scientiæ gloriam. Maria Magdalena Christum in domo Pharisæi inquirens, in murati jam amoris argumentum, fracto alabastro effudit unguentum, exosculatos Christi pedes, lacrymis rigavit, capillisque suis exterfit; Pharisæus admirans, quòd Christus similia obsequia ab hujuscemodi admitteret muliere, ait intrà se: *Hic, si esset Propheta,* Luc. 7.
sciret quæ, & qualis esset mulier, quæ tangit v. 39.
Eum. Suppositis Magdalenæ obsequiis, suppositâ Christi permissione, & Pharisæi malitiâ, hic de virtute potiùs, quàm de scientia Christi dubitare potuisse videtur: quare igitur non de virtute, sed scientia dubitat? *Hic, si esset Propheta, sciret.* Quia pro tunc cogitationes murmuratoris suberant arbitrio murmurantis. Idemque Christus, qui obsequia admisit Magdalenæ, cogitationes permisit Pharisæi. Illi verò malè & temerè de sua scientia judicare, non tamen siniſtrum de virtute sua conceptum formare permisit. De sapientia & scientia sua Pharisæus cogitet ut lubet, ignorantiamque sibi impingat: *Si esset Propheta, sciret;* de sua verò virtute dubitare, de sua innocentia malè suspicari, & quod vel esset, vel esse posset obnoxius peccato, nec ipsi, nec cuiquam alii Sanctus, Sanctorum cogitare permisit. Proindè quia sanctitati proprium est, pluris facere opinionem virtutis, quàm scientiæ, potiusque contrà se tolerare suspicionem ignorantiæ, quàm illam peccati: multò plùs Augustinus in libro suarum præstitit Confessionum, sua publicando peccata, quàm in libro Retractationum suarum, ignorantias suas confitendo.

In quantum homo, contrarium accidit. Quâ homo Augustinus multò plus

in

in confessione suarum præstitit ignorantiarum, quàm in suorum publicatione peccatorum. Peccavit homo primus Divinitatem affectando: ubi singulariter considerandum est, cùm tot & tanta, tamque eminentia sint attributa Divina, ex omnibus, quo aggrederetur hominem, ipsum scientiæ attributum sibi in tentationis medium & instrumentum elegit:

Gen. 3. v. 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Scio equidem multa in DEO dari attributa, tentationi adornandæ non idonea. DEUS infinita est bonitas, & nemo tentatur, ut sit bonus: DEUS est æternus, & homines de nullo minùs, quàm de æternitate tractant: DEUS est invisibilis, homines verò nihil aliud, quàm apparere, & videri appetunt. Nihilominùs alia in DEO attributa dantur, quæ magnam gravissimæ tentationis materiam hominibus ministrare possint. Omnis homo, esse, habere & posse desiderat. Si desiderabat esse, quare diabolus illum immensitatis magnificentiæque attributo non tentavit? Si desiderabat habere, quare universali rerum omnium dominio illum non tentavit? Si desiderabat posse, quare eum omnipotentiæ objecto non tentavit? Sed relictis omnibus istis attributis, solâ sapientiâ & scientiâ hominem tentet. Ita planè. Quia diabolus, tanquàm expertus, tentationem contrà hominem, cognitioni, quam de natura habebat humana, conformiter adornavit, quoque illum magis vidit inclinatum, indè lapsurum non dubitavit. Diabolus hoc modo fuit argumentatus. Hominem, non ego, sed desiderium suum vincet: magisque naturale homini desiderium est scientia: mox, ut illi scientiam promisero, captum tenebo; & ita factum est. Verùm, certum est, hominem in statu isto infusam habuisse scientiam: si igitur tantam jam habebat scientiam, quomodo peccavit scientiâ tentatus? Quia quamvis multâ decoratus fuerit scientiâ, non tamen omni, hanc verò diabolus ipsi promisit: *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum*; rerum omnium scientiâ pollebitis, instar Dei. Et quia homo omni suâ scientiâ jam habitâ, reliqua omnia, quæ scit Deus, ignorabat, peccare maluit, quàm istorum scientiâ carere. Adam impatiens, neque contentus scire minus, elegit potiùs cum peccato plus, quam sine peccato scire minus.

Jam benè probatum erat, quod de Augustino dicere volumus; sed alium adhuc, ex Testamento Novo, minùs clarum, nec fortassis ritè consideratum locum habemus, quo hæc veritas clariùs elucescit. Christus improbans injurias, quibus sese invicem verborenùs lacessunt, condignamque singulis, tanquam supremus legislator decernens pœnam, inquit: *Qui dixerit fratri suo: Racha; reus erit concilio; qui autem dixerit: Fatue; reus erit gehenna ignis*; q. d. Qui dixerit fratri suo: *Racha*; arbitrariam subeat pœnam; qui verò dixerit: *Fatue*; in fornace concremetur. Omnes norunt, *fatue*, stultum & ignorantem significare: alterum verò, *Racha*, quod est Arabicum, impium, vel magis propriè blasphemum significat. Quis igitur non judicet, vel saltem non cogitet, in hisce duobus casibus, pœnam culpæ non videri commensuratam? Esse fatuum & ignorantem, defectus est naturæ; esse impium & blasphemum, peccatum est gravissimum: quo igitur pacto, dicens: *Racha*; id est,

impie, arbitrariâ castigatur pœnâ; dicens verò *fatue*, id est, ignorans, pœnâ mulctatur ignis; Quia licèt, impium esse in Deum, majus est peccatum: esse fatuum & ignorantem in homines, major est injuria. Porrò injuria seu contumelia, quam homo recipit hoc casu, mensuratur sensu, nullusque est, qui non acerbius sentiat seu ferat, majoreque se injuriâ affectum putet, habitus pro stulto, quàm notatus pro malo. Proinde quia communis opinio, æstimatioque hominum minus se lædi putat minoreque injuriâ affici ex objectione peccati quàm ignorantiæ; S. Augustinus, quà homo, multò plus fecit in retractationum suarum libro, ignorantias suas confitendo, quàm confessionum suarum libro sua peccata publicando.

§. XII.

ABsolvi discursum meum, cumque pro debito meum S. Augustinum (quem in specialem, ante Deum, mihi Patronum assumpsi) laudare nequiverim, offendere saltem, ingratumque me illi ostendere formido, sermonem non aliquo doctrinæ ipsius puncto consignando. Facientibus id, quod fecit ille, quà sanctus, non erit necessarium; non facientibus illud, quod ipse fecit, quà homo, omninò necessarium erit: nec minùs utilitatis vicinis Judicibus allaturum.

Quot dantur Judices, qui vel in voto, vel in sententia religioni sibi ducunt, retractare, inhærentesque dictamini seu facto Pilati, pro lemmate usurpant hæc verba: *Quod scripsi, scripsi.* Contingere similiter potest, quod quispiam non considerans, cui se pœnæ addicat, non retractando per invidiam, quod alius melius votum dederit: vel per superbiam, non confitendo quod peccavit; non formidet lucifero sociari in pœna, quem imitatus fuit in contumacia. Retractare, non est argumentum insciticæ, sed scientiæ, quod minùs doctus frequenter notet, quod doctior quispiam non advertit. Quà, quæso, scientiæ particulâ Jethro cum Moyse conferendus? Nihilosecius Moyses consilium Jethro convenientius deprehendens, suo mox retractato, alienum est amplexus. Unde de illo Philo Hebræus dixit, quod etiam in Augustinum quadrat: *Intactus à contentionibus veritatem quarebat: quippe qui nihil prater eam admittebat: longè aliter, quàm isti, qui semel accepta qualiacunque dogmata, obstinatè defendunt.* Philo Hebr.

Nec Moyses, nec Augustinus, illis erant similes, qui, quod semel dixerunt, obstinatè defendunt, eò tantùm quod dixerint: sed quia solam amabant & indagabant veritatem, ubicunque eam invenirent, vel ex cujuscunque ore eam hautirent, illam amplectebantur, sequebantur à contentione & controversia intacti. Nullus tam amicè fidem dictorum suorum defendit velut S. Petrus. Consuluit Christo, ne moreretur, cum à morte ipsius mundi salus dependeret: *Absit à te Domine, non erit tibi hoc.* Et quare? Quia Christum, Filium DEI vivi fuerat confessus, proinde qui Christum mori videret, cogitare posset, Petrum deceptum fuisse in eo, quod dixerat. Quod sic notavit & affirmat S. Hieronymus: *Petrus sic loquitur, quia non vult perire confessionem suam, quâ dixerat: Tu es Christus, Filius DEI vivi.* Matth. 26. v. 22. S. Hier. ibidem.

Verùm idem ille homo, qui generis hu-

humani salutem non consideraverat, solùm ne retractare cogeretur, quod dixerat, ecce quàm promptè retractaverit posteà in scientia consummatus. Gravissimâ illâ quæstione super ritus cæremoniales legis antiquæ, in primo Ecclesiæ concilio ventilatâ & decisâ visum fuit Petro, ut quantum lex nova nec dum sufficienter promulgata pateretur, dissimulando tolerarentur cum Gentilibus, ne Judæis, aliisque Neo-conversis scandalum inde nasceretur. Contrarium verò efficaciter probante S. Paulo, qualiter se S. Petrus resolvit? Non obstante, quod in Galatia, aliisque Regionibus præhabitam opinionem, velut Doctor privatus, practicaverat, illam mox retractans, velut Summus Pontifex, eodem in concilio veritatem contrariam definivit. Tantum in magno illo capite vis prævalet rationis; quamvis Paulus de præsenti, & non de schola Christi in hoc mundo foret Apostolus, sicut illi, & reliqui.

Istud fecit S. Petrus descensu Spiritûs Sancti in se jam illuminatus; sed jam ante excellenti quadam allegoriâ, eandem suo nos docuerat exemplo docilitatem. S. Petrus, cum reliquis Discipulis, in mari Tyberiadis piscabatur, Domino apparente in littore: qui quamvis ab omnibus videretur, & ille cum omnibus loqueretur, à solo S. Joanne est agnitus. Quod hic accidit Christo summæ veritati, idem cuicunque accidit veritati non manifestæ. Aliqui eam vident, alii non vident; quamvis ordinariè (sicut hîc) illam citiùs vidit, melinsque agnoscit, qui magis illam amat. Porrò quid similibus casibus faciendum? Idem quod S. Petrus fecit. Dixit illi S Joannes: *Dominus est.* Quo audito, agnoscens, quòd bene & veraciter loqueretur, mari se mox committens natare cœpit, seque ad pedes Christi prostravit. Ita facere oportet, qui veritatem quærit & indagat. Et si non ego, sed alius eam detexit, non propterea in dubium vocanda, neganda, aut impugnanda venit: sed ubicunque demum, & à quocunque fuerit inventa, mox ad illam natandum est. Natandum esse dico, sicut fecit S. Petrus; hâc enim locutione metaphoricâ melius declaratur, quid sit mentem sententiamque alterius sequi & amplecti. Antiqui ad hunc actum (qui nonnunquam arduus est) exprimendum, hac phrasi utebantur: *In alterius sententiam pedibus ire*: vel *obvius ultro eam amplecti.* Hoc fecit S. Petrus, qui pedibus manibusque natando quæsivit veritatem, ubi ipse eam non viderat: sed S. Joannes junior eam ostenderat. Non est annosa adeò scientia, quam non latere possit, quod alia minoris quantumvis ætatis, & authoritatis, qualis erat illa Joannis respectu Petri, invenit. Vera scientia est, scire agnoscere veritatem, quamvis alienorum oculorum, & alieni intellectus filiam; & non excœcari proprio instar luciferi. Joan. 21. v. 7.

O si lucifer Angelorum, quos inferiores se reputabat, sententiæ accedens, quod dixerat retractare sciviſſet, quàm optimè qualificata permansisset ejus sapientia! verùm sustinere illam volendo, & plùs nimiò depereundo,

Eccl.28. v. 17. jacturam ipsius fecit : *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* Neque exigua perseverantis in lucifero obstinationis est probatio, quod edito jam Retractationum Augustini libro, tanto exemplo nec ad pœnitendum, nec ad retractandum fuerit motus. Hinc ego pro conclusione infero, seu pro coronide omnium jam dictorum assero, in eundem locum, quem lucifer retractare nolendo, in Cœlo perdidit, S. Augustinum successisse, quia retractavit. Porrò asserto meo fundamentum, ex lege seu textu, promissio illa Dei filiis Israël terram promissam jam-

Josuë 1. v. 3. jam ingressuris facta, ministrat : *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* Terra promissionis figura erat Cœli, & ex hac promissione Dei infert Origenes, quod, qui calcaverit superbiam luciferi, ipse

Orig. Ibidem. in Cœlo locum ipsius obtinebit: *Lucifer sedem habebat in Cœlis, post ea verò quàm factus est Angelus refuga, si eum vincere potero, & subjicere pedibus meis, consequenter locum luciferi merebor in Cœlis.* Et si consequentia in Divina promissione fundatur, cathedram luciferi, per sapientiæ obstinatæ superbiam perditam, solùm obtenturum, qui eandem superbiam mediante humilitate pedibus substraverit, eandemque obstinationem pœnitendo, eandemque sapientiam erroneam retractando calcarit; cuinam, quæso, alii, sive per vota, sive per applausum, justius debetur luciferi cathedra, quàm Augustino? Sic splendet inter Angelos, qui sic præluxit hominibus: *Sic luceat lux vestra coràm hominibus*; sic exaltant opera bona, scientem confiteri & retractare non bona : *Ut videant opera vestra bona*; sic denique glorificat DEUS in Cœlo, qui tantum ipsum glorificavit, & glorificari fecit in terra: *Ut glorificent Patrem vestrum, qui in Cœlis est.* Amen.

SERMO

SERMO
PRO
DOMINICA PRIMA ADVENTUS.

Habitus in Capella Regia, Anno 1650.

Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus Cæli, cum potestate magna & majestate. Luc. 21.

§. I.

COncremato tandem mundo, redactisque in cinerem universis, quæ diei hujus oblivio construxit in terra. Auditores benevolentissimi! sine exordio Sermonem præsentem exordior; siquidem, assertore Quintiliano, res graves exordio non indigent, sed seipsis aut attentionem supponunt, aut excitant. Ex quo motivo & ego stupendorum illorum signorum, quæ judicium præcedent, narrationem tacito pede prætereo; hæc etenim Evangelii pars, non nos, sed isto victuros tempore potissimùm concernit: præsens verò dies comprehendit multa; ut quilibet secum ipso ea pertractet, quæ se concernunt.

Concremato demum mundo, ignisque virtute absumptis omnibus, quæ superbia hominum, hujusque diei oblivio construxit & erexit in terra; quando jam in hac ampla, pulchra, vastaque mundi mappa non nisi cineres pusillum, magnificentiæ illius vestigium, nostræque vanitatis vera repræsentatio videbitur: non metaphorica, sed vera in aëre resonabit tuba; illud enim iteratò innuit S. Paulus: *Canet enim tuba*; cujus voci Cœlo, inferno, purgatorio, limbo, mari, terræque obedientibus, nec non apertis in momento sepulchris omnibus, mortui in terra apparebunt redivivi. Obstupescitisne forsan, quòd vox tubæ in mortuis inveniat obedientiam? Ast majus aliud prodigium attendite, quod minus vobis videbitur. Ægypti, Thebaidis & Palæstinæ adite deserta; interiora, magisque abdita solitudinum harum lustrate loca; & quid in antris istis, quid in spelæis istis videbitis? Videbitis in hoc latere Hilarionem, in illo Macarium, in remotiore alio Pachomium: hîc unum Paulum, ibi aliquem Hieronymum, illic unum Arsenium: hîc

unam

unam Mariam Ægyptiacam, unam Thaidem, unam Pelagiam, unam Theodoram, viros & fœminas. Et quid hoc est rei? Quis ad eam vos compulit vivendi normam? Quis vos mortem anticipare fecit? Quis istis vos ciliciis involvit? Quis vivos sepelivit? Quis istis vos sepulchris inclusit? Ecquis? Unus omnium vice respondebit S. Hieronymus: *Semper mihi videtur insonare tuba illa terribilis: Surgite mortui, venite ad judicium.* Hieron.

Vult in scire, quisnam istis nos convestierit funebribus? Quisnam istis nos consepeliverit antris? Solæ tubæ illius terribilis memoria, quæ in ultimi judicii die horrendum insonabit: *Surgite mortui, venite ad judicium.* Enimverò si sola vocis tubæ hujus consideratio (ponderate, ut oportet, consequentiam) si sola vocis tubæ hujus consideratio, suffecit ad sepeliendum vivos: cuinam mirum videbitur, si, ubi insonuerit, è sepulchris educat mortuos? Non hoc miror, sed est quod mecum mirentur omnes: quòd videlicet tuba ista, ad suscitandum quidem sufficiat mortuos; non tamen ad excitandum mortales. Creditisne, mortales, judicium subsecuturum? Alterutrum certum est: vel non creditis, vel non ritè pensatis. Aderit extremi judicii dies, quando nostra sentiet insensitivitas sine remedio, quod modò sentire posset cum fructu. Quantò proinde satiùs foret flere & plorare modò, pœnitentiam agere modò, qualem utriusque sexus pœnitentes egerunt in deserto; quàm flere, & plorare, & pœnitere postea, quando nec lacrymis misericordia, nec pœnitentiæ supererit venia? Vivimus modò ut volumus, prò dolor! resurgemusque posteà, uti non vellemus.

§. II.

IN isto universalis resurrectionis actu innumera occurrent oculis, & lacrymis, & consideratione digniſſima. Inter quæ loco huic magis propria, commiserationeque digniora illud verè censendum videtur. Quod homines bene nati, in illa die malè videbuntur resuscitari! Inter resurrectionem naturalem & supernaturalem magna intervenit differentia; cùm in resurrectione naturali quilibet resurgat, qualis nascitur; & in resurrectione supernaturali quilibet resurgat, qualiter vixit. In resurrectione naturali, natus Petrus resurrexit Petrus; in resurrectione supernaturali, natus Petrus piscator, resurrexit Petrus Princeps: *Sedebitis in regeneratione, judicantes duodecim tribus Israël.* Matth. 19. v. 28. O quanta consolatio hinc istis, quibus splendidiores natales natura negavit! In extremo Judicii die Deus hominibus natalium inæqualitatem compensaturus videtur. Cùm omnes ejusdem sint naturæ, nulli injuriosa videtur nascendi inæqualitas, cui libera relinquitur resurgendi electio. Resurrectio secunda, est nativitas ex arbitrio.

Qua in nativitate tantam Job consideravit & concluſit proprietatem, ut aliam nobis matrem, aliumque in sepulchro nobis asseruerit patrem: *Putredini dixi: Pater meus es; mater mea, & soror mea vermibus.* Job 17. v. 14. Alium habemus patrem, aliamque matrem in sepulchro, in quo ossa nostra jacent; quia ibi sumus regenerati, & indè eximus renati. Age, jam notate illud: *Statutum est hominibus, semel mori.* Hebr. 9. v. 27. DEUS semel tantùm nos voluit mori, & bis nasci; quia enim benè

mori

mori ex nostro pendet arbitrio, mors una sufficiebat : sed quia benè nasci, in nostra positum non erat potestate, duæ necessariæ erant nativitates, ut defectum primæ suppleret secunda. Facilè omninò fuit Deo æquales omnium hominum facere nativitates ; ejusdem nihilominus providentia dispositum, ut illa ægrè tolerata in mundo esset inæqualitas, ut idem ipse dolor nativitatis primæ, ad meliorationem nos stimularet secundæ. Ìò Plebei, abjecti, infimæque conditionis homines, bonum nuncium! si illiberalis in vos, aut natura fuit, aut fortuna, ut obscurè nasceremini; renascituros vos, & quidem splendidè pro voto, scitote. Melioratâ tunc naturâ, ultionem sumetis de fortuna.

Enim verò, quænam, quæso, major de fortuna sumi potest vindicta quàm notabiles adeò, quæ in die illo videbuntur mutationes ? Porrò in die illa, tam divitis & potentis, quàm pauperis inferiorisque conditionis anima adibit sepulchrum corpus suum inquisitura. Et quid deinde ? Tenuioris conditionis plebejus plerumque sua in sepulchro reperiet ossa, sine lapide, sine epitaphio, & stellarum instar coruscus resurget : è contrario dives & potens corpus suum balsamo aromatibusque pretiosis conditum, leonum elephantumque lacertis impositum, magnificis splendidisque condecoratum epitaphiis reperiens, ipsis obscurior tenebris prodibit. Ah metamorphosin, tam luctuosam, quàm veram ! Ecce, unum DEUS hominibus natalium imparilitatem sit compensaturus ! Splendidi natales quid sunt ? Transitoria cum vita vanitas. Illos quidem DEUS nostro non indulsit arbitrio. Splendidè verò resurrexisse, quid est ? Nobilitas in perpetuas duratura æternitates : & hanc DEUS cujusque arbitrio concessit. In nativitate nostrorum sumus filii parentum : in resurrectione verò nostrorum erimus filii operum. Quod verò malè resurgat (ad nostram revertamur considerationem) quod obscurè suâ resurgat culpâ, qui clarè sine suo natus fuerat merito : deploranda sanè est conditio. Post obscuriores natales, resurgere clarum, est meliorare fortunam : splendidè ortum, resurgere obscurum ; pejus est, quàm ab ipsa degenerare natura. Quod clarè resurgat David ex Jesse natus, magna est gloria filii pastoris : quod obscurè resurgat Absalon ex Davide natus, magna est ignominia filio Regis. Porrò si homines tanti æstimant benè nasci, quare tam parvi pendunt benè resuscitari ? Magnatis nihil in ore frequentius, quàm natalium conditionisque suæ versare obligationes ; ast ego pauciſſimos illorum conditionis suæ obligationes penetrare ausim affirmare. Nasci benè, resurgendi meliùs obligationem inducit. Istæ sunt obligationes, cum quibus nati estis.

Optimè natus homo, qui fuit, aut esse potuit, fuit Christus. Nemo meliore patre, aut matre potuit gloriari. Notavit Augustinus, si Christus benè est natus, melior resurrexit : *Glorioſior eſt iſta nativitas quàm illa : corpus mortale genuit ; iſta dedit immortale.* Christus, inquit S. Augustinus, natus est nobilior in nativitate secunda, quàm prima. In prima natus est mortalis & passibilis ; in secunda, quæ ejus resurrectio fuit, natus est impassibilis, & immortalis. Ecce conditiones benè natorum, ut scilicet, secundò renascantur meliores. Enim verò, si DEUS hominis S. Aug.

minis reliquisset arbitrio nasci : Ecquis, quantumcunque bonus, se non fecisset meliorem. Age, hic est casus conditioque, de qua agimus. Si redeundum renascendumque est, quare operam non damus, ut splendidè nascamur ? Sine splendore nasci in nativitate prima, in excusationem trahit, quod DEUS
Ps. 99. v. 3. fecerit nos : *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* In nativitate secunda nasci cum honore, excusatione non indiget, sed gloriam sortitur ex eo, quod nos ipsi simus, qui fecimus nos : *Ipsi nos.* Quàm gloriosum erit homini, in die illa veraciùs sibi usurpare posse Elogium istud, quod soli
Matth. 11. v. 11. Joanni Baptistæ contulit Christus : *Inter natos mulierum non surrexit major?* Verborum notate proprietatem : Non dicit, quod inter natos non fuit major natus ; sed inter natos, *surrexit.* Esse majorem inter natos, quà natum, exigui momenti encomium est : esse majorem inter natos, quà resuscitatum, veraciter est esse majorem ; quod in nostro arbitrio & potestate situm est. In hac vita felicissimè natus, Regis est filius : in altera vita, quotquot voluerint, ipsius Dei filii nasci pos-
Joan. 1. v. 12. sunt : *Dedit eis potestatem filios DEI fieri.* Hoc non speculatio nuda, sed est veritas ipsa, fideique Catholicæ dogma. Benedictus ille Dominus, qui est resur-
Joan. 11. v. 25. rectio nostra, & vita : *Ego sum resurrectio & vita.*

§. III.

ANimabus jam corporibus reunitis, hominibusque suæ integritati restituris, bene resuscitati, jucundi & hilares : malè verò redivivi, luridi, & tristes, pariter omnes ad locum judicii procedent : ibique universum genus hominum, primùm sese conspiciet adunatum ; quotquot enim fuerunt, sunt, aut erunt in valle Josaphat collecti comparebunt. Nisi dies ille tantæ foret formidinis & pavoris, præclarum sanè & magnificum quid esset, omnes, quotquot per omnes exiterunt ætates, famosos atque potentes in unum cernere collectos. Verùm interrogari mihi videor, quonam pacto possibile sit, quod tam immensa & infinita hominum multitudo, jam inde ab origine mundi ad finem usque ejusdem aut natorum, aut nasciturorum, collectim unâ possit valle comprehendi? Dubitatur bene, faxit DEUS, ut resolvatur rectè.

Dico primò. In locorum materia magna datur deceptio : loca enim plus opinione nostrâ continent. Primâ creationis die, creavit DEUS cælum, terram, & elementa. Porrò rectè formata Philosophia indubitatum habet, non fuisse datum vacuum in mundo : impleta fuisse omnia. Quod cum ita se haberet, videreturque novæ producendæ creaturæ capax deesse locus, tertiâ demum die prodierunt herbæ, arbores & plantæ : & quamvis numero & qualitate tot sint & tantæ locum & spatium invenerunt omnes. Quarta die prodiit Sol, qui cùm tam immensus sit planeta, ut centies & sexagies major sit terrâ, locum nihilominus reperit. Eâdem die tot milliones adfuerunt stellarum, quarum quælibet tot leucarum millia occupat : & locum acceperunt. Quintâ die producta volatilia in aëre loca obtinuerunt. Producta sunt animantia, tot & tanta & assignata sibi in terra occuparunt loca. Ex mari enati sunt pisces, cumque tot eorundem

den-

dentur monstra, tamque stupendæ magnitudinis, mari fuêre comprehensa. Sexto demùm die prodiit homo, & homo fuit primus, qui non comprehendi cœpit: sed paradiso exclusus, foris eo mansit. Proinde, ut dixi, in locorum materia, magna est deceptio: suntque opinione nostrâ capaciora. Quod si minus verò consonum hoc vobis videtur, ad exemplum morale transeamus, illud in qualicunque reipublicæ loco visuri. Dies est judicii, locus sit alicujus Judicis.

Quid olim aliquis locus talis capiebat? Capiebat Doctorem cum suis textibus, glossisque paucis, & valde usitatis, ideoque cumprimis honoratis. Insuper capiebat aliquam, remotiore ab horreo domo, curatam negligentiùs mulam. Capiebat filios decenter vestitos, sed pedestres & cum artis suæ instrumentis sub axe. Capiebat uxorem paucis exornatam cymmeliis porrò ancillæ, si numerum excedebant singularem, ad pluralitatem Græcorum non accedebant. Illud locus iste capiebat antiquitùs: transierunt anni, & locus non crevit, nihilominus eundem locum incomparabiliter plura nunc capere experientia monstravit. In primis nonnullas ædes, seu palatia capit, qualia magni sanguinis olim defuêre comitibus: capit Bibliothecam Status, ad instar Vaticanæ, & similiter illi clausos & alligatos habentem libros: capit rhedam, seu quadrigam cum quatuor mulis: capit Ephebos, satellites, & scutarios: capit uxorem in loco separato cum Gynecæo, aliisque æmulando nobilitatem pompis: capit filios cum equis & famulis, quandoque cum ludis, aliisque sumptuosis consuetis juventuti oblectamentis: capit filias natu majores copiosè dotatas, pro splendidioribus nuptiis: natu minores destinatas Monasteriis, cum magnæ summæ annuæ assignatione pro recreationibus: capit aulæa, capit naves, capit commendas, capit beneficia, capit redituum modios, & super omnia capit manus valde mundas, conscientiamque valde puram, nec non infinita alia, quæ memoria intellectusve capere non sufficit. Nunquid hoc ita se habet? In terris, quas ego peragravi modò, ita planè se res habet. Si igitur omnia ista locus capit tam exiguus, cur non tantùm nostræ deferamus fidei, ut credeamus vallem Josaphat omnes nos capturam? Protinùs capiet nos omnes, & si alteri tanti, & plures venerint, omnibus capiendis vallis sufficiet, & erit miraculum.

Præter rationem hanc generalem, quæ se tenet ex parte loci, aliæ duæ concurrunt ex parte personarum: ex parte bonorum una: ex parte hominum malorum altera. Boni, dotis subtilitatis beneficio, exiguo ibidem spatio poterunt comprehendi. Inter glorioſi corporis dotes, numeratur una dicta subtilitas, quæ Beatis id confert, ut quotquot in judicio fuerint inventi, tantillo spatio, quantum ego stando occupo, circumscribi possint & contineri, etiam me non recedente. Hic in mundo, eadem subtilitatis dos, sed effectibus longè diversis, datur. Subtilitas cælestis sine exclusione alterius aliquem admittit: mundanæ verò subtilitates id tantùm agunt & operantur, ut excluso alio semetipsum quis intrudat: hinc nec locus est durabilis, nec sufficiens. Magnum est, quod Jacob & Esau eadem non continuerit domus; majus est, quod Loth & Abraha-

mum, eadem non continuerit regio: mirabilius, quod Saulum & Davidem unum non continuerit regnum: omnem verò excedit admirationem, quod Cainum & Abelem totum non ceperit universum. Enim verò, quare duo homines, tam immenso non comprehendebantur spatio? Causa pejor est casu. Cain non comprehendebatur cum Abele; quia Abel comprehendebatur cum Deo: at verò, cùm homo cum suo concordat Domino, mox alii discordant cum ipso. Erit hujus causa subinde superbia Abelorum: ordinariè tamen est invidentia Cainorum: certum tenete, cum morte invidiam finire. Nullo negotio in die judicii simul comprehendemur omnes: vultis omnes comprehendi? Nolite augere spatia, sed imminuite invidias. Hæc bonorum subtilitatis dos est.

Ex parte quoque reproborum nulla erit difficultas, quin etiam Vallis eos comprehendere queat: licèt tot sint mali, hodieque tanti & tam tumidi & inflati, in illa die omnes erunt tenues & pusilli. Quod diluvii tempore, arca Noë totius mundi animalia in suis speciebus continuerit, credit fides, sic asserente Scripturâ: hoc verò non capit intellectus; quia non assequitur ratio, quomodo tam angusto fabricæ spatio, tam vasta, tamque ferocia, sibique invicem infesta comprehendi possent animantia. Leo, cui tota Lybia, terra angusta; Aquila, cui omnis aër sphæra exigua; Taurus, cui non sufficit forum: Tygris, quam non capit sylva: Elephas, qui non capiebatur in se ipso: omnia ista, ejusdemque ferociæ & vastitatis alia tam angustâ continebantur arcâ? Ita planè; licèt enim angusta foret arca, tempestas erat magna. Tum temporis Deus universalæ diluvium terræ superinduxit universæ, quæ calamitas fuit maxima, quam mundus sustinuit unquam. Magnarum miseriarum clamitatumque tempore ipse naturæ instinctus colligit animalia, quantò magis homines ratio? Comprehendet Vallis Josaphat homines, sicut animantia arcâ Noë fuêre comprehensa: *Sicut fuit in diebus Noë, sic erit in consummatione sæculi.* Ex solis finituri mundi signis, homines timore & stupore contrahendos textus innuit: *Arescentibus hominibus præ timore.* Porrò, si homines solus attenuabit timor, quantùm attenuabit illos judicium? Pro quantum nosmetipsos in illa colligemus die? Quim erunt tunc pusilli, proceri quondam Gigantes?

Matth. 24. v. 37. Luc. 21. v. 26.

Non adeò mirandum videbitur in die illa, totum in Valle Josaphat comprehensum videre mundum: majorem merebitur stuporem, in exigua Vallis parte videre concluſos, quos totus non capiebat Orbis terrarum. Nabuchodonosor, Alexander Magnus, Julius Cæsar, &c. quorum dominandi libidini angustus nimis videbatur totus terrarum circuitus, vel minimo Vallis illius claudentur angulo.

Inter notabiliora Christi de die Judicii asserta, illud legitur: *Cadent stellæ de cœlo.* Mathematici singularem in hoc textu naturalem deprehendunt perplexitatem; ast ego desuper ab eis requisitus reddam rationem: Omnes stellæ, exceptis duabus, majores sunt terrâ, & quædam earum, quadrageſies, octogeſies, imò centu & decuplo majores existunt; quo igitur pacto cadentes hic infra comprehendentur? Comprehendentur, quia cadent. Nescitis stantium & erectorum homi-

Matth. 24. v. 29.

hominum, & collapsorum eorundem non eandem esse mensuram? Idem stellis eveniet. Stantes nunc & quasi erectæ, immensa cœli occupant spatia; delapsæ verò uno comprehendentur terræ palmo. Nihil minus occupat loci, quàm quod cecidit. Collata cum cœlo terra, non nisi punctum est respectu terræ, centrum punctum est aliud. Lucifer, quem stantem adhuc & erectum non capiebat cœlum, collapsus centro comprehenditur terræ. Ah luciferi mundi! quos in domibus prosperitatis nullus capiebat locus hodie; collapsi & prostrati in illa die angustissimo comprehendentur angulo. Erimus contracti, & in nobis ipsis absorpti, de sola Deo reddenda ratione anxii. Proinde, deficiente quamvis aliâ, hæc una sufficeret ratio, ut suus cuique locus sufficiat. Cogitent tantùm homines, quam Deo rationem reddituri sint; & ego promitto, quòd loca in Valle Josaphat supererint. Curandum interim singulis impendiò, ut bonus cuique locus obveniat.

§. VI.

PRæsente tandem collecto & adunato in Valle Josaphat universo hominum cœtu, remoto cæli stipario, adornato ex nubibus magnifico throno insidiens, Angelicis stipatus & comitatus Hierarchiis, & propriâ vel maximè majestate coruscus Judex apparebit supremus. Primò omnium, Angelorum ministerio, reprobos segregabit ab electis. Exibunt itaque Angeli: Ecce qualis stupor, qualis timor & tremor, in illa die, hominum occupabit corda! *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Justorum.* Ad quam separationem meliùs intelligendam, cum Propheta Zacharia supponendum est; quod prævidè omnes ibidem non promiscuè & confusè stabunt conjuncti; sed ordinatè divisi: *Familia, & familia seorsum.* Ab hac parte stabunt Summi Pontifices, ab altera Imperatores: ab hac parte Reges, ab altera Episcopi: ab alia Religiosi; & sic de reliquis. Hoc ordine omnibus, secundùm locum & gradum, quem in hac obtinuerunt vita, separatis; segregatio incipiet secunda pro statu futuro, & æternum duraturo.

Matth. 13. v. 49.

Zach. 12. v. 12.

Hinc exeuntes Angeli ad Summorum Pontificum accedent ordinem: *Et separabunt.* Et quamvis vel minimum hic separandum occursurum sperem & confidam, inhorrescere nihilominus facit sola imaginatio, in dignitate tam Divina, hominibusque per Spiritum Sanctum ad eam electis etiam inventum iri, quod separationem mereatur: *Separabunt malos de medio Justorum.* Pontifices malos de medio bonorum separabunt. Obligatio enim reddendi Deo rationem de tot animabus mundi, pondus est tam immensum, ut mirum videri non debeat, eò quod sint homines, quod nonnullos deprimat in profundum. Omnes quidem in hac vita compellantur Patres sancti: dies verò judicii, non in nomine, sed in opere sanctitatem consistere declarabit. Proinde in hac vita beatissimos, in altera vita esse miserrimos, prô, quanta miseria!

A loco SS. Pontificum transibunt Angeli ad Episcopos & Archipræsules, similiter malos de medio justorum sequestraturi: *Separabunt malos de medio Justorum.* Ille separabitur, quia eleëmosy-

nas non dedit; hic, quia de Christi patrimonio parentes, consanguineosque ditavit: ille, quia priore sponsâ, ob tenuitatem repudiatâ, melius dotatam sibi procuravit: ille, quia spirituale ovibus suis pabulum non ministravit: ille, quod Ecclesias talibus commiserit Ministris, qui non alio, quàm præstitorum servitiorum titulo, illud mercebantur: alius, quia tot animæ Sacramentorum defectu in diœcesi sua perierunt: ille, quia non resedit; alius propter simonias; alius propter irregularitates, scientiæ requisitæ defectum. DEUS bone, quanta confusio! Quantâ verò lætitiâ perfusi stabunt ex adverso, aliquis Bernardinus Senensis, unus Bonaventura, aliquis Dominicus, unus Bernardus & Bruno, innumerique alii sanctitate & prudentiâ conspicui viri, qui oblatis sibi dignitatibus & mitris, similium præcipitiorum gnari, & anxii ascendere altiùs recusârunt! O quoties miseri illi jam damnati ingeminabunt, maledicta dies electionis, maledictus qui elegit: maledicta dies confirmationis, cum eo, qui confirmavit. Enim verò, si homo ægrè rationem pro anima sua reddet, quam, quæso, pro tam innumeris redditurus est? Porrò si pondus illud maximos Ecclesiæ in terram prostravit Atlantes, quis non tremebundus, & perterritus fugiet ab eo?

Grandis hodie Ecclesiarum Lusitaniæ est desolatio, carere Episcopis, contingere nihilominus potest in die judicii, ut magno Episcopis Lusitaniæ tunc sit solatio, non obtinuisse Ecclesias: S Hieronymus de quodam Sacerdote Episcopatum acceptare recusante narrat: quod post mortem, cuidam patruo suo Religioso, qui acceptare dissuaserat, apparens sequentia dixerit: *Gratias, Pater, tibi refero ex dissuasione Episcopatus; nam scito, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum.* Heu quot, non scientes quid faciant, sub splendido mitræ cujusdam nomine, suam ipsi damnationem prætendunt. Huic, aliisque multis Episcopalem dignitatem recusantibus, revelavit DEUS, quod damnationem incurrerent, si Episcopatum acceptarent. Et quis vos ab hoc conditionato exemit? Ex eo, quod facti sitis Episcopi, esse potest, quod animarum alienarum salus non dependeat: Ex eo verò, quod facti non estis, salus vestra dependere potest. Porrò nihil securiùs quàm humeris contractis regimen Deo resignare.

De loco igitur Episcoporum, transibunt ad locum Religiosorum, infinitamque illam Ordinum regularium frequentiam ingressis, non obstante, quod in illis, Solis adinstar, maximæ resplendebunt mundi sanctitates, multum occurret separandum. Incipiendo à Juda: *Separabunt malos de medio Justorum.* Non hoc dico, quod me magis hoc concernat; sed quòd luctuosissimum mihi undequaque videatur diei Judicii spectaculum. Tritâ à damnatis viâ tendere ad infernum, infaustum quidem est, ast non mirum: sed ducente ad cœlum viâ pergere ad infernum, miseriarum est miseria. Quod dives ille, vestitus byssо & purpurâ, quotidieque epulatus splendidè, sepultus sit in inferno, condignam operibus suis mercedem recepit: *Recepisti bona in vita tua.* Sed Religiosus sacco involutus & cilicio, cum suis jejuniis & pœnitentiis, cum sua clausura, voluntate alteri subdita, eò quòd Lazari instar mundi micis oculos Luc 6. v. 25.

los infixerit, ad similes deveniat pœnas! ô casum atrocem! sæcularis quispiam salutis suæ incurius, cui nec in mentem quidem unquam venit reddenda Deo ratio, quod rectè eam non componat, sicque pereat, negligentiæ ipsius imputandum venit, quæ sine alio coronari non poterat. Sed Religiosus talis, qui pulpitum hoc de judicio vobis prædicaturus conscendit, diei istius reprobatis accenseri mereatur! deploranda sanè est nostra conditio, nisi salutem consequamur. Hinc verò inferre licebit, si hoc fiat in portu, quid fiet in via & discrimine? Auditores benevoli (de melioribus me loquor) si nos post tot tantasque considerationes & solicitudines, in altera pessum ibimus vita; vestra vos incuria & oblivio quò ducet? Si Cartusiani, Benedictini & Capucini in illa trement die, quis aularum, ædiumque splendidarum erit status?

§. V.

TRansiliamus status, ordinesque reliquos, in quibus quilibet sibi prædicare potest. Venient tandem Angeli ad locum Regum, nec thronus ibi, nec alius regiæ majestatis invenietur apparatus; sed omnes suis tantùm operibus comitati, reorum instar stabunt pedites: distinctè cognoscetur, quis cui regno dominatus fuerit. Quis Ungariæ; quis Galliæ; quis Hispaniæ; quis Angliæ; quis Lusitaniæ; Transibunt Angeli de qualibet corona malos separaturi: *Separabunt malos de medio Justorum.* Confido in Domino, regnum nostrum singulare futurum in illa die: neque inventuros Angelos, in illo solo, quod separent. Pro desiderio quidem meo & fiducia, ita mihi credendum foret: Sacram verò pervolvendo Scripturam observo, quod timore & perplexitate plenum est. Quis Regum damnetur, quis verò salvetur non constat: una tantùm quondam fuit Gens & Natio, de qua ex Sacris Literis constat, quot fuerint salvati, quotve damnati: horreo quidem illud dicere, operæ pretium nihilominus est sciri clarè & distinctè. Hebræi, quo tempore populus erant Dei, triplici successivè regimine fuerunt gubernati. Primum duocim tribuum, sub tribus Regibus centum & viginti annis duravit. Secundum fuit regnum Juda, & sub Regibus viginti, trecentis nonaginta quatuor continuavit annis. Tertium fuit regnum Israël, & sub Regibus undeviginti, ducentis quadraginta duobus stetit annis. Sciamus igitur, quot ex quolibet eorum salvati fuerint & damnati.

In regimine duodecim tribuum ex Regibus tribus, damnatus est Saul; salvatus est David: de Salomone certi nil constat. In regno Juda, ex Regibus viginti, salvati sunt quinque; damnati tredecim: de duobus est incertum. Porrò in regno Israël Reges fuêre undeviginti, omnesque damnati, de quo in die judicii verificari non poterit: *Seprabunt malos de medio Justorum.* Venientes Angeli, & quod separent non invenientes, tollent omnes. O infelicitas sceptrorum! ô infelices coronæ! ô infelices Reges! ô infelix, à Jeroboamo usque ad Oziam descendens Regum series! undeviginti Reges coronati, totidemque damnati.

Certum est, id non evenisse defectu medii; siquidem omnes veri agnitione Dei sufficienter fuerunt instructi: templum,

plum, Sacerdotes habuerunt & sacrificia; Dei videbant mirabilia, de Cœlo gratias & necessaria recipiebant flagella: sed infructuosa fuerunt omnia. Prorsus periculis plena oportet esse sceptra, cum tanto temporis spatio ex tot Regibus, aut paucissimi fuerint salvati, aut nullus. Proindè rei hujus causam inquirant Principes: in DEUM non cadit iniquitas. Conscientias suas diligenter discutiant, benè considerantes, cuinam eas committant. Obligationes suas fusè excutiant, quæ strictiores sunt quàm cogitent. In publica sua & privata subditorum suorum damna inquirant solicitè, omni posito affectu expendentes, num actus ipsorum aut omissiones causa existere possint. Protinùs sibi persuadeant, se aliorum adinstar hominum antè Justitiæ Divinæ tribunal sistendos, ubi strictissima ab ipsis de die in diem, de hora in horam, de eo, quod egerint, aut quod agendum intermiserint, exigetur ratio. Pensent deniqúe, uti Principem facere fas est, quanta sibi indè resultabit infelicitas & confusio, coràm universalis judicii tribunali, si post tantam majestatem, exhibitamque sibi in hac vita venerationem, Angelus apprehensâ manu, à salvandorum eos segreget consortio: *Separabunt malos de medio justorum.*

Pari modo in omnibus & singulis mundi statibus sequestratio malorum continuabitur. In quibus ratione sanguinis amorisque naturalis magis arctiorque fuit conjunctio, acerbior quoque fiet separatio. Omnes omninò actus hujus circumstantiæ, oppidò videntur rigidæ, ipseque per omnia atrox. Ibi parentes sequestrabuntur à filiis: ad illam partem transibit Abraham, ad oppositam Ismaël. Sequestrabuntur fratres à fratribus: ad illam partem ibit Jacob, ad oppositam Esau. Sequestrabuntur uxores à maritis: ad illam partem ibit Esther, ad oppositam Assuerus. Amici separabuntur ab amicis (serviat vice exempli, cùm tam rari hodiedum veram amicitiam colant) ad illam partem David, ad oppositam Jonathas ibit. Separabuntur in æternum, qui se amabant in hac vita; qui tanta motiva, rationesque tantas habebant amandi se æternum in altera. Enim verò, si separatio aliquanti temporis, & de patria ad patriam, cum certissima revertendi, seque mutuò revisendi spe conjuncta, tam acerba amantibus accidit: si separari transireque ab hac ad alteram vitam, cum spe probabili mutuo aspectu fruendi in æternum, adeò videtur amaritudinis plenum: quantum, quæso, dolorem ingeret dividi & separari in æternum, omni prorsus sese revisendi spe præcisâ, quousque Deus erit Deus, quos amor & natura conjunxerat, & quasi unum fecerat! Indurati protinùs cordis esse necesse est, qui ex eo tantùm, ne ad præfatas miserias deveniat, Deum ex toto corde non amat.

§. VI.

MAlorum bonorumque separatione jam factâ; cessantibus jam ultimæ separationis hujus ejulatibus, qui, teste Sacro Textu, vehementissimi erunt: *Plangent Tribus terræ.* Silente suspensoque judicio, examen inchoabitur culparum. Hîc me ex cathedra descendere oporteret: Ast quemnam ascendere? Non Angelum, non Prophetam, neque Apostolum: sed ex damnatis ad infernum Matth. 24. v. 30.

ternum quempiam, qualem dives ille petebat, ut fratribus suis prædicatum abiret. *Delicta quis intelligit?* Ecquis in toto mundo, peccata vel intelligit vel cognoscit? Hoc ille illuminatus è cælo David affirmabat. Aliquis ex inferno damnatus, aliquis solùm à Deo judicatus; solùm ille, qui tremendo huic tribunali, rigorem expertus astitit: solùm, qui perspicax vidit examen, quo ibidem pervestigantur & eventilantur conscientiæ: solùm, qui anatomiam vidit tam subtilem, sagacem & exquisitam, quæ de minori ibidem exercetur peccato & circumstantia: solùm qui non imaginabilem vidit subtilitatem, quâ ibidem appenduntur atomi, dimeriuntur instantia, dividuntur indivibilia: solùm, inquam, illi, nec tamen adhuc pro rei exigentia, quid ibi futurum sit, declarare sufficient.

Ps. 18. v. 12.

Statui sæpius punctum hoc illibatum præterire hac confessione contentus, quod nec sciam, nec loqui de ipso ausim, ne quis forsan in judicii die deceptionis me arguat; sed cùm materia sit tam utilis & diei huic propria: cùm nec tota, nec pars illius absolvi possint; divinum mihi ad hocce saltem præsens optarem auxilium, ut duos saltem animabus vestris immittere possem scrupulos, præsenti, cui loquor auditorio, opinione meâ, cumprimis necessarios: de peccato videlicet omissionis, & consequentiæ. Hi bini sunt scrupuli, quos hodie vice Dei, inculcare vobis & explanare desiderarem.

Scitote Christiani, scitote Principes, scitote Ministri, strictam à vobis exactum iri omissorum rationem. Propter facta damnabuntur multi: propter omissa verò, quæ fuerant facienda, damnabuntur omnes. Damnationis reproborum causas ipsa innuunt sententiæ verba; promulgationem ipsius legite: *Discedite maledicti in ignem aeternum.* Quare? *Non dedistis mihi manducare; non dedistis mihi potum; non collegistis me; non operuistis me; non visitâstis me.* Quinque peccata, & omissionis omnia. Ita ut peccata finaliter hominem ad infernum deducentia, sint peccata omissionis. Non mirentur Literati propositionem tam universalem sicut istam: quia secundùm rigorem Theologicum veritati consonat. Ultimum peccatum, est ultima dispositio, quâ mediante damnabuntur præsciti: & hæc est impœnitentia finalis, quæ est peccatum omissionis. Ecce quid sint omissiones, & mirari cessate quod dico. Omissione perditur inspiratio, perdita inspiratione, perit auxilium, pereunte auxilio perditur contritio, perdita contritione perit anima. Reddite rationem DEO pro una anima per omissionem pereunte.

Matth. 25. v. 41.

Age ad exempla magis publica, huicque non infrequentia regno transeamus. Per omissionem fluxus perditur maris, perdito maris fluxu perditur iter, deficiente itinere perit exercitus, pereunte exercitu, integra perditur regio. Reddite rationem DEO de India, de Brasilia, per omissionem perdita. Rursum omissione perditur notitia, perditâ notitiâ, perit occasio, pereunte occasione in cassum abit molimen, in cassum abeunte molimine, integrum perditur regnum. Reddite rationem DEO de tot domibus, tot

vitis, tot bonis per omissionem & incuriam perditis. Eheu, quantis periculis salus Ministrorum & officium exponuntur! Princeps quispiam aut Minister incurius agit aut deses, nihil etiam mali operans, loquens aut cogitans: eâdemque ipsâ horâ solâ omissionis culpâ, majora infert damna, majores edit strages, majores inducit depopulationes, quàm omnes in mundo malefactores, multis annis. Latro in sylva una bombardæ explosione occidit hominem: Princeps & Minister omissione una, totam perdunt Monarchiam. Hi sunt scrupuli, de quibus nullus fit scrupulus; & hinc omissionis peccata omnium gravissima & periculosissima existunt.

Peccatum omissionis facilius committitur, quàm dignoscitur: quod verò facilè committitur, & difficulter cognoscitur, rarò emendatur. Omissio est peccatum, quod non faciendo committitur, quod nunquam opus est malum, sed quandoque opus esse potest bonum: Verùm scrupulosi multi, non nisi magno discrimine in illo peccato vivunt. Elias in deserto latebat in specu, cui DEUS
9. Reg. 19. v. 9. apparens ajebat: *Quid hic agis Elia?* q. d. Hiccine agis Elia? Ita, Domine! nunquid in specu lateo? Nunquid elongatus sum à mundo? Nonne vivus sepultus sum? Instat DEUS: *Quid hîc agis Elia?* Et Elias: quid hic agerem? Nonne corpus meum jejunando castigo, contemplationi deprecandoque DEO vacans? Ita omninò erat. Si ergò Elias in speluncâ pœnitentiæ actibus agit intentus, quonam, quæso, pacto, à DEO sub admiratione reprehenditur? Quia quamvis bona forent, quæ agebat, meliora tamen erant, quæ reliquerat: quæ agebat arbitrariæ erant devotionis, quæ verò reliquerat necessariæ erant obligationis. Deus Eliam Israëlitici populi Prophetam, publicum ipsi injungendo officium, constituerat: Elias verò deliteſcens in deserto, quando comparendum erat in aula; positus in spelunca, quando agendum erat in foro; contemplans Cælum, quando corrigenda erat terra, enormem commisit reatum. Ratio patet, quia in eo, quod faciebat Elias, animæ suæ consulebat: & in eo, quod omittebat, animæ negligebantur multæ. Non rectè pronuncio, planiùs loquar: in illo, quod faciebat, animam suam salvare videbatur; & in eo, quod omittebat, & suam, & aliorum animas perdebat. Aliorum; quia directionem necessariam subtrahebat: suam; quia obligationi suæ & officio deerat. Peroptimè exemplum hoc Aulis & Ministris quadrat, qui, quod saluti suæ, non pro debito invigilent, occupationes obtendunt: quod saluti suæ non, pro ut oporteret, intendant; quod subducere se nequeant, inquiunt. Elias extrà Aulam de salute periclitabatur: ad quam redire juberur, ut salutem consequatur? Minister ea, quæ sui sunt muneris præstare satagat, & meliùs eum in hominum salvari corona, quàm spelunca, contingere potest. Assumat pro disciplina, cautelam; pro cilicio, zelum; pro contemplatione, assumat solicitudinem; pro abstinentia, odium & despectum munerum; & salutem consequetur.

Verùm enim verò, quare se tot perdunt? Minùs mali pereunt ex eis, quæ faciunt, quia minus mali sunt; pejores, ex eis, quæ omittunt; pejores enim sunt per omissiones, per negligentias, per

dissimulationes, injurias, excusationes, dilationes & infinitates. Ecce peccatum, de quo Ministri nullum sibi faciunt scrupulum: & quo pereunt multi. Sed pereant tales, transeat; quia non aliter volunt; pejus verò est, quod perdant se & omnes: omnes verò DEO rationem reddent. Peccatorum, de quibus se accusare, scrupulúmque sibi movere Ministros oporteret, non minimum est peccatum temporis; quia mense sequente fecerunt, quod faciendum fuerat præterito; quia fecerunt postridie, faciendum pridie; fecerunt posteà, quod faciendum fuerat anteà; fecerunt primò nunc, quod jam antè factum fuisse oportebat, adeò teneras in momentorum materia fas erat, esse præfectorum conscientias. De momentis sibi non faciens scrupulum Minister, in pessimo versatur statu. Bona fortunæ restitui possunt; etiam fama (quamvis ægriùs) restituitur. Temporis jactura resarciri nequit.

Ad quodnam verò mandatorum, hæc temporis peccata referenda videntur? Ad septimum: nam damnis, quæ proximo & reipublicæ inferuntur accensenda veniunt: majus verò nocumentum instantium surreptione reipublicæ inferri nequit. Ah omissiones, lenti temporis fures! non erit tandem, qui lentos illos calamo exagitet? Non erit, qui istos temporis fures, istos occasionum raptores, istos rerum publicarum eversores in furcam agat? Sed quia in jure nulla ipsis decreta legitur pœna, & subinde ad locum sacrum confugiunt: hinc diei judicii sententia principaliter feriet omissiones.

§. VII.

SEcundum generant scrupulum peccata consequentiæ. Peccata quædam finiuntur & sistunt in semetipsis; alia in suis continuantur & perseverant effectibus & consequentiis. Job DEO loquitur: *Vestigia pedum meorum considerâsti.* Job. 13. v. 27. Non passus suos, sed vestigia pedum suorum considerata dicit: passus quippè transeunt, vestigia verò permanent. Residuum peccatorum DEUS particulariùs examinat: neque de peccatis tantummodò, sed eorundem etiam consequentiis rationem à nobis exiget. Eheu! quàm terribilis erit ille computus? Christus opulentum convertit Zachæum, telonarium, qui conversus sic se resolvit: *Ecce dimidium bonorum* Luc. 19. v. 8. *meorum do pauperibus; & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Hic considero.

Jura legesque furem raptoremve alieni, non nisi ad æquivalens restituendum obligant; quorsum igitur Zachæus triplum superaddit: *Et si quem defraudavi, reddo quadruplum?* Si ad restituendum sufficit simplum, quem in finem superaddit triplum? Dicam: Simplum redditur ad satisfaciendum pro peccato; triplum superadditur ad satisfaciendum pro consequentiis. Zachæus scrupulosum de furto suo conscientiæ instituit examen, sic ratiocinatus secum: Si non defraudassem NN. retinuisset ille bona sua, quibus retentis, talem non feciisset jacturam, lucrum acquisisset, nec, quod sustinuit, passus fuisset. Si sic, ergo satisfactio mea, meo respondeat reatui, cuilibet

reddatur quadruplum, quo illum defraudavi. Portio prima restituat ablatum, secunda resarciat jacturam, tertia cessans compenset lucrum, quarta denique inflictum consoletur dolorem. Ecce quid Zachæus fecerit & quo fructu! *Hodie salus huic domui facta est.* Porrò si domus Zachæi, ad consequendam salutem, restituit in quadruplo, quod defraudavit; in quonam salutis statu tot versabuntur domus Lusitaniæ, ubi tantum debetur, tantum consumitur & nihil solvitur? Quia pauci solvunt in vita, magis scrupulosi in articulo mortis summam tantum capitalem solvi mandant; de consequentiis, nec vivens, nec moriens quisquam eorum vel minimum cogitat aut curat. Porro si hoc in justitia accidit commutativa, ubi numero, pondere & mensurâ peraguntur omnia: ecquid in distributiva & vindicativa justitia fiet? Et si istud justitiæ accidit manu tenenti libram, quid, amabo, fiet tenenti gladium? Quales, quæso, effectus & consequentiæ, partialis cujusdam passionatique suffragii erunt in consilio? Divinâ mihi assistente gratiâ, hoc nunc vobis ob oculos ponere statui, cum adeò latebrosa, tantique ponderis sit materia. In consilio de Vice-Regis, Generalis, Gubernatoris, Prælati, Præsidentis Cameræ, Judicis denique cujusdam loco tractatur. Et quid fit? Consiliarius requisitus, suffragium suum dirigit in cognatum, quia cognatus est; in amicum, quia amicus; in recommendatum, quia recommendatus est; reliqui bene meriti & digniores, nec amicitiâ, nec cognatione, nec recommendatione adjuti excluduntur. Quod frequenter nimis accidit: faxit DEUS, ne contingat unquam. Hujuscemodi igitur consiliarum sic suffragantem, votumque suum signantem interrogarem, utrum remorsum sentiat conscientiæ, vel sciverit quid fecerit. Homo cæce, homo præceps, scisne quid egeris? Quid signaveris? Scisne, quod, licet peccatum contra officii tui juramentum perpetratum, in se tantum sit unum, consecuturæ ex ipso sequelæ sint infinitæ, ipsoque peccato majores? Scisne, quod eâdem illâ pennâ malorum omnium, quæ facturus est ipse, quæque per ipsum, usque ad mundi finem subsequentur participem & reum te reddis? Heu miseriam! infelix omninò respublica, ubi talia vigent vota; infeliciores populi, quibus sic creati diriguntur Ministri: infelicissimi verò omnium sunt consiliarii, qui sua in tales vota contulerunt. Enimvero, si ille vestris designatus suffragis furetur (omittatur conditio, ipsum enim furaturum certum est) furetur, inquam, à vobis designatus, furetur-que sibi, suisque omnibus (usitato & solenni talibus more) DEUS à vobis exiget rationem, siquidem omnium furtorum istorum causa vestrum suffragium existit. Præsideat, & provideat officio pacis & belli vester electus, servos merentesque derelinquat: vos rationem reddetis DEO, quia electio vestra injustitiis illis causam præbuit; opprimat ille pauperes, plo-

Ibidem.

rens

rent viduæ, patiantur orphani, vociferentur innoxii, vos damnabimini; quia votum vestrum oppressionum istarum causa extitit. Sub electi vestri regimine occiduntur homines, evertuntur ædes, dehonestantur familiæ, vivitur velut in Turcia: & vos descendetis in infernum luituri, quia omnium istorum homicidiorum, infamiarum, scandalorum causa ex suffragio vestro pullulat. Immunitates Ecclesiarum violantur, Ministri Evangelii indignè tractantur, infidelium conversiones impediuntur, fidei propagatio cessat: vos propterea luetis in inferno; quia ex voto vestro omnia ista sacrilegia, impietates, nec non irreparabilis tot millium animarum jactura & exitium ebulliunt. Istæ, ex parte indigni à vobis electi, sunt consequentiæ.

Ex parte verò bene meritorum & excluforum, quot & quales erunt? Remanebunt benemeriti sine debito servitiis præstitis præmio irremunerati; filii eorum & nepotes sine adjutorio & honore, quem majores eorum suo sanguine acquisierunt, vos surripuistis. Respublica necessario destituetur gubernaculo; scandalizabuntur boni; obtrectationibus exponentur Principes; exosum habebitur regimen, ipsumque cui assistitis aut præsidetis malè notabitur consilium: meritum sine spe, præmium sine justitia, illegitima satisfactio excusata, DEUS offensus, Rex deceptus, & patria desolata remanebunt. Istæ sunt enormes pessimæque consequentiæ, ex illo vestro suffragio, vel illa vestra electione pullulantes, de qua fortassi nec scrupulus natus est, sed mercedibus gratiisque receptis optimè vivitis contenti. Non advertisse vos talia fors dicetis; rem præclaram, & prudente consiliario dignam! si advertistis, peccâstis: Sîn, peccâstis, quia advertere debuistis. Omnia Sacræ Scripturæ exemplis confirmare cuperem: verùm instar omnium, erit unum in materia consequentiarum formidabile.

Cain occidit Abelem. Porrò, juxta textum originalem, ait Scriptura: *Vox sanguinum fratris tui clamantium ad Me.* Gen. 4. v. 10. Dictum notabile! sanguis Abelis, unius tantùm erat sanguis: si igitur sanguis unius singularis erat sanguis, quomodo DEUS, multos sanguines contra Cainum clamare affirmat? Paraphrastes Chaldæus totum mysterium declaravit.: *Vox*, ait, *sanguinum*, id est, *generationum, quæ futuræ sunt de tuo fratre, clamant ad Me.* Scitis quare? In effuso sanguine Abelis, ad Deum clamabant sanguines multi, non enim unius singularis sanguis Abelis, è cœlo petebat vindictam, sed sanguines omnium ab eo non occiso descensurorum. Ita ut Cain unius quidem tantum hominis videretur interfector, & multarum generationum reverà esset interemptor: totidem enim descendere poterant ab Abele, quot nati sunt ab Adamo. Peccatum erat occisio unius, & unum tantùm in se; consequentiæ verò ejus erant infinitæ. Porrò si DEUS peccatum punit & castigat adj consequen-

tias usque possibiles; si homines possibiles contrà vos apparebunt in die judicii, non quia fuerunt, aut futuri erant, sed quia contrà vos esse potuissent: Si possibiles tantum homines habent sanguinem & voces in Cœlum clamantes, quales sanguis verus, veris itidem ex venis effusus ingeminabit? Quales lacrymas veri oculi profundent? Quales veri doloris gemitus, vera pectora eructabunt? Quales erunt viduitates, orbitates, derelictiones? Quales erunt oppressiones, vastitates, tyrannides? Quales denique consequentiæ ex his omnibus, in tot personas, progenies, sive futuras, sive possibiles in finem usque mundi multiplicatæ? Eheu! quisnam super hisce scrupulum sibi facit?

Age, jam intelligetis, quàm ratio-
S. Chry. nabiliter S. Chrysostomus asserat: *Miror, an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus.* Hæc ex notabilioribus, quæ in SS. PP. inveniuntur, sententiis una est, eam repeto: *Miror, an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus.* Admiror, inquit magnus Chrysostomus, stuporeque attonitus considero, utrùm Rectorum quispiam salutem consequi possit. Dictum illud & suppositio, in quo fundatur, Hyperbole & exaggeratio plerumque putabatur Rethorica: ast ego talem esse nego, veritatem illam, in omni Theologiæ rigore, moraliter universalem asserens. Moraliter impossibile vocant Theologi, quod vel nunquam, vel quasi nunquam accidit.

Hebr. 6. In hoc sensu S. Paulus inquit: *Im-*
v. 4. 5. *possibile est eos, qui semel illuminati, &*
& 6. *prolapsi sunt, renovari ad pœnitentiam.* Et in eodem sensu Christus Dominus noster dixit: *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem in Regnum Cœlorum.* Proindè Apostoli, similiter S. Chrysostomo admirati, eandem impossibilitatem intulerunt: *Au-* Matth.
ditis autem his Discipulis, mirabantur 19. v. 25.
valdè, dicentes: Quis ergò potest salvus esse? Et Christus illorum approbando illationem, humanitùs quidem illorum conformiter opinioni impossibile, Deo tamen omnia possibilia, replicabat: *Apud homines hoc impossibile est; apud DEUM autem omnia possibilia sunt;* quod fuit idem, ac moraliter impossibile hominibus, ab impossibili distinguere absoluto, quod nec omnipotentiæ Divinæ possibile existit. Et quia Rectores, propter annexas suis officiis obligationes, & propter omissiones commissas, & propter emergentia ex eis damna, quæ non ibi sistunt, sed in suis consequentiis continuantur & multiplicantur, difficultatibus salutem suam involvunt: hinc S. Chrysostomus candidè & moraliter loquendo sine exaggeratione & hyperbole pronunciavit, mirari se, nec capere posse, quomodo possibile foret, Rectorum quempiam salvari: *Miror, an fieri possit, ut aliquis ex Rectoribus sit salvus.*

Ne verò miremur nos, & Rectores ipsi, & qui regimen ambiunt, tantùm sibi metuant ab officiis, quantùm ab eorundem ambitu, sententiæ hujus veritatem, ad evidentiam reducendo practicam, argumentor sic: Omnis homo gravis alicujus damni causa culpabilis existens, & hoc non resarciens, quando potest, non potest salvari: Omnes, vel quasi omnes Rectores gravium damnorum

norum sunt causa culpabilis, nullus, vel quasi nullus eorum resarcit hoc, quod potest; ergò nullus, vel quasi nullus Rectorum potest salvari. Benè concludit consequentia; & quamvis malè, minore concessâ, etiam probata est experientiâ. Vidi gubernare multos; vidi mori multos: neminem, qui non multorum damnorum causa extiterit, gubernare vidi; neminem, quod poterat, restituere vidi, proindè omnes in inferno luere credere cogor. Ita credo de mortuis; idem timeo vivis. In risum nunc vertite peccata consequentiæ.

§. VIII.

EXactâ demum & acceptâ ab universo hominum genere ratione, conversus Dominus ad latus dextrum blandâ voce, amœnoque vultu, dicet electis: *Venite Benedicti Patris mei, possidete Regnum, quod vobis paratum est ab origine Mundi.* Matth. 25.v.34. Quinam verò beati illi, quos sententia illa excipiet? Benedictus Deus! quòd omnes nos, quot-quot hîc præsentes sumus, illi esse possimus si velimus. Quàm benè tunc nobis vitæ hujus cedent ærumnæ! Quàm clarè tunc patebit, jugum Christi fuisse suave, quod grave nunc intolerabileque putamus! Non rectè sum locutus; multi enim nostrum hic præsentium, prô dolor! (non audeo dicere, vos audite & intelligite:) *Multi sunt vocati, pauci verò electi.* Matth. 22.v.14. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci intrant per eam.* Matt.7. v.14. Conversus deindè Dominus ad latus sinistrum (non dico benè) non conversus ad latus sinistrum; vultu terribili, omnis miserationis experte (quod credere non auderem, nisi Scriptura Sacra attestaretur) pronunciabit: *Ite maledicti in ignem aternum, qui paratus est diabolo & angelis ejus*; Matth. 25.v.35. q. d. Ite in ignem æternum, qui paratus est, non vobis, sed diabolo & angelis ejus. Ast nunc, quia sic voluistis: Ite. Dehiscensque mox terra absorbebit simul omnes, iterúmque claudetur in omnem æternitatem, æternitatem, æternitatem.



SERMO

SERMO
PRO
DOMINICA QUARTA QUADRAGESIMÆ.

Habitus in Capella Regia, Anno 1655.

Occasione, quâ Author semel ex aula Missionem Maragnanam aggressus, & ex ea redux, ad eandem se mox denuò accinxit.

Fugit iterùm in montem Ipse solus. Joan. 6.

§. I.

NOn unâ tantùm fugit vice, qui fugit ex corde. S. Joannes Evangelista Christum Dominum nostrum hominumque Salvatorem, ab eisdem jam semel fugisse dixerat, & iteratò nunc fugisse affirmat: *Fugit iterùm.* Herode Christo necem machinante, ne regnaret, fugit in Ægyptum: modò aliis ipsum Regem creaturis, fugit in montem: *In montem.* Amici pariter & inimici, omnes suo modo persequuntur, horum verò odium, illorumque amorem non nisi persecutionem esse cognoscens, fugit ab utrisque; Christus hodiè non solùm à sequentibus se turbis, verùm etiam à comitantibus se fugit discipulis; ideoque solus fugit: *Ipse solus.* Apostoli ex superfluis convivio ciborum reliquiis, duodecim colligendo implevêre cophinos singuli singulos; porrò tredecim esse videtur oportuisse, ut & ipsi tanti patratori miraculi suus obveniret. Nihilò secius plùs discipulis, Magister ex convivio collegit: illi collegerunt panem, hic, ut sese recolligeret, collegit. O si mundus cognosceret, quanti sit momenti abstractio una, & quantum colligat se recolligens: *Fugit!* Evangelista, Discipulos panum mysterium non intellexisse, asserit: *Non enim intellexerunt de panibus.* Multòque difficilior intellectu est secessus Christi, quàm miraculum. Proindè ego, qui aliàs nonnullos de aula, in hoc loco Sermones habui, de deserto hodie aliquem dicere proposui. Persuadeo equidem mihi, hoc fore, prædicare in deserto; erit Marc. 6. v. 52.

nihilo-

nihilominus prædicare. Tu, Domine! qui tentatus à diabolo, ipsum vicisti in deserto, aggratulationibus applausibusque hominum exceptus, ab eisdem fugisti in aliud, ipsâ tuâ solitudine mihi assistere digneris, in hoc assumpto, ut sit, qui de se ad Te fugere, & in hoc monte, Tecum adeò solitario solus morari & vivere velit.

§. II.

Fugit in montem Ipse solus,
Joan. 6. ℣. 15.

NIhil in Christo, Magistro Divino, Dominoque nostro est novi, quod corporibus pastis, etiam suum animæ ministret alimentum. Ita fecit accumbendo cum Pharisæo, in nuptiis Canæ Galilææ, Conviva in domo Marthæ, & vel maximè in ultima cum Discipulis Cœna, in qua profundissima Divinitatis suæ Misteria docendo Discipulis revelavit. Quænam verò famosi Convivii hujus bellaria fuisse putamus? Fuit exemplum, quo Christus fugiebat ab ipsis, qui dare volebant, quod ipse recusabat, & quo non indigebat: & non verbi, sed operis doctrina, dum solus montis cujusdam desertum solitudinemque petiit: *Fugit in montem Ipse solus.* Publica loca cum deserto, civitates commutare cum montibus, ab hominum commercio frequentiaque se subducere, ad conversandum cum DEO, & secum solo, maximi momenti doctrina fuit in Christo, magnæque prudentiæ resolutio in eo, qui fuerat imitatus.

Scio equidem aularum propugnatoribus, iisdemque assuetis & addictis usitatum, linguâ versare oreque depromere, etiam in Mexico Eremitam dari posse, prout diebus nostris, vir quidam celebratus ab ingenio, cuidam ab illa se civitate subducere paranti, & in hoc consilium à se petenti respondit. Sed nec consilia omnia omnibus indifferenter conveniunt casibus, utî nec medicamina quæque omnibus deserviunt infirmis. Probè novi, quod (quasi convitiando) regerant; pusillanimitatis esse, fugere. Quasi fugiendo quis se fortem ostendere vellet: ab si animi generositas deesset ad confringendum catenas, à quibus tot innexi se non expediunt. Cato cum Cæsare, & Pompejus palam dicebat: Scio, à quo fugiendum sit mihi, sed ignoro, quo. Et qui scit quò, quare verecundabitur audire pusillanimis, quando fugit cum Catone? Obtendunt hominem à natura esse socialem, proindeque societatem hominumque commercium commutare cum desertorum solitudine, esse accusare, vel emendare velle naturam, & quasi dolere quod sit rationalis. Porrò similia dicteria ridens, rationale per risibile probans, ab hoc sese convitio eximit, nec vitio sibi aut religioni ducit, adeò corruptam emendare naturam. Dicunt cum Aristotele, delectatum solitudine, vel Deum esse, vel bestiam: *Aut Deus, aut bestia.* Qui si tres in Divinitate agnovisset personas, solitudinem in Deo non suppossuisset: & si cognovisset, quod segregans se ab hominibus, magis Deo appropinquet, illum non sub bestiarum ponere prædicamento, sed velut Gentilis, Diis annumerare debuisset. Denique aulam, Principumque servitium, nec non amicorum familiarem deserere consuetudinem, judicii inopiæ extremæque imputant stultitiæ.

Gregor. Lopez.

Aristot.

Quod ego sic dico, quia sic illud dici audivi. Verùm censuræ huic, Medicos potius, quàm Theologos concernenti respondebit Hippocrates. Celebris ille Philosophus Democritus, qui omnia ridens, flere fecit Alexandrum Magnum, plures esse mundos asserendo, vana ipsius & inania molimina deridendo lassatus, Patriâ, hominumque derelicto consortio desertum petiit. Quo facto mox fama increbuit Democritum ad insaniam redactum; porrò populares ipsius, qui erant Abdaritæ commiseratione acti Legatos miserunt rogatum Hippocratem, ut pro amore in Democritum, & scientiarum respectu, ad curandum tam nobile, deque scientiis tam benè meritum subjectum venire dignaretur. Quid verò respondisse videtur Hippocrates? Respondit, teste Laërtio siquidem alia foret infirmitas, ad curandum Democritum mox advolarem: verùm desertis populatibus turbis confugere ad eremum, stupore & admiratione, quàm curâ dignius esse, quod ipsi mentis imputabant inopiæ: Democritum enim nunquam senioris fuisse mentis, prudentiæque majus specimen edidisse, quàm cùm ab hominibus fugit: *Habere in eo magis, quod suspiciat, quàm quod sanet: & illud schema vitæ esse sartam tectamque vitæ sanitatem: nulloque modo melius sibi consuli contra pestilentem hominum auram, quàm recipiendo se in tuta solitudinum loca.*

Hippoc. Democ. Laërt.

Istud faciebunt, istud docebant Philosophi (cùm ab illis jam exordiamur) rationem seu rationes, quibus ad id agebantur, diversis locis refert Seneca, feliciorque futurus, si fuisset imitatus. Amico Discipuloque suo Lucilio, à quibusnam, ad vitam quietè & tranquillè transigendam, cavendum sibi putaret, sciscitanti scribit, primum illi documentum dictans, ut hominum frequentiam turbasque declinet: *Quid tibi vitandum maximè existimem quæris? Turbam.* O quantum magnus ille Philosophus unico tantùm verbo comprehendit! Et ratio est, inquit ille, quia consortium societasque hominum species est contagii, quo nec volentes, nec sentientes nostram nobis invicem, & quilibet suam alteri infigit infirmitatem. Et quemadmodum majoribus in locis pestis latius grassatur; ita in civitatibus magis populosis majus periculum subest: *Inimica est multorum conversatio; nemo non aliquod nobis vitium, aut commodat, aut imprimit, aut nescientibus allinit. Itaque quo major est populus, cui commiscemur, periculi plus est.* Unde inferri mihi liceret, quod quemadmodum tempore pestis, qui possunt, civitatibus desertis ad agros fugiunt: pari planè modo, prudenti sanè cautela, quocunque tempore, cùm omne pestiferum existat, ad desertum confugitur. Sed nostrum sequamur Philosophum, erectumque salutis vexillum: *Sanabimur, si modò separemur è cœtu.*

Seneca Epist. 7. lib. 1.

Seneca ibidem.

Seneca de vita beata lib. 1. Ibidem.

Seneca documentum suum probando, non alienam sed domesticum in semetipso, Lucilio allegat exemplum: *Ego certè confiteor imbecillitatem meam: nunquam mores, quos exiui, refero. Aliquid ex eo, quod composui, turbatur: aliquid ex his, quæ fugavi, redit*; q. d. fragilitatem meam fateor: nunquam ad tractandum cum hominibus exivi, quin pejor, quàm ante fueram, reversus sim; semper tumultum quempiam passionum, quas jam composueram, sensi: semperque cum vitio aliquo, quod jam fugaveram, rever-

reversus sum. Dicturum me tibi forsan existimas; quod avarus magis, ambitiosus magis incontinensque redeo? Scito igitur (quod tibi non imaginaris) quod crudelior etiam inhumaniorque redeam, solùm quia inter homines fui: *Imo verò & crudelior & inhumanior, quoniam inter homines fui.* Magis exaggerati nequivisset, tractandi cum hominibus periculum! Quod si diceret, quod alias nobis infirmitates & accidentia afflicarent, miseriæ infirmi sæculi imputandum foret, sed homines allinere inhumanitatem: Nunquid humanitas ipsa est hominis essentia? Feræ conversando cum homine, nonne cicurantur & mansuefiunt? Sic est, vel erat: humana verò natura eatenus à proprio suo degeneravit esse, ut vice ejus, quod ex conversatione humana referenda esset humanitas, quod ex hisce hauritur fontibus, sit inhumanitas. Humani eratis, antequam cum hominibus ageretis; postquam cum illis egistis, non sentientes, neque scientes, inhumanos vos invenitis: *Et inhumanior, quoniam inter homines fui.* Nunc non sufficit hominibus exercere inhumanitates, sed eò progrediuntur, ut ipsam exuant humanitatem, quod pejus est. Inhumanitates exercere crudelem esse arguit; inhumanum esse, hominem non esse, immò homini contrarium esse probat. Si videremus Solem, cujus est illuminare, tenebras inducere; ignem, cujus est calefacere, frigus excitare; hominemque generando, loco hominum, tygrides, serpentesque procreare, nonne monstruositas horrenda videretur? Istud faciunt homines, non solùm suam propriam, verùm etiam conversantium secum exuunt humanitatem. Ecce, num prudentiæ sit, fugere ab hominibus, ipsum esse homines conservaturos?

Secunda Senecæ, pro eodem, ratio est; à multis esse fugiendum. In factionibus seu sectis partialibus valdè naturale est, partem amplecti plurium: *Facilè transitur ad plures.* Et quia multitudo hominum tota propendet ad vitia; quænam, quæso, tam solida robustaque virtus, quæ tot vitiorum impetui & torrenti resistere valeat? *Socrati, Catoni & Lelio excutere mentem dissimilis multitudo potuisset: adeò nemo nostrûm, qui maximè concinnamus ingenium, ferre impetum vitiorum, tam magno comitatu venientium potuisset;* id est: Si Socrates, Cato, Lelius, qui inter Græcos & Romanos virtutis fuêre Atlantes, vitiorum molem & impetum sustinere nequiverunt: & si isti, perditis propriæ vitæ morumque coloribus, induerunt contrarios, quamvis tam dissimiles? Quantò magis nos, qui fragilitatis imperfectionisque nostræ conscii, illam nonnisi obtinere satagimus? Violenter igitur ab exemplo communi, & quasi necessitate compulsis, ut conversantium nobiscum hominum nos moribus ingeniisque conformemus, quid remedii, in conditione tam inæquali, restat, nisi fuga? Quod idem Seneca consono valdè ingenio suo argumento resolvit: *Necesse est, ut imiteris, aut oderis; utrumque autem vitandum est: ne vel similis multis fias, quia multi sunt; neve inimicus multis, quia dissimiles sunt.* Cùm hæc sit conditio eorum, qui mundum implent, & fortè eorum etiam, qui hoc præcipiunt, quid homini tales inter homines agendum est? Vel, quà tales imitandi sunt, vel quà tales, odio habendi sunt: & in dubio illos imitandi, aut odio habendi, Ibidem.

nec imitatio, nec odium quicquam illi prodesse potest; quia pro imitatione sunt mali: & pro inimicis sunt multi: vel similis malis, vel inimicus multis. Convenientissimum igitur est fugere, & utinam hoc sufficeret!

Tertiam rationem, quæ præcipuum sibi in eodem Seneca vendicat, & in aliis vendicare potest locum, ipsemet declarat, priorem deplorando vitam: *Omnem* Senec. lib. 1. Epist. 2. *operam dedi, ut me multitudini educerem, & aliquam dotem notabilem facerem.* Laboravi, inquit, omnibus viribus, ut multorum me numero subducerem, & notabile quid agerem, quod dotis instar ad lucrandam famam, mundique existimationem mihi deserviret. Quid verò Ibidem. fructûs ex hoc meo labore retuli? *Quid aliud quàm telis me opposui, & malevolentiæ, quod morderet, ostendi?* Hoc inde reportavi, ut contra me provocarem alios, pectusque telis objicerem, nec non malevolentiæ materiam suggererem, cui dentes infigendo, haberet quod morderet. Et quare? Rationem addit illam di- Ibidem. gito monstrando: *Vides tu istos, qui eloquentiam laudant, qui opes sequuntur, qui gratiæ adulantur, qui potentiam extollunt? Omnes aut sunt hostes, aut (quod in aquo est) esse possunt.* Prosequitur: Cernis illos qui eloquentiam deprædicant, qui divitias sectantur, qui gratiæ adulantur, qui potentiam venerantur & adorant? Scito omnes aut esse, aut esse posse Ibidem. inimicos, quod idem est: *Quam magnus mirantium, tam magnus invidentium populus est.* Quantus te mirantium, tantus tibi invidentium populus est. Admiratio quandoque suspensa & muta erit, ut assolet: ast invidia ad centrum reducta, majore violentiâ, quàm cuniculus erumpet, & quod fuit applausus, in stragem convertetur: *Potius nobis invideant,* Ibid. *quàm compatiantur*; fuit nata in Gentilitate sententia, postmodum à Gregorio Nazianzeno Christianitate donata; in eodem verò Nazianzeno ostendit experientia, compassionis potiùs, quàm invidentiæ statum esse eligendum: illa etenim æmulorum suorum tali eum exagitavit modo (aut sine modo) ut instar Jonæ, in mare se præcipitare compulso, eadem ipsi invidentia fuerit compassa. Hæc nisi effecerit, ut sic se exoneret, non quievit. Hinc Seneca concludit, quod anteactæ vitæ pœnitens, postquam id mundo notum fecerat, consilii loco se recolligere secum resolveret, iisque animum excolere exercitiis, quæ solus ipse sentire, nec quisquam hominum videre posset: *Quin* Ibidem. *potius quæro aliquid usu bonum, quod sentiam, non quod ostendam.*

Hæc fuêre motiva & rationes, quare magni isti Philosophi secedendo in deserta, hominum turbas consortiaque fugiebant: quorum quidam interrogatus, quemnam ex omnibus studiis suis fructum collegisset; respondit, scire vivere mecum solo: quod ita narrat Stobæus. Stob. Idem confirmat Seneca, dicens: *Primum* Senec. *argumentum bene compositæ mentis existimo, posse consistere, & secum morari;* Id est: primum rationis non turbatæ, prout in principio dicebatur, sed ritè dispositæ indicium est, quod homo sciat morari secum: *Secum morari.* Sed de Philosophia ad Christianitatem, & à documentis rationis sine fide, ad documenta fidei & rationis, quæ sanctorum sunt transeamus.

§. III.

§. III.

Metaphrastes die 19 Julii & in Vit. PP.

MAgnus ille vir, & in omni vitæ genere clarissimus Arsenius, ab Imperatore Theodosio postulatus, & à Papa Damaso, Arcadii successoris in Imperio jam declarati, Magister nominatus, tanti ab eodem Imperatore æstimabatur, ut vice quadam filii sui lectionem auditurus musæum ingressus, cum Arsenium stare, Arcadium verò sedere vidisset, utrumque indecentiæ, qualem ipsi non subesse putabant, arguendo, Arsenium deinceps docere sedentem, Arcadium verò stantem & detecto vertice jusserit auscultare. Cum hac tanta sui æstimatione, tantique Monarchæ favore, nec non Palatii totius, aulicorumque, qui semper vel pro reverentia, vel pro adulatione, affectui Principum se accommodant, vel se accommodare videri volunt, applausu, Arsenius ajebat inquietus maleque contentus, neque præsenti, neque futuris fortunæ promissis ullatenùs credebat. Anxius igitur animo, resolutionisque capessendæ ignarus, non ab amicis, quantumvis authoritatis maximæ consilium petiit; multóque minus secum inire consultum putans, ad DEUM, qui solus in tranquillitatibus & tempestatibus hujus tam instabilis maris sidus est securum, confugiens, vocem de Cælo sibi audiebat, dicentem: *Arseni! fuge homines, & salvus eris.* Quo accepto documento, ad quod intelligendum voce opus non erat, non petitâ ab Imperatore licentiâ (quippè quam sibi negandam præsciebat) clam navigio se committens Arsenius, è Constantinopoli fugiens in Ægyptum, in intima deserti se recipiens, in perpetuam habitationem sibi speluncam elegit, in qua, quia vivum se sepelire novit, cæleste ita oraculum verificavit, quod se salvaturus esset, sicut fugiendo ab hominibus illi morem gesserat: *Fuge homines, & salvus eris.*

O si illud acceptaremus consilium, velut omnibus datum, & quilibet intelligeret, quid dicat sibi! Christo dicente Marthæ: *Maria optimam partem elegit*; & diviti adolescenti: *Vende, qua habes, & da pauperibus*; & ei, quem juxtà piscinam sanaverat: *Jam noli peccare*; verba dicebantur uni tantum, sed doctrina spectabat ad omnes. Deleat quisque nomen Arsenii, suumque illi substituat, agnoscens, quòd in deserto & populo, qui ex corde salutem consequi desiderat, ab hominibus fugere debeat. Hoc ille magnâ peregit constantiâ, & ecce quomodo. Mox ut innotuerat Arsenium transisse in Africam, de loco, ubi se recollegerat, edocti statim ad invisendum illum abierunt Alexandrinus, Episcopus Theophilus, regiæque urbis Præses: quos cum Arsenius non consuetis & usitatis in aula, quas in Palatio reliquerat, sed propriis deserto ceremoniis, modestè scilicet & verecundè exciperet: rogârunt illum hospites, ne adeò inurbanè ipsos à se dimitteret; sed aliqua saltem ædificationis verba depromeret, quibus consolati ad sua revererentur. Quid respondit Arsenius? Id se facturum respondit, si quod dicturus erat, illi se executuros promitterent. Quibus conditionem acceptantibus, dixit Arsenius, referente Metaphraste: *Ubi esse Arsenium audieritis, hoc vobis cavendum est, ne velitis amplius eò venire.* Hunc sermonem ad dignitatis authoritatisque tantæ auditores habuit, quo non minus

Luc. 10. v. 42. Matth. 19. v. 21. Joan. 5. v. 14.

ædificati, quàm compuncti, sunt regressi: & tanquam prudentes, quales erant; & veri amici Arsenii, quales fuerant, promissa sua adimplendo, resolutioni suæ sic se conformârunt, ut nec ullam deinceps ab eo correspondentiam expectârint, nec silentium ipsius interturbarint.

Vivebant eodem in deserto, non simul, sed seorsim, quilibet suo in antro, aut tugurio, alii Anachoretæ, quibuscum interdum sermones miscendo, illos tanquam disciplinæ monasticæ, vitæque eremiticæ Magistros auscultabat. Porrò seni cuidam tam stupendæ fugæ motivum sciscitanti respondit: *Non posse se cum DEO simul, & cum hominibus vivere.* Hujus verò impossibilitatis rationem declarando, dicebat: Quia voluntates hominum rarò cum voluntate Dei concordant; voluntasque Dei una tantum esset, & semper eadem: è contrario verò voluntas hominum tam sit multiplex & varia, & contraria, quot dantur homines, nec non commoda eorum & appetitus: & quoniam eodem in homine, eadem voluntas instabilis, sit varia, & ambulatoria. Hoc modo rationem suam probabat & concludebat Arsenius: Et ex hac demonstratione infallibili, unâ è tribus conclusionibus æquè certis deducitur: vel, quod arbitrantes se cum Deo & hominibus vivere, decipiantur: vel quòd viventes cum hominibus, non vivant cum Deo: vel quod victurus cum Deo, deserere debeat homines.

Si ipse Deus voluntates hominum cum sua conciliare nequit, quomodo homo omni conatu suo hominum voluntates cum illa Dei conciliare prævalebit? De Davide dixit Deus, se invenisse hominem secundùm cor suum, qui faceret omnes voluntates ejus: *Inveni David secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* Act. 13. v. 22. Et cum homo iste singularis esset inter homines, & Rex omni exceptione major, præ cunctis Regibus, quando vitam eripi mandavit Uriæ, quando fatalium sibi ipsum literarum fecit latorem, & quando in tragici illius actus exordio, uxorem ipsius sibi rapi mandavit, non recordatus heroici animi & fidelitatis, quo sibi Urias in bello actualiter serviebat, quis, quæso, adulandi arte sic eruditus, qui voluntates istas cum illa Dei conciliare posset? Ægrè igitur conciliatio similis in animum adeò veritatis amicum, adeò rectum & integrum, adeò denique constantem, qualis Arsenii erat, cadere poterat. Expertum se illud sciebat, Romæ & Constantinopoli in duabus maximis mundi aulis: de quibus dicere consueverat, trium fortissimorum hostium, qui sibi in illis bellum intulerant, unum vocari, videre; alterum, audire; tertium, loqui; à quibus desertum ipsum liberâsset, ubi nec visus, nec auditus esset, nec loquela: *Qui sedet in solitudine, quiescit, & à tribus bellis eripitur, id est, auditûs, locutionis & visûs.* Et in mundo, ubi tot & tanta videntur, quæ videri non possunt, & audiuntur illa, quæ audire illicitum est, dicuntur & dicta sunt, quæ loqui fas non est, quo pacto homo, nisi cæcus fuerit, surdus aut mutus, vivere poterit, nisi fugiendo homines: *Fuge homines?*

Similiter illud, uno ante Arsenium sæculo, primus eremi initiator Paulus, & secundus ejusdem inhabitator intellexerat. Imperator Constantinus Magnus, Antonii similiter antonomasticè Magni, famâ motus (soli etenim magni æstimare nôrunt, & vicinos

sibi

sibi prope sine metu patiuntur magnos) in Ægyptum ad eum Romam accersendum, Legatos deputavit, rogatum ut Romam venire placeret, consortio enim ipsius frui, consilioque ipsius & exemplo adjuvari desideraret. Si verò Anachoreta Fagos eremi suæ & Cypressos Palatiis turribusque capitis mundi præferens, pro honore sibi oblato actis Cæsareæ Majestati gratiis, ab acceptatione ejusdem, communibus & conformibus religiosæ modestiæ, abstractioni professionis suæ, humilitatique status sui terminis sese excusavit, Responsum illud fuit publicum. In particulari verò, & privatim, tam nervosam & discretam aliam Antonius non acceptandi dedit rationem, ut Romanum magis politicum, quàm Thebaidis incolam redolere videretur. Quæ fuit ista? *Si ad Imperatorem venero, Antonius ero; si minus, Abbas Antonius.* Etiam in desertis ratio statûs locum habet. Magnus ille vir, in proprii commodi & utilitatis statera appendit damnum emergens cum lucro, & hoc quod erat cum illo quod esse debebat: Appendit Antonium in Palatio, cum Antonio in deserto; proindè quia in palatio seu aula, *inventus est minus habens*: præelegit in deserto esse Antonius Abbas, quàm in aula titulo isto carens.

Corn. à Lap. in cap. 3. Exod.

Dan. 5. v. 27.

Verùm enim verò, pace tuâ Politice sancte, resolutio tua, nec quà sancti, nec quà politici cujusdam, debitè mihi fundata videtur. Si vocatus ab Imperatore, non vadis, ne esse desinas Antonius Abbas, vade, multòque major evades. Si non fueris Antonius Abbas, eris Antonius Episcopus; eris Antonius Archiepiscopus; eris Antonius Præsul; eris Antonius Statuum Consiliarius: & quod excedit omnia, eris Antonius intimus & familiaris, quod sine nomine, maxima est dignitas, & sine jurisdictione maxima potestas. Denique apud Constantinum eris, quod Joseph apud Pharaonem, & quod Daniel apud Nabuchodonosorem: ille nomen habebit Imperatoris, & tu Monarchiæ Imperium. Casu quo, te velut politicum deserti, istæ mundi hujus ambitiones non movent; saltem velut Sancto tanta, tamque opportuna cultui honorique Dei promovendo, arripienda foret occasio, qualem Imperator & tempus tibi nunc offerunt. Necdum Roma tota subjecta paret Christo: adhuc in Capitolio invocatur & adoratur Jupiter. Annus adhuc cum festis geminâque Jani facie incipit & finit: sub concavo Pantheon adhuc audiuntur nomina: & in pedibus omnium falsorum Deorum cernuntur statuæ. Si hucusque serviisti Deo in deserto, silentio: tempus nunc est eidem etiam serviendi voce. Age, Romam perge, prædica, confunde, converte: & si zelus Constantini incipit ædificare templa, tuus desinat in destruendo Idola. Recordare, Esdram è sylvis prodeuntem vidisse leonem, qui solo vocis suæ rugitu aliquam prosternebat Aquilam, mundi sibi solitam usurpare potentiam. Cùm hæc Aquila, sit Aquila Romana, tu Leo esto Africanus, qui è deserti hujus prodeundo præruptis, evulsum ex unguibus ejus sceptrum, ad manus transferas Christi. Proinde si tot rationes & motiva, tam divina quàm humana Antonium, ut deserto relicto Romam pergeret, permovere potuissent, quare se excusat, quare non venit?

Cer-

Certum est, magnum Antonium, ob Scyllæ, Charybdisque transeundæ metum, iter non recusâsse: sed quia timuit denuò conversari cum hominibus, quos tot jam fugerat annis: propterea dixit, si iret, reversurus esset Antonius, qualis antè fuerat; & non Antonius Abbas, qualis in præsenti erat. Non dignitatis jacturam, sed professionis spiritum perdere timebat. Anachoretarum professio, procul hominum consortio degere cogebat; quod, ipsum nomen, interprete Hieronymo, qui ipsa deserta personaliter sæpius invisit, significat: *Quod procul ab hominibus recederent, Anachoretæ vocabantur.* Porrò si professio Antonii, procul ab hominibus mundi agere compellebat, quomodo suæ se professioni conformare, aut integram & inviolatam eandem conservare quivisset, si non solùm ad civitatem frequentissimam, sed ipsum mundi caput, quò omnes Gentes confluebant, rediisset. Si Antonius suo homines fugiendi exemplo, deserta hominibus replêrat, quo pacto ea nunc suo evacuaret exemplo, ad Gentes redeundo? Ratio eadem: Quare ab Imperatore erat vocatus? In nihilum fuisset redacta, si venisset: & non nisi non veniendo, nec desertum relinquendo consistebat. Noverat Antonius, Baptistæ majorem contulisse nominis famam desertum sine miraculis, quàm Christo sua miracula, in populo: Quantò magis Romanam accedenti curiam plus timendum, quàm sperandum occurrere poterat? Enim verò quid Davidi cum Satrapis, Regis Achis, evenit? Et quomodo Danielem Nabuchodonosoris & Darii Regum consiliarii tractârunt? Constantino austeriorem vivendi methodum in Antonio pertæso, assentatores aulæ utique in eandem irent sententiam: & Prædicator sine authoritate & respectu, quem fructum faceret docendo? Vice versa, si gratiâ valeret apud Imperatorem, quæ incrementum sumeret; quales non laqueos ipsi tenderet invidia, ut dejiceret? Denique si ipse Constantinus tam inconstantis fuit indolis & ingenii, adeoque suspicionibus obnoxius, ut nepotem suum Licinium, Crispumque proprium suum filium, nec non conjugem suam Faustam, sine causa vitâ privârit: quid non cuilibet homini, à tali homine timendum erat? Multum, velut homo; multum, velut Politicus; multumque denique velut Sanctus, fecit Antonius, in solitudine, & procul hominibus perseverando.

Supereſt tantummodò in hac materia scrupulus optimè fundatus, siquidem in virtute potentiaque Cæli fundatur, quâ idem Cælum magno huic viro assistendo eum protegebat. Nemo majores ab inferno victorias referebat; nemo sic omnes dæmones simul ad luctandum provocavit; in omnibus certaminibus devicit, velut Antonius. Leones, ursi, tygrides, serpentes, aliaque Africæ monstra, non solùm non lædebant, sed obediendo Antonium venerabantur. Age, si ex dentibus venenoque ferarum, si ex potestate & astutia dæmonum Antonius non habet quod timeat, quare timet, hominesque fugit? Quia homines feritate ipsas feras, & malitiâ ipsos dæmones superant. Dæmones nec carne, nec sanguine constant, sunt enim spiritus: feræ intellectu carent, & voluntate, solo enim aguntur instinctu: & homines pejores sunt dæmonibus, sunt quippè dæmones, cum carne & sanguine: suntque feris

magis

magis feræ; sunt enim feræ cum intellectu & voluntate. Res admiratione protinùs digna: Christus unico verbo & in momento, legionem sex millium & sexcentorum (uti in Genezareth accidit) sibi subjecit, & Judam tot beneficiis, tot exemplis, tot exhortationibus, tot minis, integro anno ad saniorem mentem non reduxit. Sic ex historia Evangelica constat; integro enim anno, ante consummatam à Juda proditionem Christus de illo dixerat: *Ex vobis unus diabolus est.* Joan 6. v. 71. Si igitur Christus tot millia dæmonum tam facilè subegit, quare diabolum Judam reducere nequit? Quia alii diaboli erant puri spiritus: diabolus Judas erat diabolus cum carne & sanguine. In Juda concurrebat, quod S. Paulus discernebat: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum, contrà spiritualia nequitiæ.* Ephes. 6. v. 12. Ad reducendos verò diabolos cum carne & sanguine, non sufficiunt rationes, neque exempla, neque miracula; immò nec minæ, nec terrores, neque industria humana, aut plus quàm humana. Hinc tot non suffecerunt modi, adinventiones & industriæ toties repetitæ, tanto tempore continuatæ, ut Judas ad saniora reduceretur: sed neque suffecit quod propriam suam carnem & sanguinem præbuerit; erat enim diabolus cum carne & sanguine.

Hæc fuit ratio, cur magnus Antonius, omnibus aliis dæmonibus devictis, nec cum diabolis carne & sanguine constantibus, neque cum feris intellectu præditis, quicquam commune habere voluerit. Quamvis mox à creatione, Deus bestiis de armis naturalibus providit, hominem verò inermem condidit, nihilominùs, non in statu solùm innocentiæ, verùm etiam post diluvium, hominem bestiis terrori futurum dixit: *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Gen. 9. v. 2. Videntur animantia potiùs terrori esse debuisse homini, propter naturalia sibi arma; & non hominem inermem animantibus terrori. Ut quid igitur Author legislatorque naturæ inquit, quod omnia animantia, quantumcunque fera & ferocia coram homine tremant? quia homini quantumvis inermi donavit intellectum quem feris negavit: & magis timendus est homo inermis cum intellectu, quàm omnes bestiæ armatæ sine illo. Si verò intellectus transeundo ad bestias, se illis uniret, aut bestiarum ferocia intellectui uniretur humano, quis, quæso, bestias illas cum intellectu domare, compescere, aut evadere posset? Utrumque S. Laurentius Justinianus egregiè notavit: *Deserta sunt castra Dei, & refugia munitissima ab incursibus intellectualium bestiarum valde secura.* Laur. Just. lib. 7. c. 8. Scitis, inquit magnus iste Patriarcha (qui velut gregis hujus pastor ipsum benè noverat) scitis quid communiter sint homines? Sunt bestiæ intellectuales; sunt feræ, instar aliarum, sed cum intellectu: *Intellectualium bestiarum*; & unicum refugium à Deo, illas evadendi, est desertum. Verum est, eadem deserta ab aliis bestiis inhabitari, quæ vulgò feræ vocantur; ast istæ, quamvis Leones sint Tygrides, sicut in primo Adamo, venerantur innocentiam, & inter se commorantium reverentur sanctitatem: Verùm contra bestias intellectuales, contra feras cum intellectu & voluntate, & voluntate mala, nullum tutius datur remedium, quàm fugere, & in de-

sertum se recipere : *Deserta sunt refugia munitissima, ab incursibus intellectualium bestiarum.* Gravissima igitur ratione motus Antonius quamvis sylvestrium domitor ferarum, vires suas cum feris noluit probare popularibus, neque periculo jacturæ exponere, quod cum bestiis sine intellectu lucratus fuerat & hoc potissimùm Romæ, ubi homines erant sic feri & intelligentes, ut pro ludo & oblectamento feris objicerent homines.

Hîc verò replicabit nonnemo, vel replicabunt omnes, & solidiore motivo, hanc ipsam esse causam, quare Antonio Romam veniendum fuisset. Veniat instar lapidis Davidis ad caput mundi & idololatriæ feriendum, unius Dei liberè prædicet fidem ; immortalium nuncupativè Deorum falsitatem confutet : etsi propterea à amphitheatri leonibus objiciatur, alter Ignatius erit, si vivum se devorari sinat : si verò à leonibus honor & veneratio sibi exhibeatur, caput sibi amputari patiatur, & secundus erit Joannes Baptista. Fatcor equidem ultimam hanc instantiam exitu coronari arduo : Verùm quemadmodum prudentiæ actus fuit in Constantino dissimulare, nec armis impugnare idololatriam; pari ratione prudentiæ fuit in Antonio, eandem prædicatione non impetere. Deus expressè per Prophetam Amos protestatur, quod sicut quadravit illis, ita pariter aliis temporibus servire potest : *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem rectè abominati sunt : ideo prudens in tempore illo tacebit ; quia tempus malum est.* Corruptio morum sic invaluit (inquit Propheta) ut potentes iniquitatum suarum reprehensorem oderint ; & veritatem loquentem abominentur : quid proinde prudenti Prædicatori casibus talibus faciendum ? Tacere : quantumvis enim doctrina sit bona, tempus est malum : *Prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* Prudenter igitur magnus egit Antonius, solitudinis suæ silentium continuare maluit, quàm capiti mundi prædicare ; in mundo enim fructificare nequibat aliis, in deserto verò sibi fructificare valebat. Denique Antonius practicavit tunc, quod Christus fecit hodie : scilicet, cum prædicare potuisset turbis, fugit ab eis : *Fugit.*

Amos 5. v. 10. & 13.

§. IV.

Fugit in montem. Evangelista Christum in montem fugisse dicit, montis nomen subticendo. Verùm fugere in montem sine nomine, est circumstantia fugam qualificans. Fugit tanquam secessum, & non famam quærens : fugit, velut incognitus latere cupiens. Ita Deus Moysen sepelivit, nec, ubi, hucusque innotuit : & ita sese sepelire & abscondere oportet, qui desertum, tanquam sepulchrum, subit. Portò ne sepulturæ nomen horrorem incutiat vivis, & Echo deserti nescientibus vivere solis : profundiore adhuc mysterio Evangelista nomen montis subticuit. Dixerat desertum, & hinc nomen tacuit proprium ; omnes enim excellentias, quæ nominatos montes fecêre nominatiores, nomen deserti includit. Age aggrediamur excellentias illas contemplari de monte in montem, & de deserto in desertum, ut horrorem illis adimamus.

Apparuit Deus Moysi in deserto Madian,

dian, populum ex servitute Ægyptiaca educere mandans, qui cum à tam arduo se negotio, de successu dubitans, excusaret, in signum optati eventus dixit, quod in monte sacrificium gratiarum actionis Deo foret oblaturus: *Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* Mons iste erat mons Oreb, in interiori deserti ejus parte situs: *Cumque minâsset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Horeb.* Et, Horeb, quid significat? Horeb, in Hebraico idem est, quod desertum: portò in hoc monte, deserti nomen præferente, & in interioribus deserti exurgente: *Ad interiora deserti*; filii Israël à captivitate Ægyptiaca se jam liberatos cernentes, Deo gratias egerunt; prima etenim prærogativa, quâ deserti incolæ gaudent, est à locorum publicorum captivitate sese expedire. In cujus confirmationem figuræ locum mirabilem auscultate. Psalmus Septuagesimus sic inscribitur: *Psalmus David filiorum Jonadab*; Id est: Psalmus Davidis, quem cantârunt filii Jonadab, qui fuêre captivi primi. Filii Jonadab, alio nomine Rechabitæ vocati, erant velut Monachi, vel Anachoretæ legis veteris, in desertis Hierosolymiticis degentes solitarii. Captivitas verò, de qua hic loquitur Scriptura, est illa, quando eadem Jerusalem ab exercitu Chaldæorum obsessa & subacta, quotquot Hebræorum fuerunt inventi, captivi in Babyloniam fuerunt abducti. Hoc supposito nunc dubium subit, quare filii Jonadab Eremicolæ priores vocantur captivi: *Filiorum Jonadab, & priorum captivorum?* An fortassis, quod appropinquante Chaldæorum exercitu, quia in desertis latitabant, primi in manus hostium inciderunt? Nullatenus: quia Gubernatores & propugnatores civitatis, mox, audito exercitus Chaldaici adventu, omni studio Eremicolas illos ex latebris suis excitos, civitatem ingredi compulerunt. Si igitur civitate subactâ, totoque cum ea regno, communis omnes captivitas comprehendit, omnesq; pariter in Babyloniam abducti captivi, quo pacto Scriptura illos Eremicolas, primos appellat captivos: *Priorum captivorum?* Rationem, differentiamve eruditione judicioque suo dignam reddit S. Hieronymus: *Filii Jonadab, qui in tabernaculis semper habitabant, ad extremum propter irruptionem Chaldaici exercitus, Hierosolymam intrare compulsi, hanc primi captivitatem sustinuisse dicuntur, quod post solitudinis libertatem, urbe quasi carcere sunt recluſi.* Ratio (inquit ille Doctorum maximus) quare in captivitate hac & transmigratione universali filii Jonadab vocantur primi prioresve captivi, non fuit quod Chaldæi eos prius cæteris captivârunt; sed cum essent deserti incolæ, ipsi Hebræi illos civitatem intrare compulerunt, & videntes se civitate concluſos, veluti desertis assueti homines primi sensêre captivitatem; in desertis enim agentes reputabant se liberos, in civitate verò & populo captivos. Alii ex Jerusalem in Babyloniam jam abducti primùm captivi sunt facti; illi verò ex deserto exciti civitatemque intrare compulsi mox suam experiri cœperunt Babyloniam & captivitatem: *Quod post solitudinis libertatem, urbe quasi carcere sunt recluſi.* S. Hieronymus, tanquam deserti quietem, civitatumque tumultus expertus fuit locutus. Vitam suam alternativè jam Romæ, jam in civitatibus Græciæ, jam in desertis

Exod. 3. & 12.

Ibidem v. 1.

Psal. 70.

Thebaïdis & Palæstinæ commorando consumpserat; scribensque Rustico, dicebat: *Mihi oppidum carcer est, solitudo Paradisus.* Proinde à tali se liberare carcere, à tali se expedire Babylonia, talem evadere captivitem, prima, ut dixi, prærogativa est eorum, qui civitates populumque derelinquere decernendo, cum Christo fugiunt in montem: ubi propterea Deo, laudis gratiarumque actionis sacrificium ipsis est immolandum.

De monte Horeb, ad montem Sinai transeamus: ambo deserti, & ambo in deserto. Res mirabilis, & notatu dignissima, quòd Deus scripturus daturusque legem hominibus, hunc in finem montem sibi, & quidem situm in medio deserti montem, qui fuit mons Sinai in desertis Arabiæ situs, elegerit. Non pro montibus, neque pro desertis sunt conditæ Leges, sed pro populis & civitatibus. De Civitate Hierosolymitana Legem exituram inquit Propheta: *De Sion exibit* Isai. 2. *Lex, & Verbum Domini de Jerusalem.* Omnia & singula legis istius, ex quibus constabat, membra ad populum, ad civitatem hominemque congregationem ordinabantur. Quatenus moralis, secundum primæ tabulæ præceptum, & decem secundæ tabulæ præcepta justitiam charitatemque erga proximum concernebant, ut societas convictusque humanus sine læsione & offensa conservaretur: quatenus cæremonialis, cultum divinum, expiationes, & sacrificia respiciens, etiam ad sui exercitium, non extra, sed intra civitatem locum requirebat. Templum tantùm erat unum, in Urbe Hierosolymitana situm, ad quod ter in anno omnem populum confluere oportebat. Quatenus denique civilis & politica, ipso suo nomine civitatem, communitatem, rempublicam, tribunalia, Judices, partesque designabat. Proindè si leges conditæ sunt pro populis, quare eas Deus in populo non condit & scribit? Si pro civitatibus & rebuspublicis, quare illas in monte, medioque deserti scribit? Quia in montibus duntaxat & desertis, inquit Philo Hebræus, homines ad præcepta divinæque sapientiæ dictamina dignè recipienda capaces sunt: *Quod ad sacras leges recipiendas animus* Philo *purificatus requiritur elutis maculis, quæ* Heb. *hærent ex Miscellaneæ turbæ in civitatibus degentis contagio; id verò non est possibile aliter, quàm in deserto efficere.* q. d. Ad recipiendam percipiendamque sanctitatem legumque divinarum spiritum, animos ab omni affectuum, curarumque terrenarum, quæ eos turbet & disordinet, labe defœcatos esse oportet: ista verò defœcatio, animique tranquillitas & serenitas, populares inter turbas & tumultus, civitatumque labyrinthum haberi nequit, sed confugiendo ad montes, desertorumque quiete & silentio. Leges Dei vivendi sunt methodus, animæ specula, conscientiæque perpendicula; & in mediis impedimentis, contradictionibus, continuisque civitatum & communitatum pugnis & dissensionibus, regulæ perdunt rectitudinem, libræ æqualitatem, omnia denique ordinem & modum, sine quibus (assertore Philone) impossibile est mandata percipi divina; vel ea, quæ percipiuntur rectè observari. Quod nùm ita se habeat, in ipsis Legis tabulis considerate. Quam diu legis tabulæ fuerunt in monte, manserunt integræ: mox cùm Moyses cum eis pergeret ad populum, sunt confractæ.

Qui-

Quibus confractis, quodnam restaurandi superfuit remedium? Non aliud, nisi ut Moyses ad Deum montemque rediret: cum solo quippe Deo, & in monte, leges ejus illæsæ custodiuntur: & cum solo Deo, & in monte, jam confractæ restaurantur. Denique DEUS eandem dando legem, cùm esset universalis, & pro omnibus, in singulis ejus præceptis, uni tantùm est locutus: *Non occides*; *Non mœchaberis*; Ex. 20. v. 19. *Non furtum facies*; ut intelligeremus, solos solitarios illas venerari; solos solitariè viventes illas observare; solos degentes solitariè fructum ex eis percipere. Et isti sunt, qui legum insequentes originem, ex populo fugiunt ad desertum; & ex civitatibus ad montem: *In montem.*

Verùm ne in Lege tantùm veteri, Deus id nos docuisse videatur ad novam transeamus. Christus Dominus Redemptorque noster novam, proprieque suam legem promulgavit: Ubinam verò eam promulgavit? Similiter in deserto & monte: *Ascendit in montem, & cùm* Matt. 5. v. 1. 2. *sedisset, accesserunt ad Eum Discipuli ejus; & aperiens os suum, docebat eos.* Mons iste, juxtà communem omnium PP. sententiam, fuit mons Thabor, planitiei Galilææ triginta supereminens stadiis, & ab Aula Hierosolymitana quadraginta milliaribus, juxtà Ægesyppi descriptionem, distans; & in hoc deserto, undequaque monte, Magister Divinus Cathedram suam collocavit: *Cùm sedisset*; hîc Discipulos suos congregavit: *Accesserunt ad Eum Discipuli ejus*; hîc denique primas doctrinæ suæ Divinæ lectiones prælegere cœpit: *Et aperiens os suum, docebat eos.* Alium utique, magisque ab hominibus frequentatum locum, immò & alium quoque montem (velut illum Sion, in medio Jerusalem situm) ad scholam in eo habendam, Christus eligere potuisset: elegit verò adeò à civitate eadem distantem, & à populi frequentia remotum, ut ipso nos primum exemplo practicè doceret, suam cœlestis sapientiæ scholam, vitam esse solitariam & desertum. Quod ità Petrus Damianus affirmat, qui cum deserto commutavit Romam, & cum sago purpuram: *Solitaria vita est schola doctrinæ cœlestis, & Divinarum artium disciplina: illic enim Deus est totum, quod discitur.* S. Pet. Dam. O quis hujuscemodi Cathedram eriget, cui se non omnes Mundi Universitates opponerent! Hîc graduati sunt nominati illi Antonii, Arsenii; hîc Pauli, Hilariones & Pachomii; omnesque illi doctissimi in æternitate laureati idiotæ, qui ex ignorantibus facti sunt sapientes, vel ex sapientibus facti stulti propter Christum.

Libri quibus vacabant sine speculatione, & oblivione magis quàm memoriâ; erant illi à S. Bernardo sic approbati, & æquè ab omni invidia, ac ab omni immunes censura. S. Bernardus cuidam literas nôsse desideranti, quem magis ipse literatum, doctioremque desiderabat, scripsit in hunc modum: *Experto crede,* S. Bern. *aliquid amplius invenies in sylvis, quàm in libris.* Quænam, quæso, arbor est in sylva sive procera, sive humilis, quæ non semper versus Cœlum crescat? Et si tantum anhelant ad Cælum, quæ radicem habent in terra; quid faciendum illis, quæ radices non habent? Illæ civitatum & cultæ, ab industria dependent hominum: illæ verò desertorum, & incultæ, à Cœlo Deoque solo dependent, neque propterea minùs proficiunt aut durant: illæ, quas

ornatu suo spoliat, exuitque hiems, tempus vernum sperare & expectare docent: illæ verò, quas ver vestit, ornat & ditat, fortunæ præsenti non fidere docent, quia veri hyems succedet. Illæ, quas ventus incurvat & inflectit, propriam docent conservationem; quæ verò frangi potiùs, quàm inflecti volunt, rectitudinem & constantiam docent. Denique quælibet arbor est liber, quodlibet folium lectio; quilibet flos instructio, & fraudis dolive detectio, quilibetque fructus, triplicem continet fructum: virides necdum sunt, maturi non diu durant, & præteriti jam fuerunt. Hæc nuta est deserti schola, quam S. Bernardus in sua frequentavit valle; & ipsa est, quam Christus in eodem erexit monte, ubi de Cælo vox intonuit: *Ipsum audite.* Verùm Thabore deserto, in monte Oliveti Sermo noster quiescat.

Mons Oliveti non habitatus ab hominibus, & pro incolis solas habens arbores, à quibus nomen accepit, locus fuit desertus, ubi, & ex quo Christus ascendit in Cœlum, suâ nobis ascensione demonstrans, rectissimam securissimamque conscendendi viam esse desertum. Bis Angeli animam sanctam in Cœlum conscendere viderunt; sed unde, & quomodo ascendit? Utrumque est notabile. Primò eam per desertum in cœlum ascendere viderunt: *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* Cant. 3. v. 6. Secunda vice eam de deserto ascendere conspexerunt: *Quæ est ista, que ascendit de deserto?* Cant. 8. v. 5. Qui ascendit, ab uno recedendo loco ad alterum ascendit. Si igitur anima ista, de deserto ascendebat in Cœlum: *Ascendit de deserto*; quomodo per desertum ascendebat: *Ascendit per desertum?* Desertum ergò erat locus ubi & unde ascendebat? Immò verò; istud quippe est esse desertum, montem Olivarum. Christus primò in ascensione sua per montem ascendit sursum, & postmodum ascendit de monte: & hoc modo ascenditur etiam de deserto. Hinc Angeli priùs animam ascendentem viderunt per desertum: *Quæ est ista, que ascendit per desertum*; & posteà illam de deserto ascendentem conspexerunt: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* Ita ut desertum sit, ubi & unde in Cœlum ascenditur. Porrò si ego, desertum esse non solùm ubi & unde, sed etiam per quod in Cœlum ascenditur, assererem nihil quidem novi, sed magnum quid dicerem. Ipse Christus in parabola pastorem quempiam ovium centum gregem suum pascentem, unam perdidisse dixit, quàm ut perditam inveniret, nonaginta novem dimisisse in deserto: *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto?* Luc. 15. v. 4. Pastor est Christus, ovis perdita est homo, nonaginta novem, novem sunt Chori Angelorum, desertum denique est Cœlum. Verùm si ipsum illud Cœlum, tot Hierarchiis Angelorumque Choris Christus reliquit insessum; quonam pacto illud vocat desertum? Quia loquebatur per similitudinem, & rerum terrenarum comparationem: & in terra nihil aut similitudine, aut nomine Cœli reperitur dignum, præterquam desertum. Desertum ergò est, ubi; desertum est, unde; desertum est, quà ascendit, qui ascendit in Cœlum.

Porrò summæ huic exaggerandæ veritati, aliam adhuc majorem adjiciamus.

mus. Dico, postquam Beatorum quispiam ascendit in Cœlum, si descendere daretur, cum nullo loco alio, nisi cum deserto, Cœlum commutaret. S. Joannes vidit in Cœlo illam Sole vestitam mulierem famosam:

Ap. 12. v. 1. *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole*; eidemque duas aquilæ alas magnitudini ipsius proportionatas fuisse datas conspexit: *Et datæ*

Ibidem v. 14. *sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ.* Sed ad quid? Mulier ista in Cœlo jam constituta soleque vestita, quamlibet animam sanctam lumine gloriæ jam illustrem, ideoque beatam designat; alæ verò Aquilæ, humanæ impropriæ naturæ privilegium aliquod speciale & supernaturale huic indultum mulieri denotant: suppositio verò illam jam beatam degere in Cœlo, cuinam usui alæ ipsi deserviunt? Ipse hoc Textus

Ibidem v. 14. innuit: *Datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum.* Ergóne anima jam in Cœlo beatitudine fruens volabit in desertum? Quinimò: nulla quippe anima jam in Cœlo beatitudine fruitur, quæ licentiâ acceptâ, Divinóque Cœlum ad tempus deserendi privilegio, propriâ suâ sponte non quandoque descenderet in desertum. Status cœlestis incolarum desertum excedit in eo, quòd anima ibidem clariore DEI fruatur intuitione; desertum verò excedit hîc Cœlum, quod anima hîc majore, DEO fruatur merito, cui ibi locus non est. Proinde sine injuria, immò cum amoris Divini applausu, Cœlum cum deserto commutari potest. Porrò sicut istæ prærogativæ deserti, illas montis Horeb, illas montis Sinai, illis montis Thabor, ipsius denique montis Oliveti prærogativas excedunt: gravissimâ ratione Evangelista motus, proprium montis, in quem Christus fugit, nomen subticuit; & hinc declarando desertum, montem illum vocare fuit contentus: *In montem.*

§. V.

Ipse solus. Hæc est ultima superstes Textui clausula; & quod tam serò hanc aggrediamur, doleo. Christus fugit in montem, & Ille solus: *Ipse solus.* In hoc verbo compilantur, fœdéque depinguntur omnes solitudinis horrores & metus. Et, quot, quæso, meticulosorum istorum, apparente discretionis apparentiâ, metus suos & horrores palliabunt, allegato Salomone dicturi: *Væ soli?* Hoc sa- Eccl. 4. v. 10. pientissimi Regis istius effatum; qui etiam, non rogatus, rationem ipsius adjunxit: *Quia cùm ceciderit, non ha-* Ibidem. *bet sublevantem se.* Huic verò inconvenienti confutando, non Salomon quispiam necessarius est. Si solus, non habet sublevantem se; similiter nec habet, qui ipsum prosternat & dejiciat. Majorque est felicitas dejectionis carere periculo, quàm erectionis indigere adjutorio. Quantò magis, dum illi, qui prosternere & dejicere assolent numero potentiáque prævalent, & prostrati facilius adulatorem reperient, qui jacentibus pedem superimponat; quàm amicum adeò constantem & cordatum, qui erigendis manum auxiliatricem porrigat. Deficiente verò manu hominis, manus DEI illi non deerit: *Cùm ceciderit,* Psal. 36. v. 24.

non

non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam. David, Pater Salomone, filio ſuo meliùs fuit locutus: Salomon compatitur ſoli, quod, cùm ceciderit, ſublevantem non habeat: David verò congratulatur illi, nam ſi ceciderit, Deus manum ſupponit, ne quid ex caſu mali eveniat. Solitarius illo ſolum ſe deprehendet, quia homines deficient; Idem verò ſolus nunquam erit, ſecum enim ſemper, & in auxilium ſuum præſentem ſentiet Deum. Solitarius ille, etiam nullo impellente ſemetipſo cadere poteſt: Solitarius iſte, quantumcunque in ruinam impulſus, cadere non poterit, cadens enim ſuper manus Dei, hoc ipſo erigitur caſu: *Cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.*

Hinc ſequitur, in ſolitudine propter Deum arreptâ, ſolitarium nunquam eſſe ſolum. Solitarius eſt adinſtar Chriſti, quando hodie fugit in montem: *ipſe ſolus.* Chriſtus fugam derelictionemque ſuis Diſcipulis prædicens, inquit: *Venit hora, ut me ſolum relinquatis; & non ſum ſolus.* Quare verò ab omnibus derelictus Chriſtus ſolus, non manſit ſolus? Quia Chriſtus eſt Deus ſimul & homo: quà Deus, non eſt ſolus, quia adeſt homini: neque quà homo, eſt ſolus, quia eſt cum Deo: Et hoc, quod in Chriſto unio facit perſonæ: in ſolitudine facit unio loci. Solitarius in ſolitudine nunquam eſt ſolus, Deus enim illi, & hic Deo adeſt. Profundè de hac materia S. Joannes Chryſoſtomus diſcurrit. Hic Scriptorum omnium facilè facundiſſimus, cum integrum in laudem ſolitudinis librum compoſuiſſet, ſic proteſtando ſuum concludit diſcurſum: *Me etiam imparem tuæ laudi fateor, ſed unum pro certo ſcio, ô vita benedicta, quod indubitantur affirmo.* Et quid eſt, aut erit illud? Proſequitur. *Quia quiſquis in amoris tui deſiderio perſeverare ſtuduerit, ipſe quidem habitator eſt tui, ſed ejus inhabitator eſt Deus.* Proinde, quia Deus inhabitat ſolitarium, ſolitarius verò inhabitat ſolitudinem, ſequitur, ſolitarium nunquam eſſe, aut eſſe poſſe ſolum; plus enim eſt, inquilinum habere Deum, quàm habitare cum Deo. Hinc S. Bernardus ajebat: *Nunquàm minùs ſolus, quàm cùm ſolus*; quando etenim non ſum ſolus, ago cum hominibus: quando verò ſum ſolus, ago cum Deo. Demonſtraturque evidenter, quod cum ſolo agens Deo minùs ſit ſolus, quàm qui agit cum hominibus, ſocietas quippe humana quantumvis ſit frequens, limitata tamen exiſtit: ſocietas verò Dei quamvis unius ſolius, nihilominus eſt immenſa.

S. Chryſoſtomus.

Joan. 16. v. 32.

Utinam homines intelligerent, quantorum in ſe & in omnibus jacturam faciant, eò quòd ſoli cum Deo & ſecum morari neſciant. Quoſque Adam fuit ſolus, ſeſe in Paradiſo, in gratia Dei, & monarchia mundi conſervavit; acceptâ verò ſociâ, perdidit Paradiſum, perdidit gratiam, perdidit Imperium, perdidit ſe, perdidit nos, perdidit omnia. Hinc autem Adami, de ſolo ad ſolum differentiam, non Eremita quiſpiam, aut Anachoreta deſerti, ſed Aulicus quidam Pariſienſis magnus Cancellarius Gerſon inſinuat: *Adam tam diu ſalvus manſit,*

Gerſon.

manſit, quam diu ſolus. Solus ex domo parentum ſuorum exivit Jacob, gloriatus poſtmodum, quod cum ſolus, non alio comite, quàm paſtoritio baculo Jordanem tranſiſſet; redux jam ad patriam, eundem fluvium familiâ adeò auctus tranſiret, ut filii, famuli, currus & armenta conſtituerent turmas:

Gen. 32. v. 10. *In baculo meo tranſivi Jordanem iſtum, & nunc cum duabus turmis regredior.* Proficiant tibi, Jacob, omnes iſtæ proſperæ fortunæ, & omnia iſta magna bonorum domuſque tuæ incrementa. Verùm, rogo, in mei gratiam, notabilem adeò differentiam, alteri conjungas, quam non conſideras tu, aſt ego valdè penſo. Pergens ſolus vidiſti ſcalam: tanto verò comitatu redux illam non vidiſti. Stipatus à latere duabus turmis, à timore Eſau non fuiſti ſecurus: in lapide, tanquam pulvinari, requieſcens ſolus, à Deo & Angelis dormiens, fuiſti cuſtoditus. Solitariis tantùm deeſt terra; ſolitariis tantùm aperitur cœlum. Solus agebat Abraham, ſolus item agebat Moyſes apparente illis Deo: ſolus erat Joſue, ſolus Gedeon, & ſolus Elias, quando illis ſuccurrerunt Angeli: ſolus agebat Iſaias, Divinæ majeſtatis thronum Seraphinis circumdatum comtemplatus; ſoluſque Ezechiel ejuſdem triumphalem gloriarum currum intuitus. Solitarius ſimiliter erat S. Petrus, quando tota Gentilitas ad fidem converſa in Linteo ipſi fuit oſtenſa, in cœlumque recepta. Solitarius denique erat S. Joannes, ille Chriſti dilectus, in Apocalypſi ſua ſeptem ſignacula aperta videns, futurorumque temporum ſecretiſſima myſteria revelatione doctus.

Verùm enim verò, ne ſolitudinis beatitudinem in æternis revelationibus, quæ ſenſus effugiunt, conſtituere videar: alias Solitarii habent viſiones manifeſtas, omnibuſque cognitas: beatiores verò ſunt cæteris, quia illas eminùs, & in loco vident ſecuro. Hac ipſa occaſione, quâ Chriſtus fugit in montem, Diſcipuli navem ingreſſi, horrendâ jactati ſunt tempeſtate, parumque abfuit quin remedio jam deſperato, maris undis abſorberentur: Eodem verò loco Chriſtum ſolum in terra remanſiſſe Evangeliſta teſtatur: Marc. 6. v. 47. *Et ipſe ſolus in terra.* Idem ſolitario in terra agenti accidit. Qui in mundo verſantur, cum ventis luctantur & undis: quidam abſorpti pereunt: alii natando emergunt, omnes verò diſcrimen incurrunt: Solus verò agens in terra, omnia illa ſecurus eminùs aſpicit: *Et ipſe ſolus in terra.* Mundus bellis ardet, vincunt alii, ſuccumbunt alii, expugnantur civitates, ſubiguntur regna, multa hominum millia occumbunt, & ſolus Solitarius perveniente ad ſe Echo, omnia percipit ſine timore; quia pace fruitur ſecurâ: *Et ipſe ſolus in terra.* In perpetua mundus gyratur rota, hos dejicit, illos erigit: nonnulli ad nubes uſque proficiunt creſcendo, alii deſcendunt ad abyſſos, & ſolus Solitarius, à legibus & juriſdictione fortunæ exemptus, nec ex proſpera invidiam, nec ex adverſa timet afflictionem; quia ſolus ipſius ſtatus & conditio mutationem non admittunt: *Et ipſe ſolus in terra.* Hinc egregiè dixit S. Cyprianus: *Una placida & fida tranquillitas, una* S. Cyprianus.

sola & perpetua securitas est, si quis ab inquietantis sæculi turbinibus extractus, Deo suo mente proximus, quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam facere conscientiam gloriatur; q. d. In hac vita, nonnisi unica est vera & fidelis tranquillitas, & una sola perpetua securitas: quâ solus ille gaudet, qui à turbidi semper mundi tumultibus extractus, soli Deo unitus; dum ea, quæ alii magni æstimant, sibi substrata conspicit: & quia omnia illi subsunt, nullo eorum immutatur, aut curâ aliquâ & solicitudine angitur.

Verùm, ut omnia aliorum sanctorum, de solitudinis excellentiis, nec non incomparabili illam incolentium beatitudine asserta summatim perstringamus: Desertorum incolæ sunt illi, quos Deus præ cæteris elegit hominibus, & in solitudinem duxit ubi vitam solitarii transigerent; non quod mundum illuminare non forent digni; sed, quia, teste Spiritu sancto, mundus ipsis non erat dignus: *In solitudinibus errantes, quibus dignus non erat mundus.* Porrò solitudo est talis, ut similem non habens in terra, similitudinem cum beatitudine habeat cælesti: cum utraque sibi reciprocè adeò sit similis, ut per beatitudinem velut archetypon solitudo possit depingi: & beatitudo in solitudine tantum velut in suo speculo possit videri. Proinde trita illa & celebri exclamatione concludo, quam utinam omnes memoriâ retineretis: ô beata solitudo! ô sola beatitudo!

Heb. 11. v. 38.

§. VI.

DIscursum meum absolvi, prolixum & longum pro tempore, brevem verò & contractum pro materiæ merito. Nihilominus non defuturum video, qui materiam velut loco auditorique impropriam admiretur, magisque Bussaci desertis, vel montibus & collibus Arrabidæ, quàm Capellæ regiæ & Ulyssiponensi Aulæ accommodatam judicet. Sic judicant parùm in mundo, Christianitate, & historiis versati: ac si non fuissent Aulæ Catholicæ in omnibus sæculis, quæ eremos & deserta illustriora reddiderint, veneratæ sint & condecorârint, ideòque melioribus qualificatisque magis exemplis. Subtus seu supra tabulatum istud, primi ordinis, & utriusque Ecclesiastici & politici status, multas cerno animas, ab hisce adhuc catenis liberas, quæ confringi nequeunt, quæ si vanitatem cum veritate, Aulam cum deserto, palatium cum clausura, pompam cum cilicio, mundique carcerem cum suavi jugo Christi commutarent, de eodem mundo triumphantes fide, & de se ipsis, intellectu, non solùm copiosam habituri forent materiam in altera gloriandi vita, verùm etiam non pauca, quorum ipsos non pœniteret in præsenti.

Sed in specie descendo ad eos, qui pro conditione statûs, professionis & officii, se frequentiam turbasque populi fugere, multitudinisque negotia deserere non posse obtendant: noverint, qui hujusmodi sunt, quod ad statûs,

pro-

professionis, officiique ejusdem obligationibus satisfaciendum ritè, similiter ipsis cum fuga alternandum sit exercitium: nec non dies vitaque cum deserto partienda. Non semper (hoc enim, *alternare*, innuit) sed suis temporibus. Omnes istæ, seu statûs, seu officii obligationes, vel Ecclesiasticæ sunt, vel politicæ, seu sæculares: & nemo quantumcunque idoneum & capacem se sibi imaginetur, eas pro debito præstare poterit, vel in Ecclesiasticis vel politicis, nisi prius in schola solitudinis, rectè, justèque exercendi methodum didicerit.

Quoad Ecclesiasticos, quisnam ovibus magis est obligatus, quàm Pastor? Et quinam Pastorum magis, ad reddendam Deo rationam à se exigendam, quàm supremi? At isti, nisi ad Deum confugerint in desertum, seque recolligendum, nisi à seipsis eandem exegerint rationem, nunquam reddent bonam. Quinam Pastorum zelo ferventiores, & vigilantiores, quinam Episcoporum & Archiepiscoporum eruditione & sanctitate Chrysostomo Constantinopolitano, Basilio Cæsareensi, Ambrosio Mediolanensi, Athanasio Alexandrino, Augustino Hypponensi celebriores? Porrò omnium horum perlegendo vitas, nunc eos in Cathedris, nunc in desertis, nunc Anachoretas & solitarios, nunc numeroso circumdatos populo, convertendis Gentilibus, confutandis hæresibus, Christianisque perficiendis intentos & occupatos videbitis, & hoc modo suas excolentes Ecclesias & diœceses, ut domus viderentur Monasteria, & civitates Paradisi. Et unde tam admirandi nascebantur effectus, nisi, quia ipsi Prælati in deserto lucem recipiebant & gratiam, & in solitudine spiritum & fervorem, quo in populo accendebant animas, eradicabant vitia, virtutesque inserebant? Sauli in Ramatha Samuelem inquirenti, respondérunt cives opportuno ipsum adesse tempore; eodem quippe die illum, ad immolandum sacrificium, in civitatem adventurum: *Hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.* 1 Reg. 9. v. 12. Et quare illum eo die in civitatem esse venturum dixerunt? Quia Samuel Sacerdos populique Prælatus sic sibi dies distribuerat, ut partem eorum solitudini consecrâsset ad agendum cum Deo, & alteram ad agendum cum hominibus in civitate. Quibus super verbis S. Gregorius Papa notat, in hac temporis distributione, maximam melioremque partem conversationi cum Deo solo fuisse deputatam; mox etenim expeditis illis, quæ sacrificium & spirituale animarum regimen concernebant, nè ad momentum quidem temporis cum populo, vel in civitate commoratus, ad recolligendum se in desertum repetabat: *Quia rarò videbatur in civitate, tardè veniens, & citò recedens.* S. Greg. Et si istud, ante adventum, doctrinam, Christique exemplum, hoc fecit Samuel, successores, Vicariique Christi, videant, quid sibi faciendum incumbat, quidque possint?

In statu sæculari & politico, fuga hæc secessusque in desertum, propter negotiorum frequentiam & multitudi-

nem nec non propter maximè necessariam publicarum personarum, in tot tantique momenti negotiis, qualia ordinariè in Monarchiæ gubernatione occurrunt, realem assistentiam, multò minus locum habere videtur. Quod ita humana, vel potius gentilis Politia supponit; ac si bona veraque negotiorum, quantumcunque prægnantium, & multorum directio Providentiâ divinâ minùs indigeret, resumque terrestrium intuitus vel in lucido, vel in obscuro, non totus à lumine cœli dependeret. Rex erat David, & regni quidem satis populosi: gravissimaque statûs negotia, quadraginta annorum curriculo, quibus præfuit, tum in pace, tum in bello, nunc domi & in Aula, nunc foris & extra palatium variis & ipsum, & coronam discriminibus objecerunt: quònam verò luminis consiliique causâ confugiebat, nisi in desertum? Proprio illud ore attestantem audiamus: Psal. 45. v. 5 & 6 *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* Eheu, inquit David, quoties cor meum confusum & conturbatum, in mediisque periculis & timoribus mortis palpitare & contremiscere sensi: & insuper tenebris oppressum, sine minimo lucis radio, qui viam evadendi monstraret! in tali verò statu angustiisque comprehensus, quò confugiebam? Ibidem v. 8. & 9. *Ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine: expectabam eum, qui salvum me fecit, à pusillanimitate spiritus & tempestate.* Refugii remediique causa, in hisce casibus, non aliud mihi sumpsi, quam quod longissimè fugiendo à civitatibus solitudinem subirem deserti, ubi solus cum Deo solo, lumen ab eo peterem & expectarem, qui ab illis me tempestatibus velut eriperet, à quibus Navarchus in arena, & cum navi quasi perdita, expedire me neque sciebam neque poteram. Porrò si hoc faciebat cor adeò generosum & impavidum, judiciumque adeò sanum, prudens & expertum velut illud Davidis; cur alii Principes (& quidem tot errorum experientiâ docti) sibi persuadebunt, quod sine certi temporis, ab aulis recessu, solitariáque cum Deo consiliorum communicatione, per se Ministrosque suos rectam bonum publicum promovendi normam sint habituri, quod quandoque desiderare, nedum assequi ignorant.

Quod si tempus, pro istis intervallis, istisque refugiis sibi deesse dixerint: nemo profectò mihi negabit, esse dies, septimanas & menses pro aliis refugiis, pro aliis desertis, aliis sylvis & montibus & non intra, seu juxta, aulas sed remotissimis: cùm certum sit, quod labor (qui recreatio dicitur) vel uni insequendo & confligendo apro, impensus, ut occisus ducatur in triumphum; multò sanè utiliùs aliis venandis & persequendis insumeretur feris, quæ de venatione ita redeunt vivaces, sicut eò fuerant ductæ. Vitia coronata, vocat Ecclesia, *Vitiorum monstra*, non vitia qualicunque modo, sed monstra: Horum verò monstrorum, horumque volatilium insecutio, à Solitario cum solo Deo, instituitur &

paragitur in desertis. Ibi confringuntur alæ vanitati, ibi in terram prosternitur & calcatur superbia; ibi passus constringuntur concupiscentiæ, ibi manus præscinduntur vidictæ, ibi moritur spumandoque dirumpitur ira, ibi in se corruit iniquitas & injustitia, ibi denique omnia alia infrænis impotentisque intemperantiæ aut occiduntur, aut fugantur, aut domantur monstra. De primo mundi Rege asserit Scriptura: *Erat robustus venator coràm Domino*; & venationes coram Domino, sunt competentes Principibus recreationes, nec non generositatis actus, de quibus maximè gloriandum, quia veræ sunt generositates. Et, si tempore, quod deserendo Aulam, venationi insumunt, benedictionem primatumque perdere non verentur, instar Esau: multò sanè minùs jacturam hanc, seu quodcunque aliud regno timendum est detrimentum tempore illo, quo ad Deum, soli cum eo solo tractaturi, confugiunt; ut lucem ab eo recipiant, quâ illud gubernare & conservare possint. Regum non pauci venando infeliciter perierunt: ille verò, quem non sine mysterio Scriptura venatorem nuncupat coram Domino, non solùm sexaginta regnavit annis, sed novam erexit Monarchiam, quæ mille ducentis substitit annis, præ reliquis omnibus in mundo florentibus conservata.

Gen. 10. v. 9.

Denique (ut exemplo omnium maximo, tam Ecclesiasticum, quàm politicum statum convincamus) Christus Dominus, Redemptorque noster, Rex simul & summus Sacerdos, non solùm triennio isto, quo in mundo utráque fuit dignitate perfunctus, omnem vitam, inter civitates seu populum & desertum fùit partitus: eodem verò die, quo, quid esset, declaravit, & quà talis ab omnibus agnitus fuit, diei ejusdem partem dedit turmis & populo, partem verò deserto & monti: *Fugit in montem solus.*

Amen.

SERMO
DE
S. ANTONIO.

Dictus in Dominica infrà Octavam ejusdem. Maragnanæ, Anno 1657.

Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat? Luc. 15.

Item Thema:

Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, quiin domo sunt. Matth. 5.

§. I.

QUando Ecclesia duo nobis proponit Evangelia; obligatorium potiùs, quàm otiosum est, duo assumere Themata: Primum Dominicam, secundum Festum concernit. Utrumque tam accommodatum Sancto, cujus Festum celebramus, ut unum Textus, alterum Commentatio videatur. In primo Evangelio Christus Dominus sic inquit: Si mulier habens drachmas decem (drachmæ erant exigui ponderis, moneta argentea, tempore Hebræorum usuales) Si mulier, inquit Christus, decem habens drachmas, unam earundem perdiderit, quid agit? Attendite vos, qui Prædicatores observatis, quàm accommodatam Divinus Prædicator comparationem adducat) Accendit, inquit, lucernam, everrit domum, drachmam omni diligentiâ inquirit: quam, ubi invenerit, exit foras gaudens, convocat amicas & vicinas, ad collætandum congratulandumque sibi, de inventa drachma invitat. Cernitis illud Festum? Cernitis illud gaudium? Idem in

Cælo

Cælo fieri subjungit Christus. Grandis ibi celebratur festivitas; applaudunt Angeli; congratulantur Beati, ubi impius pœnitentiam agendo, ad Deum se converterit: *Ita gaudium erit coràm Angelis DEI, super uno peccatore, pœnitentiam agente.* Luc. 15. v. 10.

Hæc parabolæ Christi est substantia, in tribus particularibus punctis resumpta; puncta sunt: Mulier, Moneta, Lucerna. Mulier perditam inveniens monetam, festúmque lætitiæ propterea peragens: ipsa Moneta primò perdita, posteà inventa: Lucerna ad quærendam inveniendamque monetam accensa. Ex hisce tribus punctis Christus explicavit duo, tertium sine explicatione intactum reliquit. Mulier, inquit, per quam designatur Ecclesia; quà militans in terra, perdit & invenit peccatores; quâ triumphans, in Cælo celebrat, festúmque peragit eorundem conversionis. Drachma perdita & inventa, animas designat peccatorum, quæ peccando perduntur, pœnitendo verò inveniuntur & recuperantur. Lucerna verò ad quærendam drachmam accensa, supposito quòd eam Christus non declaraverit, qualis fuerit, eritne qui nobis enucleet? Nisi hodierna incideret festivitas, ego non facilè id assererem, sed hodie quilibet vestrûm id mecum asseret. Edicite mihi, quis Sanctorum, tanquam rerum perditarum restitutor celebretur in terris? Quænam lucerna est in mundo, cujus beneficio res perditæ inveniuntur & reteguntur? Quorquot estis, uno ore S. Antonium esse affirmatis. Iste igitur est lucerna, quæ in Evangelio primo memoratur accensa, cui Evangelium secundùm concordat: *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, quæ in domo sunt.* Matt. 5. v. 16. Luc. 15. v. 8. Primum Evangelium lucernam ad illuminandam domum accensam asserit: *Accendit lucernam, & everrit domum.*

Secundum Evangelium lucernam ad illuminandum domum accensam, esse Sanctum, cujus hodie solennia agimus, adstruit: *Accendunt lucernam, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Ita ut Evangelium unum in parabola, alterum verò in mystica ipsius significatione concorditer nobis dicant & prædicent, quod lux, cujus beneficio animæ perditæ recuperantur, gloriosus noster sit Antonius, hâc ipsâ gloriosior sit prærogativa, quàm tot tantisque aliis de ipso prædicari solitis. Suppositâ proprietate hac, nec non textûs utriusque concordiâ, aliud conformius Evangelio thema nec ego assumere possum, nec vos conducibilius vobis desiderare potestis; neque ipse Sanctus aliud à vobis, & à me gratius sibi exigere valebit. Totius igitur discursus nostri argumentum erit: Antonius perditarum recuperator animarum. Ut igitur animæ nostræ ab hac luce, omnibus plùs minusve necessaria competentem sibi utilitatem percipiant; ab eodem Sancto, velut adeò gratiæ Matri devoto & familiari humiliter petamus, ut intercedendo hanc nobis impetrare dignetur.

Ave Maria.

§. II.

§. II.

Accendit lucernam, donec inveniat: accendunt lucernam, ut luceat omnibus.

QUod S. Antonius perditarum recuperator sit animarum, tam rara & excellens est prærogativa, ut Sancto huic DEUS excellentius contulisse, quàm sibi reservâsse officium videatur. DEUS, velut omnium bonorum author, omnium est largitor, licèt perdantur: S. Antonius perditorum est restitutor: nec est dubium, quin majus gaudium majorque æstimatio ex rerum perditarum recuperatione, quàm ex earundem quieta & non interrupta possessione, seu fruitione sine perditionè resultet. Juxtà textum nostrum, mulier, quæ drachmam unam perdidit, decem habuit: *Mulier habens drachmas decem*; age, si mulier drachmas habens decem, de habitis seu acquirendis congratulari sibi non petiit, quo pacto unâ solâ inventâ, vicinas amicásque convocans ad congratulandum felicitati suæ invitat, lætitiamque pro una sola drachma inventa extremam ostendit? Ratio est, quia licèt drachma numero tantùm esset una, fuerat perdita. Aliæ acquisitæ erant, & possidebantur, hæc postquam perdita, fuerat recuperata, & hinc tanti æstimata. Quando stella Magis apparuit in Oriente, singularia lætitiæ argumenta ad ejus apparitionem non ediderunt, sed postquam in Jerusalem perdita, oculis eorum subtracta, egressis Jerosolymâ denuò apparuit, nullis verbis Evangelistæ, gaudium ipsorum exprimere & exaggerare possunt: *Gavisi sunt gaudio magno valde.* Matth. 2. v. 10. Nunquid stella in Oriente & Jerusalem eadem numero? Omninò: sed in Jerusalem erat eadem, postquam perdita. Hæc eadem fuit ratio, cur pater prodigo suo filio tam extraordinarium festivumque instituerit convivium, ad fratris usque invidiam. Mihi, pater, qui fidus tibi semper & obsequiosus adhæsi, tale quid nunquam exhibuisti; & ei, qui te deserto, & se, simul & totam substantiam suam perdidit, tam sumptuosum lætumque festivis gaudiis apparâsti convivium? Ita, fili, respondit pater, & ex eodem, quod tu tangis, motivo. Te, qui semper individuus mihi adhæsisti, nunquam perdidit; illum verò jam perditum reperi: *Perierat, & inventus est.* Luc. 15. v. 32. Tantum valoris res perditæ acquirunt; tantumque gaudii recuperatæ lucrantur: ut perspicuum vobis fiat, non minùs vos debere S. Antonio, dum perdita restituit: sed magis eidem obligari, quàm si de novo vobis daret idem, quod perdidistis.

Enim verò, si nihil hoc verius, in rebus externis nulliusque momenti, quid, quæso, erit in internis animæ, earundemque perditione, quarum etiam Antonius recuperator est? Prout hodie demonstraturus adsum. Ad memorata revertamur exempla, ast profundius penetrata. Ecquis prodigus est filius, quænam stella, quænam illa est drachma? Drachma, uti jam diximus, est anima, stella, gratia, prodigus quilibet nostrûm. Gratiâ perditâ, animâ perditâ, perditur homo: cúmque perditiones hæ sint maximæ, quæ evenire & excogitari possunt, quia unà cum illis perditur Deus; deliquium quodammodo intellectûs, imò & fidei est, tam modico

doloris

doloris sensu, ob ejusmodi perditiones tangi, tantamque earundem vilipensionem recuperandique negligentiam cernere, cùm res aliæ tanti à nobis æstimentur, quæ tamen ob suam vilitatem & nihileitatem, ne perditarum quidem rerum nomen merentur. Quod si res vel minimi pretii & valoris, si vel minutissima quæque domûs vestræ perdantur, aut evanescant ex oculis, mox S. Antonium implorare audimini: & solùm, S. Antoni, sine alia precandi formula ingeminando, jam & vos, & ille intelligit, pro recuperanda re perdita opem suam implorari.

Profectò in nullo alio exemplo, cùm tot sint & tam rara, Sancti hujus humilitatem & charitatem magis admiror, quàm quod hujuscemodi interpellationibus non offendatur: sed consueto sibi more semper & continuò succurrat. Illud fieri non prohibeo, quod minus honorificum id tanto Sancto, aut injuriosum illi existimem, tam futilibus minutisque rebus ipsum occupare; Providentia quippe divina non minùs in formica, quàm Elephante, neque minùs in hyssopo crescente in pariete, quàm Cedro Libani magnificentiam suam demonstrat. Hoc tantùm vobis suggero, ipsiusque sancti Antonii vice & nomine à vobis peto, Sermonisque mei, in quo ipsi placere desidero, scopus & intentio eò collimat, ut ejus favorem ad hocce occupetis, potestatem ejusdem in id impendatis, ut veras vobis resarciat perditiones, tam miserè perditas restituendo animas. Proinde attentionem à vobis efflagito.

Pars III.

§. III.

QUemadmodum in omnibus peccatis perditur DEUS, sic in omnibus similiter vitiis perduntur animæ: & quoniam materia in infinitum excresceret, si discurrendo per singula, in quolibet eorum assumptum meum probare vellem; sicuti drachma in uno tantùm domûs loco fuit perdita, cùm in alio perdi potuisset; sic mihi sufficiet, demonstrare S. Antonium restitutorem esse animarum in duobus potissimum universalioribus vitiis perditarum, in quæ ordinariè magis labuntur homines, animæque perduntur. Quænam verò & qualia ista sunt vitia? Credo, quod me necdum ea specificante vos ea jam cognoveritis. Verùm Evangelium binas nobis figuras proponit, quæ non mutato habitu proprio suo nomine ea nobis prodent. Evangelium inquit, quod mulier quæsierit drachmam: & binæ hæ, sunt illa duo, per quæ magis perduntur animæ, Drachma scilicet seu pecunia, & mulier. Alii per drachmam, alii perduntur per mulierem. Hos cupiditas, istos concupiscentia carnis excœcat: utraque simul quasi omnes. Et hæc vitia totum propemodum ad se attrahunt mundum & perdunt. In Dominicæ præteritæ Evangelio Christus paradigma introduxit de convivio, gloriæ beatitudinisque cœlestis figurativo. Ad hoc multi invitati fuerant & vocati, triplicique excusationum genere se se excusârunt. Primus obtendit, quod empram à se villam inspectum abiret: Secundus, quod quinque boum juga emisset, quæ probatum pergeret: Tertius quod eâdem die uxorem duxisset, ideoque venire nequiret. Ita ut duo

primi in sui excusationem obtenderint bona; Ultimus, uxorem: Mulier etenim & bona temporalia sunt duo, quæ hominem magis retrahunt & elongant à cœlo; duo sunt dæmonis laquei, quibus plures irretitæ perduntur animæ. Enimverò notate, quod duo bonis se excusârint, sed bonis emptis: *Villam emi; juga boum emi quinque.* Tertius se excusavit muliere; sed muliere, quam duxerat: *Uxorem duxi.* Si igitur bona empta viam vobis obstruunt ad cœlum, quid facient bona furto ablata? Si uxor propria inter impedit ad nuptias gloriæ, quid uxor faciet aliena? Alienum, & mulier? DEUS vos liberet ab utroque: & istud est, quod omnes quærunt.

Luc. 14. v. 19. & 20.

Nullum in mundo DEUS condidit hominem paradisi securiorem, quàm Adamum; conditus enim fuit sine peccato, quo paradiso excludimur: in ipso quoque creatus fuit paradiso, ut illuc pergere opus non esset. Quænam verò sunt illa duo, tam valida, ut Adamum è paradiso exturbare potuerint? Duo jam dicta: Mulier, & Alienum. Mulier; quia Eva Adamo vetitum comedere pomum persuasit: Alienum; quia omnibus mundi rebus dominio ipsius subjectis, solum pomum prohibitum, non erat suum. Si Alienum perdidit Adamum, cum tamen omnia ad ipsum spectarent, quid fiet illi, qui tam parum habet, & à suo? Si mulier perdidit Adamum, nulla alia muliere adhuc existente in mundo, quid fiet existentibus jam tot & talibus? Hoc luctuosum illud est patrimonium, quod à primo homine hæreditarunt homines: perdi scilicèt per mulierem, & alienum: perdi per carnis concupiscentiam & cupiditatem.

Age, jam nunc intelligetis, quare Deus alia vitia uno simplici tantùm prohibendo præcepto expresso, illud concupiscentiæ, & cupiditatis prohibeat duobus. Illud concupiscentiæ carnalis, sexto & nono: illud verò cupiditatis, septimo & decimo. Multa è peccatis, vel cætera omnia, generaliter sunt istis duobus graviora, quia vel magis virtuti opponuntur contrariæ, vel quia majorem injustitiam continent: ut quid igitur cupiditatem duobus, concupiscentiamque carnis itidem duobus aliis alligat & astringit præceptis, alia verò vitia, illis quamvis graviora, tantùm uno? Quia inter omnia naturæ corruptæ vitia, duo ista magis sunt rebellia & indomabilia; hinc duplici illa catenâ ligavit. Alia præcepta faciliora sunt observatu, rariusque violantur: hisce duobus rara & difficilis inest observantia, & vaga effrænisque dissolutio. Ita ut consideratâ aliorum præceptorum violatione, non nisi cupiditate, aut concupiscentiâ violari inveniamus. Falsa proferuntur testimonia, sed, vel propter cupiditatem, velut illud contra Naboth: vel propter concupiscentiam carnis, velut illud contra Susannam: occidunt se homines, sed, vel concupiscentiâ acti, sicut David Uriam: vel cupiditate impulsi, sicut Abimelech suos fratres. Et si ratio ad eam deveniat cæcitatem, ut etiam contra primum præceptum enormissimum committat Idololatriæ peccatum, vel agente accidit cupiditate, velut in Jeroboamo, qui Idola erexit: vel concupiscentiâ, velut in Salomone, qui illa adoravit. Denique si quis breviorem evidentioremque miserabilis hujus veritatis probationem desi-

derat,

deret, propriam quisque conscientiam inspiciat & examinet, facilèque deprehendet, si eam perdiderit, alterutrum horum, vel utrumque simul hujusce causam esse, quæ etiam propterea lex conjunxit: *Non mœchaberis*; *Non furtum facies.* Exod 2. v. 14 & 15.

Cùm igitur duo ista vitia universales sint radices, unde reliqua omnia vitia nascuntur & pullulant; duo humanæ fragilitatis sint offendicula & scandala, ad quæ magis impingunt, cadunt perdunturque animæ: sicut primi Evangelii mulier ad perditam inquirendam drachmam accendit lucernam; ita & secundum Evangelium eandem nobis in altari isto ostendit accensam: ut videamus, quàm efficax lux sit S. Antonius animabus illuminandis, quæ istis perduntur vitiis, quàmque præsens & certa recuperandis jam perditis: *Accendit lucernam, donec inveniat*; *accendunt lucernam, ut luceat omnibus.*

§. IV.

INcipiendo igitur ab animabus concupiscentiæ carnalis vitio perditis (de quo, uti etiam de altero, non nisi exemplum unum proferam, ut in illo pensare possimus energiam, admirabilemque Sancti Restauratoris contemplari virtutem) Monachus quidam carnis tentamentis valde fuit infestatus, cui nec jejunia, nec asperitates, nec pœnitentiæ rigores quicquam remedii attulerant, ne in luctis istis eò periculosioribus, quò magis domesticæ sunt, vel vacillaret, vel consentiendo palam victus succumberet. Unde aliæ corruptioni magis obnoxiæ arbores metuant, quando nec paradisi cypressis vitium illud parcit. Perdita demum gratiâ Dei, & perdita sine Deo, & sine gratia, paupercula jam ista anima, pro ultimo remedio ad S. Antonium confugit. Omnia sua peccata confessus, totam illi conscientiam suam detexit; hinc sua illi manifestavit desideria, illinc carnis suæ rebellionem, violentiam magnam, seu infirmitatem, quam in ea experiebatur. Potrò S. Antonius non aliorum indiscretorum Confessariorum more obstupuit, gnarus (quod judicio singulari, super verba illa: *Caro autem infirma*, Tertullianus pronunciavit) infirmitatem istam fortem esse violentiam, Monachum magnâ auscultavit benignitate: quonam verò remedio ad ipsum curandum vobis usus videtur? Internè se recolligens, & ad interiora cellæ se recipiens, tunicam, quâ erat indutus, exuens eam Monacho tulit, ut eam indueret, certus quod nunquam ampliùs à sua foret concupiscentia tentandus; & ita accidit. Ah si quis dignè istum nunquam visum stupendumque casum ponderare sciret! Matth. 26. v. 41.

Hierosolymitanis sanctum Stephanum lapidantibus, inquit textus, vestimenta ad pedes adolescentis fuisse deposita, cui nomen erat Saulus, qui postmodum mutatâ vitâ & nomine vocatus est Paulus. S. Bernardus non lapidantium, sed illa ejusdem S. Stephani vestimenta ad pedes Sauli posita fuisse sustinet. Et si interrogaverimus, in quem finem? Respondet, ex parte hominum, in hunc; ex parte verò Dei, in alium finem. Ex parte hominum, eo fine, ut illa custodiret: ex parte Dei, ut vestimentorum S. Stephani virtute Saulus converteretur: *Deposuerunt vestimenta secùs pedes*

Bern. in hunc locum Actor. 7. v. 57.

adolescentis, qui ad tactum Sanctarum vestium erat convertendus. Subtilis S. Bernardi consideratio, sublimisque de vestimentorum S. Stephani virtute sensus & conceptus; si id eventus confirmâsset, ast contrarium evenit. Positis enim ad pedes suos vestimentis pro custodia, tantùm abfuit, ut Saulus se converteret; ut dicendum sit potiùs, quod lapides S. Stephani furiam atque duritiem, quàm vestimenta fidem & sanctitatem ipsi affricuerint; hoc enim casu jam peracto, nihil non egit Saulus, ut potestate ad id obtentâ, Christianos in Damasco, exterisque nationibus agentes, vinculis irretire, pœnis subjicere, neci tradere, Christique nomen & fidem è mundo tollere posset: & hoc modo, non secùs ac leo, iras, minas, cædesque in Domini Discipulos spirabat: donec tandem Christus ipse alternâ vicè è cœlo descendens, ipsum prosternendo convertit. O divine Antoni, quantum te Deus, non solùm præ magnis, verùm præ maximis Ecclesiæ Sanctis glorificare decrevit! ad martyrium anhelâsti, & non obtinuisti: Quid verò refert, quod Deus id tibi negârit, vel istam laureolam commutârit, quando non super alios solùm Martyres, verùm etiam super ipsum Protomartyrem te sublimavit? Vestimenta Stephani tetigerunt Saulum, sed Saulus mansit, ut ante fuit. Erat legis novæ hæreticus & mansit: erat Ecclesiæ persecutor, talisque mansit: hostis erat Christi, talisque mansit: erat denique Saulus, mansitque Saulus. Tua verò vestimenta, mox ut tentatum lapsumque Monachum tetigerunt, protinùs in alium quàm fuerat, immutârunt. Fuerat impudicus, & factus est castus: fuerat infirmus, & evasit fortis: fuerat inquietus, & factus est tranquillus: fuerat homo, & valde homo, & evasit Angelus. Tanta efficacia, tamque singularis Reparatori nostro inest virtus pro animabus hoc vitio perditis. Si verò doctus quispiam scrupulosus circa parallelos hosce scrupulum moveret, eò quod vestimenta S. Stephani tantum in opinione, posito, in opinione Doctoris tanti fuisse fundetur: ad aliorum exemplorum comparationem transeamus, quæ omni dubio & controversiâ vacant: & erunt ista famosi illius Herois, qui præ omnibus veteris instrumenti, nomine Casti fuit insignitus & sublimatus. Joseph captivus abductus in Ægyptum, tam flagitiosè ab uxore domini sui Putipharis fuit adamatus, ut non sufficientibus minoribus amoris lenociniis, eò processerit, ut manifestâ eum violentiâ ad consentiendum sibi inducere attentaret. Fugit Joseph pallium illi relinquens: mansit illud libidinis monstrum, manu retinens castitatis spolium. Et quid subsecutum? Nunquid evasit castior? Nunquid minùs cœca remansit? Pervenitne ad majorem agnitionem? Ad agnitionem vilitatis, fœditatis, cui sordida eam concupiscentia subjecerat? Magis potiùs subdita, major serva, magis illusa, magis excœcata, magis infatuata, magis denique furiosa remansit quàm ante. Scriptura non innuit, ex qua panni specie pallium Joseph fuerit confectum: quod si ex S. Antonii habitu fuisset desumptum, nullus dubito quin, ut primum impudica & perversissima illa Ægyptia, manibus illud contrectâsset, castitas per visum cucurrisset ad oculos, & pudor per venas ad cor penetrâsset. Verùm tantùm abfuit, ut Joseph tam extraordinarios præstolaretur effectus pallii, ex eo quod esset

suum:

ſuum: ut, quia tantùm manibus contactum erat laſcivis, relicto illo fugerit, timens, inquit S. Ambroſius, ne per idem pallium libidinis ſibi contagium adhæreſceret. Verba S. Ambroſii ſunt hæc: *Contagium judicavit, ſi diutius moraretur, ne per manus adulteræ libidinis incendia tranſirent.* Nunc diſcrimen inter Joſephum & Antonium notate. Mediante pallio Joſephi, quatenus ſemel manibus Ægyptiæ attacti, libido affigi poterat Joſepho: mediante tunicâ Antonii, quâ ſemel indutus eſt tentatus Monachus, caſtitas ſtatim adhæſit Monacho. Vitia, cùm ſint contagioſa, malum eſt omnibus infirmitatibus commune; virtutes verò contagioſas eſſe, in ſolo Antonio docuit experientia. Nunquid multos vidiſtis infirmos, qui ſuis morbis infecerint ſanos? Utique vidiſtis. Vidiſtiſne unquam vel unum benè valentem, qui ſanitatem ſuam affigeret infirmo? Illud unquam, niſi in ſancto Antonio viſum eſt. Joſeph ſanus & ſanctus ab Ægyptia inficci pertimuit, Monacho infirmo & graviter ſaucio ſtatim ſanitas D. Antonii adhæreſcebat: & omne id, quod ſtupendum magis eſt, ſolius tunicæ ipſius attactu: *Ad tactum ſanctarum veſtium.* S. Amb.

Verùm, ne Auditores mei, comparando tunicam Antonii cum pallio Joſephi, & veſtimentis S. Stephani, me jam aliquid dixiſſe autument, tranſeamus & aſcendamus altius, petitâ reverendiſſimè licentiâ à benigniſſimo Domino, quem S. Antonius geſtat in brachiis, ut veſtimentorum ipſius meminiſſe liceat, poſtquam ea depoſuit, Chriſto cruci affixo, ut compleretur Scriptura: *Diviſerunt ſibi veſtimenta mea.* Milites, qui crucifixerant, ſacra ipſius veſtimenta dividere parabant. Veſtimenta autem illa, modo formâque Hebræis communi & uſitatâ, erat tunica inſutis manicis ad talos uſque protenſa, aliudque indumentum deſuper vicem palli ſupplens. Milites quadripartitis veſtimentis, ſinguli ſibi ſumpſêre partem: accipientes verò, manibuſque ſanctiſſima illa veſtimenta Filii Dei humanitati contrectantes, & ſinguli fortè parte, quæ ſibi obtigerat, ſeſe cingentes (pro hominum illorum conſuetudine) nec oculis lumen receperunt cum Longino; nec pectora ſua percuſſerunt cum Centurione; neque dixerunt: *Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum*; cum bono latrone. Quod fecerunt fuit à veſtimento diviſo tranſire ad tunicam, ut ſecunda Prophetiæ pars compleretur: *Et ſuper veſtem meam miſerunt ſortem.* Pſal. 21. v. 19. Ibidem.

Sacra tunica interior erat inconſutilis, unicâ texturâ continuâ confecta, & quia ſuturâ carebat, convenerunt milites, ne partitim divideretur, ſed miſſis deſuper ſortibus illius integra eſſet, cui ſortes illam adjudicâſſent. Ita factum eſt: prolatis jactiſque aleis, uni ſoli pretioſiſſimus hic theſaurus totoque præſtantior mundo obtigit. Qualis verò manſiſſe vobis videtur iſte homo cum Tunica Chriſti? Erat illa puriſſimis B. Virginis manibus contexta, adeòque miraculoſa, ut ſimul cum humanitate creſceret, neque tempore ullo aut uſu conſumeretur; & quod plus eſt, triginta tribus & ultrà annis Chriſtus ea fuerit veſtitus. Qualis nunc vobis evaſiſſe videtur fortunatus ille miles, nedum illâ Filii Dei tunicâ veſtitus, ſed mox ut eam tantùm tetigit? Ego quidem illum mox lumine Fidei illuminatum, ſplendoribusque circumdatum fuiſſe; in eodemque loco humi proſtratum, divi-

nitatem Christi agnitam adoraturum fuisse, putassem: & confestim ad crucem convolaturum ad Christum inde solvendum, ubi illum acclavârat: vel saltem Jerusalem ingressorum, ad prædicandum confitendumque publicè & elatâ voce, hominem illum crucifixum, verum esse Messiam, verumque Dei Filium, & Jacob: eâdemque sanguinolentâ tunicâ vel manibus gestatâ, vel Lanceæ cuspidi affixa prædicaturum, cœcumque Israël interrogaturum: *Vide, utrum tunica filii tui sit, an non?* Gen. 37. v. 32. Istud ego quidem futurum opinabar; ast nihil horum fecit miles: mansit miles, talis, tam Gentilis, tam infidelis, tam barbarus, & inhumanus executor ut ante. Nos verò ad istius Tunicæ, & hujus S. Antonii conspectum suspensi & attoniti, quid dicemus? Non aliud dicendum aut exclamandum quàm illud Davidis: *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* Psalm 67. v. 36. Deus nihil mirabilium istorum, mediante tunicâ illâ, à Matre sua contextâ, & à filio induta operari volens, tantum Tunicæ S. Antonii contulit gratiam, indiditque efficaciam, ut eodem instanti, quo eam Monachus induit, ac si virtutum omnium in ea continerentur habitus, luxuria in puritatem, rebellio in subjectionem, dissolutio in modestiam, intemperantia in sobrietatem, tentatio in tranquillitatem, imbecillitas in constantiam, caro in spiritum, ignis inferni in lilia paradisi, & natura humana, non in naturam (quod minus foret) sed in gratiam Angelicam fuerint immutata: majus enim est, esse Angelum in carne, quàm sine ea.

§. V.

ANgeli ex propria sua natura huic vitio nequeunt subjacere, neque ab eodem tentari, aut esse tentati: & in hoc secundo maxima consistit prærogativa, quam S. Antonii tunica Monacho simul impertivit, qui ab eodem momento, quo illam induit, quasi diabolus eam reveritus fugisset, nunquam deinceps à libidine fuit tentatus. Verùm, ô Domine! quo pacto tantum mirabile, tantamque hujus gratiæ magnificentiam, quâ Sanctum tuum sublimâsti, potero declarare nisi denuò in *Sancta Sanctorum*, divinorum tuorum arcanorum ingrediendo? Altissimum sanctissimi Sacramenti alteris mysterium mirabilium Dei est memoria: *Memoriam fecit mirabilium suorum.* Ps. 110. v. 4. Potissimusque mirabilium sacri hujus mysterii effectus est, homines reddere castos: *Frumentum electorum & vinum germinans Virgines.* Zach. 9. v. 17. Et quo pacto sanctissimum Sacramentum nos castos facit? Eo pacto, ut vitio resistamus, non tamen castos absolutè, à tentamentis nos eximendo. Communione sacrâ perceptâ frequenter maximi etiam Sancti, & casti adhuc à Venere sunt tentati. Quod cum ita se habeat, quàm stupenda res est, qualisve virtutis incantatio, quod visâ & contactâ S. Antonii tunicâ, homo peccator & actualiter tentatus & victus, derepentè à tali non solùm vitio liber, sed ab omni ejus tentatione exemptus, evadat? Non possum non hoc casu meminisse, quomodo in alio idem se Dominus, propriæ suæ tunicæ respectu gesserit.

Mulier quæpiam infirma visis Christi miraculis, tantam in eum fiduciam concepit, ut dixerit: *Si tetigero tantùm vestimentum ejus, salva ero*; q. d. Si permittente turbâ, ad contingenda tantùm vestimenta ejus accedere daretur, Matth. 9. v. 21.

me

me sanandam putarem. Quod speravit, illi evenit. Mox verò, ut tunicæ fimbriam tetigit, Christus conversus dixit: *Quis me tetigit? Nam ego novi virtutem de me exisse.* Utrum exceptionem, reservationemque verborum horum notetis, ignoro. Infirma ex attactu tantùm tunicæ sanitatem sibi promittebat; at Christus ad declarandum occurrit, virtutem miraculosam quæ sanaverat, non esse tunicæ, sed sui corporis: ut suo corpori, & non suæ tunicæ tribueretur, licet eâ esset indutus. Si igitur corporis sui miracula Christus partiri non vult cum sua propria tunica; quo modo permittit, ut S. Antonii tunica tam extraordinarium operetur miraculum, cui simile in corpore ipsius non experimur? Domine! sufficitne exteriùs tantùm inducta S. Antonii tunica illud operari, quod in nobis sanctissimum corpus tuum interiùs receptum non operatur? Novi equidem S. Antonium de hoc divinissimo Sacramento optimè meritum, ipsumque pro veritatis fideique ejusdem defensione, gravissima contra Hæreticos illam impugnantes, subiisse certamina, gloriosasque reportâsse victorias, nec non innumera alia in sanctissimi hujus Sacramenti obsequium præstitisse: sed tale quid promeritum imaginari mihi non potui. Denique idem ille Dominus, qui eousque se minoravit, ut Antonius personæ ipsius junctus videretur magnus; ibidem illi sua secreta communicat. Proinde ambobus, differentiæ hujus, cur & quare, relinquamus.

Luc. 8. v. 46.

Differentia, quam in hoc casu solummodò dare possunt Philosophi, & Theologi, est, quod tunica S. Antonii contigerit corpus Monachi, qui illam induit; Corpus verò Christi in Sanctissimo Sacramento non tangit corpus hominum illud recipientium. Extra dubium est, nos verè & realiter Corpus Christi recipere: sed sicut Corpus Christi in Sacramento existit per modum indivisibilis, sic quemadmodum sensus visûs illud non videt, ita nec sensus tactûs illud tangit: & sicut hoc, quod tantummodo videmus, sunt species, quantum ad colorem, ita & illud, quod tangimus, eædem sunt species, quantum ad quantitatem. Verùm in ipsa hac differentia, majore adhuc convenientiâ, S. Antonii gloria confirmatur. Species Sacramentales sunt tunica alba, quâ Christi Corpus in Sacramento vestitur: & gratiam, quam Christus Corporis sui vestibus indulgere noluit in Sacramento, illam S. Antonii vestibus concessit. Tunica illa candida castitatis tentamenta non tollit: tunica verò illa Sancti Antonii grisea eas sustulit.

Videtur hinc ulteriùs non posse procedi exaggerationemque excedere altaria: verùm multi adhuc passus emetiendi restant. Christus Dominus ac Redemptor noster, discessurus ex hoc mundo Discipulis suis præcepit, ne de Jerusalem egrederentur, usque dum virtute ab alto vestirentur: *Donec induamini Virtute ex alto.* Descendente in eos Spiritu Sancto, supernâ illâ mox induti fuêre virtute. Quales verò vestium harum fuerunt effectus? Summatim fuerunt, quod in gratia confirmati cum privilegio graviter non peccandi. Quemadmodum verò à peccatis exempti, nunquid etiam à tentationibus similiter evasêre immunes? Nullâ ratione: in tantum quidem hisce mansêre obnoxii, ut eâdem in materia, de qua loquimur, S. Paulus gravissimò

Luc. 24. v. 49.

vissimè & importunissimè se tentatum
2. Cor. 12. v. 7. confiteatur: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, angelus Sathanæ, qui me colaphizet.* Si igitur Apostoli mediantibus vestibus sibi à Christo è cælo missis, quibus ipsa S. Spiritûs persona illos induit in terra, à tentationibus, & quidem ejusdem speciei tentationibus non evasêre immunes, quonam pacto, Monachus ille, mediante tunicâ S. Antonii ab illis liber remansit? Hîc aliud faciendum non superest, quàm elevatis in cœlum manibus, iterum iterumque glorificandus infinitè Altissimus, qui tanto mirabilium excessu, juxta quod promiserat, honorare voluit suum Sanctum, à quo sic honoratus fuit in terra. Absit à me (quod etiam illicitum est) vestimenta Spiritus Sancti cum tunica comparare velle S. Antonii: verùm consideratis & collatis utrimque effectibus, hoc solummodò refero, quod negari non potest. Habitus Spiritus Sancti exemit Apostolos ne vincerentur, sed non exemit ne tentarentur: Tunica verò S. Antonii exemit Monachum, non solùm ne vinceretur, sed etiam ne tentaretur. S. Paulus Spiritus sancti habitu indutus liberatus erat à peccato, non tamen à libidinis stimulis: Monachus Tunicâ S. Antonii indutus, à peccato simulque à stimulis libidinis liber remansit.

Hinc ego deduco, quàm superfluus & otiosus fuerit magnus ille Seraphici Patriarchæ animus & conatus, quando simili se tentatione vice quadam præoccupatum vidit. Tentatum quadam die à luxuriæ spiritu sanctum Franciscum, quid fecisse putatis, tam insignem militiæ Christi stipendiarium? Congelatum ingrediens lacum Solis nivis globulis ignis illius incendia restinxit, donec inimicum suum eodem in lacu suffocaret. Notabilis tentatio, notatuque dignus animus; sed superfluus & otiosus labor & conatus. Notabilis tentatio, quod hominem, velut S. Franciscum, in carne Seraphinum, caro tentare præsumat notatu dignus animus, quod Franciscus non considerata congelationis sævitie, tanto periculo exponat vitam, ne periclitetur puritas; labor verò & ausus supervacaneus Gloriose Sancte. Si non obstante Seraphica tua qualitate, tributum hoc solvis humanitati: si diabolus toties à te victus tuam præsumit tentare puritatem: si remedium habes in domo, jamque expeditum & facile, ad quid illud foris, & tam pœnosum quæris? Pete à S. Antonio (vel præcipe illi tanquam tibi subdito) pete à S. Antonio, ut suam tibi commodet Tunicam, & mox à tentatione liberaberis. O ingens Patris gloria ex tali Filio! Permutent tunicas suas S. Antonius & S. Franciscus, videbunturque duo magna mirabilia. Tunica S. Franciscus nihil operabitur in S. Antonio; erat enim jam consummatus in perfectione sui Habitus: & S. Antonii Tunica adhuc habebit, quod operetur in S. Francisco; erit enim illi contra tentationes defensio. Hoc verò modo Deus gratias disperiit inter Patrem & Filium, ut Pater exemplum esset fortium, & Filius remedium debilium.

§. VI.

COncludendo igitur cum nostro Monacho, antea tam debili, nunc tam validò: ante tam perdito, nunc tam feliciter invento: attendite & videte, an non certus animarum perditarum sit restaurator Antonius conformiter meo

pro-

promisso. Porrò si vel una Auditorum meorum anima periculo perditionis sit proxima, vel jam perdita in undis, in cæcitatibus, vel tam ægrè curabilis vitii labyrinthis, in quo salus adeò periclitatur: hoc tam notabilis mutationis ob oculos sibi ponat exemplum, & sicut illud secutus est in perditione, ita illud etiam imitetur secutum, efficaxque illi remedium inquirendo. Quilibet jam lapsus, aut tentatus, ad perditarum restauratorem animarum recurrat; est enim seu officium, seu privilegium, quod Deus ipsi contulit: ex integro corde suam illi animam commendet, sine intermissione postulans, instans, & inquirens, donec illam inventam è statu perditionis educat: *Donec inveniat eam.*

Finaliter, unam necessariam valde noto clusulam, sine qua quicquid attentatum fuerit, effectu carebit. Mulier Evangelica drachmam perdidit in domo, in domo illam quæsivit, & in domo invenit. Sic etiam anima perditur, sed non invenitur. Cætera omnia reinveniuntur ubi perduntur: & ibidem eadem quæri oportet. Anima quærenda non est, ubi est perdita, sub pœna quod invenietur, sed iterum perdetur. Perdidit animam suam Petrus, trina vice Christum negando: & notate, mulierem aliquam occasionem fuisse primam, mulierem itidem fuisse secundam. Dominus suos in ipsum conjecit mox oculos, ne in statu illo perseveraret, & ad perditam reinveniendam animam, quid fecit Petrus? De loco ubi eam perdiderat egressus est: *Egressus foras.* Hoc primò diligenter observandum ei, qui animam perdidit, si eam invenire desiderat. Anima instar Solis est, qui non in occasu, sed ortu quærendus. Perditur Sol in occidente, sed qui eum quærere ad inveniendum desiderat, in oriente hoc facere oportet. Anima sic inventa secura sit, non perdendam se denuò, ubi perdita fuerat. David, qui similitet suam perdiderat, & invenire sciebat, dixit: *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras*; q. d. Per gratiam Dei, tam procul absum à peccato, quo me perdidi, quantum ab Occidente ad Orientem spatii intercedit. Secundùm literam, versus iste homini cuidam optimè qualificato, qui ut à tentatione & occasione quadam se se expediret, Indiam petiit quadrare posset. Ita facit, qui salvari cupit: non tantùm foras cum Petro exit, sed cum Davide se elongat. Nauclerus, qui impingendo in scopulos naufragium fecit, omni cura & solicitudine eosdem declinat & fugit. Hujus cautelæ defectu animæ perditæ, quandoque inventæ iterum perduntur. Si S. Petrus in loco mansisset, ubi negavit, quemadmodum tribus negaverat vicibus; triginta negâsset vicibus: tribus vicibus ad complendam prædictionem, reliquis, propter non desertam occasionem: hinc primum quod fecit, fuit eam declinare: *Egressus foras.*

Luc. 22. v. 62.

Psalm. 102. v. 12.

§. VII.

PRæmissâ hac consideratione primâ, in qua, ex parte nostra primi vitii remedium consistit; ad secundam transeamus considerationem, visuri, quomodo non minùs potens & certus Sanctus noster animarum peccato cupiditatis perditarum sit restaurator, cujus similiter exemplum unum proponam.

Quo tempore S. Antonius prædicando peragrabat Italiam, quemadmodum fama miraculorum Christi, ad ipsos usque carceres perveniebat: *Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi.* Pari modo fama mirabilium S. Antonii ad ipsas usque latronum speluncas penetrabat. Duo supra viginti eodem in scelere socii sylvas & nemora pererrabant, qui audito, omnes quotquot S. Antonium prædicantem audirent, converti: cùm id sibi perdifficile, imò impossibile videretur, ex semetipsis veritatis experimentum capere volebant. Depositis larvis & velis, aulicorum more induti suâ singuli viâ ad civitatem pergunt, Ecclesiam, in qua S. Antonius prædicabat, intrant: & Sermone nondum finito, jam quilibet eorum in alium erat mutatus. Omnes sunt conversi, omnes Sancto confessi: omnesque facinorosam vitam, cruentumque exercitium mutârunt. Ex Taumaturgis Sanctis, de quibus maxima scribuntur miracula, est S. Antonius: sed si omnium miraculorum ipsius potissimum specificare vellemus, primum sibi locum illud meritò, opinione mea vendicare posset. Viginti & duo fures & latrones uno die eadem horâ conversi. Est maximum quod dicere aut imaginari quis posset; non enim sunt animæ magis insensatæ, & ad reducendum difficiliores, quàm illæ furum & latronum.

Matth. 21. v. 2.

Res est observata, observatuque dignissima, quod Christus Dominus noster contrà vitia quæcunque prædicando, nunquam furibus & latronibus expressè prædicarit. Omnes quatuor legite Evangelistas; quod in Sermone de bono Pastore, in Parabola, de Samaritano, in illo, de vigilantibus servis, multisque aliis locis Christus furum & latronum meminit, sed quod illis prædicaverit, nusquam invenietis. Quoad fures & latrones, non aliud ipsum fecisse legimus, quàm quod eodem die, quo Jerusalem ingressus à turbis Rex fuit acclamatus, rectà templum adierit, factoque ex funibus flagello vendentes & ementes eos foras ejecerit, dicens, domum suam domum orationis esse, ab ipsis verò in latronum speluncam fuisse conversam: *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* Matth. 21. v. 13. Christus fures latronesque flagellando valdè proprium officio obligationique Regis exercuit actum; Christus verò non solùm Rex erat, sed Rex simul & Prædicator: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* Pſal. 2. v. 6. Si ergo Christus latrones fures que flagellavit velut Rex, quare eisdem non prædicavit, maximè cùm esset in templo velut Prædicator? Qui fures & latrones ex tali sunt hominum genere, in quibus plus fructificat castigatio, quàm quod speretur emendatio. Prædicatio ad emendandum & convertendum eum facit, cui prædicatur: Homines verò furtis assueti, adeò sunt obstinati, & emendationis quasi incapaces, ut nunquam, aut quasi nunquam convertantur. Quinto, post hunc, die ipsa illud experientia, talibusque circumstantiis probavit, quæ omnem admirationem excedant.

Maximus mundi dies fuit, quo Filius Dei, pro redemptione generis humani vitam in monte Calvario profudit. Eodem verò die, tres fures & latrones, duo ad latera Christi, & unus, (quod est majus) de latere ipsius sunt mortui. Mortuus est latro bonus, mortuus est latro

malus, mortuus est & Judas. Quis verò trium horum furum & latronum fuit exitus? Bonus latro fuit conversus: latro malus cum Juda fuit damnatus. Ita ut maximo die mundi, quo Redemptor ejus quinque gratiæ misericordiæque fontes patentes præferebat, ex tribus furibus & latronibus condemnarentur duo, & converteretur unus. Et certa quadam die S. Antonium ex pulpito dicentem auditum venientes viginti duo fures & latrones convertuntur omnes. Si S. Antonius è viginti duobus convertisset septem, hoc fecisset, quod fecit Christus, fuissetque mirabile, si tertia furum latronumque pars fuisset conversa: sed cum tot fuerint, & omnes, repeto, fures fuerint & latrones, omnes fuerint conversi? Casus hic tam admirabilis fuit & singularis, ut nec in seipso, neque in die Redemptionis Cristus illum voluerit habere exemplum.

Considerate, quæso, mecum cujusque trium horum furum & latronum in die passionis Christi salvationem seu damnationem, & mox patebit, quàm admirabile fuerit illud sancti Antonii. Quis malo latroni, ad convertendum ipsum prædicavit? Prædicavit illi ad convertendum patientia & innocentia Christi; prædicavit illi suus in scelere quondam, & nunc in supplicio socius, corripiendo & magis exemplo: prædicavit illi Sol obscuratus: prædicarunt scissæ petræ: prædicavit ipsi denique omnium mundi prædicatorum maximus, scilicet mors: neque una sola ipsi mors prædicavit: sed omninò tres mortes: mors Christi, mors latronis socii, suaque mors propria. Porrò quando nec innocentia, nec patientia Filii Dei, neque exhortatio, conversio & exemplum socii, neque Solis tot horis obscurati portentum, neque scissarum petrarum novitas, sed nec ipse mortis horror, tresque sub oculis mortes ad unum latronum convertendum suffecerunt; unicus tantum S. Antonii sermo, ad viginti duos fures latronesque convertendos suffecit.

Ad Judam transeamus. Judas uti & reliqui Apostoli omnes, prædicationes Christi auribus excipiebat: & postremò Christus ad ipsum specificè Judam septem sermones direxit: Primum, pridie passionis, quando electis à se Apostolis dixit, quod unus eorum diabolus esset factus: Secundum, quinto præcedente die, murmurante Judâ de unguento Magdalenæ quasi inutiliter & prodigè profuso, prætexendo pauperum subsidium, quando Christus modestè illum corripiendo, omnes reprehendit: Tertium, in Cœna Agni, quando protestatus est, quòd manum secum mittens in parapsiden se traditurus esset: Quartum, in lotione pedum, postquam dixit Petro, ipsum, aliosque Discipulos esse mundos, sed non omnes: Quintum, quando consecrando Panem dixit: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur:* Luc. 25. v. 19. Sextum, finitâ cœnâ, dicens exclamando: *Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur! melius illi fuisset, nunquam natum fuisse:* Matth. 26. v. 24. Septimum, quando, Judæ ad exequendam venditionem & traditionem egresso, Christus irônicè dixit (quod illi ambo soli intellexerunt) *Quod facis, fac citius.* Joan. 15. v. 28. Omnes sermones isti sagittæ erant, quarum unam super alteram Christus in pectus Judæ intorquebat, tantò validiores, quantò breviores, tantò nervosiores, quantò secretiores, tantòque

decentiùs directi in illum, quantò magis indifferenter dicti videbantur ad omnes. Quid verò profuit tanta, tamque exactè composita, & distributa Rhetorica, in qua amabilis Magister omnem divinæ sapientiæ suæ artem exercuerat? Mortuus est Judas obstinatus in malo, morte, solutioneque condignâ, quod vendidit vitam. Et quando omnes Christi prædicationes simul junctæ, septemque ejusdem sermones specificè & in particulari ad unum furem & latronem reducendum & convertendum directi, eundem non convertunt nec reducunt. Unica S. Antonii prædicatio, non in particulari, sed in communi, ad illam peccati speciem non ex proposito directa, sed casualiter tantùm dicta & audita unâ vice duos supra viginti fures & latrones convertit & reducit; pensate, num quippiam mirabiliùs excogitari queat? Necdum satis adhuc ponderatum est.

Ponderate pretii summam, quod Christus ad convertendum Judam expofuit; & illud quid S. Antonius ad convertendos viginti duos fures & latrones expendit, & sic mirabile clariùs patebit. S. Antonius ad convertendos fures & latrones jam dictos, non nisi cœptam jam prædicationem continuavit, & convertit: Christus ad convertendum Judam, quem non convertit, tot in particulari & communi, prout jam vidimus, adornavit exhortationes, se se ad pedes ipsius prostravit: sacris manibus suis ipsi pedes lavit, quæ lotionis magnam ex oculis suis exilentis aquæ lacrymarum partem admiscuit, quâ similiter eos lavit; sumendum se in pane & calice præbuit: denique ad proditorium osculum infigendum faciem ei præbuit: amicum illum compellavit, talem ipsum ex animo esse desiderans. Et quando Christus (jam notate) quando Christus ore exhortando, genua flectendo, manibus lavando, oculis plorando, faciem offerendo, corde condonando, & toto suo corpore & sanguine, nec non totâ suâ animâ & divinitate, in pectus Judæ immissis, unum non potest convertere furem & latronem; S. Antonius solâ suâ linguâ, duos supra viginti fures & latrones convertit. Voluit utique Deus in binis hisce exemplis ostendere, quousque pervenire possit cordis humani duritia; quidve operari valeat gratiæ divinæ efficacia. Istud verò mirabile est, quod separato seorsim utroque effectu, duritiei humana contra prædicationem, omnesque Christi probaretur labores: divinæ verò gratiæ efficacia, sine alio labore, solâ Antonii prædicatione monstraretur.

§. VIII.

VErùm, ad conversum conversi latronem, inter hunc aliosque conversos latrones discriminis magnitudinem videbimus. Convertit se latro bonus, omnibus illis heroicis actibus, præclarissimarumque Virtutum concursu, quas Sancti celebrant, nec ego in comparationem adduco: sed in furibus & latronibus prædicatione S. Antonii conversis, præter numeri excessum, circumstantia suppositiove fuit valde diversa, quæ, quemadmodum conversionem reddebat multò difficiliorem, eandem hac ex parte reddidit admirabiliorem. Non loquor de prærogativis hujusce magnæ diei, de Christi visi & auditi vicinitate & præsentia, nec de assi-

stentia

stantia B. Virgines, aut umbra Crucis, de supplicii similitudine, aut cæli terræque prodigiis, neque de ipsa terra recenti sanguine divinis ex venis emanante rigata, quia adhuc in exiccato jam trunco (meliùs quàm in Aaronis virga) eodem tempore flores fructusque producere cessare non poterat. Omnes, constellationis diei locoque illi propriæ & singularis, influentiæ concurrerunt efficacissimè operatæ, ad fidem pœnitentiamque latronis boni expediendam: cumque nihil horum adesset, aut sperari posset in conversione furum & latronum ab Antonio conversorum, præter nuda, nulloque alio exteriore influxu, qui vim addere posset, adjuta Antonii verba: planè apparet tam fœlix ex parte latronis boni, quàm admirabilis ex parte horum conversorum differentia. Verùm non est ista, quam dixi, circumstantia & suppositio inter illum unum, & hos valde diversa, quam ponderare & pensare velim.

Abstrahendo igitur ab omni alio, comparationemque de homine ad homines, & de latrone ad latrones faciendo, dico, Conversorum à S. Antonio conversionem longè fuisse difficiliorem, & hinc magis stupendam bonus latro erat homo captivus, custodibus stipatus: hi verò vagabantur liberi & soluti, Judicum officio necdum traditi: ille non solùm jam condemnatus, sed actualiter jam sententiæ executionem patiens in supplicio constitutus erat; mortem transversam habebat in gutture, ut vivere non posset, manus acclavatas habebat cruci, ut furari jam aut latrocinari amplius non liceret: hi verò tunc, ut ante, furtis vacare, & vivere liberè poterant. Ex quo sequitur, conversos ab Antonio fures propriè mutâsse vitam, & deseruisse exercitium: quod fur & latro ille Calvarii non potuit: vita enim & exercitium, potiùs deseruit illum. Quod etiam, quantumcunque durus & obstinatus convertatur latro, detectis jam & propalatis flagitiis & fraudibus, quæ extrema conversionis sunt impedimenta, & quantò magis furcæ jam proximus, & in eam jam actus, omni difficultate vacat: verùm quod convertantur tot, & à vita tam dissoluta & effræni, ad moderationem rationisque dictamem & Christi legem vitam deinceps transigere proponant: quod integra cohors, sine omni contradictione, vivendi institutum immutare, laboreque manuum propriarum, alienis sese laboribus implere assuetarum, vitæ necessaria acquirere resolvant, plenum difficultate, omnique admiratione dignum fuit opus.

Vitæ sustentandæ ergò, labori se mancipare, alii vivendi methodo assuetum, tantam difficultatem involvit, ut eadem ipsa artem artesque furandi adinvenerit. Villicus ille Evangelicus, privandum se officio, quo vivebat, cernens, nec licitum honestè vivendi medium amplecti paratus, quidnam cepit consilii? Sacer Textus, ipsum debitorum Domini sui literas vitiâsse asserit, tali verò modo & arte ut herus industriæ ipsius condonaverit fraudem & furtum. Hæc diaboli est astuatia, quâ providentiam æmulatur divinam. Ne diffidatis providentiæ divinæ: *Respicite volatilia cœli*; inquit Christus. Volatilia aratro terram non proscindunt, nec sementem mittunt, naque colligunt messem, nihilominùs sustentantur: idem astutiâ diaboli aves istæ faciunt rapaces. Alii fodiunt, sive arant, alii laborant, alii sudant; & quod Matth. 6. v. 26.

illi collegerunt in horrea, aut vendiderunt in foro, hi hisque similes in viis, compitisve in marsupia sua & crumenas congregant. Primus in mundo fur, primus fuit homo (tam inveterata & inolita est furandi consuetudo, ut primi homines fuerint fures) primum hunc furem condemnavit Deus, ut in sudore vultus sui, suum comederet panem:

Gen. 3. v. 19. *In sudore vultûs tui, vesceris pane tuo.* Succedentes vero fures id didicerunt & practicare sciverunt; ut mutatâ sententia, loco *sudore vultûs sui*, panem non suum comederent, cum sudore vultus alieni. Et homines huic vivendi methodo assueti, unanimi consensu illam immutârint seque solis & nudis S. Antonii verbis, irretiri, capi, spoliarique siverint? Scio vos desiderare motivum vobis à me declarari, quo S. Antonius illud ipsis persuasit: sed quamvis idipsum historia non referat, cùm æneis illud laminis insculptum extare mereretur, casus hujus mirabile, majore difficultatis ejusdem consideratione statui continuare.

Parum esset, si alieno vesci, arandi, sudandique tantùm alleviaret laborem: sed ideò magis sapidum palatoque gratius asserunt, mirumque & insolitum habendum, si quis eo abstineret ipsis furibus hoc asserentibus, tanquam ex mala praxi & exercitio partialibus, & propriâ perversa inclinatione deordinatis non crederem, nisi Spiritus Sanctus suâ illi

Prov. 9. v. 17. sententia subscriberet: *Aqua furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* Hoc tantùm in verbis istis miror, quod ad probandam declarandamque saporis excellentiam, alieni & furto ablati, in pane & aqua, comparatio constituatur. Aquâ sapore caret, & si saporem habet, aqua non valet. Panis sapor itidem tam est modicus, ut, nisi sapidus illi adjungatur esculenti cujusdam socius, magna tantùm fames illum comestibilem faciat. Denique hominem solo pane & aquâ vivere, non est se reficere: sed jejunio, & quidem rigidissimo & strictissimo se macerare. Quomodo igitur Spiritus sanctus, non saporem tantùm alieni, sed & dulcedinem & suavitatem ejusdem in pane & aqua declarat: *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior?* Melius declarari aut exaggerari nequivisset. Ac si Oraculum divinum dixisset, tantus tamque extraordinarius est sapor alieni, talisque dulcedo & suavitas furto ablatis inest, ut ad panem usque & aquam, si furto ablata sunt, sapidissimus cibus, sit alienum. Ex proprio vivere in pane & aqua, maxima est pœnitentia; vivere ex alieno, quamvis in pane & aqua, deliciæ sint opiparumque convivium. Sic sapidus est bolus, ille alienus!

Magno equidem rubore suffundor, à Rege mutuandum esse exemplum, quo veritatem hanc confirmare debeam. Verùm non frustrà dixit S. Augustinus: *Quid sunt magna regna, nisi magna latrocinia?* S. Aug. Rex Achab rapiendi sibi vineam Naboth, desiderio æstubat: cumque difficultatem in desiderii sui executione inveniret (ita etiam Reges mali temporis istius, in surripiendis subditorum suorum bonis difficultatem & obstaculum experiebantur) voti sui repulsam seu retardationem ita persensit, ut ad mensam vocatus comedere recusârit: *Nolunt comedere panem sunm*; inquit 3 Reg. 21. v. 4. Textus Septuaginta Interpretum. Et 70 Interp.

S. Am-

S. Amb. S. Ambrosius addit: *Quia cupiebat alienum.* Extraordinarius igitur sapor est alieni, ad gustum usque & palatum eorum, qui non nisi exquisitissimis cibis assueverunt: Ita ut apparatâ illinc mensa regia, & hinc pauperis Naboth appositio pane; quia Achab comedere prohibebatur panem alienum, omnem erga mensam regiam perdiderit appetitum. Accumbebat quadam vice Lusitaniæ Rex Joannes, nominis illius tertius, magnâ ciborum nausea affectus. Porrò alios inter assistentes ipsi nobiles, quidam notæ dexteritatis aderat; cui Rex, nominatim illum vocando, inquit: Quidnam remedii mihi suggeris provocando appetitui, quia omnia fastidio? Respondit ille: Majestas tua de alieno comedat, sicut ego facio; & mox sentiet, quàm benè sapiat. Ita respondens ille aulicus, ridendo veritatem dixit. Vultin', veritatem hanc vobis exaggerare absolvam? Audite igitur, quàm sapidum sit alienum. Alienum, est pillula infernalis, exterius aurum, intus infernus; nemo quippe comedit alienum, quin simul deglutiat infernum. Et cibus toto mixtus inferno, si tanto comeditur appetitu, pensate an non singulare quid sapere videatur. Cùm igitur talis & tantus alieni sit sapor & appetitus, ut sublimis adeò conditionis personas capiat occupet, & extremè excæcet: quod viginti duo homines rapiendi latrocinandique exercitio assueti, qui nullo alio supperente patrimonio, non nisi rapto vitam transigere sciebant, non consideratâ mutationis differentiâ, solâ cujusdam sago vestiti, & fune succincti hominis voce permoti, eandem subire tam cordatè resolverint, nullus dubio relinquitur locus, quin ex parte ipsorum, admiranda planè & prodigiosa fuerit conversio: Ex parte verò S. Antonii excellentissimus fuerit actus, clarissima victoria, glorioſissimusque triumphus, quem Prædicatorum aliquis nunquam obtinuit.

§. IX.

ECce denuò quàm admirandus animarum perditarum restaurator, tam in hoc secundo, quàm primo vitio sit noster sanctus Antonius. Quod si ego exhortari vos præsumerem, ut ex hoc exemplo, vel viginti duobus exemplis proficere satagaretis, injuriam vobis inferre fortè putarer. Benè novi in hac terra non dari fures ex officio; sed dantur officia furandi exercitio obnoxia, & totum illud accipere, vel retinere, aut non solvere alienum, quantumcunque speciosо illud coloretis titulo, æqualiter ad septimum spectat præceptum. Proindè vobis dico, sub quocunque demùm titulo jam perditam, aut cupiditatis vitio ad perditionem tendentem geritis animam, ut ad S. Antonii recurratis patrocinium, ut in tempore vobis illam restituat & restauret. Rogate eum, ut vos audiat, & vos auscultate ipsum, cùm tanta sit verborum ejus efficacia. Super omnia nolite opinionibus decipi, quæ laxant perduntque conscientias: ante omnia hoc certum habetote, quod ubi lucrum opesque acquirere speratis, ibidem animam perdatis; & ubi certo perdidistis, à quærendo cessare nolite, donec illam inveniatis: *Donec inveniat eam.*

Deni-

Denique ſicut unam vobis ſuggeſſi cautelam neceſſariam, & ſine qua concupiſcentiæ carnalis vitium curari nequit: ita, quæſo, audite & alteram, à qua non minùs, imò plus adhuc dependet pro cupiditate, & ad expediendam à laqueis rei alienæ animam. Mulier Evangelica, inquiante textu, ad perditam inveniendam drachmam, accenſâ lucernâ evertit domum: *Accendit lucernam, & everrit domum.* Omnes ſalutis æternæ cupidi, ſaltem in hora mortis reſtituere ſunt parati; ſed domum everrere recuſant. Multa ſanè lacrymis digna videntur in terra noſtra; quomodo moriantur parentes: de quadraginta, ſexaginta, immò centum Cruciatorum debitorum millibus teſtantur: teſtamentum condunt, quo hæredes ad ea ſolvenda obligant, eodemque tempore domum pretioſiſſimis quibuſque varii generis cymmeliis oppletam relinquunt, excluſis aliis non gravatis quocunque modo bonis, quibus ſtatim debita ſolvere poſſent: Teſtamento confecto, Crucifixum amplectuntur, ac propinqui & amici conſolatione acceptâ, ipſum, inſtar S. Pauli, mortuum eſſe dicunt. Hoc ſtylo ſe ſe declarant & conſolantur, & fortaſſis ad moriendum ſimiliter animantur. Auditores auſcultate me, quamvis procul hinc. S. Paulus nullius quicquam concupivit aut accepit, neque debitor cujusquam extitit, de quo publicè, & ſcripto proteſtatus eſt, dicens: *Argentum & aurum, aut veſtem nullius concupivi, ſicut ipſi ſcitis.* Act. 20. v. 33. Et quamvis S. Paulus parum debuiſſet, aut multum, quemadmodum nihil poſſidebat velut ſuum, à reſtituendi onere impotentia eum excuſabat. Verùm ſine reſtitutione emori, domum opibus plenam relinquentem, & ſalutem æternam adipiſci! Theologiam iſtam lex Dei non docet. Ab omnibus aranearum telis & pulveribus domus everrenda eſt (id enim pulvis eſt comparatione animæ) domo ſic expurgatâ, Dominus ſibi ſalutem promittere poteſt.

Intravit Chriſtus Dominus noſter domum Zachæi, cauſaſque intrandi manifeſtè declaravit effectus: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine! do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Luc. 19. v. 8. Iſtud dixit Zachæus: quid verò reſpondit Chriſtus? *Hodie ſalus huic domui facta eſt.* Hîc notate multa, & quanti momenti ſunt omnia, tantâ quoque ponderatione ſunt digna. Primò Chriſtus ſalutem huic domui factam dixit; aſt quando? Non quando domum intravit, ſed quando Zachæus ad reſtituendum ſe reſolvit. Non intravit ſalus domum, intrante Chriſto; ſed exeunte inde alieno. Zachæus ſic domum everrit, ut nihil in ea remanſerit: medietatem dedit pauperibus; & medietatem creditoribus: omnibus foras ejectis. Et quando hoc modo everrit ſeipſum, domuſque ſcopis mundata remanſit, tunc inventa fuit drachma perdita; ſaluſque ingreſſa. Ampliùs, Zachæus bifariam bona ſua diviſit: primum dimidium deputavit pro eleemoſynis; ſecundum ad ſatisfaciendum creditoribus & debitis; porrò Chriſtus, quamvis tantus pauperum Patronus, ipſo de eleemoſynis mentionem ingerente ne verbulum reſpondit: ubi verò progreſſus ſe debitis ſatisfacturum ſpopondit, tunc certam domui ſalutem aſſeveravit. Promptè ſolvite quod debetis,

neque

neque eleëmosynas, neque legata pia relinquendo: tot Missarum millia, tot defunctorum officia, tot funebriæ, tantæ pompæ, totque exequiæ quid prosunt, dum his cantantibus, creditores gemunt? Restituite, & si nihil supersit, nec Missam quidem pro anima legi curate, sacrificium enim oblatum sine restitutione vos non salvabit, quod sine sacrificio ipsa restitutio faciet. Verum illis, quæ non nisi vanitati & pompæ deserviunt, novæ fiunt expensæ, & nova contrahuntur debita, peccato irremissibili novam addentia circumstantiam, dum debita jam contracta non solvuntur.

Dicitis fortassis, vel dicunt, quos consulitis, quod in testamento vestro debita agnoscendo, & solvi mandando satisfaciatis. Decipitis vos ipsos, & decipimini ab illis. Et si minus, respondete mihi. Quando jure hæreditario ad vos devenerunt ædes paternæ, reliquitne pater debita? Sat multa. Nunquid eidem vobis solvere mandavit, aut seriò recommendavit? Omninò. Nunquid ea solvistis? Non: imo majoribus aliis auxistis. Si igitur ultimam parentis vestri testamento confirmatam non implêstis voluntatem, moraliter certi, nec filios vestros, vestram fore impleturos: quo pacto, vos Deum decipere putatis, aut quo pacto vosmetipsos decipere & damnare disponitis, ædes alienis & non vestris rebus plenas relinquendo? Zachæus non alii restitutionem mandavit: sed ipsemet restituit. Non dixit: reddam, sed: *Reddo.* Non dixit: postea, sed: *Ecce*, id est, statim. Et quia non expectavit crastinum; hinc illi Christus dixit: *Hodie salus huic domui facta est.*

Pars III.

§. X.

VIdeor mihi affatim demonstrasse vobis, quàm certus animarum perditarum restaurator sit S. Antonius. Quoniam verò demonstrationem hanc totam, ad duo capitalia vitia, quibus generaliter magis perduntur animæ reduxi, Christiana forsan curiositate acti me rogabitis, utronam horum perditæ difficilius recuperentur animæ? Hinc carnis concupiscentia pro objecto habet delectabile; illinc cupiditas, utile: concupiscentia inclinat ad conversationem speciei: cupiditas inclinat ad conservationem individui. Concupiscentia, est inimicus naturalis, intestinus, & domesticus: cupiditas, exterior: & hasce ob causas concupiscentiæ vitium eradicatu difficilius videtur. Ex alia parte cupiditas crescit cum ætate, concupiscentia verò imminuitur. Materia cupiditatis etiam permanet post mortem; illa concupiscentiæ ante vitam finitur: pro emendatione concupiscentiæ sufficit pœnitere: pro emendatione cupiditatis, necesse est pœnitere & restituere: unde difficilior videtur vitii hujus correctio, & in eodem certior damnatio. Hinc Gentiles suum cuique Deo assignantes locum, Cupidinem posuerunt in infernum. Ita ut optima propositionis hujus conclusio, nec non consilium saluberrimum sit utraque hæc vitia declinare, fugere & detestari. Ut nihilominus sub distinctione respondeam, quæ inter utrumque dari potest; dico, facilius sperandam conversionem animæ luxuriæ vitio perditæ, quàm cupiditatis: porrò si hæc anima, in materia cupiditatis &

alieni Legi divinæ sese conformiter gesserit, etsi in materia luxuriæ quibusdam fuerit peccatis obnoxia, probabilius salutis argumentum censeri potest.

Non fuit magis perditus, & in carnis peccata effusior quàm filius prodigus, nihilominus in se reversus, peccata confessus, gratiæque Dei fuit restitutus; Luc. 15 v. 32. postquam perditus, fuit inventus: *Perierat & inventus est.* Quodnam verò in homine isto præambulum talis mutationis fuit indicium, aut dispositio? Omnem præviam conversioni dispositionem legite, & invenietis, quod cùm adeò prostituti in vitio luxuriæ esset pudoris, in materia tamen alieni, conscientiæ fuerit adeò teneræ, ac Sanctus aliquis esse posset. Postquam omne patrimonium, *luxuriosè vivendo*, absumpserat, eò miseriarum redactus est, ut herum inquisierit, cui tam sordidum pascendo pecus inserviret, sicut propria ipsius vita sordida præviè fuerat: *Ut pasceret porcos.* Ibidem. v. 16. Notate, quod textus adjungit: *Cupiebat ventrem implere de siliquis, quas porci manducabant; & nemo illi dabat.* Si siliquæ, commissi ad pascendum gregis, erant esca, & consequenter ipsius dispensationi & curæ traditæ, quare inde non sumebat etiam sibi, quamvis alii non darent? Quia tam scrupulosus erat in alieno, quàm prodigus in proprio: ut etiam tam gravi urgente necessitate, nihil sine heri sui indulgentia sibi sumere auderet. Et homo in materia alieni tam scrupulosus, qui ad transigendam & sustentandam miserè & arctè vitam, nec ad paucas excussas siliquas sylvestres audeat extendere manus, quamvis in luxuriæ materia tam propudiosè effusus, non vulgatiæ conversionis salutisque adipiscendæ argumenta prodit. Deus omnem animam ab utraque liberet perditione: sed magis à secunda quàm prima, utpote magis periculosa.

Et supposito, quod in Sancto Restauratore nostro Antonio tam expeditum certumque pro utraque perditione, & pro omnibus, sive in his, sive in quolibet, aut qualicunque alio vitio perditis animabus, remedium habeamus; restat, ut quotquot animæ in simili se statu aut periculo deprehendunt, ad potentissimum ipsius patrocinium confugiant confidentes, quod exauditæ salutem consequentur. Porrò ut in fiduciæ certitudine confirmemini, auscultate modum, quo ad ipsum confugere oporteat. Non est petendum ab hoc Sancto, sicut ab aliis, neque sicut quis gratiam petit aut favorem, sed velut qui petit justitiam. Petens justitiam ab eo, cui illam administrare incumbit, petit requirendo: petens debitum ab eo, qui obligatur solvere petit postulando: & hoc modo petendum est à Sancto Antonio: non solùm petendo & obsecrando, sed requirendo & postulando: requirendo eum, sicut cui ex officio incumbit restituere omne perditum: postulando, sicut qui ad restituendum & restaurandum obligatur. Si minus, edicite mihi: quare Sanctum Antonium captivum quasi ligatis, quando in restituendo & restaurando, quod petitis, vobis tardare videtur? Quia restituere omne perditum, in S. Antonio non est gratia, sed debitum: & quemadmodum debitum non solventem

capti-

captivum tenetis, ita illum captivatis. Ego nec audeo nec præsumo violentiam hanc absolutè approbare aut damnare: siquidem ex pietate procedit. Sed alium vobis suggero modum, quo validiùs arctiusque S. Antonium ligetis.

Puerulus JESUS, velut ille, cui tam carè constituerunt animæ, similiter Sanctum ligavit Antonium, ut suas sibi animas recuperaret perditas. Primò S. Augustini ipsum alligavit cingulo, postmodum S. Francisci chordâ, ultimò, uti videtis, suis brachiolis: *Ligat amplexu*, inquit S. Petrus Chrysologus: hicque decentior, nobilior, devotior, arctiorque est stringendi modus. Ad nudos illos S. Antonii prostrati pedes, illos strictissimè amplectentes, dicite cum Jacob: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* Hîc ad pedes tuos consisto, Glorioſissime Sancte! nec dimittam te, neque ab eis recedam, nisi benedictionis illius particeps, quâ præ omnibus Sanctis, pro tot animarum remedio, te Deus dotavit. Mea tot annis fuit perdita, ut nec illa de me, nec ego de ipsa quicquam scirem. Quemadmodum illas tot aliorum peccatorum recuperâsti, quorum ego quoque in perditionis via, vestigia sui secutus; Ego quoque ab ardentissimo illo, qui in præsens usque æquè adhuc vivax perseverat zelo, eandem cum illis misericordiam merear obtinere, quam illi obtinuerunt. Illumina, deduc, dirige me, & doce hanc perditam quærere & invenire animam: neque lux tua, patrocinium tuum, potentiæ tuæ efficacia, & intercessio me deserat, usque dum inveniam illam: *Donec inveniat eam.*

Amen.

Pet. Chrys.

Gen. 32. v. 26.

SERMO
DE
S. CATHARINA.

Dictus ad Universitatem Conimbricensem, Anno 1663.

Quinque autem ex eis fatuæ, & quinque prudentes. Matth. 25.

§. I.

Prov. 9 v. 1. DOmus, quam sibi ædificavit sapientia: *Sapientia ædificavit sibi domum*; erat pars illa interior, sacratiorque Salomonici templi, alio nomine, *Sancta Sanctorum*, appellata. In hujus medio erecti stabant duo Cherubini, quorum nomen sapientes significat, & inter omnes Angelorum Choros scientiâ & sapientiâ supereminent. Hi aliis protegabant arcam, & manibus sustentabant propitiatorium: quæ erant thesaurus thronusque divinæ Sapientiæ. Arca thesaurus erat sapientiæ divinæ, quantùm ad literas & doctrinam; inclusas enim continebat scriptæ primo, deinde dictatæ à Deo legis tabulas: Propitiatorium autem sapientiæ divinæ thronus erat, ex quo voce vivâ oracula reddebat; in eo enim Deus consultus vocaliter respondebat, unde etiam oraculum vocabatur. Parietes domûs in circuitu septem palmis erant cælati, quarum trunci totidem constituebant columnas, ramorumque summitates se mutuò contingentes, sex naturaliter formabant arcus; sub quibus sex similiter Cherubim statuæ erectæ cernebantur. Hæc forma erat & ornatus, S. Salomone ædificatæ, à Deo verò deliniatæ, Sapientiæ domus, nec quicquam aliud, quàm Cherubim & palmæ in ea visebantur, in quibus eadem sapientia, velut omnium victrix, trophæa sua & triumphos ostentabat.

Verum si Deus tempore illo, *Dominus Exercituum*, dicebatur: exercitibusque imperare, acies ordinare, victorias tribuere aut eripere glorioſum sibi putabat: collocatæ sub triumphalibus arcubus statuæ, non de Cherubinis sapientibus, sed de famosis Capitanèis & Ducibus fieri debuisse videntur. Nonne decentissimè primo quadrasset arcui statua Abrahami, ense

stricto

ſtricto proprium ſuum filium ſacrificantes, & quatuor Reges; armatis tantùm domûs ſuæ Vernaculis, gregumque ſuorum paſtoribus victoriosè profligantis? Nonne convenientiſſimè ſub arcu ſecundo collocata fuiſſet ſtatua Moyſis, prodigiorum operatricem Virgam manu tenentis, & ſubmerſo in mari rubro Pharaone, de tota Ægypto gloriosè triumphantis? Nonne ſub arcu tertio optimè prodiiſſet Joſuë Solem & Lunam ſiſtens, pro coſœderatis Gabaonitis pugnando hoſtilem exercitum ad internecionem cædens? Nonne quartum arcum condecorâſſet ſtatua Gedeonis, facem ſiniſtrâ, tubam verò dexterâ tenendo, innumerabilem Madianitarum & Amalecitarum exercitum turbatum in fugam & interitum præcipitantis? Nonne quintum ſplendidè exornâſſet arcum ſtatua Samſonis, leone procumbente ad pedes, & maxillâ aſinæ Phyliſtæorum mille interficientis? Denique, nonne quàm elegantiſſimè ordinem hunc illuſtriſſimum clauſiſſet ſtatua Davidis fundâ & lapide proſternentis Gigantem, proprioque enſe ipſi amputantis caput? Si igitur ſex iſtæ ſtatuæ inſignes aulam Domini Exercituum pompaticè ornâſſent; ut quid triumphales palmarum arcus, ſtatuas potius ſapientûm operiunt Cherubinorum, quàm generoſiſſimorum Ducum? Quia extra controverſiam eſt, judicio æſtimationeque divinâ quamvis contrariâ quorundam opinione) in tantum ſapientiæ victorias illas armorum, gloriâ excedere, quantùm manus à capite diſtant. Idcircò voluit Deus, ut domum ſibi ædificaret non Pater, ſed Filius; non David generoſus, ſed Salomon ſapiens.

Suppoſitâ veritate iſtâ, quæ abſolutè, & vel potiſſimum in hac literarum palæſtra, ſine controverſia venit ſupponenda, accommodando me profeſſioni Auditorii, nec non celebritati diei, de S. Catharina non niſi, quâ Doctrice & ſapiente hodie loquar. Ezechiel Propheta rotam ſe vidiſſe aſſerit, juxtà unum Cherub: *Rota juxtà Cherub unum.* Quis verò Cherub iſte, ad latus rotam habens, niſi S. Catharina? In ſapientio domo, cuilibet palmæ Cherubim unus reſpondebat: in domo hac, quæ ſimiliter eſt ſapientiæ domus, unum videbimus Cherubim cum palmis multis. Aſſumptum igitur ſermonis, erunt victoriæ S. Catharinæ: & titulus, ſapiens Victrix. Ave Maria. Ezech. 10. v. 9.

§. II.

SPlendidiſſimum theatrum, quod unquam in terra viſum, graviſſima & ſublimiſſima diſputatio in Academiis unquam audita, rariſſima & vel maximè obſtupeſcenda, quam unquam ab ignorantia literata & inflata, vera retulit ſapientia, victoria, eſt illa, quæ hodie pro defendente habuit, unum Cherubim in muliebri amictu: vel ſpeciem mulieris cum intellectu & aliis Cherubim S. Catharinam. Celeberrimi hujus ſpectaculi theatrum, Imperiale fuit palatium: Auditores & aſſiſtentes Imperator Maximinus: Senatus Alexandrinus, & tota Curia & Nobilitas Orientis: Quæſtio ventilata, de unius pluriumve Deorum vera fuit Divinitate, nec non de fide & reli-

gione, ab hominibus amplectenda: Defendentes ex una parte, erat paucorum annorum fœmina; ex altera, quinquaginta Philosophi, ex omnibus sectis & Universitatibus selecti: disputationis desiderium, & controversiæ successus, tam inauditi certaminis magnitudini æqualiter in omnium animis respondebat. Primo loco Philosophi argumenta sua tumidi proposuerunt, applaudente toto theatro de victoria certa, quæ ab intrepida defendente tacito risu sunt excepta. Postquam verò omnes scientiæ suæ vires, in defensionem mortuorum mutorumque Deorum suorum, quos ipsi immortales appellabant, exeruissent; Catharina de veri Dei æternitate, principii experte, cœlo terraque ab ipso creatis, nec non de humanitate Verbi, pro remedio mundi in tempore assumptâ, disserere incipit. Locuta fuit Catharina tali rationum pondere, tali ingenii acumene, eloquentiaque plus quàm humanâ differendo sic peroravit, ut non solùm facillimè fundamenta, & principia deceptriosque Philosophorum errores dissolveret, sed eorundem in ipsos argumenta retorquendo, tantâ convicerit & confuderit evidentiâ, ut nemine ipsorum vel respondere, vel contradicere ausо, unanimi omnes voce infallibilem Fidei Religionisque Christianæ veritatem fuerint confessi. Quid hîc consilii, viso inexpectato rei eventu, erudelis Imperator Maximinus capesseret? Illusum victumque se conspiciens in religionis suæ Magistris, quibus eam propugnandam crediderat; in furiam actus & rabiem, falsorum infamiumque Deorum suorum falsitatem jam notam publicèque demonstratam cernens, quibus nihilominùs imperium suum tribuebat; vice ejus, ut lucem rationalemque Philosophorum eorundem sequeretur docilitatem; barbaro impioque decreto mandat, ut vel statim idolis sacrificarent, vel ignibus omnes interirent. Quo facto mox omnes, sine hæsitatione & tergiversatione ulla, non constanti solùm, sed alacri gaudentique animo mortem pro Christo subierunt; eâdemque horâ, & eodem ex theatro, in quod Philosophi fuerant ingressi, exierunt Theologi; ubi intraverant Gentiles, inde exierunt Christiani; & ubi intraverant Idololatræ, inde exierunt Martyres. O Fidei victoriam illustriorem & magis obstupescendam, quàm quotquot antè & posteà, Christianitatis celebrarunt sæcula! ô Catharinæ triumphum, non cum duabus palmis in manibus, Virginis scilicet & Martyris; sed cum quinquaginta palmis ad pedes, subtilis, Angelicæ invincibilisque Doctricis! Dignæ profectò pro hoc viso nunquam actu, ut in supercilio montis Sinai, cum supremi legislatoris sit thronus, cædem manus, quæ literas scripserunt divinas, æternum memoriæ ipsarum erigerent trophæum.

Iste Auditores, celebris & famosus fuit actus, tam diei, quàm loco proprius, super quo brevissimo hoc temporis spatio discurrere proposui: ad cujus tam admirabilis victoriæ excellentias particulariùs subtiliusque discutiendas Evangelium Thematis loco allegata verba suggessit: *Quinq; autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes.* Virgines, quæ ad excipiendum sponsum exierant, erant decem, quarum quinque fatuæ, & quinque pruden- Matt. 25. v. 2.

dentes. Prudentes & fatuæ, quando exie-
Ibidem v. 1. runt: *Exierunt obviam sponso & sponsæ*; Prudentes & fatuæ, quando dormitârunt:
Ibidem v. 5. *Moram autem faciente sponso.* Prudentes, & fatuæ, quando aliis intrantibus ad
Ibidem. v. 10. nuptias, aliæ foris manserunt: *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.* Quod modo considero, est, cum duo ista fuerint paria, sexu similia, & numero æqualia, ingenio differentia: sexu similia, omnes enim erant virgines: numero æqualia, erant enim quinæ & quinæ, prudentiâ differentes, quædam enim erant fatuæ, & quædam prudentes: nec fatuæ simul omnes, nec pars, immò nec unica earum, ex consortio, familiaritate & conversatione prudentum emendata ad saniorem mentem rediret. Quodsi omnes fatuæ, omnibus quinque prudentibus Magistris & docentibus hoc facere discerent singulari non videretur admiratione dignum, de Virginibus ad virgines; de quinque ad quinque, & de prudentibus ad fatuas; sed de Virginibus ad virginem, de quinque ad unam, & de prudentibus ad fatuam: quod nec una sola quidem, mutaretur ex consortio, neque emendaretur familiaritate, neque conferteretur exemplo? Ita evenit, & usu venire solet: cùm magis admirandum sit, quod fatuæ non perverterint omnes prudentes, quàm quod omnes prudentes ne vel unam converterint fatuam.

Transeamus nunc ad S. Catharinam, eademque paria in sexu, numero, & ingenio contemplemur, quàm dispari modo pugnârint, quantòque admirabiliùs vicerint. Sexus erat idem, utræque enim erant virgines; numerus æqualis, erant enim quinque & quinque; vis & armatura fortior, quia aliquæ erant prudentes, & aliquæ fatuæ: in certamine verò Catharinæ cum Philosophis, illa erat unica sola, & Hi quinquaginta: illa Virgo, Hi viri: illa prudens, & Hi prudentes: unde resistentia fortior, & colluctatio difficilior. Proinde quod una mulier, vel nondum mulier (quia decimum octavum ætatis annum nondum attigerat) contrà tot, talesque viros in acie decertans, non solùm unum, multosve eorum, sed omnes omninò vinceret, & ad eandem fidem, quam impugnabant, proprii sanguinis profusione defendendam paratos redderet; istud, victoriæ ipsius circumstantias asserо, quæ non imaginabilem ipsi gloriam comparant. Procedamus nunc discurrendo, & considerando per se singulas, & patebit quàm singularis in singulis fuit nostra prudens victrix.

§. III.

INcipiendo à prima differentia, quæ est de numero ad numerum, & de una ad multos: si Gentilitas, licèt fabulosa, tanquam certum & irrefragabile asseruit, quod nec Hercules contrà duos; quænam, quæso, provocatio inæqualior, quæve victoria glorioſior quàm inter unum, vel unam (quod minus est) & Quinquaginta? In Gigante Philistæo agminibus exercitus Saulis exprobrante certaminis modum provocandique formam oppidò semper fui demiratus: *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen*; q. d. Ex toto exercitu vestro seligite virum, quem volueritis, ut singulare mecum ineat certamen, id est, de corpore ad corpus, 1. Reg. 17. v. 8.

pus, de manu ad manum, de milite ad militem, de homine ad hominem. Hunc provocationis modum Philistæus quadraginta diebus integris continuavit: & quamvis nullum duelli aliam secum subire ausum experiretur, nunquam tamen provocationis formam mutavit vel aliquid ei addidit; & hoc est, quod miror. Gigantis hujus statura, juxta sacrum
Ibid. v. 4. textum, *erat altitudinis sex cubitorum & palmi.* Si igitur proceritate suâ tres adæquavit homines, quare arrogantia ipsius, non tres, vel saltem duos provocavit viros, sed unum tantum: *Ad singulare certamen?* Quia velut miles non ignorabat quod vir contrà plures quàm virum unum, quantuscunque demum sit Gigas, & quantumcunque valdus sit & audax, prævalere nequeat, Verùm necdum pensatum est, quod volo. Prostrato Gigante à Davide, tripudiantes egrediuntur in occursum victoris, ad excipiendum deducendumque eum, cum triumpho post victoriam, quod verò cantabant, erat
1. Reg. 18. v. 7. illud: *Percussit David decem millia*; Id est, David Gigantem occidendo, decem millia peremit. Itaque vir pro decem millibus virorum reputatus, non nisi unum singularem ad certamen ausit provocare? Non. Arrogantia in animosis animi generositatem semper excedit: nec est generositas aut arrogantia sic Gigantea, ut contrà plures quàm unum in arenam descendere præsumat.

O quam delusam se hodie cerneret Gigantis Goliath arrogantia, si hodie ad inspiciendum provocationem certamenque Catharinæ resurgeret! una nunc in arena, contrà quinquaginta, & non contrà quinquaginta viros, sed contrà quinquaginta Gigantes, quilibet enim erat maximus, scholæque suæ seu sectæ primipilus. Quemadmodum antagonistæ erant quinquaginta, justissimè Catharina provocationem dividere potuisset in totidem duella, & decertationem in totidem disputationes, veritatem quam defendebat, contrà singulos seorsum propugnando: sed omnibus simul cordatè se opponere, omnes simul animosè impugnare ausa, de omnibus certam sibi victoriam promiserit! hæc vel maximè stupenda fuit circumstantia. In famosa illa trium Horatiorum Romanorum, triumque Coriaciorum Albanensium reciprocâ provocatione, duo Coriacii duos interfecerunt Horatios, tertiusque adhuc superstes Horatius, omnes tres peremit Coriacios: sed quomodo? Se solum conspiciens fugâ salutem quæsivit, quem reliqui insequebantur: primum, qui cæteris velociùs currendo ipsum fuerat assecutus, se convertendo confodit, fugamque continuavit: similiterque secundum jam se assecutum interfecit: & ultimo tantum superstite, solus cum solo congressus, hujusque quoque nece duorum fratrum suorum cædem vindicavit, integrâ sibi victoria relictâ. Titus Livius, aliique Historiarum Romanarum conscriptores actum magnis laudum encomiis extollunt, dicentes, tertium Horatium tres Coriatios superâsse, ast non rectè dicunt. Ternis successivè vicibus, singulos seorsim & successivè superavit, sed non simul omnes. Est evidens; qui superavit illos quibuscum congressus est, & nunquam cum tribus simul, sed nec cum duobus quidem, sed uno tantùm manus conseruit. Tres fuerunt victoriæ, unius de uno, & non una victoria, de tribus. Quod eousque vero consonat, ut tres, immò

etiam

etiam duos fugerit; quia nec cum tribus, neque cum duobus manus conferere ausus, cum uno solo commiserit.

Eccl. 4. v. 12. Jam dudum ante hunc casum dixerat Salomon: *Funiculus triplex difficile rumpitur.* Prudens & magnanimus Horatius, eosdem tres, quos simul provocare non præsumpsit, adorsus hoc modo de filo in filum, funem rupit, qui aliàs totus rumpi non poterat. Verùm non sic Catharina. Decertantes secum non divisit, neque cum singulis seorsim & successivè conflixit: sed cùm non duo, neque tres, sed quinquaginta essent, omnes simul ad congrediendum admissos, etiam simul omnes devicit.

Porrò tam sublimis & plus quàm humanus est ille vincendi modus, ut ipsa omnipotentia, nisi extraordinariè operetur, dividat ad vincendum, vel vincat dividendo. Maximum bellum, quod humana præsumptio intentavit Deo, fuit illud turris Babylonicæ ædificatorum, cælum eâ contingere præsumebant: *Cujus*

Gen. 11. v. 4. *culmen pertingat ad cælum.* Et dixit eos illud consecuturos, nisi tempestivè temerariis eorum cogitationibus obex poneretur: *Cœperunt hoc facere, nec desistent à*

Ibid. v. 6. *cogitationibus suis, donec eas opere compleant.* Ipse tandem Deus personalitèr occurrit, neque alio modo hominum istorum, qui soli digebant in mundo, cogitationes conatusque dissipavit & confudit quàm illos dividendo. Simul juncti turrim ad cælum usque ædificabant; jam divisis, nullus erat, qui cœptum opus continuaret: eademque machina, quæ incepit in turri, finiit in confusione; & hinc Babilon vocata.

Hoc pacto Deus vicit tunc: ast aliter hodie vicit Catharina, licèt conatus utrique valde sibi fuerit similis. Philosophorum concors intentio erat, non ædificare turrim novam, quæ pertingeret, sed sustentare eam, quæ jam cælum contingebat: in cælo enim & in cælis collocabant divinitates falsas, quas propugnabant. In uno cælo Jovem, in altero Saturnum, in alio Mercurium, in alio Venerem, in alio Martem, in alio Dianam, in alio denique Apollinem. Et quid Catharina fecit? Deus ædificatoribus turris confudit linguas: *Venite, con-* Ibidem *fundamus linguam eorum.* Et Catharina v. 7. similiter Philosophorum confudit linguas, sed modo diverso. Deus ædificatorum confudit linguas, ne se invicem intelligerent: & Catharina linguas Philosophorum confudit, sic eas ligando, ut nec loqui possent, nec haberent, quod respondere rent. Utrique confusi, utrique victi; sed Deus adversarios suos vicit dividendo: & Catharina suos absque divisione. Ad hoc ipsum Dei artificium simili in casu alludens David, dicebat:

Præcipita Domine, divide linguas eorum Ps. 54. *quoniam vidi iniquitatem & contradictionem* v. 10. *in civitate*; q. d. Inimici mei, Domine, Absoloni associati, jam in Jerusalem dissentire cœperunt, aliis Achitophelis, aliis Chusai sententiam amplectentibus, id nunc tantum te rogo, ut eos omnes totaliter dividas, quemadmodum in turris Babilonicæ constructione fecisti; quos enim vincere nequeo unitos, vincam divisos. O David! ô Catharina! David illam Dei victoriam imitando, ad vincendum manus cum inimicis divisis conferere parat: & Catharina nullius imitando exemplum, non singulos seorsim & successivè, nec divisos, sed junctos simul prodire in aciem desiderat: non enim singulos

repetitis victoriis, sed unicâ victoriâ superare vult omnes.

§. IV.

Difficultatis hujus, & differentiæ in vincendo eosdem simus, vel seorsim, ratio est, quia licet multitudo ex unitatibus componatur, unitates cædem, quæ divisæ sunt infirmæ, unitæ sunt fortissimæ. Hinc ænigma illud Theologicum patebit, quod cum veritas sit definita, cum novitate semper explicatur & declaratur, nec unquam penetratur. Certum est, quod solis auxiliis ordinariis nemo omnes tentationes in materia levi vincere potest: & similiter certum est, quod iisdem auxiliis solis quamlibet earundem vincere possit. Si igitur quælibet tentationum in singulari illam collectionem omniumque multitudinem formar, & omnes ex qualibet earum componuntur sine consortio alterius; ego qui possum vincere singulas, quare non possum vincere omnes? Quia ista est vis mysteriumque multitudinis. Adversarii iidem, qui vinci possunt divisi sine labore, omnes simulque sumpti, sicut & in casibus aliis, ita & in hoc, vel difficultate maxima, vel nullâ prosus ratione superari queunt. Et notate, vel mementote (sicut nostris) non loqui concilia, de collectione simultanea, sed successiva: ut appareat quàm stupenda & excessiva admiratione sit dignum, quod Catharina superet convertatque quinquaginta Philosophos simul omnes, cum plùs quàm admirabilis victoria videri posset, vincere, & successive convincere singulos, cum essent tot & tanti.

Dixi vincere & convincere, & parum dixi; potuisset enim Catharina vincere & convincere omnes illos Philosophos, quamvis eos non reduxisset & convertisset: quod sicut victoriam magis reddit arduam, ita quoque glorioſiorem. Non fuit theatrum Alexandrino, de quo agimus, similius, quàm illud famosum Mempheos in Ægypto, in quo Barbarus Pharao Maximino præluſit. Ex una parte solus stabat Moyses, ex altera omnes Ægypti totius Magi, præsente Rege & aulâ totâ omnes successûs expectatione suspensi. Moyses (qui historiæ author est) quot fuerint Magi, non refert; eâ enim erat fiduciâ animique generositate, ut numero limitem non posuerit. Et quamvis S. Paulus duos tantummodo Joannem & Mambrem nominet, sufficiebat istos duos esse sicut ducentos. Et altera notabilis est circumstantia numerique excellentia, quem Catharina vicit; nam quinquaginta non ab illa determinati, sed à Maximino fuerunt electi: unde sequitur, quod tantundem fuerit vincere quinquaginta, ac si fuissent quinque millia. Moyses igitur Virgam suam convertit in serpentem, & Magi similiter suas in serpentes magnitudine ferociaque æquales, finisque concertationis fuit, quod serpens Moysis omnes alios devorârit: *Devoravit virgas eorum.* Jam nunc interrogo: Nunquid sufficisset à serpente Moysis, Magorum serpentes fuisse peremptos? Hoc solum non sufficisse videtur, sed ut superioritas clariùs elucesceret, victoria prodigiosior appareret, theatrum funestius & truculentius ostenderetur, nec non ipse Pharao magis confusus compungeretur. Qua igitur de causa Ægyptiorum serpentes non tantum occisi, verùm etiam devorati fuerunt?

2 Tim. 3. v. 8.

Exod. 7. v. 12.

runt? Quia in hac serpentis Mosaici cum serpentibus Magorum pugna præfigurabantur pugnæ & victoriæ, quas sapientia Christiana ab omnibus Gentilium sectis, æquè phantasticis, apparentibus, ac falsis, ac Ægyptiorum Magorum serpentes erant, obtentura foret; in quibus fidei religionisque pugnis & certaminibus difficilior glorioſiorque victoria est, si adversarii & hostes simul devorentur, quàm si tantum occidantur. Quare? Quia occisum esse tantummodo, est victum esse & convictum, viribus, animo, voceque destitutum ad persistendum in eo, quod defendebat: devorati verò à comedente, non tantum est victum esse & convictum, sed etiam conversum, quemadmodum comestum in substantiam convertitur comedentis. Profundissimum hoc arcanum, non ab inferiore, quàm ipso Deo S. Petro fuit revelatum, quando omnis Gentilitatis conversio, in variis bestiarum serpentumque speciebus fuit ostensa abjecto mandato, ut non tantum illa occideret, sed etiam manducaret, id est, ut eos conversos sibi incorporaret: *Occide, & manduca.*

Ita Greg. Chrysost. & alii PP.

Act. 10. v. 13.

Hujuscemodi fuit Catharinæ victoria, ut non tantum vicerit & convicerit Philosophos, eorumque sectas, sed victos & convictos, à falsa sectarum suarum superstitione ad veram converterit fidem, quam impugnare intendebant, ex membris diaboli faciendo membra Christi, sibique eos incorporando, quemadmodum serpens Moysis Magorum serpentibus fecit. Serpens Moysis unus erat, & Catharina una: serpentes Magorum multi, & Philosophi multi: illi non solum superati, verùm etiam devorati: hi non solum victi, sed etiam conversi: illi omnes, & hi omnes, nullo prorsus in suo errore perseverante. De casu ad casum, & de victoria ad victoriam, hæc notabilis fuit differentia: quod Moysis serpens Magorum serpentes, successivè alterum post alterum devorârit: *Prout illi ipsos in specie formarant: projecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* Catharina verò convertit Philosophos non unum post alium, & quemlibet seorsim in particulari certamine, & disputatione, sed unâ vice & simul omnes. De serpente Mosaico inquit Textus, quod Magorum serpentes devorando deglutivit, ad ostendendum omni ipsos resistendi virtute caruisse, quemadmodum lubrica & mollia facilè deglutiuntur. Verùm si idem ipse serpens alios non successivè, sed simul omnes adinstar unius boli deglutisset, nunquid prodigio majori similius visum fuisset? Clarum est, quod sic. Quod igitur non fecit miraculosè Moysis serpens, hoc sine miraculo Catharina fecit, convincendo & convertendo tot Philosophos famosos, non quemlibet particulariter iteratis disputationibus, sed omnes simul disputatione tantùm unâ: mirabile rarum, & sine exemplo.

Exod 7 v. 12.

Quatuor vicibus, temporibus diversis S. Augustinus disputationem publicam, in oculis totius Africæ, fuit aggressus. Cum quot verò congressus? Primâ vice cum Fortunato Manichæo, secundâ vice cum Felice similiter Manichæo, tertiâ cum Fortunio Donatista, quartâ, cum Emerito itidem Donatista: quod victor semper fuerit regressus, superfluum est dicere: quod verò victorias illas reddidit glorioſiores, fuit, quod ipsimet victi eas confessi, ad fidem, quam negabant, fuerint reducti. Porrò si clarissimo Eccle-

siæ Athletæ in tantam laudem vertitur, quod de persona in personam, de Doctore in Doctorem, quaternis disputationibus, quatuor sectarum suam insigniores vicerit. Quàm incomparabilis illa Catharinæ erit gloria, unica disputatione quinquaginta simul sectarum suarum Antesignanos vincere & convincere? De S. Gregorio Magno constat, quod disputatione singulari Eutychen victum reduxerit. Verùm quàm raræ in omnibus sæculis similes Ecclesiæ referuntur victoriæ, cum exempla contraria extent tam frequentia. Præsente Papa Zepherinus, Cajus prochum Montanistam convicit, sed non reduxit. In Concilio Antiocheno Melchior Paulum Samosatenum convicit, ast Paulus reductus non fuit. Coram multis omnium facultatum judicibus Archelaus Manetem Manichæum convicit, at Manetes non fuit reductus. In multorum Episcoporum consessu, cui etiam ipse Rex Galliæ interfuit S. Bernardus Petrum Albailardum convicit, sed Petrus non fuit reductus. Eodem modo S. Cyrillus Alexandrinus Nestorium, Maximus Abbas Pyrrhum, S. Cæsarius Julianum, S. Hieronymus Helvidium, Jovinianum, Vigilantium convicit: & nemo horum veritatis victoriam agnovit, imò videntes se convictos, evaserunt obstinatiores.

Baron. Spondan.

Verum, ad quid recensere exempla de homine ad hominem, cùm ipsis totis Conciliis acciderit idem? Hierosolymis, Niceæ, Constantinopoli, Romæ, Carthagine vel Tridenti vos præsentes agere cogitate: quid ibi videbitis? Tridenti majestati, authoritati, Synodi Oecumenicæ, universalique Ecclesiæ totius Catholicæ scientiæ & sapientiæ obgannire audentem, neque Concilio Tridentino cedentem videbitis Lutherum. Carthagine Cœlestinum satis convictum, adhuc refractarium. Romæ Macedonium, Concilio Romano se non submittentem. Niceæ Arrium Concilio Niceno pertinaciter contradicentem. Constantinopoli Dioscorum Concilio Constantinopolitano sese opponentem. Denique Hierosolymis Cerinthum Concilio Hierosolymitano, cui S. Petrus præsidebat, impudenter resistentem, suis diffinitionibus illud impugnantem, nec non primam sectam ipsius doctrinæ contrariam introducentem. Tanta est intellectus humani rebellio & pertinacia, quando præsumptione tumida, superbiâ excæcatur. Eâdem nunc consideratione Alexandriam versus conversi, in magna illa Christianitatis theatra, & in hocce oculos conjiciamus. Ibi tot, tamque eminentes viri, quamvis clarè convincant, ad reducendum unum hominem baptizatum & Christianum omnes simul non sufficiunt: & in hocce sola Catharina convincit, subigit, Christoque subjicit tot tamque eminentes viros, Idololatras & Gentiles. Ibi tot & tanti non prævalent contra unum: hîc una prævalet contra tot & tantos. Resultantem ex paralleli hujus combinatione conceptum quilibet formet sibi, si fortè illum comprehendat, me quippe, ad deducendum illum, nedum exaggerandum, verba deficiunt.

§. V.

ENimverò, si numerum considerando, S. Catharina prudentes virgines Evangelicas vicit sola reducendo

cendo quinquaginta, quando ipsæ, cùm essent quinque, non potuerunt, neque sciverunt reducere vel unam; non minùs illustris ejus victoria extitit, in consideratione sexûs. Illæ cum essent virgines, ne vel unam docuerunt virginem: S. Catharina quinquaginta docuit viros. S. Paulus Apostolus tam modicum fœmineo credidit sexui, ut mulieribus universaliter docere inhibuerit: *Docere autem mulieri non permitto.* Quodnam verò S. Paulo tam universalis tamque odiosæ humani generis dimidio, & in parte ipsius magis sensitiva, inhibitionis fuit motivum? Motivum ipsius fuit motivorum omnium maximum, scilicet experientia: *Adam non est seductus, mulier autem seducta in prævaricatione fuit.* In Adamo & Eva (inquit Apostolus) innotuit virilis fœmineique intellectus differentia: Eva quippe decepta fuit & seducta, Adam verò minimè. Doceat igitur Adam, doceat vir: Eva, & mulier non doceat. Quod ipsi expedit, & ego præcipio, est, ut taceat & discat: *Mulier in silentio discat.* Huic conformiter præcepto, quod naturale magis quàm positivum videtur, siquidem ab Adamo & Eva Apostolus illud deducit, Catharinæ tacendum & discendum erat tanquam mulieri, Philosophos velut viros, velut in scientiis suis graduatos, velut celeberrimos earundem Professores docere oportebat. Verùm quod dicentem Catharinam Philosophi auscultent: Catharinâ docente, Philosophi discant: Catharinâ non disputante solùm, sed deficiente; non argumentante tantùm, sed concludente; non oppugnante, sed vincente, tot tantique viri, victos se agnoscant & confiteantur: fuit victoria, quæ de sexu ad sexum exemplum habuit unum: & de intellectu ad intellectum nullum.

1. Tim. 2. v. 12.

Ibidem v. 14.

Ibidem v. 11.

Deus Jabim Chananæorum Regis potentiam humiliare decreverat, quia Populum Israëliticum vehementer oppresserat: *Humiliavit DEUS in die illo Jabim Regem Chanaan coram filiis Israel.* Et Textus inquit, quod Deus hic suo exequendo decreto novum bellandi modum elegerit: *Nova bella elegit Dominus.* In bello, quod Deus elegit, novus & nunquam visus agminum turmarumque ordo, nova & nunquam usitata arma, novæ machinæ, nova stratagemata esse debuisse videntur; sed nihil horum fuit. In quonam igitur, hæc adeò famosa & decantata novitas consistit? In eo, quod à Chananæorum parte, plurimis prostratis viris, in parte Israëlitarum, una mulier fuerit victrix. Quod ita Debbora, ad Barae Israëlitici exercitûs Ducem protestata fuit: *In hac vice, victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara*; Id est, in hac vice, victoria non erit tua, siquidem Sisara Chananæorum Dux cum toto suo exercitu, ab una muliere vincetur. Notate hæc verba: *In hac vice*; mulierem enim vincere, virosque vinci, casus est, qui non sæpe, sed semel & una vice omnibus retro sæculis contigit: semel in armatorum conflictu, uti in Debbora: & semel in litterarum stadio, sicut in Catharina. Porrò si adeò glorioſa & decantata fuit illa Debboræ victoria, solum quod mulieris esset unius contra viros, licèt quadraginta millia virorum à parte sua numeraverit: quantò admirabilior, admiratioque dignior censenda illa Catharinæ, quam nullo comite sola, nec in bello de gladio ad gladium,

Judic. 4. v. 23.

Judic. 5. v. 8.

Judic. 4. v. 9.

sed de intellectu ad intellectum reportavit.

Samaritana illa Evangelica excellentis sublimisque ingenii & intellectûs erat mulier, prout habitus cum Christo ostendit discursus: cum scientia illa, quam ex puteo Sichar hausit, tam profundè sapiens & intelligens evasit, ut de ore Christi audire meruerit altissimum illud ad id usque temporis mundo nondum revelatum de Messia secretum: *Ego sum, qui loquor tecum.* Hac sapientiâ repletâ, luceque supernaturali perceptâ, loco aquæ, quam haustura advenerat, Samaritana mox in civitatem suam, ad inferendam fidem notitiamque Christi fuit regressa: sed quonam modo? Casus est, in quo omnes Sancti PP. Expositores multa consiederant. Illa tantùm civibus suis retulit, quod ad puteum Sichar invenerit hominem, qui, quicquid ipsa in vita sua gessisset, sibi dixisset: ut illi inde colligerent, num fortasse talis homo Messias foret: *Venite & videte hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid ipse est Christus?* Si igitur Samatitana certò sciebat, Christum esse Messiam, quare illum non palam & expressè confitetur & prædicat, quare illum supponit & proponit, concives suos invitans & sollicitans, ut abeant visum, utrum ipse esset: *Nunquid ipse est Christus?* S. Andreas, ex Magistri sui Joannis Baptistæ instructione, perceptâ Christi notitiâ, mox fratri suo S. Petro dixit, quòd Messiam invenissent: *Invenimus Messiam:* quod interpretatur Christus. Et Philippus eâdem acceptâ notitiâ, tanquam novum quid idem Nathanaëli notificavit: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus eum.* Quare igitur non eâdem claritate mulier locuta, dubio tantum & quæstioni subjecit, quod certò sciebat?

Joan. 4. v. 26.

Ibidem v. 29.

Joan. 1. v. 41.

Ibidem v. 45.

S. Augustinus, S. Chrysostomus, & omnes PP. Samaritanam prudentissimè operatam esse asserunt, non confisam, quod concives sui in re tam gravi, fidem sibi habituri forent: Sed qui ejusdem diffidentiæ rationem, energiâ & emphasi stupendâ declaravit, idem fuit Evangelista S. Joannes casum referens. Notate verba: *Reliquit ergò hydriam suam mulier, & abiit in Civitatem, & dixit illis hominibus.* Quia convertendi erant Viri, & ipsa mulier, Samaritana nec promittere sibi, neque sperare præsumpsit fore, ut persuaderentur, eò quòd sola hoc illis diceret: hinc solum tetigit punctum & excitavit quæstionem: *Nunquid ipse est Christus*; hinc illis dixit, ut visum abirent: *Venite & videte.* Quasi sic secum ratiocinata: si tanti momenti est materia, & illi viri, & ego mulier, quomodo mihi credent? Vadant ipsi & videant, quod ego vidi: vadant & audiant, quod ego audivi: & ipsimet sibi persuadebunt, quod ego illis persuadere non præsumo. Tantæ prudentiæ fuit timor ille Samaritanæ omninò desperantis convertere viros, cum illa esset mulier, quamvis adeò illuminata à Christo: ut hinc pateat, quod licèt Catharina non convicisset nec convertisset Philosophos, ipsa nihilominùs resolutio congrediendi cum illis magna esset mulieris victoria de viris. Verùm convicit & convertit illos, præter spem omnium mulierum, & præter virorum & hominum omnium opinionem, prout modò videbimus.

Ibidem v. 28.

§. VI.

§. VI.

APparuerunt Mariis Angeli mane resurrectionis, apparuitque illis ipse CHRISTUS resuscitatus, mandans (uti jam ante mandaverant Angeli) ut læta hæc nova Apostolis deferrent. Abeuntes, quæ viderant, & quæ ab Angelis, Angelorumque Domino in mandatis acceperant, narrârunt: quale verò Apostoli, tam de legatione, quàm Mariarum testimonio formârunt judicium? Luc. 24. v. 11. *Visa sunt ante illos sicut deliramentum ista verba, & non crediderunt illis.* Tale formârunt judicium, ut scilicet omnia deliria interpretando, fidem illis negarent. Ignoro sanè, utramne hic partem delirâsse asseram. Ut testes fide dignæ haberentur singulæ seorsim, & multò potiùs omnes simul, ab Angelis, immò ab ipso Christo, ad hanc legationem deputatas fuisse sufficiebat. Mariæ Magdalenæ qualitas & judicium notoriè honore & reverentiâ dignum erat: aliæ duæ Mariæ, proximæ Christo Domino erant consanguineæ, & Maria Salome duorum Apostolorum mater, & Maria Jacobi, trium. Si igitur talium respectu fidem merebantur, omnesque velut testes oculares, idem affirmabant, quare non solùm fides ipsis negatur, verùm narrata ipsarum delirii censuram incurrunt? Ulterius. Eodem ipso die, Petrus Christum sibi apparuisse asserit, moxque omnes ipsum verè resurrexisse crediderunt: *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* Igitur Petro, qui paulò ante ter Magistrum suum negavarat, tantum creditur, & tribus Mariis, quæ pendenti in cruce astiterant, quæ sepultum quærebant nulla fides tribuitur? Si Petrus est Discipulus, illæ pariter sunt Discipulæ: si Petrus est sanctus, illæ quoque sunt sanctæ: si Petrus est verax, illæ similiter sunt veraces: si Christus apparuit Petro, illis similiter apparuit Christus, insuper & Angeli, quos Petrus non vidit: quod superat omnia, Petrus est unus, illæ verò tres: & eadem veritas in ori Petri veritas, in ore Mariarum delirium reputatur? Sic est: Petrus enim erat vir; & Mariæ, mulieres: nec est, nec fuit ratio alia. Discipulos desperabundos in Emmaus tendentes audite: *Nos autem sperabamus, & super hæc omnia, tertia dies est hodie; sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, dicentes se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt, eum vivere.* Ibid. v. 22. & 23. Illud ipsum igitur testimonium, Christum vivum esse, & à morte resurrexisse, tertia die, nonne magnum sufficiensque motivum erat credendi potius, quàm desperandi? Ita planè, nisi mulierum fuisset testimonium. Verùm, quia testimonium erat mulierum, quamvis scholæ ejusdem mulierum: *Mulieres quædam ex nostris*; tantùm abfuit, ut in fide illos confirmarent, ut potius spem illis sustulerint: *Nos autem sperabamus: & mulieres quædam terruerunt nos.*

Age, jam casum nostrum aggrediamur visuri, quid non persuaserunt Mariæ, & quid persuasit Catharina; qualesque fuerint viri, quibus non persuaserunt Mariæ: qualesque fuerint, quibus persuasit Catharina. Viri, quibus non persuaserunt Mariæ, erant Apostoli: viri, quibus persuasit Catharina, erant Philosophi. Apostoli erant Christiani, Philosophi Gentiles: Apostoli erant Discipuli Christi, ejusdemque omnes Gymnasii: Philosopho-

rum

rum alii erant Discipuli Pythagoræ, alii Socratis, quidam Platonis, illi Aristotelis, nonulli Democriti, & alii Epicuri; sectæque ac scholæ adeò diversæ sibique contrariæ velut illa Pythagoricorum, Cynicorum, Peripateticorum, Stoicorum, Academicorum & reliquæ. Insuper Apostoli Christum amabant, resurrectionemque ipsius desiderabant, quam non credebant: Ipsaque (uti Theologi vocant) *Pia affectio* optima est ad credendum dispositio. Vici versâ Philosophi erant hostes Christi legisque ipsius Adversarii; & eadem ipsa malevolentia erat dispositio vel maximè retinens & à fide credendoque deterrens; nam: *In malevolam animam non introibit Sapientia.* Et utrisque adeò dispositis, Apostolis ad credendum, Philosophis verò ad non credendum: Mariæ, eò quod essent mulieres, ne unum quidem fidei Mysterium, scilicet resurrectionis persuaserunt Apostolis: & Catharina similiter Mulier, omnia fidei ejusdem Mysteria, propriis ipsorum opinionibus è diametro contraria persuasit.

Sap. 1. v. 4.

Philosophorum quidam multos credebant Deos, alii ex toto divinitatem negabant: & Catharina persuasit omnibus esse Deum, illumque unum esse essentiâ, trinumque Personis, cumque quælibet esset Deus, non tamen tres Deos, sed unum tantùm esse Deum. Philosophorum quidam credebant mundum fuisse ab æterno; alii Deum illum condidisse necessariò, & non liberè affirmabant; alii increatum & se ipso subsistentem asserebant: & Catharina, eum habuisse principium, finem quoque habiturum, & Deum ipsum creâsse in tempore, nec ex atomis compositum, prout quidam sustinebant; sed ex nihilo creatum esse, illis persuasit. Philosophi, omnia casu accidere docebant; aliqua desinere non posse, quod ita hoc fata decrevissent, alia esse mutabilia & contingentia, & non nisi à fortunæ arbitrio dependentia: & Catharina, nec fortunam esse, nec fatum, nec quicquam casu accidere, sed omnia summâ gubernari & dispensari sapientiâ, divinâque providentiâ ea regi & ordinari persuasit. Philosophi peccatum esse originale, ejusque remedium ignorarunt; & Catharina, omnes homines, in homine primo peccâsse nondum existentes, & in remedium ejus, nec non aliorum peccatorum, verbum secundam in Trinitate personam, absque quod Deus esse desineret, hominem esse factum, ipsis persuasit. Philosophi naturam unam in alterius hypostasi subsistere posse ignorabant; & Catharina illis persuasit, quod in ineffabili composito Christi, eâdem in hipostasi duæ subsisterent naturæ realitèr distinctæ; & cum idem Christus esset simul Deus & homo, simul infinitus esset & finitus, immensus simul & limitatus, impassibilis simul & passibilis, immortalis simul & mortalis. Philosophorum quidem animæ immortalitatem negabant; quidam eam in dubium vocabant: & Catharina, animam non solùm esse immortalem, verùm & corpora quoque, post resurrectionem immortalia futura persuasit, quæ omnia judicaturus foret Christus, alia missurus in infernum, & alia secum deducturus in cælum, ad fruendum Deo, gaudendumque in æternum; & quod in hac clarâ visione Dei hominis beatitudo consisteret, super qua tot & tam diversas ipsi Philosophi formabant opiniones. Denique Philosophi explodebant tan-

quam

quam indignum quid, homines judicio rationisque usu præditos, pro Deo, unum adorare crucifixum: *Gentibus autem stultitiam*; & Catharina non solùm adorandum crucifixum, sed ipsam etiam crucem, quamvis tam infamis supplicii instrumentum, & non solùm ipsam crucem, sed quamcunque illius imaginem adorandam esse persuasit. Et quod omnia hæc fidei Mysteria, humanam in tantum excedentia rationem, ut multa ipsi videantur etiam contraria, una mulier quinquaginta Philosophis persuaderet Gentilibus, quando tres Sanctæ, tantæque authoritatis, eò tantum, quod mulieres essent, unum tantum resurrectionis Mysterium persuadere nequiverint undecim Discipulis Christi, pensate, an non stupenda fuerit victoria.

1 Cor. 1. v. 23.

Verùm, meo quidem judicio, ista necdum maxima fuisse videtur illius circumstantia. Quænam igitur fuit? Quod Catharina non solùm omnem Christi fidem persuaserit Philosophis, verùm etiam virtutem Christo quàm maximè propriam, eòusque Philosophiæ incognitam, & addiscendam difficillimam, scilicet, Humilitatem. Postquam enim spectabile illud theatrum scientiis suis tumidi & inflati ascenderant, nemo eorum sapientiæ doctrinæque unius mulieris sese submittere & subdere dubitavit, nec moratus, nec æstimans, quod ab omnibus circumstantibus, totoque mundo ab una muliere victi viderentur. Abimelech armatâ manu oppidum Thebes ingressus, cum nihil, præter turrim, expugnandum restaret, ostio ipsius ignem opponebat: *Et ecce mulier una fragmen molæ desuper jaciens, illisit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus*; qui nihilominus non omisit dicere armigero suo: *Evagina gladium tuum, & percute me, ne forte dicatur, quod à fœmina interfectus sum.* Tam ignominiosum est viris præsertim illustribus & famosis, qualis erat Abimelech, à muliere victum audire, ut præeligerint & mandârint sibi necem potius, quàm talem ignominiam inferri, & sustinere. Quinquaginta verò Philosophi à Catharina docti & instructi, tali modo & animo mundum, & cuncta ejusdem dicteria riserunt, ut non solùm ignominiæ sibi non verterint, à muliere se victos confiteri, sed in victoriæ fideique, quam ab illa dedicerant, testimonium, vivicomburium subire non trepidârint, prout omnes, hanc ob causam, vivi flammis sunt consumpti; dicere liceret, quod in hoc actu, illi plus quàm viros se ostenderint: & Catharina plus quàm mulierem: sed sufficit hanc manere mulierem, & illos viros, ne assumptum nostrum excedamus.

Jud. 9. v. 53.

Jud. 9. v. 54.

§. VII.

POnderatâ Catharinæ victoriâ, duabusque considerationibus excussâ, de numero ad numerum, & de sexu ad sexum: si fuit admirabilis & illustris, quod esset de una ad quinquaginta, & de muliere ad viros: tertia & ultima consideratio, magis eam pro admirabili qualificans, est, esse de sapiente ad sapientes. Quod quinque prudentes virgines non reducerent vel unam fatuam, ratio est, quia stulti plerumque incorrigibiles existunt: sed quod prudens una & docta, tot prudentes & doctos reduxerit; fuisse dico circumstantiam, quæ victoriam prodigiosam & sapientis prudentisque victricis nostræ trophæum illustrius reddidit.

Vulgatum illud Philosophorum assertum, quod simile non agat contrà simile: *Simile non agit in simile*; In nullo agente magis verificatur, quàm in sapiente, ad sapientem. Cùm armis utantur æqualibus, se mutuò quidem impetere, sed vincere nullatenus possunt. Famosissima concertatio, cujus literæ sacræ meminerunt, & quà talis, prima & antiquissima res est, in mundo literis conscripta, fuit illa Jobi cum tribus illis Philosophis, qui suis in ærumnis eum invisuri venerunt. Evenit illi, quod inter doctos & literatos plerumque usu venire solet, quos inter visitatio à conversatione exorsa, in quæstionibus & disputationibus desinit. Ex doloris dictamine loquebatur & proponebat Job, cumque tristis hæc propositio consolationis potius levamen, quàm argumenta peteret, primus contrà eam Eliphaz, secundus Baldad, tertius Sophar argumentari cœpit: & quamvis Job disertè & nervosè tam ad argumenta, quàm ad instantias iterùm, iterumque replicatas responderet: Eliu foris auscultans præ cæteris tantâ illum vehementiâ aggressus est, ut nisi DEUS parti Jobi accedens authoritatem suam interposuisset, disputationis exitus ignoratus fuisset. Si igitur Job, tantâ, & acquisitâ & infusâ excelluit & valuit scientiâ; si naturali & supernaturali sapientiâ & prudentiâ emicuit; si tanta tamque sublimia, tantâque eloquentiæ vi, quantam ipse dolor, etiam loqui nescientibus extorquet, fuit effatus; & super omnia, si militantem pro sua parte habuit rationem, omniaque sibi obmota diluit, quomodo non solùm amicos illos non vicit, sed magis exacerbavit? Quia omnes erant Philosophi, omnes erant sapientes, omnes docti: nec difficilior est victoria, quàm de docto ad doctos. Verùm est, pro Job militasse rationem, ipso definiente Deo: sed quia Philosophi erant & docti, deficiente quantumvis ratione, vel sophisticas, vel veras nihilominus pro se adduxerunt rationes. Dicta eorundem cum attentione evolvite, ut philosophiæ ipsorum profunditatem admirantes, amplius miremini, quod S. Catharina tot tantosque Philosophos convicerit.

Ego præ ceteris tantummodo miror, quod tota ista victoria sola Sanctæ nostræ sapientiâ & eloquentiâ fuerit obtenta, nullo alio concurrente prodigio aut miraculo ab ipsa patrato, quæ similibus in conflictibus alii Sancti, & ipse Sanctus Sanctorum adhibuit. In conspectu civitatis Damascenæ vos constituite, cælum ibi videbitis obductum, ventos furere, condensari accendique nubes: omnia fulgura, tonitrua & fulmina: quid sibi ista volunt innuere? Quod Christus ad convertendum, reducendum Saulum, de cælo descenderit. Tantumne molimen, tantus apparatus, tantus strepitus, tanta machina, ad reducendum unum hominem? Nunquid tu idem ille es, Domine, qui uno, *Venite post me*, reduxisti Petrum & Andream, Joannem & Jacobum? Uno, *Sequere me*, Matthæum? Et solo, *Descende*, Zachæum? Ad reducendum igitur similiter Saulum non sufficient pauca vel multa verba, nisi tot prodigiis comitata? Sic est, inquit ipsa, quæ de cælo descendit sapientia. An ignoratis Saulum hominem esse doctum, in Gamalielis schola graduatum, totiusque Gymnasii ipsius ingenium vivacissimum?

Matth. 4. v. 9. Matth. 9. v. 9.

mum? Hæc igitur inter doctos & literatos, & rudes inter & idiotas, reducendi & convertendi est differentia. Hîc litteræ videntur & scientiæ, & tam raræ conversiones. Rudes & indocti, in regnum admittuntur cæleste; & nos cum literis nostris & scientiis imus ad infernum, dicebat Augustinus ad Alipium, & Alipius ad Augustinum: & ex hac consideratione bini isti Doctores magni, æquales evasêre Sancti. Ast quia nunc in conspectu habemus Paulum, cum eodem Conimbricam Græciæ ingressi contemplemur progressus, quos eloquentia ipsius & spiritus, in scholis illis fecit.

S. Paulus Civitatem Universitatemque Athenienſem omnium mundi scientiarum, ad id usque temporis, Matrem ingressus, varios ibidem, attestante textu, invenit Philosophos, & in specie Stoicos & Epicuros, quibuscum disputavit; hi ipsum Areopagum adduxerunt, ubi supremum scientiæ justitiæque consistorium erat, ut novæ suæ doctrinæ, quam prædicabat, redderet rationem. Paulus tam celebris erat Orator, ut è tribus, quæ se vidisse optabat Sanctus Augustinus, primum esset Christus conversans in terra, & secundum, Paulus prædicans. Prædicavit igitur coram Areopagitis majore sententiarum pondere, majore eloquentiæ vi & efficaciâ, quàm unquam Demosthenes Athenis fuit auditus. Quot verò Sapientûm illorum convertit? Casus mirabilis! unum solum Dionysium Areopagitam conversum esse meminit S. Lucas: at ego addo, quod cum hæc esset conversio unius, & de uno solo parta victoria, non tota S. Paulo veniat ad scribenda. Recordatus est Dionysius, quod cum Apollophane peregrinatus in Ægypto, præcisè viginti ante annos, vigesimâ quintâ Martii in urbe Heliopoli stupendam illam Eclipsin vidisset, quæ exclamare ipsum compulerat, sicut ipse scribit: *Aut DEUS naturæ patitur, aut mundi machina dissolvetur.* Et combinato eo, quod viderat, cum eo, quod à S. Paulo audiebat, à veritate ad veritatem inferendo, reliquis à S. Paulo prædicatis credidit. Ita ut conversione hac Areopagitæ bene consideratâ, non S. Paulus ipsum, sed ipse mediante S. Pauli discursu se converterit. Si nihilominùs conversionem istam causis instrumentisve cooperatis attribuere libeat, solum victoriæ dimidium sibi S. Paulus, & alterum dimidium Sol sibi vendicare potest. Sol hoc casu, instar lapidis Davidis fuit; primum quippe magno huic capiti intulit ictum: gladiusque Pauli victoriam hanc consummavit. Et si de Apostolo Gentium, si de Vase electionis specialiter à Deo in Doctorem & Magistrum Gentilium electo, integro vix elogio affirmare licet, quod Philosophorum Athenienſium vel unum converterit: Ecquis, ô Catharina, immensitatem gloriæ triumphis tuis debitæ, dignè comprehendere sufficiet, cum è quinquaginta Philosophis, non Athenis solùm, sed in tota Græcia, Ægypto & Palæstina electis nullus sapientiæ & eloquentiæ tuæ restiterit: sed omnes ex integro viceris & conviceris. Verùm parallelus nondum est adæquatus.

Act. 17. v. 16. & 17.

Dionys. Areop.

Modum, quo S. Paulus veri Dei fidem in Athenas introducere paravit, ipse insinuat, dicens: quod in civitate cæteras inter aras per transennam viderit

Act. 17. v. 23. aram, cui inscriptum esset: *Ignoto Deo*; eundemque Deum, quem ignotum sibi Athenæ jam adorarent esse illum, quem prædicaret. Perrari prudentissimique hujus inventi ratio fuit, quia Paulus impossibile putabat persuadere Athenienſibus, ut alium Deum reciperent, sciens quod eâdem in civitate Socrates, eâ solùm causâ, quod novos Deos introducere voluisset, ducentis & octoginta & uno Senatûs votis ad mortem fuisset condemnatus. Proinde Apostolus capacitati seu incapacitati hominum, ex una parte tam superstitiosorum in religione, ex altera parte tam præsumptuosorum de sapientia, se se accomodans, novæ divinitatis seu adorationis nominatione abstinuit, & novam tantùm illius, quem jam adorabant, notitiam prædicavit: *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis*; q. d. Non vobis prædico, ne adoretis eum, quem jam adoratis, sed tantùm ut cognoscatis eum, quem non novistis. Cui aram erexistis, Deum esse creditis. & eundem vos hucusque ignorare confitemini: *Ignoto Deo.* Idem igitur ille Deus, quem jam pro tali recognoscitis, est ille, quem ego vobis prædico: & idem ille, quem vos ignorare confitemini: est ille, cujus vobis notitiam annuncio. Tam urbanè & suaviter, tantâque sapientiæ Athenienſis reverentiâ & decore, S. Paulus veri Dei fidem introducere satagit, sed non prævalet. Inde S. Paulus Corinthum abnavigat, non cum alio Athenienſi spolio, quàm uno Philosopho Catharina verò ne pedem quidem imperiali efferens theatro longè illustriori, illo Areopagitico, liberrimè Deorum suorum falsitatem Philosophis ibidem exprobat; ibi idololatriam, eorum adorationes & aras damnat; ibi veram unius solius Dei divinitatem, omniaque alia Christianæ fidei mysteria non solùm intellectu credere, verùm etiam coram omnibus publicè confiteri constringit & compellit.

Act. 17. v. 23.

Act. 8. v. 1.

§. VIII.

NEscio, utrum novissimæ hujus clausulæ fundum considerando penetretis. Sapientem suam agnoscere ignorantiam, seu errorem, omni difficultate caret; quem nisi cognosceret, sapiens non esset. Verùm eò adduci, ut eum confiteatur, & publicè confiteatur, tam est arduum & difficile, ut non nisi ægrè humanus ad id animus adigatur, tantoque ægriùs quò majore nomine, existimatione graduque claruêre docti. Nicodemus doctrinam Christi simul cum miraculorum magnitudine prædicavit, eamque solam veram, reliquas verò omnes falsas esse cognovit: *Scimus, quia à Deo venisti Magister; nemo enim potest hæc signa facere, quæ tu facis.* Divinum resolvit inquiere Magistrum, ad cujus procumbens pedes doctrinam hauriat, & quomodo: *Erat homo ex Pharisæis, Nicodemus nomine; hic venit ad JEsum nocte.* Togâ doctorali exutus, mentitoque habitu assumpto, Christum Dominum de nocte accessit. Ecce quomodo S. Joannes Chrysostomus ipsum perstringit: *Scimus*, inquit, *quia à Deo venisti Magister. Quid ergò noctu venis, & clanculum, ad eum, qui divina docet, qui à Deo venit? Quid non apertè profiteris?* Ratio est, quia Nicodemus maximi nominis Magister erat in Israël. Sic declarante textu Græco: *Tu es Magister in Israël*; & quamvis ignorantiam suam

Joan. 3. v. 1. & 2.

S. Chrysostom. hom. 23.

Maldonat. hic.

&

& errores agnoſceret, ſecretò & intra intellectus ipſius portas adhuc latebant: verùm errores ſuos & ignorantias, de quibus jam convictus erat, publicè confiteri Nicodemus erubuit; quia nominis ipſius, authoritatisque exiſtimatio, quâ publicè pollebat apud omnes, contradicebat, & hinc nocte venit. Noctu ſe agnoſcebat noctuam, & diu oſtendere ſe voluit aquilam. O ſi libris datum eſſet loqui, quantas proderent ignorantias! quod ſcilicet ſe conſulant nocte, qui magnos ſeſe oſtentant & venditant Doctores in die; ſed non ſolum noctis pallium iſtos diſſimulat defectus. Quoties à propriâ convictus conſcientia erroneum agnoſcit, quod publicè defendit ex cathedra? Parum ſcit, qui argumenti vim ſolutionisque infirmitatem ignorat. Unum eſt reſpondere, alterum in fine loqui. Verùm cum frequenter hi peccatores compungantur & conterantur in conſcientiæ ſecreto, nihilominùs cum talibus ad Confeſſionem venire publicam doctos vel docti & ſapientis opinione gaudentes, miraculum eſt, ex ſola gratia S. Catharinæ. Omnis iſti quinquaginta Philoſophi, univerſitatum ſuarum, prout vidimus, erant primipili: & quod omnes, perceptâ argumentorum vi, quibus à S. Catharina impetebantur, intra ſe ab opinionibus diſcederent, quas dedicerant & dictârant, non leve quid fuit, ſed non tantum; verùm quod omnes actu tam publico eosdem errores agnoſcere & confiteri, ſectas ſuas deteſtari non dubitarent, nec ſcholarum ſuarum dogmata quocunque ſeu violento, ſeu aliàs efficaci modo propugnare ſatagerent: hic admiratio ſtupet, & exaggeratio nomen perdit.

Noviſſimo loco poſui, ſcholarum ſuarum propugnare dogmata; illud enim ultimum eſt caſtellum, in quod Philoſophorum Sapientûmque error jam convictus ſe recipit, & nec manifeſtiſſimæ veritati ſe ſubdendo deſperatè & extremè ſe defendit. Evidentiſſima & maxima ingeniorum ſic concertantium exempla noſtra vidit ætas, causâ indagatâ, à certantibus non redditur alia, quàm naturalis, vel partialis amor, doctrinæque cum lacte materno ſuctus; nec non propriæ ſcholæ honor & reſpectus. Sed ad primitivam Eccleſiam pergamus. Contra legis Gratiæ promulgationem, quàm S. Stephanus prædicabat, atteſtante actuum Apoſtolorum hiſtoriâ, inter alias Ciliciæ & Aſiæ ſcholas, illa nominatim Libertinorum, Alexandrinorum & Cyrenenſium cum Stephano diſputantium inſurrexit, ne quicquam tamen virtuti ſpiritus & ſapientiæ loquentis reſiſtere potuit: *Surrexerunt quidam de Synagoga, quæ vocatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum diſputantes cum Stephano, & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Act. 9. v. 9. & 10. Suppoſito igitur, quod reſiſtere nequiverint, nunquid ſequitur, quod ſe ſubmiſerint? Nullatenus. Immò practicè confecuta fuit hic una, ut videtur, implicatio; cum enim ex parte una deficeret reſiſtentia, neque ex altera reſultârit victoria: illi reſiſtere, & Stephanus illos non poterat vincere. Vos igitur homines ſapientes, & tales reputati, ſi diſputâſtis, ſi arguiſtis, ſi argumentati eſtis, ſi reſpondiſtis, ſi dixiſtis iterum iterumque, quantum ſciviſtis, & reſiſtere nequiviſtis, quare victas dantes manus, victos vos

fuisse non confitemini? Quia Libertini, Alexandrini, & Cyrenenses omnes suas propugnabant scholas: & qui pro sua propria pugnat schola, resistere posse debebit; sed ad confitendum se victum nulla ratione poterit adduci. Deerunt illis rationes & motiva, deerunt argumenta, confusos se conspicient & elingues: & non supperente alio defensionis genere ad lapides confugient: quod etiam factum est. Pro eo, ut Stephanus exiret Victor disputationis, exivit lapidatus; & illi tam obstinati, & duri ut lapides; sed non victi. Omnes quinquaginta Philosophos Alexandrino in theatro hodie repertos, Alexandrinos fuisse dicere oportet: omnes verò tam sectis scholisque discrepantes, sicut jam nominatæ, spiritus & sapientia ex ore S. Catharinæ, ad tales eos adduxit terminos, quibus resistere non valebant: *Non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.* Maximum verò victoriæ ejusque apex fuit, quod victos se convictosque confiterentur, non contrà propriam solùm religionem, opinionumque suarum fidem, sed contrà superbiam, propriarumque scholarum suarum præsumptionem.

Hoc modo sapiens nostra victrix, de omnibus celebertimis Gentilis Philosophiæ scholis triumphavit; paucarumque horarum spatio, ab omnibus quinquaginta obtinuit Philosophis, quod prudentes Evangelicæ multi temporis familiari conversatione & victu non obtinuerunt à fatua vel una. Quando primâ vice Ezechiel Triumphalem illum, vocatum gloriæ Dei currum vidit; ab ænigmaticis quatuor animalibus, Homine, Leone, Aquila, & Bove trahebatur. Postmodùm ad videndum reversus, è quatuor animalibus Bos in Cherubim fuerat transformatus: facies una facies Cherub; & facies secunda, facies Hominis; & in tertio, facies Leonis; & in quarto facies Aquilæ. Et unde Bovi notabilis hæc melioritas advenit? Ex societate & familiaritate, quam eodem in curru, cum Homine & Aquila habuit communem. Ut intelligant addiscere & scire cupientes, quantum adhuc rudioribus prosit, cum prudentibus sapientibusque tractare. Cherubim humanam faciem præferunt cum alis; & Bos currui junctus, hominique & aquilæ sociatus, faciem sibi assumpsit ab homine, & alas ab Aquila, ideòque, cum Bos esset, Cherubim prodiit. Idem de quinque fatuis sperari potuisset, quantumcunque rudibus; verùm tam parum illis prudentûm profuit consortium, ut omnes perseverarint fatuæ, quales fuerant antè. Transformationis verò prodigium, cum longè majore prodigio, quàm quod Ezechiel viderat, Triumphali Catherinæ currui mansit reservatum.

Ezech. 1. v. 10.

Si minus; interrogo: quare Bos ibidem, & non leo, fuerit transformatus? Ruditas brutalitasque leonis, sicut & illa Bovis utraque de quatuor est pedibus: si igitur leo similiter ambulat homini & aquilæ junctus, quare non etiam in Cherubim fuit transformatus? Quia Bos animal est humile & subditum, Leo verò inflatus & superbus: & quantâcunque ratione præditus sit intellectus hominis, & quantumcunque sublime Aquilæ sit acumen; ubi adest inflatio & superbia, nec homo, nec aquila formam suam introducere possunt. Hæc famosi allegoria est currus, qui pro majore gloria Catharinæ, etiam hodie transformavit Leo-

nes.

nes. Quid, quæso, quinquaginta illi erant Philosophi, nisi totidem leones superbi scientiarum suarum arrogantiâ inflati, quos Maximinus Imperator in amphitheatro Alexandrino in S. Catharinam immisit, sicut olim fiebat in Romano? Rationum verò momenta Catharinæ, in tantum omnium hominum rationes excedebant, orationisque ipsius acumen, omnium aquilarum perspicacitatem superabat, ut nec superbia illud vincere, nec inflatio illi resistere posset. Prostratos igitur & humiliatos hoc modo quinquaginta leones, jubis demissis, oribusque clausis, eadem ipsa humilitas & subjectio Cherubinorum recipiendæ formæ reddidit capaces; & hac nova transformati figura, pompâ nunquam aliàs in mundo auditâ aut visâ, triumphalem Catharinæ currum, tot aliis jam palmis laureisque illustrem deduxerant in cœlum. Illi jam antè tanquam sapientes victi: Hæc verò velut sapiens prudensque victrix: una victrix, de tot & tantis; mulier, de viris; & sapiens sapientûm victrix.

§. IX.

ORationem absolvi, nescius utrum promisso fecerim satis: subjungenda videbatur peroratio cum exhortatione Auditorum ad S. Catharinam imitandam: sed prudentissima nostra victrix tam in sapientia, quàm in victoriis æmulum & imitatorem non admittit. Hoc tantùm persuadere & suggerere volo, ut omnes studiosi & docti, cùm jam vincentem imitari nequeant Catharinam, victos imitentur Philosophos. Duo insignes illi Doctores habuerunt imitatione digna; docilitatem scilicet, & constantiam. Docilitatem, quâ agnitæ per S. Catharinam veritati se submiserunt: & constantiam ad mortem usque firmam, quâ eandem veritatem, in contemptum despectumque Imperatoris defenderunt.

Indocilis, Auditores, doctus evadere nequit: imò ipsa docilitas, scientiæ est synonymum. Deus Salomoni, quicquid vellet, postulare præcepit; omnia petita se illi concessurum appromittens. Quod verò hic petiit, fuit docilitas: *Dabis servo tuo cor docile.* 3 Reg. 3. v. 9 & 12. Quod illi dedit, fuit sapientia tanta, ut similem nullus unquam homo alius habuerit in terra: *Dedi tibi cor sapiens & intelligens in tantum, ut nullus antè te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* Si igitur Deus Salomoni promiserat se daturum illi quicquid postularet, & ipse petiit docilitatem, quomodo illi dat scientiam? Ex eodem motivo & capite: docilitas enim & scientia sunt idem, neque suæ conformitèr promissioni non poterat non illi dare scientiam, cùm petiisset docilitatem. Quod ita idem Deus affirmat, inquiens: *Ecce feci tibi secundùm sermones tuos.* Ibid. 12. Scientia nihil est aliud, quàm clara veritatum multarum cognitio; quarundam in se, quæ sunt principia: & quarundam, quæ ex eis sequuntur, quæ sunt conclusiones. Et indociles (sicut proprii judicii sunt tenaces, & in opinione suâ obstinati) quamvis ipsis demonstretur, illius recipiendæ sunt incapaces. Proinde tales semper sciunt minùs: & quotiescunque opinio excedit errorem, in eodem perseverant. Idem Philosophis S. Catharinæ in scholarum suarum, quas sequebantur, & in quibus ab ineunte ætate erant enutriti, erroribus persistentibus & obstinatis eveniisset:

ast docilitas (quam solam de sapientibus habebant) velamen cæcitatis ab oculis eorum submovit, & sic veritatem clarè cognoverunt, & cognitam secuti sunt, & defenderunt.

In hac defensione admirabilis ipsorum constantia enituit, dum firmi stabilesque perstiterunt in maximo periculo, & in maxima tentatione invincibiles, in quâ vacillare, & labi solent Literati. Quænam vobis gravissima videtur tentatio, in quam homo doctus & literatus cadere potest? Maxima tentatio, in quam homo literatus & doctus incidere potest, hæc est: inclinationem, voluntatem, & intentum Regis cognoscere, & à veritate non recedere, neque postulatis ipsius scientiam accommodare. Et in hoc tam arduo ac difficili puncto probata fuit quinquaginta Philosophorum verè sapientûm & doctorum constantia; postquam in schola S. Catharinæ ignoram sibi anteà veritatem didicerunt. Intentio & voluntas Imperatoris Maximini erat, ut falsorum deorum divinitatem propugnarent, adorationemque eorundem defenderent: quem in finem cum electi essent & vocati, voluntatem scopumque Imperatoris penetrantes, quin etiam periculum ipsius offensam incurrendi, & in efferatæ crudelitatis manus incidendi prævidentes, maluerunt potiùs perdere vitam, tradique ad lanienam, pro ut etiam evenit quàm retractare, & vel in minimo agnitam veritatem detorquere.

O quàm felices forent Respublicæ, quàm venerabiles Universitates, & quàm beati Professores earum & Doctores, si veritatem, animum & constantiam Philosophorum horum imitarentur! *Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Hæc prima sunt verba, à quibus David Rex & Propheta librum Psalmorum profundissimis mysteriis plenum exorditur: porrò notatu dignissimum est, quod etiam viri primarii, de quibus locutus est, Doctores fuerint & Cathedrales. Beati, inquit, qui votum suum non dederint in concilio impiorum; qui non defenderint, nec steterint in via peccatorum, neque in pestilentiæ cathedra sederint. Et si illi, qui hoc non fecerunt reputantur beati, quid erunt facientes contrarium? Universitatum cathedræ, sive Theologicæ sint; sive Legum, sive Canonum, omnes medicinales sunt; quia ad salutem publicam ordinantur. Et quid esset, si Cathedrales salutis, sese converterent & immutarent in Cathedrales pestis? *In cathedra pestilentiæ.* Sciant igitur tales se esse, qui ab ambitione, adulatione, vel timore tentati, pro eo, quod Principibus veritatem deregant consulti, à suis aliorumve respectibus decepti, quicquid illi desiderant aut prætendunt, tanquam justum approbant. Leges velut vela mutantes flanti accommodare vento, diceret ego: at David comparatione viliore, ideoque magis propriâ illud declaravit, dicens, quod ab eodem vento, velut pulverem terræ se circumagi sinant: *Tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* Quicunque tales sunt, vel tentationi hujusmodi obnoxii, Theodoretum in eundem textum commentantem auscultent: *Nam quando tentatio flaverit, arguuntur, tanquam pulvis terræ, hinc indè desperti ad placitum Dynastarum sententiarum mutatores.* Tentatio

Psal. 1. v. 1

Ibidem v. 4.

Theodoretus.

tatio est spes vel timor; Doctores inconstantes, pulvis sunt liber & levis: Voluntas & inclinatio Dynastarum est ventus; votum, sententiam, legumque interpretationem prætendunt aut præsumunt. Et per hanc literam & literatorum seu Doctorum perversionem, ipsæmet Cathedræ & Universitates, unde salus publica promanare deberet, venenum, exitium, & pestis sunt Regnorum: *Cathedra pestilentiæ.*

Si prædicarem ego, ubi modò me audire nolunt, Regibus vel eorum Ministris, nunquam satis laudatum Balthasaris exemplum, datumque Danieli, ob veracem constantemque literarum interpretationem præmium, ob oculos ponerem. Literæ non minùs, quàm Regis mortem, coronæ Imperialis amissionem, totiusque Monarchiæ ab hostibus occupandæ jacturam portendebant: & cum nonnisi paucissimæ vitæ horæ Balthasari supererent; eâdem ipsâ horâ, quâ Daniel funestam adeò sententiam explicavit, purpurâ indutum ad maximam dignitatem evehi mandavit. Hujuscemodi præmio talem doli deceptionisque detectorem remuneravit, qui adeò deceptus vivebat. Verùm ista Regis Gentilis magnanimitas & justitia hodiedum multis deest Principibus Christianis, qui nonnisi justi videri & haberi volut, interim Imperatorem Julianum tam à veritate & ratione, propriaque sua corona, quàm à fide Apostatam imitari præeligentes. Frequentatâ jam Athenienſium Universitate Julianus sat literarum se hausisse putans, illos tantùm literatos honoribus donisque prosequebatur, qui non aliam, quàm voluntatis suæ legem agnoscebant. Quod ita antiquus ipsius condiscipulus S. Gregorius Nazianzenus describit: *Alios honoribus capiens, nimirum eos, qui nullam aliam legem, quàm Principis voluntatem agnoscebant.* Et ubi literarum Professores argumenta habent in adulatione secura, & in veritate periculis obnoxia; ecce an non magis ipsis necessarium foret, esse jubilatos in constantia, quàm graduatos esse in scientia! S. Greg. Nazian

Præter hanc præmiorum injustitiam, addit adhuc aliam majorem, quæ plus virium adjicit tentationi. Et quænam ista? Est, quod isti legum (quamvis canonicarum) perversores cum applausu habentur & audiunt scientiâ doctrinâque insigniores: è contrario autem, qui rationem defendunt, & pro fide pugnant, rudes & idiotæ: uti nostri Philosophi in opinione Maximini & Assentatorum ejus. Ista, ut dixi, tentationis circumstantia est validissima, generosorumque pectorum sensus penetrativa, quantum commodum distat ab honore. Verùm, ne doctus quisquam Christianus opinionum harum, etiam coronatarum, boatum extimescat, unicam tantùm ad memoriam revocet sententiam, quâ cum finio, & quæ æneis etiam literis insculpi meretur, in omnibus Universitatibus mundi: *Penes Regem noli videre sapiens*; id est, cave ne affectes sapientis opinionem in Regum conceptu. Cujus verò, vel à quo istud consilium, ista exhortatio & cautela? Non ab alio, quàm à Spiritu Sancto ex ore Siracidis, ne quis de eo dubitet. Si verò nihil magis æstimant, & pro re nulla, tam pacis, quàm belli tempore magis laborant, quàm ut Reges bene de se sentiant,

quare prudentes & sapientes id negligunt! Ratio est, quia Reges (communiter) doctos prudentesque non æstimant, nisi eos, qui in omnibus dictamina ipsorum approbant, illis sese conformant, quoad commoda, politicam, rationes & motiva quibus suos justificare laborant; proinde quia hoc multoties sine legum divinarum offensa, humanarumque violentia fieri nequit, similibus occurrentibus casibus consultius est, minus doctum reputari, sapientisque opinione apud Reges carere. *Penes Regem, noli velle videri sapiens.* Et notate, Spiritum Sanctum non solùm dicere, ut non velis talem opinionem apud Regem habere: sed, ut illam velis non habere: *Noli velle*; ita ut non solum prohibeat desiderium ipsum, sed desiderium desiderii; neque solùm prohibeat voluntatem, sed voluntatis velleitatem: *Noli velle*; qui enim non vult, longè abest à desiderio: qui non vult, nec velle vult, adhuc longiùs recedit. Et tam longè abesse debet sapiens & prudens omnis, ab eo, quod videri velut coram Regibus sapiens: *Penes Regem, noli velle videri sapiens.*

Istud est, quod omnis sapiens non velle velle debet; & utinam omnes non vellent, sicut non voluerunt, quos S. Catharina, non solùm verè, sed constanter sapientes fecit. Eadem sapiens & prudens victrix, per æstimationem gratiamque suam, quâ valet apud Deum, omnibus hîc præsentibus, istam fortitudinem & constantiam obtineat: ut tam gravis tentationis victores, ad mortem usque in eadem victoria perseverantes, cum iis quos illa docuit, in societatem, gloriamque triumphi admitti mereantur.

Amen.

SERMO

SERMO
PRO
Dominica in Ramis Palmarum.

Dictus in Cathedrali Ecclesia Maragnana. Anno 1656.

Alii autem cædebant ramos de arboribus & sternebant in via. Matth. 11.

§. I.

QUandoquidem non subitaneis, sed ex præparatis debitè cordibus, prodeuntibus Deus gaudet & delectatur affectibus; miris semperque efficacioribus & arctioribus dispositionibus, Sancta mater nostra Ecclesia à S. Spiritu gubernata, eminùs nos præparare cœpit, soliciteque præparavit, ut condignè ad hanc diem devenientes, hebdomadam hanc sanctam quàm decentissimè ingrederemur. *Ad Sancta Sanctorum*, sacratissimum templi Hierosolymitani locum ut perveniretur, tali Deus artificio introitum disposuit, ut tres primum stationes, tam situ, quàm spatio mysterioſas transire oporteret; quantò enim erant interiores, tantò magis in angustum coibant. Prima & secunda, dicebantur atria; tertia, propriè templum. Per istas stationes veluti quosdam reverentiæ adorationisque gradus, ita dispositos, ut paulatim magis magisque angustarentur, tandem ad *Sancta Sanctorum* perveniebatur. Similibus dispositionibus prævius vult, ordinavitque Ecclesia, ut Hebdomadam sanctam intraremus: quemadmodum enim *S. Sanctorum*, sacerrimus erant templi locus, pari modo Hebdomada sancta, est sancta Sanctorum temporis.

Stationum trium tantò angustiorum quantò interiorum, quas prævias jam emensi sumus, prima, tempus à Septuagesima usque ad Quadragesimam; secunda, à capite Quadragesimæ usque ad Dominicam Passionis; tertia, ab eadem Dominica Passionis, ad præsentem usque diem Dominicam Palmarum includit. Incipiente Septuagesimâ luctum induerunt Altaria, cantusque Ecclesiasticus dimisit Alleluja; & hæc ceremonia exterior præliminariter pœnitentiam denunciat, ut dissolutione

lutione restricta, sanctum Quadragesimæ tempus compuncti auspicaremur. Quadragesima, à cinerum pulverisque (qui fumus) exordium sumpsit; concionum frequentatione, conformibusque modestiæ, compunctionis, devotionisque Christianæ supplicationibus, tot secretis publicisque castigationibus, nec non violentâ adeò sanguinis proprii effusione continuavit: & Ecclesia omnibus istis pœnitentiæ argumentis nondum contenta, justum dolorem suum & luctum evidentiùs contestandi causa, Altarium alas præteritâ Dominicâ penitùs clausit, & ipsas Sanctissimas JEsu Christi crucifixi imagines, illo velo nigro nobis obtexit & abscondit, ut divino animarum nostrarum sponso sic oblevato, majore cum stupore, & sancto horrore, ad dies deveniremus, quos jam intravimus.

Antiqui (pro ut in S. Bernardo legitur) Hebdomadam hanc, ob tormenta, pœnas & cruciatus, quæ Christus Redemptor noster in ea sustinuit, & compassionem, dolorisque sensum, quo nos illis respondere fas est, Hebdomadam pœnosam appellant. Porrò Ecclesia universalis Hebdomadam majorem eam nuncupat, quod potissima redemptionis nostræ Mysteria in ea sint peracta; maxima amoris extrema ostensa, & misericordiæ justitiæque divinæ evidentissimum & obstupescendum exhibitum sit exemplum. Nos universa hæc simul commemorando eandem vulgari nomine Hebdomadam Sanctam compellamus: sed nescio utrum opera nostra, & exercitia in ea tam Sancti nominis obligationi respondeant. Ego nunc tam scandalo motus ex eo quod quandoque accidit, quam zelo actus illius, quod hisce sanctis diebus videri & agnosci optimum foret; assumpti loco tantum prædicare vobis statui: quidnam cuique Christiano faciendum incumbat, ut Hebdomada hæc uti nomine, ita & re sit sancta. Materia nec pia magis, nec utilis, neque occasioni congrua magis esse potest; si ille Dominus, qui hodie super civitatem Jerusalem flevit, divinos suos oculos in nostram conjiciens, suâ nobis gratiâ astiterit. Petamus illam per B. Virginis intercessionem, tam devoto cordium nostrorum affectu, ut eam obtinere mereamur.

§. II.

SS. Augustinus, Basilius, & Petrus Chrysologus quadraginta illos Quadragesimæ dies, quadraginta diluvii universalis comparant diebus. In diluvio illo universali Deus quadraginta diebus pluit pœnas: hisce quadraginta diebus aliis pluit misericordias. Ea verò nostra est protervia, ut nec bonis, nec malis quicquam nobiscum efficere possit. Pœnis castigationibusque non emendamur: misericordiis non delinimur & mollescimus. Tandem argilla. Quemadmodum Argilla radiis Solaribus indurescit; ita & nos favoribus cælestibus non tantùm non emollimur, sed duriores evadimus. Quod illius temporis hominibus accidit in diluvio primo, nobis usu venit, in secundo.

Pluere cæpit diluvium Noë: hebdomadâ primâ impleræ sunt valles, imisque ædium partibus jam aquâ mersis, in-

quilini

quilini ad altiora ascenderunt: continuavit pluviâ hebdomadâ secundâ, prævalentibusque aquis; ipsa petierunt domorum tecta: perseveravit pluvia hebdomadâ tertiâ, & ipsa jam transcendit tecta: hominesque confugerunt ad turres: hebdomadâ quartâ necdum cessans pluvia, turrium altitudinem ad medietatem usque intumescendo excessit; & confugerunt homines ad montes: pluviâ continuante etiam hebdomadâ quintâ, montium verticibus jam etiam aquâ absorptis, ad arbores tandem confugientes ex cacuminum ramis quasi suspensi pendebant. Hoc rerum statu alius effugii locus non supererat, sed unum tantum è duobus restabat, scilicet, aut natando ad arcam se recipere, aut aquis suffocatum in diluvio perire. Utinam nos bene in hoc magno contemplaremur speculo! & eheu quot nostrum hodie in eodem versantur statu! à capite Quadragesimæ in præsens usque, Deus animas nostras occupare cœpit; nos verò retrogredi semper, & à Deo de hebdomada in hebdomadam elongari & fugere pergimus. Transiit hebdomada prima Quadragesimæ, expectamus secundam; quâ similiter præteritâ, tertiam venire permittimus: hâc dissimulatâ speramus quartam: eâdem dissimulatione transmissâ quartâ, in quintam differimus negotium; hac quoque transeunte ad sextam tandem appellamus. In sexta & ultima spiritualis hujus diluvii hebdomada jam versamur, velut illi primi diluvii homines, cum manibus in ramis arborum vel cum ramis arborum in manibus: *Cadebant ramos de arboribus.* Matth. 21. v. 8.

Stantes nunc in die Ramorum, ad istum devenimus diem, & ad istam præcisè devenimus hebdomadam, in qua jam nullus amplius effugio relictus est locus. Quid igitur nobis restat? Vel suffocatos perire, vel resolutione captâ ad arcam enatare. Illi diluvii alterius natare & Noëtica in arca salvare se non valebant: quidam, quia longissimè aberant: alii, quia nihil de ea sciebant: & omnes, quia unum tantum ostium arca habebat, & hoc clausum, Deo habente clavem, ut textus inquit. In nostro hoc diluvio aliter se res habet. Noë, est Christus Salvator, mundique reparator: Arca verò, est crux ipsius, quâ genus salvavit humanum. Quod hoc tempore ita ipsius cantat Ecclesia; *Atque portum præparare arca mundo naufrago.* Typicus ille Noë portam non habebat, per quam Arcæ præsidium quærentes intromitteret. Noster verò Noë divinus quinque habet portas apertas, & quidem apertas in se ipso, ut intromittat & salvet omnes, qui ex ipso & cruce ejus salutem quærunt. O quantum diluvium hoc distat ab ille! In illo omnibus hominibus perditis, solus Noë salutem est consecutus: In hoc solus Noë divinus est suffocatus: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me;* ut omnes homines evaderent salvi. Qui in diluvio illo perierunt, sunt illi, qui sibi persuaderi non permittentes, usque dum remedium subtraheretur, differebant. Nunquid etiam è re nostra, qui hunc diem attigimus, erit diutius differre, ut cum illis pereamus? Nullatenus, Christiani, ob amantis Christi merita, & sacratissima ejusdem Vulnera. Hos paucos saltem Hebdomadæ sanctæ dies bene impendamus, ut fructum ex eis referamus: omnibus reliquis Quadragesimæ diebus tam infructuosè jam transactis. Eccles. Psal. 68. v. 3.

S. Basilius magnus inquit, cujuslibet civitatis Angelos à principio Quadragesimæ, jejunantium & non jejunantium nomina in libro describere. Quemadmodum Parochi eodem tempore omnium Parochianorum suorum nomina annotant, ut confessionis & communionis rationem ineant, ita & Angeli, jejunii. Sed præter binos istos libros, adhuc adest tertius, de quo multò nos adhuc difficiliùs exonerare valemus. Et quis iste? Est ille, quem in altari videtis. Primus liber est Parochi; secundus Angeli; tertius Christi. Singulis Quadragesimæ diebus (contrà usitatum reliquis anni diebus morem (novum nobis Christus præcipit legere Evangelium;& ex illo doctrinæ Christi diario examinabimur omnes, quotquot Christiano nomine censemur. Davidem de libro isto, universalis nomine Ecclesiæ, quæ ex hoc altari, & hac cathedra tam malè scitas nobis recitabit lectiones, loquentem audite: *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur; dies formabuntur, & nemo in eis.* Oculi tui, Domine (inquit Ecclesia) omnes meas imperfectiones vident, id est, imperfectiones eorum, ex quibus ego consto & formor, qui sunt Christiani: omnes scribentur in tuo libro: formabuntur dies, & nemo in eis. Locus est obscurus, sed admirabilis. Quod Deus librum habeat, in quo defectus & peccata omnium, & nomina peccatorum, nec non dies, quibus sunt commissa, signet, notum quid & vulgatum est in Scripturis. Quinam verò sunt isti dies, qui formati vocantur, in quibus nemo invenitur? *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Vel maximè propriè dies sunt Quadragesimales, in quorum quolibet Christus

Ps. 138. v. 16.

specialem nobis proponit Evangelii formam, cui velut exemplari & actionum nostrarum ideæ nos conformare, & reformare debemus; hic enim sacri temporis hujus scopus est & intentio. Et quia nemo se reformat, neque Evangelico diei illius proposito se conformat, hinc Propheta dies formari, neminem verò in eis in veniri inquit: *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Ita ut Ly *Nemo*, referatur ad *formabuntur*; q. d. *Dies formabuntur, & nemo in eis*, id est, formabitur. Dies dant formam, & nemo se illi accommodat; nam cum cujuslibet forma Evangelii qualibet ordinata sit die, pro vitii cujuslibet reformatione, loco ejus, quod emendatio & reformatio apparere deberet, eædem, & fortè majores adhuc continuantur deformitates.

O si liber iste sic appareret, uti conscriptus & notatus est, & in mente collatus divina! ô si libro isto in oculis omnium aperto publicè recitari inciperet, quicquid singuli in hac Quadragesima aut fecerunt, aut facere neglexerunt; quantò suffunderentur rubore & verecundiâ multi, si de die in diem, cum Evangeliorum formæ vitæ ipsorum deformitas conferretur! advenit primus Quadragesimæ dies, subsecuta quarta Feria Cinerum, nec memoriam tantùm mortis, sed ipsam nobis ob oculos posuit mortem; & quotnam correxerunt viram? Inspiciatur libet pro hac die: *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Transiit dies, & nullus invenitur in ea; eandem continuamus vicam, quasi nunquam finiendam, reddendæque rationis adeò obliti, ac si Deus eam non foret exacturus. Adfuit prima feria sexta Quadragesimæ, lectum in ea fuit admirabile illud de inimicorum dilectione

ne Evangelium, & quot, quæso, odia & rancores ex animo dimiserunt, & de vindictæ propositis contriti & pœnitentes in gratiam redire curârunt? *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Transiit dies, nec odia transierunt: adhuc talis adversatur tali, necdum sibi mutuò loquuntur, necdum mutuam sibi salutem impertiuntur; adhuc inimici ad invicem perseverant, adhuc scandalosi, & nondum Christiani, ut anteà. Advenit Dominica de Tentationibus: quo pacto Christus illas nos vincere suo docuerit exemplo cum tanto vidimus contemptu, cùm sint tam naturales; tamque generoso & resoluto animo, cùm sint tam validæ: verùm quot quantasve, eo viso, victorias reportamus à diabolo? *Dies formabuntur, & nemo in eis*; diabolus semper victor, & victor sine conflictu; ubi enim peccatur ex habitu, ibi nulla resistentia. Toties victi, quoties tentati; & quod pejus est, ante victi, quàm tentati: cum diabolo, multos tentare non sit opus, illi enim ipsi tentationes pessimosque quærunt tentatores. Subsecuta adfuit Dominica secunda de Gloria: Vidimus Christum gloriosè transfiguratum, & S. Petrum in monte Thabor extaticum: & quotus quis præ cælestium desiderio, vel parumper à terrenis abstinuisset? *Dies formabuntur, & nemo in eis.* In tali similiter die Charta Blanca. Tantum terræ affixi, tam cœci, tam sepulti, tales talpæ in ea, ac si cælum creatum non esset pro nobis, neque nos pro illo: & quasi Filius Dei id nobis proprio Sanguine suo non comparâsset! Appropinquavit Dominica tertia, de dæmonio muto: & quot esse putamus, qui aliena silentio premere, propria verò sua peccata, ut oportet, confiteri curaverint? *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Adhuc miser ille, adhuc misera illa, tanto jam tempore occultum gerens peccatum, illud confiteri non resolvit; in qualibet proindè confessione novum sacrilegium addens, non considerando, quod justo Dei judicio multis exemplis probato, loquela & confessio deficiat in morte, qui eam, prout oportet, neglexerunt peragere in vita. Adfuit tandem aliqua feria sexta, de Lazaro resuscitato, quatriduano jam mortuo; & quisnam aut juvenum, aut senum, ejusdem incitatus exemplo, è suo se se erexit sepulchro, in quo tot mensibus, immò tot fortè jam annis in vitiorum suorum sordibus putridus jacuit? Advenêre dies, quibus Samaritana, & Maria Magdalena memorantur conversæ, quarum una conditione vilior, altera nobilior; & quænam, quæso, mulier aut jam perdita, aut in perditionis discrimine constituta, propriæ suæ salutis dispendium considerans, apertis oculis suam conspexit cœcitatem? *Dies formabuntur, & nemo in eis.* Eædem adhuc perseverant cogitationes & maledictæ solicitudines; eædem adhuc foventur correspondentiæ, familiaritates, & occasiones; eædem adhuc vigent turpitudines & scandala: idem adhuc nutritur & ardet ignis, nonnisi cum igne infernali finiturus.

Ecce Christiani, quomodo multi vestrûm transegerunt Quadragesimam tot infructuosè perdendo dies, quibus, apertis oculis vos intus potuisseris conspicere! semper aures vocibus obturâstis cælestibus: & corda divinis occlusistis inspirationibus. Transacti jam dies sunt irrecuperabiles sine remedio: ab hinc usque ad feriam quintam proximam (quam sibi vel maximè incuriæ reservârunt conscien-

scientiæ) non nisi tres fluent dies: nunquid & hosce infructuosè transmittere consultum est?

Evomitus à Balæna (utì sæpius audistis) in littus Ninive Propheta Jonas vastissimam & populosissimam illam civitatem ingressus, prædicando elatâ voce intonuit: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.* Sic habet textus vulgatus Bibliorum, quibus hodie Ecclesia utitur. Septuaginta verò interpretes, etiam Canonici, loco quadraginta dierum, ponunt tantum tres, & Jonam dixisse inquiunt: *Adhuc tres dies, & Ninive subvertetur.* Omnes textuum horum dissonantiam & difficultatem cernitis; nam si certum est, Jonam dixisse: *Adhuc quadraginta dies*; quomodo huic concordare poterit, quod dixerit: *Adhuc dies tres?* S. Isidorus Pelusiota dubium admirabiliter solvit, dicens: utrumque dixisse Prophetam, non eodem, sed temporibus diversis. Exordiendo prædicationem dixit: *Adhuc quadraginta dies*; concludendo verò ait: *Adhuc dies tres.* Casus hoc modo se habuit: Ingressus Jonas die primâ prædicavit, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur*; & plurimi Ninivitarum verba peregrini risibus excepterunt. Illucescente altero die, Propheta prædicationem eandem continuavit, sed unum detrahendo diem, scilicet jam præteritum, dixit sic: adhuc triginta novem dies, & Ninive subvertetur: verùm qui riserant primam, similiter prædicationem exploserunt secundam. Illucescente die tertio assumptum idem Jonas intonare perrexit: adhuc triginta & octo dies, & Ninive subvertetur, & Auditores mali fecerunt ut ante. Transierunt decem, viginti, immo triginta dies, & Jonas semper imminuendo numerum dierum prædicare perrexit, usque dum tandem ad numerum trigesimum septimum pervenit: quando juxtà Septuginta Interpretum textum tres tantum super erant dies: *Adhuc tres dies & Ninive subvertetur.* Hi enim solummodò, indulti ipsis placiti divini complemento deerant. Videntes igitur rebelles & obstinati, non nisi tres sibi superesse dies, quamvis eousque adeò fuissent insensitivi & pertinaces, ipsa temporis brevitate stimulati in se sunt reversi. Convenientem suis culpis Prophetæ comminationem considerando, non hominis illam, sed Dei vocem credentes, periculumque jam in foribus adesse agnoscentes, quod non æstimarant, dum adhuc eminùs interminaretur; ex toto se corde convertere resolverunt. Capitibus cinere conspersis, & ex toto ciliciis & saccis induti, universale indicunt jejunium tam arctum, ut vel minimum cibi gustare illicitum esset, humi prostrati, pectora tundunt, & cælum pœnitentiæ fletibus & ejulatibus implent. Et à Rege usque ad civitatis infimum, ab hominibus usque ad pecora & bruta animantia rigidissimam illam & notatu dignam egêre pœnitentiam, quâ interminatam sibi punitionem reconciliato jam Deo, peccatisque remissis evaserunt.

Jonæ 3. v. 4.

Isid. Pelus.

Ninivitæ erant Gentiles: Nos gratiâ Dei sumus Christiani. Quælibet civitas est Ninive major; & quælibet domus Ninive est minor: & quælibet anima major Ninive utraque. Quamvis omni nos die ad Deum convertere possimus; tempus nihilominùs à divina nobis misericordia, pro pœnitentia agenda singulariter assignatum, est illud Quadragesimale,

male, quadraginta dierum. Horum dierum maximus, in quo omnes, vel ex vera devotione, vel pia consuetudine, & ceremonia, ad pedes Christi prostrati, indulgentiam ab eo in Sacramento petimus uno, eundemque recipimus in altero, est dies feriæ quintæ sive cœna Domini. Hoc magno die, pro cujusque dispositione convertuntur aut subvertuntur Ninives: vel convertuntur aut perduntur animæ, sicut illa Judæ. Residuos tantum huic ultimo numerate dies, nec plures quàm tres invenietis: *Adhuc tres dies*. Prô quanta foret infelicitas, quàmque charactere, & pietate Christianâ indigna, si illi, qui Gentiles imitati sunt in differendo, eosdem non æmularentur, quamvis tardè se convertendo! Ninivitæ, inquit Christus, in die judicii consurgentes condemnabunt populi istius duritiam & incredulitatem, cui Christus, non subsequente conversione infructuosè prædicabat. Reverentiæ ergò in Christum, eos contrà nos consurgere non patiamur. Si Ninivitæ sine fide, sine Baptismo, si flagitiosissimus omnium hominum Rex eorum Sardanapalus, tam angusto se termino videndo constrictos, cognita periculi propinquitate, mediis tam extraordinariis remedium quæsierunt: quare nos, quibus expansis Deus brachiis illud tam pomptè & expeditè, à tot jam diebus offert, illud respuamus?

Concludamus veritatem agnoscere, antequam indultum nobis transeat tem-
1 Cor. 6. v. 2. pus: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Resolvamus seriò tractare de salute, antequam portæ occludantur misericordiæ: *Ecce nunc dies salutis.* Vel decrevimus quandoque nos convertere ad Deum, vel non: si non, quare Christiani sumus? Alia spatiosa magis via ad infernum tendere poteramus. Verùm si nullus tam infensus est animæ suæ hostis, quin saltem aliquando eandem ex dæmonis potestate ereptam, Dei manibus tradere cupiat & intendat, quando, quæso, iste aderit dies? Quinam, quæso, proposito huic opportuniores aut sperari aut haberi possunt, quàm hi Hebdomadæ Sanctæ; Quinam, quæso, dies petendæ & impetrandæ à Deo peccatorum veniæ congruentiùs deservire possunt, quàm illi ipsi, quibus Deus, pro meis in crucem actus est peccatis? Quinam denique dies ad participandum ex meritis Sanguinis Christi magis conveniunt, quam illi, quibus idem Sanguis profusus est? Præsens, præsens, & non futurum tempus acceptum est Deo: *Ecce nunc tempus acceptabile.* Dies hi, dies hi, & non secuturi incerti & deceptorii, dies sunt salutis: *Ecce nunc dies salutis.*

§. III.

SUpposito igitur, Christiani! hocce esse tempus, & hosce esse præcisè dies, quibus elapsis nulli ad appellandum restant, nostra nunc interest, deperditum restaurare, illosque nobis dies veræ contritionis actibus devotionisque exercitiis reddere fructuosos, quo Hebdomada hæc Sancta, qualis in se est, in nobis quoque Sancta existat. Præcisos ab arboribus ramos, quibuscum occursum est Christo, *cadebant ramos de arboribus*, quamvis S. Matthæus non specificarit, S. Joannes ex palmis, S. Lucas de olivis fuisse asserit. Proinde binis hisce, per ramos istos significatis affectibus Christum sequi, omnibusque

passibus ipsius inhærentes, humilitatis hæc officia sacratissimis pedibus ipsius exhibere nos oportet: hoc enim verba ista innuunt: *& sternebant in via.* Palma patientiæ est symbolum; sicut oliva compassionis & misericordiæ: & duo hæc mysteria ramorum illorum apparatus & differentia includebat. Pati & compati. Hoc modo benignissimum Regem Redemptoremque nostrum longè sanè gratius comitabimur & excipiemus, quàm ingrata illa & inconstans Jerusalem fecit; si non tantum hoc, verùm omni die aliquid cum ipso fuerimus passi, & compassi. Quod totum S. Paulus uno tantùm verbo comprehendit, dicens: *Si tamen compatimur.* Unum est compati, altero cum eo pati: compati est illi compati; Similiter pati, est cum eo pati: passionem à nobis merentur ejus pœnæ & ærumnæ; sicut compassionem ejus amor. Tota sacra corporis animæque Christi humanitas multum nobis semper promeruit, sed nunquam tantum quantum hisce diebus: patiendo imitantes ejus tormenta & cruciatus, sacratissimum ipsius comitabimur corpus: compatiendo devotâ meditatione ipsius recolentes dolores, sanctissimam ipsius comitabimur animam.

Rom. 8. v. 17.

Dico igitur, quantum ad corpus, aliquem hac hebdomada dolorem & molestiam quinque sensibus inferendam, quemadmodum Christus in omnibus est passus. Adam & Eva in unico tantùm peccato omnibus quinque peccârunt sensibus. Peccârunt auditu, serpentem audiendo: peccârunt visu, fructum aspiciendo: peccârunt tactu, decerpendo: peccârunt odoratu, eum olfaciendo: peccârunt gustu, illum comedendo. Omnibus istis sensibus quinque primi nostri peccavêre parentes; & nos tam miseriarum, quàm culparum hæredes in omnibus peccamus infinities. Et quoniam Christus pro peccato Adami nostrisque omnibus satisfacturus advenerat, in omnibus quinque sensibus pati voluit.

Passus est in sensu Visus, omnium Discipulorum suorum fugam, & unius eorum tam proditoriam sui traditionem, alteriusque eorum ternam negationem videns: se capi, ligari, captivumque per plateas publicas, & de tribunali ad tribunal indignissimè raptari potiùs, quàm duci cernens; oculos sibi velari, vestibus se in Prætorio nudari, exutumque in oculis totius mundi, & inter duos latrones medium constitutum conspiciens: super omnia desolatam suam Matrem ad pedem crucis stantem aspiciens, in cujus corde & oculis ter denuò crucifixus erat. Denique mea vestraque coram intuens peccata, quibus non minùs, atque illos qui præsentes aderant illâ horâ, tanto nos amori suo ingratos futuros prævidebat.

Passus est in sensu Auditus, proditorium illud *Ave* ex ore Judæ audiens, crimina falsaque contra se allegata testimonia audiens; voces clamoresque, quibus iidem, qui hodie Regem illum acclamârunt, mortis in eum sententiam extorquebant, ipsamque mortis sententiam, qua ab iniquissimo judice lata, hostium suorum voluntati tradebatur; malefactorem, populique seductorem se publicè proclamari audiens: injurias, blasphemias, criminationes, opprobaria, quibus pendens è cruce à Principibus Sacerdotum, ipsisque supplicii ejusdem sociis latronibus impetebatur, auribus excipiens: toto illo

Passio-

Passionis tempore ne vel ullum à quoquam consolationis audiens verbum, ille Dominus, qui & factis & verbis tot fuerat consolatus.

Passus est in sensu Odoratûs, inter fœtores & horrores Montis Calvariæ, à calvariis ossibusque malefactorum, qui ibidem morte plectebantur, sic vocati; quæ quia non nisi obiter & neglectim à lictoribus sepeliebantur, vel à canibus eruebantur, per totum dispersa montem, promiscuè sanguinibus carnibusque putrefactis infamem illum locum, horribilem, fœditum, olfactuique intolerabilem reddebant. Et quoniam peccatorum nostrorum expiator non solùm locum mortis, verùm etiam loci circumstantiam elegit; ad satisfaciendum in eo, pro olfactûs nostri excessibus, tam horridum & malè olentem esse voluit.

Passus est in sensu Gustûs, non solùm ex felle & aceto sibi propinato, sed multò ampliùs ex ardentissima illa, omnes cruciatus excedente siti, quæ patientissimum Redemptorem levamen petere compulit. Prævalente verò plura pro nobis patiendi desiderio, vi naturæ, in Humanitate jam debilitata & exhausta, delibatâ tantùm aceti acrimoniâ, fellisque amaritudine Gustûs affligendi causâ degustata, liquorem sumere recusavit, ne temperaretur ardor, & restingueretur sitis.

Denique passus est in sensu Tactûs, non relictâ vel minimâ in toto corpore ipsius sacratissimo parte, specialis tormenti & doloris experte. In brachiis passus est funes & catenas: in facie colaphos & alapas: in capite spineam coronam: in humeris pondus crucis: in lateribus millenos flagellorum ictus: in manibus & pedibus clavos: in omnibus ossibus, nervis, venis, arteriis, distensionem, luxationem, suspensionem, cruciatum, violentiam plùsquàm lethiferam, tribus horis in cruce pendens donec in ea expiraret.

Si igitur Deus meus tam dira, hisce diebus in suis quinque sensibus solo amore mei perpessus est; nunquid justitia exiget, ut & ego in omnibus quinque sensibus meis aliquid patiar amore ipsius? Nullum tam ingratum cor fore spero, & insensitivum, quin hac ratione moveatur: *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu*; inquit S. Paulus. Quod Christus sensit in se, hoc nos sentire debemus in nobis: ille amore nostri, & nos amore ipsius. Porrò si devotio vestra nôsse cupit, aut me interrogat, quonam pacto reciprocè sensus nostros practicè mortificare oporteat: dico primò. Ut mortificemus Visum, singulari incedendo modestiâ, & circumspectione, objecta creaturarum oculis denegando; & in specie à magis placitis eos avertendo, quæ à Deo magis nos elongant. Oculis Deus duo commisit officia, videre scilicet & flere: & ad flendum potiùs quàm ad videndum creati videntur; cæci etenim non vident & flent. Agite, cum tot nunc oculis indulserimus dies ad videndum, nunquid non ipsis jam fatigatis aliquot feriarum dies assignabimus, quibus quiescant in fletu? Deplorent oculi nostri peccata nostra, in specie plorent vehementer, quod non potiùs cæci fuerint conditi, quàm Deum offenderint. Ah quantò præstitisset oculis caruisse, quàm eisdem te offendisse!

Ad Philip. 2. v. 5.

Sensum Auditûs [mortificemus sub-

trahendo nos hebdomada hac ab omnibus colloquiis & conversationibus, non illicitis tantùm & otiosis, verùm etiam licitis. Auditum in lectionem commutantes, indies librum quendam spiritualem legamus, in quo Deus nobis loquatur & nos illum audiamus. Non exercitaris in orando faciliùs fructuosiusque est legere. In lectione Deus loquitur nobis: in oratione loquimur Deo. Prô quot & qualia (quæ non audivisse meliùs fuisset) toto anno audivimus ab hominibus! itaque hisce saltem diebus consultissimum erit audire Deum.

In sensu Olfactûs perparum viris in hac terra mortificandum videtur, non enim hoc in ea vitium deprehendo. Si qua in Mulieribus superfluitas & abusus reperitur, meminerint Mariam Magdalenam aromata sua & unguenta ad pedes Christi effudisse. Ut efficaciùs ea deinceps detestentur & abhorreant semper, hæc ipsa unguenta, ultimam ejusdem Domini dispositionem ad mortem fuisse nôrint. Quia Maria Magdalena effudit unguenta, hinc in Juda exitata fuit cupiditas & concupiscentia: quia in Juda excitata fuit concupiscentia, hinc de proditione & venditione tractavit. Vendidit enim Magistrum suum, quem captivarunt & occiderunt. Idcircò inquit Christus (juxtà literalem sensum) *Mittens hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Ac si dixisset: unguenta sepulturæ meæ deserviunt; morti enim meæ occasionem præbent.

Matth. 26. v. 12.

Sensus Gustus quamvis totius Quadragesimæ curriculo jejunio se mortificarit ordinario; peculiari nihilominùs hisce diebus mortificatione eundem exercere consultum videtur. Multi Sanctorum in eremo integram Hebdomadam jejuni transigebant! multæ personæ quoque diversorum Ordinum & conditionum, non in eremo, sed in ipsis etiam aulis, à feria quinta usque ad Sabbathum jejunant. Potissimis hujusce hebdomadæ diebus Principum quorundam stylus est, non nisi herbas & legumina ad mensam admittere: hisce diebus assignata sunt jejunia in pane & aqua: saltem deliciis eos dedicare nefas est. Deus agnum paschalem cum lactucis manducari præcepit agrestibus; agreste enim & insipidum optimè disponunt hominem ad dignè comedendum in Sacramento, feria quinta Agnum Divinum.

Sensus Tactus tanquam vilior, & in peccando frequentior cæteris omnibus, justè & meritò hisce diebus majoribus mortificationibus exercendus est. Quando Urias ex castris nuncius ad Regem David venerat, mandavit illi Rex, ut abiret in domum suam & quiesceret: at ipse quid respondit? Quæso Domine, Dux meus Joab sub dio dormit, & ego in lecto meo quiescam? Non faciam tale quid in despectum ejus: & egressus foras antè portam aulæ inter custodias alicubi in asse cubando dormivit. Lectus, in quo ultimum suum cepit somnum Dominus noster dulcis Jesus, qualis fuerit probe nôstis. Æquumne igitur erit, dum ille lecti vice tam durum & imite Crucis habet lignum, corpus nostrum æquè, ut aliis diebus, molliter quiescat? Rationi congruum & consultum est, aliquo saltem hosce dies ab aliis discrimine differre. Rex saltem noster, ejusque filii, à feria quinta usque ad Dominicam, non incubant lectis, nec sedent, nisi in terra, semper Christo Domino assistentes, nec diu, nec noctu

è Capella Regia egressi. Hæ sunt noctes, hi sunt dies pœnitentiæ deputati: istis noctibus debentur pedes excalceati & nudi, istis noctibus ordinatæ sunt disciplinæ, istis denique diebus ac noctibus cilicia sunt gestanda. Quàm rara cilicia erunt Maragnanæ! verùm in hoc estis excusati.

Ninivitæ pœnitentiam agere resolventes, non homines solùm sed ipsa etiam animantia ciliciis operiri mandarunt. Quod tam universalis fuerit pœnitentia non equidem miror, siquidem contritio vera ad extrema ista descendit. Hoc quod admirari meritò plurimi possint, est, quod, cum tam ampla & populosa foret civitas, ut ultra centum viginti millia infantum haberet; incolæ verò tam depravatæ & flagitiosæ essent vitæ, ut Deus civitatis subversionem fuerit comminatus, tanta nihilominùs ibidem fuerit ciliciorum copia, ut tanta hominum, virorum, mulierum, puerorum & infantium, imò & animantium immensitas illis potuerit operiri. Nisi Scriptura id assereret, incredibilis meritò videretur, facilem nihilominus fidem meretur. Non requiritur ut cilicia ex pilis camelorum sint contexta, sicut illud Joannis Baptistæ: ex quacunque materia aspera fit cilicium, si tantùm devotio, illudque gestandi voluntas non desit. Fratrem habuit Societas nostra Ludovicum Gonzaga nomine, hæredem Marchionum de Castillione in Italia: Porrò quia ædes paternæ plura continebant instrumenta equitaturæ, quam agendæ pœnitentiæ; devotus adolescens acceptas calcarium rotulas vice cilicii, utrique lateri suo applicabat. Et hoc modo admotis lateribus suis calcaribus, tanta alacritate viam virtutis perfectionisque decurrit, ut viginti tres vitæ annos necdum assecutus, meruerit (uti jam est) annumerari Beatis: proinde pro ciliciis necessarii non sunt cameli, neque texturæ, si devotio tantùm, & bona non desit voluntas.

Hisce mortificationis exercitiis, quinque sensus nostros, hac hebdomada pœnis Christi conformari oportet. De aliorum continentia vitiorum non loquor: scio quippe, quod in Christianorum terra versemur. Ast quoniam simul in terra degimus militum, in die Ramorum etiam ludorum domos, & tabernas claudi, officialesque nihil horum vel perditissimo etiam militi indulgere debere adverto. Conqueritur Christus per Prophetam, quod in die passionis suæ milites super vestimentis suis lusum aleatorium habuerint: *Et super vestem meam miserunt sortem*; & ita factum est: Crucifixores enim, Christo jam cruci acclavato, sumptis & jactis aleis luserunt, cuinam sacrum ipsius vestimentum sorti tò obtingeret. Et mox Evangelista adjungit: *Et milites quidem hæc fecerunt.* Etiam fuerunt milites, qui crucifixerunt: Sed non ad hoc Evangelista se reflectit, quod crucifixerunt; sed quod super vestimento ipsius luserunt: crucifigere enim Christum, obedientiæ superioribus debitæ fuit actus, super vestimentum autem ipsius sortem mittere, privatæ erat pravitatis. Nostis quinam instar istorum hisce ludant diebus? Solum qui crucifigunt Christum, sortemque super vestem ipsius mitterent, si haberent. Narrabo vobis, quid mihi in Anglia contigerit: Aderant mihi duo Lusitani, qui Dominica die in hospitio in aleatorio

Ps 21. v. 19.

Joannis 19. v. 24.

ludebant: prodibat hospes irâ & indignatione succensus, inquiens, agedùm Domini, nunquid domum meam in cineres redigi vultis? Domum exuri? Inquiunt illi, & quare? Quia est lusus, qui foris audiri potest, qui si Magistratui innotesceret, de me jam actum foret. Ita dicebat homo iste: & ita deberet esse. Et quod magis miremini, civitas seu oppidum vocabatur Douresium, portus, & scala maritima, ubi ad unum omnes, nemine excepto, sunt Hæretici. Prô pudorem & verecundiam pro nobis, qui tantum de nomine gloriamur Catholico! si in locis hæreticis sacrilegium reputatur, communi Dominico die ludere aleis, quid, quæso, erit, his aliisve ludis vacare hebdomadâ sanctâ, in terra, ubi crux, & crucifixi imagines adorantur, nec non mortis ipsius mysteria ecoluntur & celebrantur? Hæc quoque ex mortificationibus ipsum corpus afficientibus una esto.

§. IV.

ANimæ verò quid agendum? Corpus imitandum. Corpus cum ramis palmæ, anima cum frondibus olivæ. Anima hisce diebus, ex corde faciat montem Calvariæ, erectoque ibidem Crucifixo, hoc modo dolores ipsius contempletur. O si quis modò eos contemplando assequi, & silendo posset effari! Amici Job ipsum in suis miseriis & ærumnis visitantes, teste Scripturâ, integra hebdomadâ ejusdem contemplatione suspensi, quasi elingues, nullo pro lato verbo substiterunt. Idem hebdomada hac animabus nostris faciendum incumbit, si dulcissimi Jesu veræ sunt amicæ. Contemplandum, tacendum, & obstupescendum. O contemplationem! ô silentium! ô admirationem! ô stuporem! in tribus tantùm, hac durante suspensione, animabus nostris semetipsas interrogare permitto. Quis patitur? Quid patitur? Pro quibus patitur? O qualis hæc meditatio, pro æternitate!

Quis patitur? Deus: Ens illud infinitum, æternum, immensum & omnipotens: ille, qui cælum terramque verbo creavit uno, & in nihilum redigere potest altero. Ille, in cujus conspectu Principatus, Potestates, Dominationes, omnesque Hierarchiæ contremiscunt. Ille Deus, cujus magnificentiam, cujus majestatem, cujus excellentiam incomprehensibilem, ipse solus plenè & integrè cognoscit, nullusque intellectus creatus ob distantiam infinitam aliquatenus assequi sufficit, iste, iste est qui patitur. Hic admirabundum subsistere paulisper oportet. S. Bernardus hæc considerando stupore & admiratione absorptus, in hæc verba prorupit: Ergo credendum est, quod iste sit Deus, qui flagellatus, qui conspuitur, qui crucifigitur? q. d. Estne possibile, credendum esse, ipsum, qui tot injurias, & contumelias, imò ipsum patitur mortem, esse Deum istum immortalem, impassibilem, æternum, principii expertem, omniumque entium principium & fontem? Idem prorsus ille est; iste enim nec Deus, nec fides nostra fides esset, nisi ille fecisset, & nos crederemus. Quod humanam omnem excedit capacitatem. Hinc Isaias de passione loqui disponens, tanquam Propheta omnium aliorum eloquentissimus, ab hac interro-

gatione

Isa. 53. v. 1. gatione exorsus est: *Quis credidit auditui nostro?* q. d. quis fidem habebit illis, quæ ex ore meo audiet? Tantùm patiens distat ab illis, quæ patitur, & iste est Deus. Ecce, annon admiratione dignum hîc occurrat?

Considerato jam, quod Deus sit, qui patitur; considerandum sequitur, quid patitur. Nec solùm ad memoriam revocandum est, quod ipsum exterioribus in sensibus sacri sui corporis jam passum vidimus; sed multò potiùs considerandum & ponderandum, quod intus in anima, omnibusque ipsius potentiis perpessus est. Duplici nomine, geminâque similitudine Redemptor noster nobis innuit, quod sua in passione pro nobis sustinuit. Nomine & similitudine calicis, dicens sancto Petro: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* Et nomine & similitudine Baptismi, omnibus loquens Discipulis: *Baptismo habeo baptizari, & quomodo coactor donec perficiatur?* Ita ut Christus, quid pro nobis passurus esset, declarando, modò illud calicem, & modò Baptismum vocet: & quare? Quia Baptismus exteriùs, & calix interius recipitur: & Christus Redemptor noster totâ suâ durante passione, non solùm cruciatus & tormenta exteriùs, verùm etiam, & multò quidem amplius, animæ martyrium & afflictiones sustinuit. Exteriùs flagellorum, spinarum, clavorum, lanceæque tormenta sustinuit, quibus totus sanguine perfusus fuit, ideo ea Baptismum appellavit: interius tristitias, mœrores, tædia, timores, angustias, & agonias perpessus est, quæ nullo admoto adhuc ferro ex omnibus ipsi venis in horto Sanguinem exprosserunt, animamque ad mortem usque afflixerunt: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Matth. 26. v. 38.

Joan. 18. v. 11.

O si quis profundè in ipsa interiora animæ JESU ingressus, quid in sacratissimo & secretissimo trium potentiarum consistorio, tot horis agitatum & collatum fuerit, audire potuisset! Memoria, omnium ab origine mundi hominum repræsentabat peccata, pro quibus divinæ satis faciebat justitiæ: intellectus paucitatem considerabat & ponderabat eorum, qui infiniti tormentorum istorum pretii participes se se redditurі erant: Voluntas verò colliquescebat dolore, videns tot animas suâ perire culpâ, nullo tantæ jacturæ solatio sibi relicto: & hæc tristitia totam Salvatoris nostri animam occupans tribus acutissimis eam clavis configebat. Hîc nunc secundò subsistendum, & tam super infinito amore ipsius, quàm nostra cœcitate obstupescendum. O Domine, quot fortassis eorum, qui nunc in hac Ecclesia præsentes, tunc videris tuam in agoniam adigentes animam, eò quod suas in damnationem animas essent præcipitaturi! Quilibet consideret seipsum, utrum ex eorum sit numero, periculumque suum attendat, dum tempus adhuc favet.

Iste est Deus, qui patitur isti sunt dolores & cruciatus quos sustinet: restat tantùm videre, pro quo patitur. Nisi à fide aliter doctus essem, pro cælo ipsum pati opinarer: Solem enim tenebris obductum, luctuque indutum conspicio: propter terram Deum pati putarem; illam enim contremiscere, & è suo evelli centro intueor: propter lapides illum parti existimarem; eos enim ad se invicem collidi, scindi, & sepulchra aperiri cerno.

cerno. Propter templum Hierosolymitanum illum pati cogitarem; Velum enim *Sanctis Sanctorum* oppansum, à summo deorsum scindi video. Pro mundo hoc elementari illum arbitrarer pati; omnia enim elementa confusa, perturbata, attonita ex prodigiis stupendis conspicio. Ast non sunt istæ creaturæ, pro quibus patitur Deus, quamvis omnes suum confiteantur pati creatorem: & cùm irrationales & insensitivæ existant, cum eodem voluerunt finire, quando ille mortem voluit subire. Pro quibusnam igitur patitur author naturæ, & pro quibusnam moritur author vitæ? Pro me, vobis, & omnibus hominibus. Pro nobis, & solùm pro nobis patitur Deus: pro nobis, & solùm pro nobis patitur, quicquid patitur. Pro nobis, quia postquam nos creavit, illum non reveremur: pro nobis, quia postquam nos redemit, illi non obedimus: pro nobis, quia postquam nos sustentavit, ei non servimus: pro nobis, quia postquam pro nobis mortem oppetiit, illum non amamus: pro nobis, eò quod ipsum semel in crucem actum millies denuò crucifigimus: pro nobis, quia expansis nos invitando brachiis vocantem audire contemnimus: pro nobis denique, scientes enim, quod judicaturus nos adveniet, cælumque non offendentibus promittat: præeligimus infernum sine illo, quàm cælum cum ipso. Hoc homo quilibet mortaliter peccando facit; & facere pergit, quousque à peccando non desistit; ut clarè pateat, utrum non solùm majorem admirandi, verum judicium etiam suum captivandi habeat rationem.

§. V.

ISta sunt, Christiani, tria illa puncta brevia & profunda, hisce paucis diebus seriò & devotè meditanda, quæ iterum repeto ut meliùs memoriæ hæreant: Quis, Quid, & pro Quibus patitur. De vestro spero pio affectu, fore ut non hisce Hebdomadæ sanctæ tantummodò, sed omnibus vitæ vestræ diebus hanc assumatis devotionem, adeò debitam illi, qui nostrum promeritus est amorem, amore nostri suam exponendo vitam. Porrò nemo se excuset obtendendo quod meditari aut discurrere ignoret; non enim discursus, sed voluntatem & affectus desiderat Deus: immò ne nostras quidem exigit voluntates, *solis* memoriis contentus: *Hoc facite in meam commemorationem*; Filii, inquit Christus, dedi vitam, dedi Sanguinem, me ipsum amore vestri dedi totum, nec aliam à vobis exigo mercedem, quàm ut mei reminiscamini. Ex omnibus, quæ Filius Dei in vita sua & morte aut dixit aut fecit, nihil æquè valet ad emolliendum quodlibet cor hominis, ac ultima illa recommendatio, quando discessit à nobis. Quod amore hominum Deus factus est homo, & amore hominum mortuus, ab eisdem exigit, ut reminiscantur ipsius. O Amor! ô pietas divina! ô duritia, ô ingratitudo humana! usque adeo amabilis & benignus est Deus, ut nos sui memores esse velit; & nos tam sumus duri & ingrati, ut Deo idipsum à nobis petere sit necessarium? Non me sic emollit, non me sic ad compassionem movet totum illud quod Christus fuit passus, Luc. 24. v. 19.

uti

uti illud quod in corde ipsius, & in cordibus nostris dolorosa hæc recommendatio prodit. Et quam, quæso Christiani, indignum & probrosum foret, aut jam est cordibus nostris, tam bono memoriam tantum nostram petenti Domino, illam adhuc denegare.

Eja, pro Sanguinis, mortis, omniumque JEsu Christi tormentorum, quæ sustinuit reverentia, saltem hisce sanctis, hoc nec sit, nec fiat diebus. Cruciatuum & dolorum ipsius recordemur; pœnarum recordemur & vulnerum, & super omnia, ejus recordemur amoris. Cum hac memoria surgamus mane, cum hac memoria incumbamus vespere, noctisque partem ei consecremus. Et specialiter istam vobis memoriam recommendo in Ecclesiis, aut dum Ecclesias visitatis. Magna est illa hominum miseria & infirmitas, nec minor diaboli astutia, qui in hac quoque Hebdomadâ sancta, suos nobis tendit laqueos, ex propria nostra devotione contextos. Ecclesiæ non ad ostentationem, vel ex curiositate, aut ad videndum, quis vadat, quomodo vadat, aut quocum socio vadat, frequentandæ sunt: verùm defixis humi oculis, menteque sollicitè in se collecta, considerando, quod eodem die, similibusque passibus, Deus bajulans crucem ad moriendum pro me, ne ego morerer æternùm, tantaque tormenta, ut me ab illis inferni liberaret, patiendum perrexerit. O quàm præclara & efficax est memoria ista, ad eliminandum omnia alia noxia cogitationum phantasmata! denique ad Ecclesiam venientes imaginari sibi oportet, ad Montem se venire Calvariæ (quod sola non est imaginatio; sed de fide veritas, ibi enim realiter Christus adest) idque reipse & practicè facere, quod facerent, si Christus esset affixus cruci, & idipsum coram oculis cernerent.

Cum tali modestiâ, & consideratione frequentandæ & visitandæ sunt Ecclesiæ, & cum tali, immò longè majore modestia & consideratione officiis assistendum est divinis: non circumspiciendum, fabulandum, negotiandum, quod non nisi maledictum redoleat abusum, qui cùm in aliis Christianis ignoretur regionibus, in Hispania tantum & Lusitania (ubi tantum nos gloriamur Catholicos) non sine maximo Hæreticorum scandalo & detestatione invaluit. Utinam in Ecclesiis nostris sic assisteremus divinis, sicut illi in suis, tam sacro indignis nomine assistunt, ubi neque altare, neque crux, neque Christus est! Ejusdem Christi amore, Christiani & Christianæ, tantum ne committamus dedecus, neque fidei tam publicam & manifestam inferamus injuriam & scandalum, dum eundem illum Dominum, quem in Sacramento præsentem habemus, in Calvario pro nobis crucifixum indubitanter credimus. In Calvario astiterunt Christo B. V. Maria Domina nostra, S. Joannes, S. Maria Magdalena, & aliæ Mariæ, & est notatu dignum, quod nulla earum, apud omnes quatuor Evangelistas, vel verbum locuta fuisse legatur. Omnes videntes, considerabant quod agebatur, at nemo loquebatur. Passionis quippe mysteria summa sunt attentione recolenda, & summo silentio meditanda.

Omnes igitur, diebus hisce, exiguum hocce (à quo nemo se excusare potest) offeramus sacrificium: & in qualemcunque satisfactionem pro tantis, quibus

Deum noſtris offendimus linguis, offeramus illi non loqui aliis, niſi ipſi ſoli; ſaltem dum præſens nobis adeſt. In cæteris omnibus hucusque dictis, quilibet ſui ſe fervoris devotioniſque dictamini accommodet; ab hac verò modeſtia, ſilentio & reverentia in Eccleſia Chriſtus neminem excepit. Chriſtianos nos eſſe meminerimus, & in aliquo nos tales eſſe apparere oportet; & quod de ſermone hoc, & omnibus aliis acceptis à me monitis ſtrictam à vobis Deus exiget rationem. Ad mentem & memoriam revocemus, quot nobis infructuosè tranſierint hebdomadæ: contingere quoque poteſt hanc præſentem quibuſdam noſtrûm fore ultimam. Quot hebdomadam viderunt præteritam, qui non viderunt iſtam? Et quot videbunt præſentem, non viſuri ſecuturam? Certi hanc hebdomadam, nobis vitæ fore ultimam, quid faceremus? Eja faciamus illud igitur, nec timore mortis, ſed JESU Chriſti amore faciamus!

Ah, Domine JESU, verba mea glacie ſunt gelidiora; & corda iſta, ſine tua gratia, ære ſunt duriora! expirans in cruce, caput in pectus inclinâſti, ſignificaturus quod oculos tuos in te & nos, in cor tuum & peccata noſtra eſſes conjecturus. Ex hoc ipſo corde tuo lanceâ transfoſſo duo exiere liquores, quibus tuam formâſti Eccleſiam: egredebanturque ſimul ſpiritus vitales, vitæ & gratiæ, quibus illam reformâſti: & quemadmodum viſum contuliſti te percutienti: ſic licèt eodem à nobis modo ſis vulneratus & offenſus (cùm ſemper in corde tuo noſtri vivat amor) lucis ex eo prodeat radius noſtras illuminans cœcitates. Fructificet, Domine JEſu Chriſte, ille Sanguis, animaſque noſtras egreſſa ex pectore tuo irriget aqua: quæ omnes amore tuo victæ, & ad crucis tuæ pedem proſtratæ, contritæ & humiliatæ, omnium culparum ſuarum & offenſarum hucuſque commiſſarum veniam deprecantur. Nunquam de offendemus ampliùs, nunquam ampliùs, eò quod es, qui es. Ita promittimus, firmiſſimeque poteſtamur: & ita, clementiſſime JEſu Chriſte, de infinita tua miſericordia, de Paſſionis tuæ meritis, Gratiæque tuæ auxiliis ſperamus. Amen.

SERMO

SERMO
DE
BONO LATRONE.

Habitus Ulyssipone, in Ecclesia de Misericordia, seu Hospitali Regio. Anno 1655.

Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum: Hodie mecum eris in Paradiso. Luc. 23.

§. I.

SErmo præsens, qui hodie in Hospitali Regio aliàs Misericordia, & non in Capella prædicatur Regia, ibi potiùs, quàm hîc prædicandus videtur: illi potiùs, quàm huic accommodandus & commensurandus esset. Et quare? Textus quippe, in quo fundatur, ad Majestatem illius & nullatenùs ad hujus pertinet pietatem. Quorum Textus meminit, unum est, quod duo latrones Jerosolymis judiciali processui subjecti, justitia exigente, sententia Judicis morte fuerint condemnati, ambo in crucem acti, nulloque patrocinante aut interveniente ambo mortui. Nunquid tale quid Misericordia Ulyssiponensis fieri permittet? Nulla ratione. Prima ejusdem cura est, per carcerum Procuratores authoritate, potentiâ, & requisitâ qualitate insignem eligere Fratrem, cujus intentio sit, omnem possibilem in id impendere solicitudinem, ne maleficorum quispiam, suo tempore, justitiæ rigorem experiatur. Proinde punctum illud ad misericordiam Ulyssiponensem non spectat. Parsque altera, quam assumpsi pro themate, tota ad Palatium Sacellumque Regium spectat. In hac allocutio ad Regem dirigitur: *Domine*; in hac de Regno tractatur: *Cùm veneris in Regnum tuum*; in hac memorialia & & supplicæ ei præsentantur: *Memento mei*; in hac Rex ipse, ad alia non remittendo tribunalia; per semetipsum immediatè mox expedit: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Quod me ab Luc. 23. v. 42. & 43.

hujus prædicatione materiæ retinere posset, est, doctrinam non convenire loco. Ab hoc verò scrupulo, quem Concionatorum plurimi non considerant, Jonæ me prædicatio liberavit. Jonas non in Palatio Regis, sed in plateis civitatis Ninive, & spatii amplitudine, & incolarum frequentia hanc nostram longè excedente prædicavit: & Textu teste, prædicatio ipsius ad Regis mox aures pervenit: *Pervenit verbum ad Regem.* Utinam, quod hodie prædicare constituti, ad Reges omnes, & ad extraneos potiùs, quàm ad nostros Reges perveniret. Regibus cunctis Rex Regum exemplaris adinstar est imitandus, ex cujus vitæ epilogo, ultimaque actione, omnibus multa discenda. Bonus latro petiit à Christo, ut suo in Regno sui recordaretur: *Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum.* Memoriaque Christi id fuit operata, quod ambo eodem adhuc die sese mutuò in Paradiso forent visuri: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Hæc memoria Regibus maxime congruit, quamque ego illis inculcari optarem ab eis, quibus aures regiæ propius patent. Ut meminerint non solùm latrones deducere ad Paradisum, se deducere secum: *Mecum.* Neque enim Regibus par est intrare Paradisum sine ducatu latronum; neque latrones pergere possunt ad infernum sine comitatu Regum. Istud hodie prædicaturus adsum. Ave Maria.

Jonæ 3. v. 6.

§. II.

REges secum ad Paradisum deducere Latrones, non solùm societas non infamis, sed glorioſa adeò, Regeque condigna actio, ut ea Christus ipse Regni sui probarit coronaritque veritatem, mox ut in cruce Regis titulum admisit. Verùm in omnibus mundi regnis huic adeò contrariam experimur praxin, ut loco istius, quod Reges secum ad Paradisum deducant latrones, hi ad infernum secum deducant Reges. Quod si ita se habet, pro ut evidenter mox demonstrabo, nemo, me tam clarè & apertè loqui mirari debet: sed obstupescere potiùs de silentio, incuriamque damnare Prædicatorum, quâ necessariam adeò doctrinam dissimulant, cum eam vel maximè ex pulpitis audiri & declamari oporteret. Assumptum sit igitur novum, quod antiquum & frequens esse deberet: quod eò majore fructus alicujus producendi spe prosequar, quantò auditorium præsens, tantâ Ministrorum omnium majorum & præcipuorum tribunalium, in quorum consilia & conscientias, illæ Regum exonerari solent, anthoritate nobiliùs condecoratum cerno.

§. III.

UT discursus tam utilis & gravis solitis irrefragabilibusque innitatur fundamentis: suppono primò, sine restitutione alieni neminem posse salvari. Quod ita resolvunt S. Thomas & Theologi omnes: & sic definitum extat in Capitulo: *Si res aliena*, & verbis ex S. Augustino deductis: *Si res aliena, propter quam peccatum est, reddi potest, & non redditur, pœnitentia non agitur, sed simulatur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituna-*

S. Augustin.

tur

tur ablatum, si ut dixi restitui potest. Hæc unica regulæ exceptio, boni latronis felicitas fuit, & hanc ob rationem salutem fuit consecutus, & malus sine restitutione salvari potuisset. Quoniam ambo de hujus naufragio vitæ nudi egressi, stipiti fuere affixi, hæc solummodo extrema eorundem paupertas, à furtis ipsos commissis absolvere poterat: non habentes enim unde restituerent, ad restituendum non tenebantur. Verùm si bonus latro bona habuisset, ex quibus furto ablata sive in solidum, sive ex parte restituere potuisset, omnis ejus fides & pœnitentia tantopere à Sanctis deprædicata, pro animæ salute nihil ipsi profuisset, restitutione non subsecuta. Duo felici huic deerant homini ad salutem: unum, qua latroni & furi, qualis fuerat; alterum, qua Christiano, qualis esse incipiebat. Qua latroni & furi qualis fuerat, deerat illi unde redderet: qua Christiano, qualis esse incipiebat, deerat illi Baptismus: sed quemadmodum Sanguis in cruce effusus supplevit Baptismum: ita nuditas ipsius & impossibilitas supplevit restitutionem: & ideo salutem est consecutus. Videant nunc vel obiter in vita furati, qui nec in vita, nec in morte restituerunt, imò ante de multis testati bonis, opulentissimasque suis successoribus hæreditates relinquentes; videant, inquam, quonam animæ eorum deventuræ sint aut jam devenerint, & utrum salutis adipiscendæ spes superstit.

Restitutionis præceptum, tam in lege vetere erat rigidum, ut si quis modo illicito aliena sibi usurpâsset bona, deficiente restituendi potentia, Deus ipsummet vendi mandarit usurpatorem, quo sui ipsius pretio illatum damnum resarciret: *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipse venundabitur.* Ita ut, in quantum homo sui erat juris, suæ dominus voluntatis, non suppetente alio medio, donec propriam vendendo personam, suique pretio ipsius quod posset restitueret, Lex illum tanquam impotentem judicatum à restituendi obligatione & onere non absolveret. De legis istius justitia nemo dubitare ausit, siquidem Deo authore tradita erat: & quamvis idem ipse Deus in Lege Gratiæ, istam juris positivi rigoris absolverit circumstantiam; in lege tamen naturæ, quæ indispensabilis est, restituereque præcipit potenti & habenti, tantum abfuit, ut quicquam immutaret aut moderaretur, ut nec ipse Christus in Cruce, tali casu, latroni & furi Paradisum promisisset, nisi prius restituisset. Opponamus huic latronem furemque alterum, & in ejusdem judicio Christi, casus unius ab altero differentiam cum stupore videamus. Exod. 22. v. 3.

Quemadmodum Christus Dominus noster dixit Dimæ: *Hodie mecum eris in Paradiso*; Ita dixit Zachæo: *Hodie salus domui tuæ facta est.* Sed quod notatu dignum, est, quod Christus Dimæ salutem promisit statim, & Zachæo multò post. Et quare, si ambo fuerant fures, & ambo conversi? Quia Dimas fur erat inops, non habens unde furto ablata restitueret: Zachæus fur erat opulentus, abundans multis quibus illata damna resarciret: *Zachæus princeps erat Publicanorum, & ipse dives*; inquit Evangelista. Et ipso quamvis hoc subticente, status nihilominus utriusque hoc declarabat. Quare? Quia Dimas fur erat ad crucis Luc. 19. v. 9. Ibidem v. 2.

jam ſupplicium condemnatus, qui ſi dives fuiſſet, ad furcam utique non perveniſſet: verùm Zachæus fur tolerabatur, eædemque, quibus affluebat, divitiæ immunitatem ipſi, ad furandum ſine pœna, imò & ſine culpa conciliabant. Et quia Dimas pauper fur erat, non habens unde reſtitueret, etiam ſalutis impedimento carebat, quam eodem ipſi momento Chriſtus indulgebat: E contrario; quia Zachæus fur erat dives, affluens plurimis unde reſtitueret, hoc nondum peracto ſalutem ipſi Chriſtus aſſecurare nequivit, ideoque promiſſionem diſtulit. Eadem Evangeliſtæ narratio eſt optima differentiæ hujus probatio.

Zachæus ex ſola fama Chriſtum noverat, eundem videndi deſiderio æſtuans. Tranſiit Chriſtus terram ipſius, & quoniam ſtaturâ puſillus, concurſus verò nominum erat multus, nullâ ſeu perſonæ ſeu authoritatis, & officii habitâ ratione: *Princeps Publicanorum*; ad videndum, arborem conſcendit, & non tantùm vidit, ſed viſus eſt ipſe, & ſaluberrimè viſus. Chriſtus divinis ſuis in ipſum conjectis oculis, nomine ipſum compellans proprio, actutum deſcendere juſſit, ipſius etenim maximo bono, ſe hodie ad ipſum diverſurum: *Zachæe! feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ingreſſus domum Zachæi Salvator, mox ab introitu optimè dicere potuiſſe videtur, hoc ipſo ſalutem ſimul fuiſſe ingreſſam: ſed horum nihil dixit Chriſtus. Recepto jam in domum Chriſto, Zachæus omnibus lætitiæ & gaudii argumentis feſtum egit: *Excepit illum gaudens.* Salvatore adhuc conticeſcente, accubuit menſæ lautiſſimè & copioſiſſimè inſtructæ, & vel maximè bonâ voluntate adornatæ, quod delicatiſſimum Chriſtum eſt ferculum, eâdem adhuc ſuſpenſione perſeverante. Incipit Zachæus diſcurſum dicens, quod bonorum ſuorum medietatem in pauperes erogaret: *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus*; porrò cùm Chriſtus ſit, qui in judicii die, ſola miſericordiæ & eleëmoſynarum merita cæleſti remuneraturus eſt regno, quis non tantum liberalitatis in pauperes actum, ſalutis promiſſione excipiendum putaret? Sed necdum hîc audire meruit Zachæus, quod poſteà dixit Chriſtus. Domine Jeſu Chriſte, ſi tua pietas & veritas toties, tibi ipſi fieri affirmavit, quod ſit pauperibus, & hic homo tuæ perſonæ tot tantaque ſervitia exhibet, & eam pauperibus curam & liberalitatem impendit: ſi ſemetipſum ſalutis ejus causâ ad ædes ipſius invitâſti, ejuſque te ſalus ad hoc induxit; ſi vocaſti eum, & ipſe tam promptè & expeditè accurrit: ſi feſtinari juſſiſti, *feſtinans deſcende*: & ipſe ne momento quidem temporis moratus advolavit; quare deſtinatam illi gratiam largiri differs, quare non abſolvis, quare ſalutis ipſum non reddis ſecurum? Quia idem iſte Zachæus, quâ Publicanorum caput, *Princeps Publicanorum*, ſpoliaverat multos: & quia erat dives, & *ipſe dives*, unde furta reſtitueret, habebat: & quouſque, non reſtituendo aliena, debitor remanebat, quantacunque bona haberet opera; quantumcunque bonorum ſuorum piè diſpenderet, nec ipſe Chriſtus eum ſalvare poterat. Quicquid Zachæus poſt felicem hanc viſionem egit, laudem merebatur: ſed nondum facta reſtitutione, ſalutis incapax perſeverabat.

Ibidem v. 56. & 82.

bat. Restituat, & mox salvus erit: & ita factum est. Adjunxit Zachæus, se defraudatum reddere quadruplum: *Et si aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Ex eo momento, rùpto, Christus Dominus, silentio, reseratis gratiæ suæ thesauris salutem ipsi annunciavit: *Hodie salus domui huic facta est.* Ita ut ingressio quamvis domum Zachæi Domino, salus nihilominus manserit foris; quousque enim domo non egrederetur restitutio, salus intrare nequibat. Salus sine peccati remissione intrare nequit; & peccatum remitti nequit, sine restitutione ablati: *Non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.*

Ibidem v. 8.

§. IV.

SUppositâ veritate hac primâ certâ & infallibili: secundum æquè certum suppono, restitutionem alieni, sub pœna non obtinendæ salutis, non subditos tantum & privatos, sed ipsa etiam sceptra constringere & coronas. Imaginantur sibi, vel imaginari sibi videntur Principum nonnulli, quemadmodum dignitate antecellunt omnes, omnium quoque rerum esse se Dominos: sed enormiter errant, Præceptum restitutionis legis est naturalis: legis est divinæ. Quatenùs legis est naturalis, obligat Reges; natura enim omnes fecit æquales: etiam, quatenùs legis est divinæ, similiter illos obligat; Deus enim, qui majores illos fecit, est major illis. Hanc veritatem sola praxis & usus impugnat. Pro usus ejusdem parte, S. Thomas, quem hodie mihi in Doctorem elegi, cuique meritò plurimum in materia hac, authoritatis debetur, sic argumentatur: *Terrarum Principes multa à subditis suis violenter extorquent, quod videtur ad rationem rapinæ pertinere: grave autem videtur dicere, quod in hoc peccent: quia sic ferè omnes Principes damnarentur. Ergò rapina in aliquo casu est licita*; q. d. Rapina, sive furtum est, accipere alienum violenter invito Domino; Principes multa violenter & invitis ipsis, à subditis suis accipiunt: ergò furtum quibusdam in casibus licitum esse videtur: si enim Principes in hoc peccare dixerimus, illi omnes, seu quasi omnes damnarentur: *Ferè omnes Principes damnarentur.* O terribilis & tremenda consequentia! & quàm digna, ut eam anxiè considerent Principes, quique cum illis in consiliis & resolutionibus participant! argumento suo idem Doctor Angelicus respondet: & quamvis prolixioribus textibus latinis Auditores meos fatigare non soleam, ipsius nihilominus propria verba referam: *Dicendum, quod si Principes à subditis exigunt, quod eis secundùm justitiam debetur propter bonum commune conservandum, etiamsi violentia adhibeatur, non est rapina: si verò Principes aliquid indebitè extorquent, rapina est sicut & latrocinium. Undè ad restitutionem tenentur, sicut & latrones. Et tantò gravius peccant quàm latrones, quantò periculosiùs & communiùs contrà publicam justitiam agunt, cujus custodes sunt positi.*

D. Thom.

D. Thom.

Usque huc de Principibus, Theologorum Princeps. Ast quia verba, rapina & latrocinium, supremæ subjectis sphæræ accomodatum tam longè ab adulationibus, quibus assuevêre audiendis, distat, ut dissonum quid sonare videatur, suum tacitè excusat loquendi modum,

dum, ſuamque duobus textibus aliunde citatis, uno divino Ezechielis Prophetæ, alterò paulò minùs quàm divino, S. Auguſtini, S. Doctor probat doctrinam. Textus Ezechielis inde eſt deſumptus, ubi recenſentur peccata, propter quæ Deus tàm ſeverè duo illa regna, Iſraël, & Juda, alterum captivitate Aſſyriorum, alterum captivitate Babyloniorum caſtigarit; cujus rationem aſſignat & valde ponderat, & eſt, quod Principes eorum, loco ejus, quod populum cuſtodire & conſervare debuerant, illos ſpoliarint, & luporum inſtar fuerint deprædati: *Principes ejus in medio illius, quaſi lupi rapientes prædam.* Duos tantum Reges per ſemetipſum elegit Deus, Saulem videlicet & Davidem, utrumque ex paſtoribus aſſumptum, ut per experientiam gregum, quos paſcebant, exercitiique praxin, ſcirent quomodo ſibi ſubjectos tractare deberent: ſucceſſores verò eorum ambitione & cupiditate acti ab hoc tantùm degenerarunt amore, & ab hac defecerunt cura & ſolicitudine, ut paſcendi, eoſque tamquam uves cuſtodiendi loco, quicquid habebant violenter raperent, & luporum inſtar velut oves devorarent: *Quaſi lupi rapientes prædam.*

Ezech. 22. v. 27.

Citatus ex S. Auguſtino textus, de omnibus generaliter loquitur regnis, in quibus ſimiles ordinariè oppreſſiones & injuſtitiæ vigent, & inter ejuſmodi regna, & ſpeluncas latronum (quas Sanctus latrocinia vocat) unam tantùm differentiam eſſe dicit. Et quænam iſta? Quod regna ſint latrocinia magna, & latrocinia regna ſint parva: *Sublata juſtitia, quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? Quin & latrocinia quid ſunt, niſi parva regna?* Idem pirata quidam Alexandro Magna occinuit. Navigabat mare Erythræum Alexander Magnus numeroſo & valido exercitu Indiam ſuam in poteſtatem redacturus: caſu offertur illi pirata quidam, qui piſcantibus ibidem infeſſus erat? Quem ille durè & acriter de tam indecenti arguebat exercitio: qui omni poſito rubore & metu, reſpondit hoc modo. Ut ego dicar latro, naviculæ cujuſdam ſufficit ſpoliatio: & tu, cum non niſi ſpoliis integro inhies exercitu, ſis Imperator? Ita protinùs res eſt. Furari parùm, reputatur culpa: furari multum, cenſetur magnificentia: ſpoliare & furari poteſtate exigua, facit piratas: magno ſpoliare & furari exercitu, facit Alexandros. At Seneca probè ſciens diſcernere qualitates, & interpretari ſignificationes, utraque eodem definivit nomine: *Eodem loco pone latronem & piratam, quo Regem animum latronis & piratæ habentem.* Si Rex Macedoniæ, vel quilibet alius hoc fecerit, quod latro facit & pirata; Latro, pirata & Rex eundem tenentes locum, eodem ſunt nomine digni.

S. Aug.

Seneca.

Quando iſtud in Seneca legi, non adeò admiratus fui, Philoſophum Stoicum, Romæ, regnante ibidem Nerone, talem auſum fuiſſe conſcribere ſententiam: Verùm hoc majorem mihi ſtuporem, ſimul cum rubore invexit, quod Oratores noſtri Evangelici Orthodoxorum tempore Principum, eandem doctrinam, vel pro emendatione, vel pro cautela & præſervatione non prædicent. Noverint iſti eloquentes & muti, ſe magis offendere Reges eò quod tacent, quàm eò quod dicerent: fiducia enim ſeu confidentia, quâ illud dicitur, argumento eſt hoc illos non tangere, nec

poſſe

posse offendere: & cautela, quâ tacetur, argumento est, quod offendentur; quia illos tangere potest. Verùm breviter ad tertiam & ultimam suppositionem transeamus; omnes enim tres sunt necessariæ, ut ad scopum & finem perveniamus.

§. V.

DEnique suppono, fures, de quibus loquor, non esse miseros illos, quos paupertas, conditionisque suæ vilitas ad infame istud vitæ genus condemnavit; ipsa etenim eorum miseria vel excusat, vel extenuat peccatum ipsorum, attestante Salomone: *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam.* Fur victûs tantùm, vitæque sustentandæ causâ furatus non pergit, neque defert furta ad infernum; qui tendunt, & deferunt ad infernum ablata, majoris sunt conditionis altiorisque ordinis, quos eodem sub nomine, & eodem sub prædicamento optimè distinguit S. Basilius Magnus: *Non est intelligendum fures esse solùm bursarum incisores, vel latrocinantes in balneis: sed & qui Duces legionum statui, vel qui coimmisso sibi regimine Civitatum, aut Gentium; hoc quidem furtim tollunt, hoc verò vi & publicè exigunt*; q. d. Non isti solùm sunt fures, qui crumenas præscindunt, vel balneantes vestibus spoliant: fures propriè, illoque digniores nomine sunt, quos Reges exercitibus præficiunt, aut quibus Civitatum regimen, aut Provinciarum gubernaculum committunt, qui jam astu, jam violentiâ admotâ furantur populosque spoliant. Alii fures unum spoliant hominem, hi Civitates spoliant & Regna; alii suo furantur periculo, hi sine metu, & securi; alii furtorum convicti suspenduntur, hi furantur, & in furcas agi mandant. Diogenes omnia acutiore penetrans oculo, præ cæteris hominibus, frequentem quandam præfectorum, & justitiæ ministrorum catervam fures ad suspendium deducentium conspicatus, altâ cœpit voce clamare: Ecce magni ibi fures ad suspendendum vadunt parvos! Felix tali prædicatore Græciæ! Feliciores verò aliæ nationes, à similibus ibidem injuriis vindicatâ justitiâ! Quoties Romæ in furcam agi est visus non nisi vervecem furatus, eodemque die triumpho condecorari & evehi Consul, vel Dictator, integram Provinciam depopulatus seu deprædatus! Et quot fures suspenderant ipsi triumphantes? De quodam, nomine Seronato, prudenti oppositione dixit Sidonius Apollinaris: *Non cessat simul furta, vel punire, vel facere*; id est: Seronatus duobus semper, aut patrandis, aut puniendis furtis est occupatus. Zelum hoc sapiebat, non justitiæ, sed invidiæ. Fures è mundo tollere volebat, ut solus ipse furari posset.

Prov. 6. v. 30.

S. Basil. Magn.

§. VI.

DEclarato igitur non meis, sed gravissimorum Authorum verbis, quantæ sint existimationis & authoritatis fures, de quibus loquor; iidem sunt, quos, ut dixi, & dico, Reges secum ducunt ad infernum. Quod illi ibidem agant, & diabolus eos illuc deducat, transeat; abeant in perditionem, quoniam sic volunt: verùm quod Reges secum eò deducant, dolor est intolerabilis, & hinc dissimulari nequit. Ast si Reges tam longè absint à rapina alieni, ut ipsimet potiùs rapinam sint passi, ac cæteris omnibus magis spoliati, quomodo, quæso, mali fures secũ ad infernum deducunt tam bonos Reges?

Non uno tantùm, ſed modis pluribus qui inſenſibiles videntur & occulti, & cum primis palpabiles ſunt & manifeſti. Primus modus eſt, quia Reges conferunt illis officia & præfecturas quibus furantur; Secundus eſt, quia à Regibus in eis conſervantur; Tertius modus eſt, quia ad majora officia tales eveheuntur. Denique cùm Reges ſub pœna non obtinendæ ſalutis, ad damna iſta reſarcienda ſint obligati, eadem nec in vita, nec morte reſtituunt. Et quis hoc dicit? Jam S. Thomas iſte futurus ſcitur. Quæſtionem proponit hic Sanctus, utrum perſona nec furata, nec de furto participans ad reſtitutionem teneatur? Nec ſolùm reſolvit, quod ſic: ſed pro majore aſſerti mei declaratione & expreſſione exemplum in Regibus ponit. Ecce Textum: *Tenetur ille reſtituere, qui non obſtat, cùm obſtare teneatur. Sicut Principes, qui tenentur cuſtodire juſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcant, ad reſtitutionem tenentur: quia redditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, ut juſtitiam conſervent in terra.* Tam naturalis & clara eſt iſta Theologia, ut ipſe Rex Agamemnon Gentilis eam cognoverit, quando dixit: *Qui non vetat peccare, cùm poſſit, jubet.*

D. Tho.

Enim verò, ſi hanc reſtituendi obligationem incurrunt Principes propter furta, quæ committunt fures & latrones occaſionaliter, & ipſis invitis, quid erit de iis, quos ipſi dignitatibus, jurisdictionibus, & poteſtate armârunt, quibus populum ſpoliant? Intentio iſta hæc eſt, nec eſſe poteſt Principum: ſed ſufficit officiales bellicos, aut bonorum redditumque diſpenſatores, vel juſtitiæ Miniſtros, qui furta committunt, ab ipſis electos & creatos, ut Principes luant, quod illi patrârunt. Ponamus exemplum culpæ, ubi ea dari non poteſt. Deus in Paradiſo poſuit Adamum, cum jurisdictione & poteſtate ſuper omnia viventia, & cum imperio abſolutoque dominio ſuper omnes res creatas ſub cœlo, unâ tantùm arbore exceptâ. Paucæ literæ deerant Adamo pro fure; & ad fructum pro furto, deerat ei nulla. Tandem ipſe, ejusque mulier (quæ ſæpe ſæpius ſunt lenæ) id quod ſolum erat in mundo, & non erat ſuum, rapuerunt. Jam Adamum habemus electum, jam habemus officialem, jam habemus furem. Et quiſnam furtum ſolvit? Caſus ſuper omnes admirabilis! ſolvit furtum qui elegit, qui furi officium dedit. Qui elegit Adamum eique officium dedit, fuit Deus; & Deus fuit, qui illud tam caro ſolvit prout novimus. Idem Deus hoc affirmat, referens quanti ſibi conſtiterit ſatisfactio pro furto ejusque damnis: *Quæ non rapui, tunc exolvebam*; Nunquid vidiſtis corpus, quod aſſumpſi, cùm ſim Deus; vidiſtis plurima quæ ſuſtinui, Sanguinem vidiſtis quem profudi, vidiſtis mortem quam inter latrones obii: tunc igitur omnibus iſtis ſolvebam, quod non rapueram. Adam rapuit, & ego ſolvi: *Quæ non rapui, tunc exolvebam.* Ejа Domine, quænam Majeſtatis tuæ culpa in Adami peccato? Nec culpæ mihi aut reatûs quippiam fuit, aut foret, quamvis Deus non eſſem: in electione enim hominis illius, officioque illi collato eâ circumſpectione, prudentiâ, providentiaque ſum uſus, quam circumſpectiſſimum, vigilantiſſimum, juſtiſſimumque Principem adhibere fas eſſet. Quando illum creavi, non cum imperio feci

Pſ. 68. v. 5.

deſpo-

despotico, velut creaturas alias, sed maturo, communicatoque non cum humanis, sed divinis personis consilio: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram & præsit.* Concurrentes in electione qualitates erant officio magis adæquatæ, quàm desiderari & concipi poterant: omnium erat sapientissimus, justus sine vitio, rectus sine iniquitate, omnium motuum passionumque suarum Dominus, quos rationi subditas & obedientes habebat, sola ipsi experientia deerat, neque in electione aliorum fuit subjectorum concursus: utraque autem ista deficiebant, quia erat primus homo & unicus. Si igitur electio tua, Domine, jam justa omnibusque numeris fuit absoluta, & ut talis esset, tuam esse sufficiebat; quare tibi luendum est furtum, quod ille patravit, cum solus ille esset culpabilis, & tota ipsius culpa? Quia exemplum & documentum hoc Regibus præbere volo & Principibus: & quia non convenit, ut in mundo tam mala & pernicioſa perseveret consequentia, sicut foret, Regibus & Principibus sibi casu aliquo persuadentibus, non se ad resarciendum & restituendum, quod Ministri sui rapuissent, esse obligatos.

Gen. 1. v. 26.

§. VII.

AST video hoc ipso Dei exemplo Reges excusare se posse, & excusari. Si etenim tam malè res Deo successit cum Adamo, qualis hic futurus esset, jam præcognoscenti; quid mirum, idem evenire Regibus cum hominibus, quos eligunt pro officiis, cùm nec sciant nec scire possint, quid postmodum facturi sint? Excusatio apparenter est plausibilis, sed tam falsa, quàm malè fundata. Deus non elegit homines ex eo, quod ipsos scit esse futuros, sed quod in præsenti sunt. Probè sciebat Christus Judam furem futurum: ast quando ipsum elegit pro officio, quo functus fuit, non solùm fur non erat, sed dignissimus, cui pauperum eleëmosynas custodiendi & dispensandi cura committeretur, Eligant ita Reges personas, officiisque hoc modo provideant; & Deus hac parte à restituendi onere eos liberavit. Usitatæ verò & ordinariæ electiones & promotiones non ita fiunt. Nosse desiderant Reges, utrùm fures sint an non, quos ad officia promovent? Regulam observent Christi: *Qui non intrat per ostium, fur est & latro.* Ostium, per quod intratur ad officium, solum est meritum. Omnem verò per ostium non intrantem, non furem tantùm, sed & latronum esse inquit Christus: *Fur est, & latro.* Et quare dupliciter fur est? Semel, quia non intrat per ostium: & iterùm, quia mediante officio furabitur. Intrans per ostium fieri potest fur: sed non intrantes per ostium, jam sunt fures. Aliqui intrant per consanguinitatem, alii per familiaritatem, alii per authoritatem, illi per subornationem, omnes denique per negotiationem. Et qui negotiatur, alia probatione non indiget: jam scitur, ipsum damnum non passurum. Modo fur erit occultus, sed postea notorius; hæc quippe, teste S. Hieronymo, *De fure ad latronem* est differentia.

Joannis 10. v. 1.

S. Hieronym.

Res verè admiranda est, nonnullos sic videre introductos, per ostium non ingressos, nec ingredientes, nec per illud ingredi valentes. Quod si intrârunt per fenestras, illorum ad instar furum, quorum meminit Propheta Joël: *Per fenestras intrabunt, quasi fur;* magna sanè

Joël. 2. v. 9.

infelicitas est, cùm feneſtræ factæ ſint, ut lux per eas & aër intret, per easdem tenebræ & inconvenientia ingrediantur. Si intrârunt ſuffodiendo patrisfamilias domum, velut fur ille in parabola Chriſti: *Si ſciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, non ſineret perfodi domum ſuam.* Magis adhuc foret infauſtum, ſi paterfamilias domus, tam gravi ſomno ſeu lethargo dormiret oppreſſus, ut parietum perfoſſione non excitaretur. Sed quod omnem excedit admirationem, eſt, quod detur, qui oſtium inveniens obſeratum, deorsùm per tectum intrare conetur, & ſuccedat; & quod plus eſt, ſine pedibus, ſine manibus, nedum alis. Dominus vice quadam, in domo quadam miraculosè ſanabat infirmos, tantusque hominum erat confluxus, ut portantes quidam paralyticum, cum præ turba per oſtium inferre nequirent, conſcenſo tecto, deorsùm illum immiſerint. Majorem adhuc admirationem exigit conſideratio ſubjecti, quàm modus, locusque immiſſionis. Hominem deorſum per tegulas intrantem, quis non è cælo putaret delapſum? *Tertius è cælo cecidit Cato.* Et talis erat illi paralyticus, pedum, manuum, ſenſuumque uſu & officio deſtitutus: ſed habuit unde quatuor ſolveret hominibus, qui humeris ſuis exceptum illum evexerunt in altum. Et quoniam humeris ſuis talia ſubvehentes ſubjecta, bene remunerantur, quid mirum, quod dicant & informent (quamvis tam ſint incapacia) quod ultra tecta meritis abundent? Et quoniam facta allegare nequeunt, eò quod manuum uſu careant, virtutes qualitatesque narrant. Dextero ſuo agendi modo omnes ſibi lucraturos aſſerunt: & quomodo non lucrarentur, quos jam ſibi comparârunt? Obligationi ſuæ eos ſatisfacturus dicunt, omnesque ipſis pecuniam debere: & quidni deberent eam ſi jam antè acceperunt? Præter eo illos qui ad altiora aſcendunt loca per cincinnos; & non viribus Sampſonis, ſed Dalilæ favoribus ſubvecti. Nihil de eis loquor, qui cognitâ voce Jacob, benedictionem ſurripiunt Eſau: & non manibus ſuperinductis, ſed datis & promiſſis. Miſſus hic facio illos, qui magis quàm Nahaman Syrus leprâ infecti; mundati ſunt à leprâ non Jordanis undis, ſed ex flumine argenteo hauſtis. Nunquid iſtud, & quod amplius dici poſſet, eſt intrare per oſtium? Clarum eſt quod non. Si igitur nihil horum fit: *Sicut fur in nocte*; niſi ſplendente Sole, & meridianâ luce: quâ ratione excuſari poteſt, qui ſaltem promotionis illis confert & confirmat, quos non noverat iſtos fures, quibus hiſce mediis fuit proviſum? Denique vel noverat illos, vel non noverat: ſi non noverat, quomodò illos promovit ignotos? Et ſi illos noverat, quomodo promovit notos? Sed ad promotos cum expreſſa qualitatum ſuarum notitia procedamus.

Luc. 12. v. 19.

1 Theſſ. 5. v. 2.

§. VIII.

DOminus N. (inquit pietas bene intendens) pauper & indignus eſt nobilis, conferatur illi Gubernaculum tale. Et quot impietas vel animadverſæ, vel latentes in pietate hâc continentur? Si eſt pauper, detur illi eleëmoſyna titulo reditûs decorata, & habeat, unde vivat. Sed quia pauper, ideò ei committatur præfectura, ut ſubditos ſibi depauperet. Ipſe pauperes faciat mul-

multos, ut solus dives evadat. Hoc intendit, qui hoc solùm motivo talem eligit. Progrediamur ulterius, ad promotos præmii, & etiam pœnæ intuitu. Certus quidam Dux belli veteranus multis servivit annis: traditur illi fortalitium quoddam in locis acquisitis. Verùm si ille, qui tot servivit annis, sit talis, ut potissima ipsius ex bello reportata spolia, propriorum suorum militum nuditate & fame extinctorum portiones fuerint & stipendia; quid talis in Sofala & Mascate facies? Talis N.N. Graduatus in legibus, applaudentibus cunctis prælegit in palatio: in duabus verò judicaturis & revisione quadam in reddenda ratione non subsitit: degradatus ergò pergat in Indiam cum collari. Porrò si in Provincia de Beyra, & ultra Tagum ubi adamantes non dantur, nec carbunculi, nihilo tamen minùs manibus talis inhærerent Doctoris, quid erit Judicatura Goæ? Rex Lusitaniæ tertius S. Francisco Xaverio mandavit, ut se de Indiæ statu per socium suum Principis Magistrum informaret: quod verò Sanctus inde scripsit, personis officiisque suppressis, fuit, quod verbum, *Rapio*, in India per omnes conjugaretur modos. Phrasis quidem jocosa videtur in negotio tam serio: servus verò Dei locutus est, uti loquitur Deus unico verbo dicens omnia. Nicolaus de Lyra in hæc verba Danielis: *Nabuchodonosor Rex misit ad congregandos Satrapas, Magistratus, & Judices*; Satraparum, qui Gubernatores erant Provinciarum etymologiam declarando, nomen istud, ex *Sat* & *Rapio* compositum inquit: *Dicuntur Satrapæ quasi satis rapientes, quia solent bona inferiorum rapere.* Et istud *Satis* est, quod melius specificavit S. Franciscus Xaverius, dicens: quod in India verbum, *Rapio*, per omnes conjugarent modos. Cui ego ex experientia addere possum, quod non solùm à promontorio Bonæ Spei usque illuc, verùm etiam inde usque huc conjugatio illa æqualitèr vigeat. Per omnes modos verbum *Rapio* conjugant; furantur quippe omnibus artis modis, non loquendo de modis aliis novis & exquisitis, quos Donatus, & Despauterius ignoravit. Mox ut illuc pervenerint per modum indicativum furari incipiunt: pro prima enim informatione à practicis viam sibi monstrari petunt, & modos suggeri, quibus omnia apprehendere possint. Per modum furantur imperativum; quia enim mero mixtoque gaudent imperio, totum illud exequendis applicant rapinis. Per modum furantur mandativum; tantum enim accipiunt, quantum omnibus afferre seu mittere mandant: non mittentes offensam incurrunt. Per modum furantur optativum; quia, quantum è re sua futurum videtur, desiderant; & desiderata Dominis suis bona per aulicismum sibi appropriant. Per modum furantur conjunctivum; modicum enim capitale suum, maximo cujusdam in grossioribus negotiantis conjungunt, & gratiam suam adjungere sufficit, ut lucri saltem dimidium acquirant. Per modum furantur potentiæ; absolutè enim sine obtentu alio & ceremonia abutuntur potentiâ. Modo furantur permissivo; alios enim furari permittunt, & ipsi permissiones dirigunt. Per modum furantur infinitivum; furtum enim cum regimine non finitur, semperque radices relinquunt, quibus furta continuentur. Hos itidem modos conjugant per per-

Dan. 3. v. 2.

Nicol. Lyran. ibid.

sonas: prima enim persona verbi est eorum propria; secundæ personæ sunt famuli; personæ tertiæ sunt, quotquot industriâ & scientiâ ad hoc præpollent. Similiter etiam per omnia furantur tempora; nam de præsenti (quod proprium ipsorum est) colligunt, quantum ex se triennium importat: & ut præsenti præteritum & futurum includant; ex præterito eruunt culpas, quibus vendunt venias, & neglecta debita, quibus sibi integrè solvunt: & de futuro impendunt reditus, anticipantque contractus, atque ita quicquid jam solutum aut non solutum est in manus ipsis incidit. Denique otiosè sibi elabi non sinunt imperfecta, perfecta, & plùs quàm perfecta, & qualiacunque tempora alia: quia furantur, furabantur, furati sunt, & plus furati fuerant, & plus furarentur, si quid supereſſet. In summa, totius hujus malignæ conjugationis resumptum devenit ad ejusdem verbi supinum: furari ad furandum. Et quando illi hoc modo totum conjugârunt vocem activam, & infelices Provinciæ experimentaliter sustinuerunt vocem passivam; illi tanquam magnum quid præstitissent serviendo, spoliis onusti & divites revertuntur: & hæ emunctæ remanent & exhaustæ.

Certum est Regum hoc non respondere intentioni & placito, siquidem in omnibus subjectis sibi Gubernaculis contrarium mandant; sed quoniam litteræ patentes adeò peritis conjugationum harum committuntur Grammaticis, quinam, quæso, alii ex regimine eorum sperari possunt effectus? Litterarum harum patentium quælibet vi suæ significationis, est licentia publica & generalis in scriptis, seu salvus conductus ad furandum. In Hollandia, ubi tot adornantur piraticæ, & armantur piratæ, Oræ Africæ, Asiæ, & Americæ limitato distribuuntur tempore, nec quisquam sine licentia publica, illorum lingua, chartâ signatâ, ad exercendam piraticam excurrere audet. Idem promotiones & provisiones valent talibus indultæ, & collatæ, qui digni potiùs erant notâ quàm chartâ signatâ. In mari acquisitorum locorum incolæ, extraneorum patiuntur invasiones piratarum, quod non nisi casuale est: in terra, eandem sustinent nationales & conterranei, certam & infallibilem. Et si quis dubitet, utra sit major, utriusque differentiam attendat. Pirata maris illos suæ reipublicæ non spoliat, prædones illi terrestres ejusdem Regis spoliant subditos, in cujus manibus præstiterunt homagium: contrà piratam Oceani possum me defendere, hisce terrestribus non possum resistere: piratas marinos fugiendo possum evadere, ab hisce terrestribus non possum me abscondere: piratæ illi dependent à ventis, hi semper vento secundo velificant. Denique piratæ ultrà vires nihil inferre valent; hi terrestres possunt quod volunt: & hinc nulla illis præda elabitur. Quod si fur quispiam foret omnipotens, quid cupiditas omnipotentiæ copulata vobis attentatura videretur? Illud igitur prædones hi efficiunt.

§. IX.

Contrarium operantium singulari Justitiæ integritate propriique commodi labi non insectorum exempla quædam, licèt rarissima, supperunt.

Ast

Aſt ego nunc ſcire averem, quotnam ſint exempla eorum, non, qui condignâ tam inſignibus furibus ſententiâ ſint plexi; ſed qui ſimilia ob furta, ſuis ſint officiis & præfecturis privati. Porrò ſi his ſuis forantur in officiis, aliique ipſos tolerando aut protegendo in officiis conſentiunt, quonam pacto non deducent ſecum ad infernum conſentientes? Meus S. Thomas allegando S. Pauli textum id affirmet: *Digni ſunt morte non ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus.* Et quoniam textus hujus rigor non de qualicunque intelligitur conſentiente, ſed de iis, qui pro ratione ſtatûs & officii impedire tenentur: hinc eandem mox limitationem facit S. Doctor, exemplum ponendo in Principibus: *Sed ſolùm quando incumbit alicui ex officio, ſicut Principibus terræ.* Reverà non capio, quomodo Principes tanti momenti materiam non conſiderent; vel eosdem ad conſiderandum id non urgeant, qui ſeu in foro exteriore ſeu interiore animæ (Conſiliarii ſcilicet, aut Confeſſarii) ſuam deſuper exonerare tenentur conſcientiam. Attendant hi & alii, quomodo omnes docuerit Chriſtus, quod nimirum fur furatus ex officio, nec momenti quidem ſpatio in eo tolerandus ſit.

Rom. 1. v. 32.

D. Tho

Homo quidem erat dives, ait divinus Magiſter, *qui habebat villicum*, cui, ſub nomine œconomi, ſeu diſpenſatoris, omnium bonorum ſuorum adminiſtrationem & curam commiſerat (tale nomen textus habet Originale Græcum, quod reſpondet villico, in Vulgata) diffamatus itaque dictus Adminiſtrator, quod ex credita ſibi diſpenſatione non licito modo ſuis lucris & commodis ſtuderet: mox hac ſuper re certior factus Dominus ad ſe vocato præcepit, rationes redderet, in credito officio non ampliùs tolerandus. Imò verò rigidius quid reſolvit, non enim dixit, tolerandum non eſſe, ſed tolerari non poſſe in officio: *Jam enim non poteris villicare.* Hæc Parabola nec verbulum non gravidum documentis propoſito noſtro congruentiſſimis continet. Primò, Dominum iſtum divitem fuiſſe aſſerit: *Homo quidam erat dives.* Non enim erit homo, qui non reſolverit, neque dives quantiscumque affluens opibus, qui non omni modo caverit, ne bonorum ſuorum adminiſtrationem furi committat. Adjungit, adhunc furem ab officio amovendum, ſolam ſuffeciſſe famam, nullâ aliâ adhoc inquiſitione factâ: *Et hic diffamatus eſt apud illum.* Si enim ſimilibus in caſibus, pro informationibus capiendis mittendum eſſet in Indiam ſeu Braſiliam, priusquam illæ adveniant, & ibi adhibeatur remedium, Braſilia & India peribit. Verum Authores & delatores famæ iſtius ignorantur: talibus enim Dominus inviolabiliter ſervare tenetur ſecretum, ſub pœna, ut nullus illum obſervare aut notare auſit, quin juſtam incurrat indignationem & offenſam potentûm: ulterius dicit, quod diffamatum coràm ſe vocari juſſerit: *Et vocavit eum*; ſi enim in ſimilibus examen veritatisque inveſtigatio committitur aliis & non perſonaliter id exequitur Dominus furti parte furi aſſignatâ innocentem illum probat. Denique ipſi intimat, quod deinceps officio illo nullatenùs fungi debeat, aut poſſit: *Jam enim non poteris villicare.* Neque enim Notorius fur in officio, in quo furta commiſit, perſeverare

Luc. 16. v. 1. & 2.

& to-

& tolerari debet: neque Dominus, quamvis vellet, in illud consentire, vel in officio conservare posset, nisi damnationem incurrere velit.

Quæ omnia, quamvis ita se habeant, nihilo tamen minus adhuc habeo quod in favorem furis coràm Domino ipsius, & parabolæ auctore Domino Christo obmoveam. Probare conabor, neque ob furti quantitatem, neque ob personæ qualitatem justam videri perpetuam officii privationem. Iste homo, Domine, quamvis delictum hoc commiserit, subjectum est insigne, industriæ singularis, judicii magni, & prudentiæ non vulgaris, tui ipsius oris confessione; & quod plus
Luc. 16. v. 8. est, ipse eum laudâsti: *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* Si igitur tantæ homo est capacitatis & excellentiæ, ut ad serviendum tibi ipsum reassumeres, quare tuo ipsum servitio in perpetuum privabis, *Jam enim non poteris villicare?* Ab officio ipsum ad aliquot menses, more aliàs usitato, suspende, postmodum restituturus, ne illum perdas, & ipse pereat. Non, inquit Dominus. Cum semel fur sit deprehensus, non tantum suspensus erit ob officio *ad tempus*, sed perpetuò privatus, omni prorsus ad illud regrediendi spe præcisâ: *Jam enim non poteris.* Restitutionum harum usus seu abusus, quamvis speciem præ se ferre videatur pietatis, manifesta est injustitia. Ita ut loco ejus quod restitueret jam ante furto ablata, restitui videretur ad officium, ut plus furaretur. Non sunt istæ restitutiones, quæ remissionem merentur peccati, sed quibus & restituti, & restituentes incurrunt damnationem. Pereat homo unus jam perditus, & non pereant multi, qui perdi possunt, & similium exemplorum fiducia perduntur.

Suppositio hoc primum oppositi mei membrum irritum corruisse, ad aliud transeamus. Hominis hujus furta tam videntur fuisse minuta, & quantitas adeò limitata, ut nec ipse textus ea absolutè furta, sed quasi furta nominare ausit: *Quasi dissipasset bona ipsius.* Ergone, Domine, eodem in mundo & tempore, quo tot in officiis suis tolerantur fures, & quod plus est, illi qui plus sunt quàm fures, præmiantur, æquum est officio suo privari, semperque privatum manere, eò tantum delinquendo progressum, ut non nisi, quasi fur habeatur? Ita planè, respondet iterùm Christus, pro temporum eorundem correctione, & ut cognoscat ipse, idemque mundus quàm erroneè procedat. Quemadmodum in materiis præcepti sexti Theologicè non dantur minima; ita politicè tolerari non debent in materiis præcepti septimi; qui etenim furando se infamavit in modico, multo magis hoc faciet in magno. Quod utrum sic se habeat, in hoc ipso, Quasi fure, id advertite. Mox ut delatum se, & de officio pereclitari cognovit, novo adinvento dolo ex eodem sibi providit officio, plus jam furaturus, quàm ante fuerat furatus. Convocatis actutùm Domini sui debitoribus, laceratis debitorum syngraphis novas conficit falsas, alii debitorum dimidium, alii quintam imminuit partem: & hoc modo furando tempori dies, scripturis veritatem, & Domino pecuniam, ille qui antea solùm fuerat Quasi fur, postea factus est plus quàm fur. Hic energiam intellexi, quâ sponsa dixit in Canticis: *Tulerunt pallium meum mihi.* Pallium quippe auferri Ibidem v. 1. Cant. 5. v. 7.

alicui

alicui poteſt, absque eo, quod immediatè ipſi auferatur, ſed, dum ab alio tollitur. Talis furis hujus fuit calliditas, qui pecuniam ſuo abſtulit Domino, non eam ipſi perſonaliter ſurripiendo, ſed à debentibus illam accipiendo. Proinde, qui antea fur fuerat unus, poſteà fures fecerit plures, non contentus ſe ſolùm eſſe furem, niſi etiam ſui ſimiles faceret alios. Sed pergat ille ad infernum cum ſuis ſociis: Principes verò Herum hunc, & Dominum imitentur, qui tam promptè illum privando officio, à tam funeſto ſe præſervavit itinere.

§. X.

HÆc doctrina univerſalis cùm ſit CHRISTI, nullus Chriſtianorum ratione præditus illam non venerabitur. Non deerit nihilominus politicorum quispiam adeò ſpeculativus, qui ad certum ſubjectorum genus illam reſtringere attentet, ſuas in textu eodem exceptiones fundans. Subjectum, in quo hæc facta fuit executio, textus villicum vocat, in vilibus ergo ſeu abjectioris conditionis perſonis rigores hi locum inveniant, & non in aliis longè differentis conditionis, quibuscum propter qualitates eorum, aliarumve dependentiarum reſpectu Reges diſſimulare fas eſt. Prô quàm repletus eſt infernus illis, qui adulandi magnatibus & ſupremis ergò non conſiderant, quod hujuscemodi interpretamentis illos in damnationem præcipitent! ſed nec credant adulantibus, fidem habeant Deo & auſcultent. DEUS Joſue revelavit in Jerichuntinis ſpoliis furtum fuiſſe commiſſum, poſtquam infelici militaris expeditionis ſucceſſu illud prodiderat, furemque detectum & convictum comburi juſſit. Diligenti inveſtigatione factâ deprehenſum eſt, quempiam nomine Achan pallium coccineum, regulam auream, & ducentos argenti ſiclos, quæ ſimul ſumpta centum dalerorum valorem non adæquabant, fuiſſe furatum. Qualis verò fuit iſte Achan? An fortè homo vilis vel gregarius aliquis miles & ignotus? Non erat inferior conditione, quàm ex regio ſanguine Juda, & per lineam maſculinam in quarto gradu ejusdem nepos. Perſona igitur tam ſanguine nobilis (nemo enim in omni Iſraël illuſtris erat, niſi affinitate Joſue junctus) furis adinſtar igne comburetur? Et ex furto, quod hodiedum non niſi pro veniali imputaretur, domui tam illuſtri perpetua infamiæ nota inuretur? Dicitis forſan diſſimulandum fuiſſe: contrarium verò Deus, tanquam melius rei indignitatem penetrans, judicavit. In materia furti locum non habet perſonarum exceptio; & qui ad abjecta adeo ſeſe demiſit, omnium furorum beneficia perdidit. Lex efficaciter executioni fuit mandata, Achan vivicomburio cum ſuis punitus, populus exemplo manſit inſtructus, & ipſe ſuâ pœnâ & punitione felix: Gravium etenim authorum opinione & aſſerto, Deus ignem illum temporalem ipſi commutavit, pro eo quem æternum debuiſſet luere in inferno: quæ eſt felicitas, quâ fures privant, qui cum illis diſſimulant.

Porrò quantùm ad diſſimulationem, quam cum magnæ authoritatis perſonis, & à quibus quandoque boni publici conſervatio dependet, quique ipſius Miniſterio neceſſariæ ſint, Regibus decoram & convenientem aſſerunt, cum diſtinc-

ctione respondeo. Quando delictum est morte dignum, dissimulatâ pœna, vita personis talibus concedi potest; at quando casus est de furto, nullatenùs dissimulanda est occasio, sed statim privandi veniunt officio. Ambæ istæ circumstantiæ in Adami crimine concurrerunt. Deus legem ipsi posuerat, ne de certo fructu comederet, adjunctâ pœnâ
Gen. 2. v. 17. mortis eodem die incurrendæ: *In quocunque die comederis, morte morieris.* Violato præcepto, Adam furatus est fructum, ipsoque facto pœnam mortis incurrit. Quid verò hoc casu fecit Deus? Paradiso illum mox excluſit, multisque annis vivere concessit. Si igitur Deus propter furtum commissum Paradiso expulit, quare non etiam sententiam mortis executus est, quam incurrerat? Quia ex vita Adami dependebat conservatio & propagatio generis humani; & quando personæ tanti sunt momenti, adeoque bono publico necessariæ, par est etiam mortem meritis indulgere vitam. Verùm si simul fures existant, nec in officio nec in loco relinquendi sunt, ne tales esse perseverent. Ita Deus hoc fecit, & fieri jussit. Posuit Deus ad Paradisi ingressum Cherubinum gladio igneo armatum, ad arcendum Adamum à regressu. Et quare? Ne sicut furatus fuerat de arbore scientiæ, etiam furaretur de arbore vitæ:
Gen. 3. v. 22. *Ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ.* Qui semel fuit malus, eum etiam aliàs & semper malum futurum jura præsumunt. Exeat igitur Adam è loco, ubi furatus est, nec illuc revertatur, ne occasionem denuò alia patrandi furta habeat, prout primum commisit. Et notate Adamum paradiso jam exclusum nongentis triginta postmodum vixisse annis. Ergone homini illi pœnitendi & punito centenis, ducentis, trecentis annis loco privatum fuisse non sufficiet? Nulla ratione. Quamvis nongentis, immò novem millibus victurus sit annis, postquam semel fur fuit deprehensus, nunquam est restituendus, aut in locum eundem regredi permittendus.

§. XI.

SIc DEUS primo mundi fecit homini, idemque Vicariis Dei exequendum est cum omnibus. Verùm, quid, quæso foret, si non solùm fures in officiis & locis, in quibus sunt furati, conservari, verùm ad majora etiam promoveri videremus? Hîc me Scripturæ deficiunt: siquidem exemplum mihi non suppeditant. De Regibus, qui ad pugnandum contra hostes illos mitterent, quidem legitur; de Regibus verò, qui ad gubernandum & regendum subditos suos illos destinarent, nil tale legitur. Assueri, Nabuchodonosores, Cyri, qui armis sua dilatabant imperia hoc modo suos remunerabant Duces majoribus honorando officiis, qui in expugnandis demoliendisque civitatibus, nec non accumulandis spoliis magis se heroicos ostenderent, & hinc Nabuzardanes & Holofernes, aliaque mundi flagella emerserunt. Reges verò, qui subditos velut suos tractant aut tractari cupiunt, & status, licèt longè distantes, tanquam bona propria & non aliena administrari desiderant, quam idoneis subjectis eorum curam administrationemque commendent, Evangelium nobis indicet.

Rex quidam, inquit Christus, in regio-

nem

nem longinquam, ad acquirendum sibi regnum aliud profecturus, bonorum suorum ac reddituum administrationem tribus servis commendavit. Horum primus tam industriè & felicitèr creditâ sibi summâ fuit negotiatus, ut eâ decuplum acquisierit: Rex quoque laudatâ fidelitate ipsius & industriâ, decem civitatum
Luc. 19 v. 17. regimen ipsius potestati subdiderit: *Euge Serve bone, quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* Secundus similiter creditam sibi quoram ad quintuplum usque auxit: eâdemque proportio servatâ Rex illum quinque civitatum Gubernatorem con-
Ibidem v. 19. stituit: *Et tu esto super quinque Civitates.* Ita ut illi, quibus Rex auget officia & gubernacula, sint, qui Regis, & non sua augent bona. Sed ad tertium servum progrediamur. Hic reversus creditam sibi pecuniam in sua natura sine decremento & incremento Regi redhibebat: & eodem mox instanti, sine ulteriore replicatione suâ fuit administratione privatus: *Aufferto ab illo Mnam.* O quàm
Ibidem v. 24. felicia nostra forent sæcula, si culpæ, ob quas hic servus officio suo fuit exutus, essent servitia & merita, ob quæ illi usque huc aucti sunt & promoti! porrô si ille, qui ne medium quidem Imperialis quadrantem sibi accepit, rebus aliis, in statu quo sibi traditæ fuerant, relictis, officio privari meretur, qui illas adeò destructas, perditas, imminutas, confusasque relinquunt, ut ne speciem quidem primi sui statûs retineant, quid merentur? Merentur expediri, promoveri, rebus majoribus administrandis præfici, ut etiam eas dissipent, & simul omnia intereant. Ego putabam, sicut Christus in Parabola duos introduxit servos, qui Regis bona auxerunt, & unum, qui minimè ea auxit; pari modo introducturum quoque fuisse alium, qui ea furaretur, & sic divisio mansisset integra. Divinus verò Magister hujusmodi servum non introduxit; loquebatur enim de Rege prudente & justo: & qui tales sunt (quales ipsos, sub pœna regni amittendi esse oportet) nec in servitium admittunt, neque bona sua illorum fidei committunt, qui ea furaturi essent; quod alicui, qui aucturus non sit, quandoque ea credant, contingere potest, sed non nisi uni soli: sed qui vel sua, vel suorum bona (quæ à suis discernere non debet) furetur, tali ea tradi, nec justus, nec Rex esse potest, qui consentiat. Enim verò quid futurum putamus, si unâ jam civitate spoliatâ, ad quinque civitatum gubernaculum promoverentur: & his similitèr spoliatis, decem civitatibus præficerentur?

Quid ultra Principi Christiano faciendum, si foret instar illorum Principum infidelium, de quibus dicit Isaias: *Principes tui infideles, socii furum?* Id est, Isai. 1. v. 23. Principes Jerusalem non sunt fideles, sed infideles, quia sunt socii furum. Noverit igitur Propheta esse Principes fideles & Christianos multò istis miseriores & infeliciores; quia Princeps furibus sese associans: *Socii furum*, etiam portionem suam in furto habere deberet: at isti, tam longè ab hac participatione absunt, ut primi & maximè omnium spoliati existant. Quo pacto igitur Principes sic spoliati sunt, aut esse possunt socii furum: *Principes tui socii furum?* Num fortassis, quia quandoque comitantes & stipantes Principem sunt fures? Siquidem ita esset, nihil foret novi. Olim stipantes latus Principum Latrones vocabantur:

tur: postea verò corrupto vocabulo isto, latrones & fures sunt vocati. Et quid esset, si quemadmodum vocabulum est corruptum, etiam corrumperetur illius significatum? Ego verò tale quid nec dico, nec opinor. Hoc tantùm dico, & scio, eò quod Theologia certa doceat, in omni scilicet mundi parte verificari illud Isaiæ de Principibus Jerusalem effatum: *Principes tui socii furum.* Quare? Sunt socii furum, quia cum illis dissimulant: sunt socii furum, quoniam officia, dignitates, potestates illis conferunt: sunt socii furum, quia quandoque ipsos defendunt: sunt denique socii furum, quia illos comitantur etiam comitaturi ad infernum, quo ipsi fures eos secum deducent.

Divinam contrà tales comminatoriam auscultate sententiam: *Si videbas furem, currebas cum eo.* Textus Hebraicus ait: *concurrebas*; & utrumque verum est. Dantur enim Principes cum furibus currentes, & cum iisdem concurrentes. Cum illis currunt, quia ad suam illos familiaritatem gratiamque admittunt: cum illis concurrunt, authoritatem & potestatem illis conferendo ad furta ipsorum concurrunt. Et maximè culpam hanc aggravans circumstantia consistit in: *Si videbas.* Quod si fures isti forent occulti: & currens seu concurrens cum illis eos quà tales, non cognosceret, aliquam excusationem mereretur: sed cùm isti fures notorii sint & publici, cum apertâ fronte furentur, cùm omnes illos furari cernunt, & ille ipse iis consentiens, eosdem suffulciens & sustinens hoc videt: *Si videbas furem*; quàm, quæso, coràm DEO, toroque mundo excusationem obtendere valebit? *Existimasti inique, quod ero tui similis*; id est, tu, ô injuste, inquit DEUS, me tibi similem fore arbitraris, & quemadmodum tu cum furibus istis dissimulas, sic me quoque tecum dissimulaturum opinaris? Deciperis: *Arguam te, & statuam contrà faciem tuam.* Ex ipsis latrociniis & furtis, quæ oculis intueris, & in quæ consentis, speculum tibi conficiam, in quo te contempleris: & si in omnibus istis non minùs te reum, quàm omnes istos fures, quia non impedis, imò ipsis furibus nocentiorem videris; tunc cognosces, quod tanto te justus ad infernum condemnem. Quod ita Paraphrasis Chaldaica textûs ejusdem ultimâ & tremendâ sententiâ declarat: *Arguam te in hoc sæculo, & ordinabo judicium Gehennæ in futuro coràm te*; In hoc mundo tuam arguam conscientiam, sicut illa te nunc arguit: & in altero mundo animam tuam condemnabo ad infernum, prout in judicii die experietis.

Ps. 49. v. 18.

Ibidem.

Parap. Chald.

§. XII.

MAgnum excitabat dolorem & commiserationem, Auditores, in illa die videre, quomodo fures secum multos ad infernum deducent Reges: verùm ut versâ aleâ fors ista in utrisque in melius immutetur, agite, nunc videamus, quomodo Reges, dummodò voluerint, secum in Paradisum valeant deducere fures. Videbitur fors cuipiam, ob ea, quæ dixi, magni hoc esse moliminis & quid difficile, neque sine magnis possibile expensis: ast ego vobis affirmo, paucisque demonstrabo esse idipsum quid ad præstandum, Regibus expedissimum, & cum nullo

pros-

prorsus dispendio, sed maximo bonorum eorundem incremento conjunctum. Et quo medio? Unico verbo, sed Regio & Rege digno. Mandando, ut fures non restituere soliti, effectivè seu practicè restituant, quicquid furati fuerant: quod ita exequendo, salvabuntur fures: salvabuntur & regès. Salvabuntur fures, quia restituerunt, quod furati sunt: salvabuntur & Reges; quia restituentibus sic furibus, ad restituendum ipsi non obligabuntur. Num quid justitiæ conformiùs, utile magis, omnibusque necessarium dari potest? Solus fide conscientiâ judicioque carens id negare audebit.

Verùm enim verò, ne & ipsi fures hac viâ industriarum suarum aut fraudum se fructum perdituros sentiant: considerent, quod, quamvis malum furem & latronem malitiâ adæquarent, non tantum executionem istam subire & amplecti, sed ab ipsis eam Regibus postulare deberent. Bonus latro petiit à CHRISTO, velut Rege, ut sui meminisse dignaretur in suo Regno: *Domine, memento mei, cùm veneris in Regnum tuum*; Latro verò malus quid petat? *Si tu es CHRISTUS, salvum fac temetipsum, & nos.* Id est, si tu es Rex & Messias promissus, prout socius meus credit, salva teipsum & nos. Istud latro malus petiit à Christo, idemque furibus & latronibus à suis petendum est Regibus, licèt malo sint latroni nequitiâ pares. Nec tua, Domine, majestas salvare se potest, neque nos sine restitutione salvari possumus: nobis restituendi animus & intentio deest, sicut nemo nec in vita, nec in morte restituit; restitutionem igitur majestas tua mandet, & hoc modo & medio, quamvis violento nobis, & se & nos majestas tua salvabit: *Salvum fac temetipsum & nos.* Nullum conscientiæ alicujus Christianum, id non approbaturum credo. Ne verò in generalibus id terminis relictum in aërem abeat, ad praxin descendendo, quanam id methodo faciendum sit, videamus. Faxit DEUS, ut ita fiat.

Luc. 23. v. 42. Ibidem v. 39.

Quæ furari solent istis in officiis & gubernaculis fures, de quibus loquimur, vel sunt bona regia, vel particularium: utraque jam furto ablata restituere tenentur tam Reges, quàm ipsi fures: vel quia dissimulando in ipsa consensêre furta, quando patrata sunt, vel solùm (quod etiam ad inducendum restituendi onus sufficit) quando jam facta esse sciunt. Et hic notanda venit differentia notabilis, (quæ non consideratur) inter bona Regum, & bona particularium. Particulares suis sibi bonis furto ablatis restituere non solùm non tenentur, sed magnum sibi ex hoc meritum acquirere possunt, si patienter ferant; & furi ablata donare possùnt. Reges in hoc puncto longè pejoris conditionis sunt, quamvis spoliati, ad propriorum bonorum furto ablatorum restitutionem urgendam obligantur, nec eam raptoribus remittere possunt. Ratio differentiæ est, quia bona cujusdam particularis seu privati sunt propria ipsius: illa verò Regis non sunt ipsius, sed Reipublicæ. Et quemadmodum Depositarius, & tutor credita sibi alienare prohibetur, ad restitutionem obligatus; ad idem Rex tanquam

tutor, bonorum, & ærarii reipublicæ depositarius tenetur, qui si ordinarios reditus alienari aut interverti, & perire sineret, novis eam tributis gravare cogeretur.

Modum, quo regia bona expedissimè restitui possint, quidam Reges docuit Monachus, qui quâ arte furari, eâdem restituere novit. Crantzius, Majolus & alii casum referunt. Monachus vocabatur Frater Theodoricus, & quia magnæ erat prudentiæ, industriæque vir singularis, Carolus Imperator quartus, quædam magni momenti negotia ipsi commisit, quibus exequendis in tantum suum saginavit marsupium, ut modico temporis spatio divitiis Magnates æquaret. Quo cognito Imperator ad se vocatum rationes subducere jussit. Quid hic pauper & dives Monachus faceret? Respondet intrepidè, se eodem mox momento ad computum reddendum esse paratum, inquiens: Ego, Imperator, Majestatis tuæ subivi Ministerium hoc indutus habitu, cum duobus imperialibus in marsupio ex sacrificiorum meorum stipendio: Majestas tua meum mihi relinquat habitum cum duobus imperialibus, reliquam totam substantiam, quam acquisivi, jubeat ad se recipi, quia sua est, & absolutus est computus. Tam expeditè Monachus iste restituit: & ipse sua observavit vota, & Imperator sua retinuit bona. Reges & Principes de servis malè provisi, si animas salvare, & bona recuperare cupitis, sine personarum exceptione, modum restituendi Fratris Theodorici introducite. Sciatur, cum quanto quilibet intravit, reliquum revertatur, unde venit, salventurque omnes.

§. XIII.

REstitutio particularibus facienda non æquè videtur expedita & facilis, siquidem multis integrisque Provinciis bona sunt surrepta. Sed quemadmodum piscatores isti deauratis sunt virgis piscati, similiter virgis iisdem plectantur deauratis. Si trahunt multum, prout ordinariè trahunt, jam scitur contrà DEI legem, vel contrà leges regulásque Regis fuisse acquisitum, & hinc ex alterutro, seu utroque capite injustè. Hoc modo ex India trahuntur quingenta cruciatorum millia, ex Angola ducenta millia, ex Brasilia trecenta, & ex paupere Insula Maragnana plus quàm illa valet. Et de his bonis quid faciendum? Rex pro sua, & eorum qui furati sunt, animabus ea applicet, ut utrorumque salvæ fiant. De Gubernatoribus ad diversas provincias à Maximino Imperatore directis, pereleganti & aptissima similitudine dicebatur, quod spongiæ essent. Ad inventionis hujus non alius erat scopus, quàm ut hisce instrumentis inexplebilem cupiditatis suæ sitim satiaret aut sedaret: Illi etenim ex provinciis sugebant quantumcunque poterant: & Imperator jam reversis, spongias istas exprimendo, quicquid furati fuerant, Fisco regio consignabat, hoc modo ille ditescebat, & illi castigabantur. Unum Imperator agebat malè, alterum benè: optimum verò illi deerat. Homines destinando ad provincias, qui spongiæ essent, operabatur malè: post reditum spongias exprimendo, & corrasa addicendo Fisco, operabatur benè & justè: optimum

verò

verò velut iniquo & tyranno, qualis erat, ipsi deerat: totum enim ex spongiis expressum, non sibi usurpare, sed provinciis, unde sublatum fuerat, restituere oportebat. Illud Regibus salvari cupientibus facere incumbit, neque existimare se zelo justitiæque obligationi satisfacere, si in aliquo fortassis castello capi incarcerarique mandent, qui civitatem, provinciam, seu rempublicam quampiam spoliavit. Quid enim prodest aliquot dies aut menses hanc umbraticam tali injungi pœnitentiam, si hac transactâ liberè furtis suis frui finitur, damnumque passis nihil restituitur?

Huic apparenti & umbratili justitiæ gravissima subest deceptio, quâ nec sic punitus & castigatus, nec castigans hoc modo aut puniens æternam damnationem evadit: porrò ut intelligatur, aut intelligentem sortiatur hæc deceptio, declaratione indiget. Usurpator alieni geminæ satisfactioni obnoxius tenetur; pœnæ legis, & restitutioni ablati. In pœna Rex tanquam legislator dispensare potest: in restitutione verò minimè, est enim indispensabilis. Et tantum adhuc in contrarium agitur, quando fit, vel justitiæ satisfieri putatur; ut pœna tantum vel aliqua pars pœnæ inferatur, de restitutione nec mentione, nec curâ aliquâ habitâ. Cum S. Thoma absolvamus. Quæstionem movet S. Doctor: *Utrum sufficiat restituere simplum, quod injustè ablatum est?* Et postquam resolvit sufficere; quia restitutio est actus justitiæ, & justitia consistit in æqualitate, contra eam resolutionem argumentatur ex lege Exodi cap. 22. ubi DEUS mandavit, ut qui bovem furatus

Exod. 22. v. 1.

fuisset unum, restitueret quinque: ergò simplum pro simplo restituere non sufficit, sed multò plus quàm ablatum est: vel si sufficit, prout resolutum est, quomodo lex illa intelligenda venit? Intelligenda est, inquit Sanctus, ipsam bifariam distinguendo legem, semel eam accipiendo, quatenus est lex naturalis, & sic spectat ad restitutionem: secundò quatenus est positiva, & sic spectat ad pœnam. Lex naturalis ad servandam damni æqualitatem, simplum tantùm pro simplo restitui mandat: Lex positiva ad puniendum crimen furti, in pœnam addit quadruplum simplo: hinc quinque reddi jubet pro uno. Nihilominus advertendum, inquit Sanctus Doctor, inter restitutionem & pœnam magnam intercedere differentiam: ad solutionem enim pœnæ criminosus non obligatur ante sententiam latam; ad restitutionem verò furti, etiam non latâ sententiâ obligatus manet. Unde manifesta apparet modicæ istius pœnæ injustitia, quæ rara est in usu. Capitur fur & custoditur in salvo. Sed quid hinc sequitur? Captus sic purgatus à crimine, optimè contentus agit: Rex suæ se obligationi & justitiæ satisfeciſſe putat, & minus adhuc nihilo factum est: proinde ad integram uterque restitutionem furtorum obligati perseverant sub reatu damnationis æternæ. Reus, quia non restituit: & Rex, quia illud fieri non mandat. Rex igitur viâ executivâ à furibus & raptoribus auferri faciat bona illicitè acquisita, & per se restitutiones exequatur, quas illi nec faciunt, nec facturi sunt: & hoc medio (aliud enim nec est, nec esse potest) loco

ejus

ejus, quod fures deducant Reges ad infernum, uti faciunt: Reges deducant fures in Paradisum, sicut fecit CHRISTUS: *Hodie mecum eris in Paradiso.*

§. XIV.

ABsolvi discursum meum, Auditores, videorque mihi demonstrâsse, quod promisi, cujusce me non pœnitet. Si cui videor dicere ausus, quod subticere majoris fuisset reverentiæ; cum S. Hilario respondeo: *Quæ loqui non audemus; silere non possumus*; q. d. Salvâ conscientiâ hoc taceri non potest, quamvis fiat cum repugnantia, dici tamen necesse est. Auditor coronatus erat ille, cui Joannes Baptista dixit: *Non licet tibi.* Similiterque coronatus, licet non auditor, cui CHRISTUS dici jussit: *Dicite vulpi illi.* Idem cordatè adeò fecit Jeremias à DEO prædicator destinatus: *Regibus Juda & Principibus ejus.* Quod idem si Isaias fuisset æmulatus, non posteà pœnitentiâ ductus ingemuisset: *Væ mihi, quia tacui!* Medici Regum tanta, immò majore libertate illis vitæ sanitatisque conservandæ necessaria præscribere debent; quàm in nosocomiis sub suâ curâ constitutis. In particularibus & privatis homo curatur unus; in Regibus respublica tota.

S. Hilar.

Marc. 6. v. 18.

Luc. 13. v. 32.

Jerem. 1. v. 18.

Resumendo igitur, quæ dixi, neque Regibus, neque furibus, neque ipsis etiam spoliatis ullam potest afferre molestiam doctrina, quam prædicavi, communiter enim concernit omnes. Favorabilis est spoliatis; recipient enim quod perdiderunt: utilis & salutaris est Regibus; quia sine detrimento, immò cum bonorum suorum incremento suas exonerant animas. Ipsorum denique furum vel maximè in ea res agitur, & quibus potissimum præjudicare videtur, maximum ex ea commodum reportant. Vel furati sunt animo & intentione restituendi, vel non: si sic; hoc est, quod suadeo, & in tempore fieri opto. Sin verò, in statu & dispositione ad infernum deveniendi versantur; nullusque eorum adeò cæcutire potest, quin æstimare queat melius esse devenire in Paradisum. Hoc tantùm ipsos deterrere potest, quod restituendo, spoliis se exuere & carere debeant; sed quem admodum spoliati patientiam habuerunt necessariò: ita ipsi eandem exerceant cum merito. Si Eleemosynarii cælum sibi acquirant proprio, quare fures non acquiescant illud sibi comparare alieno? Bona propria & aliena tempestate sæviente projiciuntur in mare. Et quis natando de naufragio salvatus, quamvis exutus, fortunæ suæ felicitatem depictam, gratias agendo non consecrat altaribus? Omnia sua bona homo libenter conservandæ impendit vitæ, inquit Spiritus Sanctus: & quantò promptiore voluntate, bona omnia non sua ad vitam non temporalem, sed æternam eum expendere oportet! ad vivicomburium condemnatus nonne felicem se æstimaret, si omnium bonorum suorum confiscatione pœnam hanc & supplicium tale redimere & evadere posset? Quilibet se in agone mortis constitu-

ſtitutum, ignemque infernalem oculis ſuis oppoſitum conſideret, & videbit annon conducibile ſit, quod ſuadeo. Si manus veſtræ, pedesque veſtri damnationis vobis ſint occaſio, abſcindite eos; ſi oculi veſtri, eruite illos, inquit Chriſtus: melius eſt enim claudum, debilem & cœcum intrare cœlum, quàm cum multis ſanis membris deſcendere in infernum. Iſtudne eſt verum, an non? Credamus eſſe fidem; credamus eſſe infernum; confiteamur neminem ſine reſtitutione ſalutem conſequi poſſe. Ecce, ecce homines dum adhuc vivitis, quid perdatis, & quare? In reſtitutione hac neceſſaria & præcepta, quam omnino non, aut ægrè admodum exequimini, quid, quæſo, redditis, quid relinquitis? Redditis quod ante non habeatis: & relinquitis quod vobiſcum auferre non poteſtis, & hinc peſſum itis. Nudus mundum ingreſſus ſum & nudus egrediar, inquiebat Job: & ita bonus maluſque latro ſunt egreſſi. Proinde ſi neceſſario ſic eſt futurum, volentes nolentes, nudi & nudi, nonne melius eſt cum latrone bono intrare Paradiſum, quàm cum malo deſcendere in infernum?

Rex Regum & Domine Dominorum & Dominantium, qui inter fures & latrones moriendo, primi furis latroniſque furtum ſolviſti, & omnium primo latroni alteri Paradiſum promiſiſti, ut & latrones & Reges ſalutem conſequi fatagant: tuo inſtrue exemplo, tuâque reges gratiâ illuſtra & excita, ut nec eligendo, nec diſſimulando, nec approbando, neque multiplicando & evehendo fures, hoc velut medio, furta futura impediant, jam præterita reſtitui mandent & curent, ut loco ejus, quod fures eos ſecum ducant, prout ducunt, ad infernum, ipſi potiùs fures ſecum, ſicut tu feciſti hodiè, deducant in cœlum: *Hodie mecum eris in Paradiſo.*

Amen.

SERMO
DE
MANDATO.

Dictus Ulyssippone, in Hospitali Regio.
Anno 1643.

Sciens JEsus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Joan. 13.

§. I.

QUisquis hanc hodie domum fuerit ingressus (omnipotens & amabilissime Domine) quisquis hanc hodie domum fuerit ingressus, quæ est ultimum paupertatis refugium, & universale infirmorum remedium: Quisquis, inquam, te in ea visitatum fuerit ingressus (prout totus hic pietatis Christianæ facit cœtus) rationabili sanè motivo dubitare potest, utrum velut prodigus huc veneris, an velut infirmus. Dedisti cœlum, dedisti terram, dedisti temetipsum; & qui tam prodigè ex- & dispendit, totum quod erat, & habebat; mirum non est, quod in hospitali sese stiturus advenerit. Ego mihi illud quasi persuaseram; verùm in judicio malorum, meliùs semper conjecit, qui pejora præsumpsit. Evangelista tuus, Domine, infirmitatem & non prodigalitatem ad hunc te locum deduxisse inquit; infirmum te, & tam graviter te infirmum inquit, ut propria tua scientia nonnisi paucas tibi residuas vitæ horas promittat; atque adeò ultima per momenta singula gradum acceleret: *Sciens JEsus, quia venit hora ejus.* Joannis 13. v. 1. Qualitatem quoque seu infirmitatis speciem idem similiter Evangelista declarat. Amoris eam esse, & amoris eam nostri, amorisque incurabilis eam esse inquit: amoris, *Cum dilexisset:* amoris nostri,

suos,

suos, qui erant in mundo; & amoris incurabilis & irremediabilis, *In finem dilexit eos*. Iste, Domine, est infirmus; & nostrarum salus animarum, est malum, seu bonum, cujus tu causâ langues & infirmaris; quodque vitam tibi eripiet. Ego proinde Auditoribus meis demonstraturus, quod quamvis ad omnia obstricti tibi teneantur propter mortem, plus tamen tibi debeant propter infirmitatem; de ea tantùm verba faciam. Diei igitur, loco & Evangelio me accommodans, super allegatis ex eodem verbis quatuor, & unum tantum pertractabo. Remedia amoris: & amorem sine remedio. Hoc, Amañs & Amatoť divine, pace tui cordis, discursus mei præsentis erit argumentum. Adhuc dubitamus aliquatenùs, utrum à tua gratia amor tuus distinguatur. Si non distinguatur, tuum à te amorem efflagito, sine quo de eo differi non potest: & si sunt res distinctæ, amoris ejusdem amore, tuam à te peto gratiam. Ave Maria.

§. II.

REmedia amoris, & sine remedio amor, sunt quatuor, & unum tantùm, de quo me locuturum promisi; cùm enim infirmitas fuerit amoris, quæ vitam authori eripuit vitæ, demonstrari nequit, amorem sine remedio fuisse, nisi simul amoris remedia describantur. Hac super materia diserte scripsit Galenus de amore humano, in libris, quos *de remedio amoris* inscripsit: quorum Aphorismi, quia sunt confutandi. sine textu & nomine adducentur, sicut, qui non ad authoritatem conciliandam, sed ad serviendum venit. Remedia igitur amoris validissima & efficacissima, quæ natura hujusque detexit, & experientia approbavit, & ars præscripsit, sunt ista quatuor: Tempus, absentia, ingratitudo, & super omnia, objecti melioratio. Singula verbis Thematis loco allegatis comprehenduntur, tamque expressa, ut commentatore non egeant: *Cùm dilexisset*, ecce tempus: *suos qui erant in mundo*; ecce ingratitudo: *ut transeat*, ecce absentiam: *ex hoc mundo ad Patrem*, ecce objecti meliorationem. Omnibus hisce remediis infirmitati, omnibus istis defensivis cordi, omnibus istis antidotis Divini amantis applicatis amori: nec tempus illum imminuit, nec ingratitudo tepefecit, neque objecti melioratio vel in apice eum immutavit, *in finem dilexit eos*. Istæ discursus mei quatuor sunt partes: procedamus approbando amorem, & remedia refutando.

Primum remedium diximus esse Tempus. Tempus medetur omnibus, oblivione omnia sepelit, omnia corrumpit, omnia digerit, omnia finit. Tempus columnis opponere sese audet marmoreis, & quantò magis cordibus cereis? Affectiones sunt instar vitæ, non enim certius est signum durandi parùm, quàm durâsse multùm. Sunt velut lineæ de centro ad Peripheriam tendentes, quæ quantò longiùs extenduntur, eò longiùs ab invicem separantur. Hinc antiqui Amorem in specie depingebant infantis; non enim adeò validus & robustus est amor, qui ad multos perveniat annos. Omnibus, quibus illum armavit natura, tempus illum exuit instrumentis. Tempus ipsi excutit arcum, quo jam non jaculatur: invertit illi sagittas, quibus jam

non ferit, & creſcere ipſi facit alas, quibus volat & fugit. Naturalis totius differentiæ hujus ratio eſt; quia Tempus rebus novitatem tollit, defectus detegit, guſtui faſtidium inducit, & ſufficit fuiſſe in uſu, ut non ſint eædem. Uſu conſumitur ferrum, quantò magis amor? Idem amor eſt cauſa non amandi; & amâſſe multùm, amandi minùs. Unum inſtar omnium illud Davidis ſufficiat exemplum.

David amore illo ardentiſſimo adamavit Bethſabee, de quo omnibus conſtat: & cùm cor ipſius cordi Dei conformè foret, Deusque zelotypus adeò, uti de ſemetipſo fatetur: *Ego Deus zelotes*; notatu quid digniſſimum eſt, quod Deus ipſum in amore tali perſeverare permiſerit, nullo ipſi ſuccurrendo remedio, niſi finiente anno, quando ad ſaniorem ipſum mentem miniſterio Nathani Prophetæ reduxit. Quanto dolore exiguum Davidis amorem, imò odium ſui Deus perſenſerit, ex circumſtantia ſolicitudinis ipſius planè innoteſcit: cùm enim ipſe fuiſſet offenſus, idem nihilominus ad reconciliationem invitavit, non expectando, donec David pro eadem interpellaret. Si igitur Deus ab immoderato Davidem Bethſabee amore deſiſtere tam avidè deſiderabat, quare ſolicitudinem eandem tanto diſtulit tempore, & non niſi exeunte anno adhibuit remedium? Quia ipſe annus, & idem tempus primum fuit remedium, quo ipſum curare cœpit. Infirmitates aliæ ex dilatione incurrunt periculum: ipſa verò amoris optimum ipſa in dilatione habet remedium. Ille ſolus hominum Cordi agnoſtes videbat, quod durante in Davide illo affectionum æſtro, difficultet è corde ipſius amorem evellere poſſet, quo tantopere occupatus erat: commitatur ergo Tempori, quod ſenſim ipſum ad hoc diſponet: & ita factum eſt. Initio David non conſiderabat, quid ſibi, quid vaſallo, neque quid Deo debebat; neci exponebat & proſtituebat exercitus, occidebat homines, famam negligebat, & conſcientiam, tantum enim in principio indomitum illud prævalebat æſtrum, ſed die potrudente diem, & hebdomadâ hebdomadam, menſe evoluto poſt menſem, & appropinquante jam anni periodo, quiſnam, quæſo, Davidis fuit ſtatus amoris? Vulnus ſic ſenſim fuerat diſpoſitum, cor adeò temperatum, ardor adeò remiſſus, ut unicum tantùm ipſi perfectè ſanando, Propheta ſuffecerit verbum. Quod fuerat deſiderium, ſubitò converſum eſt in dolorem & tædium: cæcitas in lucem, voluptas in lacrymas: & quod fuerat amor, in compunctionem & pœnitentiam. Et ſi hoc unus tantum valet annus, quid facient multi?

Exod. 20. v. 5.

Iſta eſt Temporis in amorem potentia. Sed qualem in amorem? In amorem humanum impotentem; humanum in amorem inconſtantem; humanum in amorem non rationis, ſed appetitûs tantùm ſequacem; humanum in amorem, etiam, ubi tenerrimus & perfectus videtur, groſſum & imperfectum. Remediabilis tempore amor, infirmitas eſſe poteſt; aſt amor non eſt. Amor perfectus & ſolus amoris nomine dignus, ſupra mutabilitatis ſphæram; quousque temporis jurisdictio non pertingit, immortalis agit. Illum nec anni imminuunt, nec ſæcula debilitant, neque æternitates fatigant: *Omni tempore diligit, qui amicus eſt*; inquit Salomon in Legis antiquæ Gnomis & Legis novæ Salomon S. Auguſtinus in eundem commentan-

Prov. 17. v. 17.

mentando textum, hac admirabili
S. Aug. fundum ejus sententiâ penetravit: *Manifestè declarans amicitiam æternam esse, si vera est: si autem defierit, nunquam vera fuit.* Significare nobis voluit Salomon, inquit S. Augustinus, amorem verum esse debere æternum, nam aliquo interruptum tempore verum nunquam fuisse: *Si autem defierit, vera nunquam fuit.* Notabile dictum! omnibus aliis in rebus, desinere esse, signum est fuisse, in amore verò, desinere esse, argumento est nunquam fuisse. Desiit esse, ergo nunquam fuit: desiistis amare, ergo nunquam amâstis. Amor, non omnis temporis, & omnium temporum, non est, neque fuit amor: si enim finem accipiat, principio semper caruit. Est velut æternitas, quæ si per impossibile finiretur, æternitas nunquam fuisset: *Declarans amicitiam æternam esse, si vera est.*

Tam exemptus à temporis imperio verus agit amor. Verùm ubinam hujusmodi amor invenietur? In te solo Phœnix divine, in te solo. Istud significat: *Cùm dilexisset.* Porrò quando amavit, & à quanto tempore amavit? Primò, à principio æternitatis principii expertis; quia ex tunc Verbum æternum cæpit amare homines, seu potius illos tunc amavit non incipiendo, sicuti ipsemet
Prov. 8. v. 31. dixit: *Delicia meæ esse cum filiis hominum.* Proinde amor in æternitate radicatus, quo pacto remedium inveniret in tempore? Tempus cum creatione incepit mundi; siquidem Tempus ante non erat. Istud verò in Christo in duas dividitur partes: in Tempus, quo ab ortu mundi voluntate amavit divinâ: & in Tempus, quo ab exordio vitæ voluntate divinâ amavit, simul & humanâ. A principio vitæ triginta & quatuor transierunt anni: à principio mundi, ultrà quàtuor annorum transierunt millia; tot verò annorum, imò & sæculorum curriculis, Tempus nullam in eum habuit potestatem. O amor solus verus! ô amor solus constans! ô amor solus amor! Quid non dissolvit, quid non absolvit, continua tot annorum volutio; quotquot ab exordio mundi transierunt usque ad epilogum vitæ Christi? Quænam civitas tam firma & munita, quam non demoliretur? Quodnam marmor, quod in pulverem redigeret? Non pulverizaret? Quodnam æs, quod non comminueret & in favillam redigeret? Humana omnia tam longa temporis continuatio, ipsam etiam eorum memoriam tempus abolevit: Solus amor JESU ad insultandum annis & sæculis, integer semper sine decremento, semper firmus & inviolabilis, constans semper & idem perseveravit; sicut enim amaverat in principio: *Cùm dilexisset;* Ita, eâdemque amoris intensione amavit usque in finem: *In finem dilexit eos.*

Tantùm abfuit, ut Tempus (ecce quid dico) tantùm abfuit, ut Tempus Christi posset imminuere amorem, ut amor potiùs Christi imminuerit Tempus. In ipso Evangelii nostri textu id habemus: *Sciens JESUS, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*; hoc Evangelista de ultimæ Cœnæ mysteriis loquens asseruit, in qua prodigioso humiliatis suæ exemplo, & obstupescendo omnipotentiæ suæ miraculo hominibus manifestavit, quàm extremè illos adamaret. Horâ verò, quâ Christus de mundo transiit ad Patrem, non hac fuit

die, sed die Ascensionis, quadragesimo secundo ab hoc die. Si igitur Christo adhuc quadraginta & duo mansionis in mundo supererant dies, antequam ad Patrem ascenderet, qua ratione Evangelista horam jam adveniisse asseverat: *Venit hora ejus*? Tot erant dies, & una tantùm erat hora? Sic. Quia omnes isti dies, quibus Christus adhuc mansurus erat in mundo, erant dies, quibus cum suis commoraturus erat dilectis & amatis: *Cùm dilexisset suos.* Proinde quamvis computatione temporis dies forent multi; respectu tamen & æstimatione sui amoris, una tantùm erat hora: *Hora ejus.* Agitè, notato nunc benè eorundem computu dierum, expendite, quod nunquam advertistis. Ab hora cœnæ usque ad horam, quâ Christus ascendit in cœlum punctualiter & præcisè mille fluxerunt horæ, ne vel una aut deficiente aut superfluente. Omnes verò isti dies temporis emensi rotis, mille summatim conficiebant horas, numerati verò juxta horologium amoris, quod Christus in pectore gestabat, non nisi unam horam conficiebant. Hinc vocatur, *Hora ejus*; Mundo quippe & Tempori millenæ erant horæ: Christo verò & amori ejus non nisi unica erat hora. Et si amor Christi de horis mille horam fecit unam; ecce quàm veraciter dixi, quod loco ejus, quod Tempus imminueret amorem, ipsum tempus imminuerit amor.

De Jacob affirmat Scriptura, quod, cùm septennio servisset pro Rachele, dies ipsi visi fuerint pauci, quia ardenti eam deperibat amore: *Videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine.* Nullatenùs Jacob tam gloriosè præfigurâsset Christum, nisi etiam amor ipsius tam prò-

Gen. 29. v. 20.

priè imminuisset Tempus. Verùm in hac ipsa imminutione animo necesse est advertere, quod anni, non nisi pauci dies Jacob visi, non tantùm fuerint septem, sed multò plures & longiores. Quemadmodum voluptas & deliciæ dies abbreviant, sic labor & ærumne eosdem prolongant. Deus Abrahamo prædixit, progeniem ipsius quadringentis annis Ægyptiis servituram, cùm centum tantum servierint annis; labor enim duplicat & quadruplicat tempus, & centum annis servire, est quadringentis annis pati. Eodem modo numerandi sunt anni Jacob: Jacob die noctuque tanto labore & fatigatione servivit Labano, prout ipsemet illi in faciem probè exaggerare scivit, cùm doli & fraudes Labani non minimè aggravarent laborem. Ergò sicut amor Jacob ex una imminuebat, sic labor ex altera parte annos augebat: & concurrente simul ad imminuendum amore, & ad eosdem augendum annos labore, cum jam non in tantum multiplicarentur, ut essent triplicati, integros ut minimùm permanere erat necessè Quonam igitur modo Jacobo non anni, sed dies pauci poterant videri? Nullum est dubium, quin, quod implicatio esse videtur, maxima amoris Jacobi exaggeratio existat. Tempus constituebat annos, ærumna & labor multiplicabat tempus; sed amor Jacob labore & tempore major non solùm imminuebat annos, quos faciebat tempus, verùm etiam illos quos labor & ærumna multiplicabat. Amor serviendo gaudens, annos diminuebat quosdam; idem patiendo gaudens diminuebat alios: & hinc quantumvis anni essent anni, & multi ac multi, omnes ipsi videbantur dies, & dies pauci: *Videbantur illi dies pauci.*

Ma-

Magni facerem, si dies istos amoris Jacob, quos Scriptura vocat paucos, eadem nobis, quoad numerum determinaret. Sed dato (per impossibile) quemlibet annum unum tantum ipsi fuisse diem; amor adhuc figurati infinitè amorem excedit figuræ: & ille JEsu, illum Jacobi. Tempus, quo Christi imminutus est amor, etiam Tempus Passionis ejusdem includit, & si miseria & afflictio auget & multiplicat tempus ad mensuram ejus quod quis patitur, quis hoc casu mensurare sufficiet tempus, cum tormentis, temporisque durationem, quo Christus patiebatur, cum excessu cruciatuum, quos perpessus est? Christus in sua Passione, quod omnes Theologi cum Sancto Thoma probant, plura sustinuit, quàm passi sunt, & patientur omnes homines à principio usque ad mundi finem. Tormenta seipsis erant acerbissima, quorum nihilominus acerbitatem incomparabiliter aggravabat subjecti tenerrima complexio, apprehensionis vivacitas, tristitia extrema se solâ vitam eripere sufficiens: & super omnia infinitæ contrà Deum in hoc aliisque omnibus humani generis peccatis injuriæ comprehensiva cognitio. Proinde quot vobis patiendi sæcula longissimis illis horis videntur comprehensa? Adeò fuerunt longæ, ut earundem duratio ad satisfaciendum pro æternitate pœnarum inferni sufficerit, quæ duratione eâdem solvebantur. Et horas adeò longas vel tam æternas quod amor Christi ad unam reduxerit horam: *Hora ejus*; ô amorem verè immensum! quod aliæ horæ, cæterique dies amantissimo JEsu visi fuerint breves, non est usque adeò mirum, erant quippe dies & horæ, quibus cum charis sibi conversabatur: verùm illas etiam passionis horas, cum tam excessivorum essent dolorum: similiter ejus abbreviaret amor? Etiam, & eodem ex motivo. Aliæ breves erant horæ, quia illis manebat nobiscum: & istæ similiter breves erant, quia patiebatur pro nobis. Amor non est passus, ut minùs contrà tempus posset gaudium passionis, quàm illud præsentiæ, ideò æqualiter imminuit horas tam gaudium pro hominibus patiendi, quàm gaudium cum illis manendi.

Utrumque complexus declaravit S. Paulus unico tantum verbo, quando loquens de morte Christi dixit; *Ut pro omnibus gustaret mortem.* Hebr. 2. v. 9. Non dicit Christum pro nobis passum, sed gustâsse mortem: *Ut gustaret.* Verbum istud, *gustaret*, libare & probare significat: hinc energiâ singulari Christum gustâsse mortem asserit; gustus enim, quo illam passus est, taliter eam abbreviavit, ac sic eam tantùm delibâsset. Egregiè S. Anselmus in eadem commentans verba dixit: *Ut gustaret, id est, horariam, & non longam, quasi aliquid gustando transiret.* S. Ans. hic. Apostolus vult dicere, inquit Anselmus, Christum tanto passum fuisse gaudio & gustu, ac si mortem realiter non obiisset, sed delibando tantùm eam transiisset: *Quasi aliquid gustando transiret.* Proinde quamvis mors tot tantarumque esset horarum, illi unius tantùm visa fuit horæ: *Horariam & longam.* Novum notate adjectivum, *horariam*, de, *hora ejus*, utique formatum, S Joannis. Et ecce, quodnam divino nostro infirmo curando, à tempore sperari poterat remedium, si tam fortis & acuta sui mali, seu sui, nostrique boni erat vis & efficacia, ut loco ejus, quod Tempus imminueret amorem;

amor

amor potius imminuerit tempus : *Cùm dilexiſſet ſuos.*

§. IV.

SEcundum amoris remedium eſt abſentia. Infirmitates multæ ſolâ aëris mutatione curantur : amor, illâ terræ. Amor eſt inſtar lunæ, cui ſi terra ſe opponat intermediam caliginem ipſi offundit. Supulchrum, David diſerte vocavit : *Terram oblivionis.* Et quænam terra, non eſt terra oblivionis, ſi vos tranſiſtis ad aliam ? Quod ſi mortui tam altâ ſunt oblivione ſepulti, quod tam modicum terræ inter ipſos & vivos intermediet, quid, quæſo, ipſis ſperandum eſt, aut quid ſperari poteſt de abſentibus ? Si quatuor terræ palmi tales operantur effectus, tot leucæ quid facient ? In longinqua & à jactu ſagittæ remota ſi abeant, vires amoris illuc non pertingunt. Petrus ſecurus eſt Chriſtum à longè, & illud *à longè*, quid conſecutum eſt ? Ut quem præſentem gladio defendebat, abſentem negaret & abjuraret. Philoſophi mortem per abſentiam definiêrunt : *Mors eſt abſentia animæ à corpore.* Et abſentia ſimiliter per mortem definienda venit, licèt mors ſit, de qua frequenter quis reſuſcitatur. En illud in naturalibus utriusque effectibus; primarii duo mortis effectus, ſunt ſeparare, & frigefacere. Mortuus eſt homo, anima ſe à corpore ſeparavit ; ſi mox ab egreſſu animæ corpus attrectaveritis, quasdam caloris reliquias adhuc deprehenderis : paulò poſt ad tangendum reverſi, corpus jam frigefactum congelatamque ſtatuam invenietis. Idem planè operatur vicaria mortis abſentia. Valeſecerunt ſibi mutuò ardentiùs ſe amantes magnis affectûs argumentis, tandem ab invicem divulſi : quod ſi mox à diſceſſu arctiùs amantis, graviusque abſentiam ferentis arteriam contrectare libuerit, in corde palpitare ſalutationes, fluere ex oculis lacrymas, ex ore nonnullos gemitus & ſuſpiria, ultimas amoris reſpirationes exire deprehendetis. Verùm officiis hiſce præſenti anteà exhibitis jam ceſſantibus, quid invenietis ? Oculos ſiccos, os mutum, cor quietum, omnia oblivionem ſpirare & frigus. Abſentia inſtar mortis, ſuo defuncta officio ſeparavit, & ſeparatione facta frigefecit.

Pſ. 87. v. 13.

Audite maximum, quod pro confirmatione veritatis hujus haberi poteſt exemplum. In die Reſurrectionis, Magdalena mane diluculo ad Chriſti perrexit ſupulchrum, introſpexit, ſacrum Corpus non invenit ; iterum iterumque introſpiciendo perſtitit, flevit. Et quam omnium harum tam anxiarum ſolicitudinum cauſam putatis ? Origines notatu dignâ conſideratione hoc factum fuiſſe dixit, non quia Magdalena tantùm amabat Chriſtum, ſed quia ſibi timebat : *Metuebat, ne amor Magiſtri ſui in pectore ſuo frigeſceret, ſi corpus ejus non inveniret, quo recaleſceret.* Noverat Maria velut experta, abſentiam effectus habere mortis, ſeparare, & poſt modùm frigefacere : & quia à ſuo ſeparatum ſe videbat amore, qui effectus eſt primus ; timebat ne amor ſibi frigeſceret in pectore & corde, qui effectus eſt ſecundus : *Metuebat, ne amor Magiſtri ſui in pectore ſuo frigeſceret.* Ergò amor Magdalenæ tam fortis, tam magnanimus, tam conſtans, tam æſtuans : canonizatus tanquam magnus, magnificatus velut multus : *Quoniam dilexit*

Orig. Hom. de M. Magd.

Luc. 7. v. 47.

lexit multum; Tam parum sibi fidit, & tam modicum de se præsumit, ut frigescere metuat? Ita planè; ea enim vis est absentiæ, etiam contrà quemcunque vel maximè qualificatum amorem. Proindè sicut cor mediantibus incalescit oculis, tantâ solicitudine & anxietate corpus avebat invenire sui Domini, ut ejus aspectu amor recalesceret, vel illo negato, ne frigesceret: *Si corpus non inveniret, quo viso recalesceret.*

Hi ordinariè solent esse effectus absentiæ, etiam in cordibus tenerrimis, quale illud Magdalenæ erat: cor denique humanum. Cor verò Christi humanum simul & divinum, quamvis velut humanum se separat: velut divinum non frigescit. Ignis separari quidem potest, at frigescere nescit: eminùs seu cominùs, præsens vel absens, æqualiter semper ardet, quia semper est ignis. Dari potest absentia tam distans, quæ eum subtrahat visui; sed nulla quæ mutare posset illi naturam. *Talis est amor Christi*, inquit S. Bernardus, *quia nunquam & nusquam potuit non amare, qui amor est.* Quemadmodum amor Christi nullo tempore abamando potuit cessare, quia amor est æternus: ita nullo loco aut distantia ab amando potest cessare, quia amor est. Amor, non locorum, sed voluntatum est unio: quod si locorum foret unio, distantia eum dissolvere posset: at quia voluntatum est unio, absentia illum frigefacere nequit. Absentia maximè distans, quæ sub imaginationem cadit, est ea, quâ hodie se Christus absentavit: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Absentia scilicet ab hoc mundo ad alterum. Absentiæ aliæ quantumcunque distantes, semper intra idem sistunt elementum, de una terræ parte ad aliam. Absentia Christi adeò distabat; ut elementorum sphæram transcendens à terra transiret ad cœlum. Verùm licet distantia & absentia tam sint excessivæ; distantia quidem corpora separare valet, corda verò disjungere nequit: absentia impedire potest visum, neutiquam frigefacere amorem.

S. Bern.

Tantum abfuit, ut absentia longis suis locorum interstitiis remedium afferret amori Christi, sibique usitatos operaretur effectus, ut potius produxerit contrarios, absentiæ effectus, prout vidimus, sunt dividere, & frigefacere: & absentia Christi loco divisionis univit; & loco frigefactionis, accendit. Divisionis loco conjunxit personas; & loco frigefactionis accendit amorem. Paulum necdum sanctum, & adhuc Saulum furiis agentibus Damascum proficiscentem Christus hisce vocibus allocutus, in terram prostravit & convertit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Casus hic Imperatoris Tiberii vigesimo, & secundo post ascensionem Christi in cœlum anno contigit. Si Christus igitur erat in cœlo (quærit S. Augustinus) si erat in cœlo, quo Saulo furiæ pertingere non poterant, neque Synagogæ diplomata quæ secum ferebat, quomodo conqueritur Christus, quod se persequeretur? Si suos eum persequi Discipulos dixisset, idem textus refert: *Saulus autem spirans minarum, & cædis in Discipulos Domini.* Sed dicere, Saulem agentem in terra persequi jam existentem in cœlo? Sic est: respondet idem S. Augustinus. Nam licèt Christus tantùm distaret à Discipulis, quantum cœlum à terra, erat nihilominus ita conjunctus eisdem, ut illos à se non discerneret. Quod si illos à se discre-

Act. 9. v. 4.

S. Aug

visset, dixisset, quare persequeris Discipulos meos; sed quia illos à se non discernebat, hinc inqnit: *Quare me persequeris?* Optimè textus ille ad hoc tendebat concludendum, quod ego probatum eo, nisi magnam contrà se pateretur replicam. Quando Principium Sacerdotumque ministri & Satellites venerunt in Hortum comprehensuri Christum, se JEsum Nazarenum quærere dicentes, Christus digito Discipulos se comitatos demonstrans, ait: *Si ergo me quæritis, sinite hos abire.* Hîc mea nunc consideratio intrat. Si Christus in Horto tantum inter se & Discipulos suos discernit, quare jam agens in cœlo, se se ab illis non distinguit? Quia in Horto adhuc erat præsens, in cœlo jam erat absens: & primus absentiæ in Christo effectus, fuit arctiùs se se unire eisdem, à quibus se jam absentaverat. Christus adhuc præsens, & Discipuli, erant Ego, & Hi: *Si me quæritis, sinite Hos abire*; postquam verò fuit absens, jam non erat Ego, & Hi; sed Ego: jam non erat, quare persequeris illos, sed me: *Quid me persequeris.* Et si absentia tam contrario sibi ipsi effectu, loco divisionis personas univit; etiam loco frigefactionis amorem accendit.

Joan. 8. v. 8.

Absolutâ jam hujus diei cœnâ, Divinus Magister amorosissimè eisdem valefecit Discipulis, vidensque illos ob discessum suum contristatos, his eos verbis consolatus est: *Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos*; Theologi omnes concorditer sentiunt, omnique dubio vacat ita venire potuisse Spiritum Sanctum Christo in terra præsente, quàm ab eadem se absentante: quomodo igitur sequitur, Spiritus sanctus veniet Christo se absentante, & non veniet Christo in terra præsente? Spiritum Sanctum essentialiter esse amorem nemo ignorat; in quonam verò amore talis unquam visa fuit consequentia? Recedente amante etiam recedere amorem est consequentia ordinaria, quam nos hîc vocamus amoris: sed recedendum esse amanti, ut veniat amor, & non venturum amorem, nisi abeunte amante? In sola absentia, soloque amore Christi hujusmodi invenitur consequentia. Sic istud Christus promisit, & sic implevit. Recessit, in cœlum abiit, & paucorum intervallo dierum ibidem remanente personâ amantis, huc personaliter ejus venit amor. Sed quomodo venit? Non intensus minùs, non ardens minùs, non igneus minùs, quàm in forma ignis. Benè igitur dicebam ego, quod loco ejus, quod absentia amorem frigefaceret, eundem magis accenderit.

Joannis 16. 7. & 8.

Christus ipse jam dudum ante, idem prædixerat. De sui amoris igne loquens dicebat: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* Si igitur amoris sui ignem adeò desiderabat accendi in terra, quare adhuc præsens, & quà præsens illum non accendit in ea? quia prodigiosa ignis hujus divini proprietas est, absentiam expectare ut accendatur. Eadem verba benè expensa illud insinuant: *Ignem veni mittere in terram*; Non dicit, quod venit ad ferendum aut ferre ignem in terram; sed ad mittendum seu mittere: argumentum ergo erat, quod absentando, primò redeundum esset ad cœlum, unde eum mitteret. Quod etiam discipulis suis terminis loquendo propriis dixit: *Si autem abiero, mittam eum*

Luc. 12. v. 49.

Joannis 16. v. 8.

ad

ad vos; q.d. Si ego abiero, si à vobis recessero, tunc amoris mei vobis ignem, vel amorem meum in igne mittam; ut videatis, quàm utilis & expediens vobis ista mea sit absentia: & non timeatis, ne illa solito sibi more amorem in me frigescere faciat, cum illum accendet potiùs & inflammabit amplius.

Amor Magdalenæ, qui adhuc erat imperfectus, remedium quærebat à visu, ne refrigesceret: *quo viso recalesceret*. Verùm amor perfectissimus qualis erat ille cordis Christi, à visu non dependet ad amandum; immò absentiâ & distantiâ impediente visum, reunitur, ad centrum reducitur, magisque ardet. Oculi cancelli sunt cordis, per quos respirat: & hinc fit, ut cor oculos habens apertos, per eos evaporet & exhalet affectus: absenti verò, oculisque ob distantiam clausis, quid accidit? Quemadmodum olla seu vas clausum igni impositum sine respiraculo, majore in se calore recepto magis inardescit, totumque colligens quandoque rumpitur; ita cor absens negatâ sibi visûs respiratione, & non habens quà incendium emittat, totam amoris vim & impetum intra se colligit; qui naturaliter increscit, accenditur, & in tantum subtilescit; ut cùm cor idem eum capere & continere nequeat, in majores magisque extraordinarios disrumpatur effectus.

Totum, quod dico, non mea est Philosophia, sed ipsius Christi hac ipsa hora iisdem Discipulis suis futuros absentiæ suæ effectus declarantis. Præsente supremo suo Magistro prodigia illa operabantur Discipuli, quibus in admirationem rapiebant mundum: & nunc contristati metuebant, ne absente sibi sole omnibus ejusdem influentiis destituerentur. Ast ita non erit, inquit Christus, quilibet vestrûm non solùm eadem quæ antea, nec solùm meis similia, sed longè adhuc majora faciet opera, neque aliam ob rationem, quàm quod me absento: *Opera, que ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado.* Joannis 14.v.14. Ultima hæc clausula: *Quia ego ad Patrem vado*; summè consideranda est. Eja Domine, quia vadis ad Patrem, & quia à tuis te Discipulis absentas, idcirco illi majora facient opera suis, & etiam tuis? Num forte potentior eris in cœlo, quàm eras in terra? Minime: divinus respondet amans. Discipuli mei non istam experientur differentiam, eò quòd ibi majores mea potentia habitura sit jurisdictiones, sed quia majores ibidem amoris mei erunt effectus: *Quia vado*, ideò videbunt, quid me absentia possit: & quia tam longè, *ad Patrem*; hinc videbunt, quid in me operentur distantiæ. Longa tantùm ad magis illos fovendos, ad magis illos honorandos, majoremque illis æstimationem conciliandam deservient: amor enim meus æstimatione est dignissimus, cujusce pretium sunt illa longè remota: *Procul, & de ultimis finibus pretium ejus.* Prov. 31.v.10.

Ex ratione Christum hac occasione Solem vocavi. Propheta illum Solem vocavit justitiæ: Ego verò Solem eum appello absentiæ. Luna Soli opposita in occasu, major & plenior illo absente, novum alium facit diem. Unde verò Lunæ ista lucis splendorisque plenitudo? Disertè ac prudenter inquit Apulejus: *Quantò longiùs abit à Sole, tantò largiùs illuminatur, pari incremento itineris, & luminis.* Apul. Et si istæ Solis sese absentantis excel-

excellentiæ ſunt & effectus, quales, quæſo, erunt iſtius Domini, qui Solem creavit? Jam ipſe hoc de ſe dixerat, ex ore Jeremiæ Prophetæ: *Putaſne Deus è vicino ego ſum, & non Deus de longè?* Erras: è vicino ſum Deus, & de longè ſum Deus: immò, ſi quo modo poſſibile foret, magis Deus de longe, quàm è vicino & propè: Propè enim meam oſtendo præſentiam, & de longè meam immenſitatem. Talis eſt amor noſtri Dei: vel talis eſt noſter Deus amoris. Recedendo ſe abſentat à nobis hac hora: *ut tranſeat.* Diſtantia tanta, quanta de terro ad cœlum: *Ex hoc mundo ad Patrem*; ſed præſentiæ ipſius pignora non imminuuntur, pari itineris luminiſque incremento potius augeſcunt. Quia quantò abſentiæ ſuæ diſtantiæ ſunt majores, tantò majores intenſioreſque ſui ſunt aff- & effectus amoris: *Ut tranſeat ex hoc mundo: in finem dilexit eos,*

Jerem. 23. v. 23.

§. V.

TErtium Amoris remedium, eſt Ingratitudo. Quemadmodum remedia efficaciora, magis plerumque ſunt violenta; pari modo ingratitudo remedium eſt amoris ſenſibile magis & operativum. Vis efficaciam illi conferens, maturiore judicio & conſideratione, eſt, quod parti ſuæ favorabilem habeat rationem. Quod tempus amorem imminuat, quod abſentia eundem frigefaciat, iniquitas eſt, de qua conqueruntur omnes, ſed quod ingratitudo amorem mutans eum in horrorem convertat, ratio approbat, perſuadet, & mandare videtur. Quænam juſtior ſententia, quàm ingrato amorem ſubtrahere? Tempus eſt natura, abſentia poteſt eſſe violentia, ingratitudo ſemper eſt vitium. Conſideratis ſingulorum horum contrariorum effectibus, ingratitudinis fortiſſimum eſſe inveniemus. Tempus amori tollit novitatem; abſentia tollit illi communicationem: Ingratitudò illi tollit motivum. Ita ut amicus propter antiquitatem, & abſentiam non perdat meritum amoris: proinde ſi ab amando eo ceſſamus, non ipſius demerito, ſed noſtræ iniquitati venit imputandum: ſi verò fuit ingratus, non ſolùm vel tepidiſſimo etiam amore eſt indignus, ſed etiam omne odium promeritus. Denique tempus & abſentia impugnant amorem per memoriam: ingratitudo per intellectum & voluntatem. Et amor læſus in cerebro, & læſus in corde, quomodo poteſt vivere? Exemplum quod huic confirmandæ rationi ſupperit, præmiſſis adhuc majus eſt.

Primus poſt Adamum ingratus fuit Cain: ingratus Deo, ingratus parentibus, ingratus fratri, & toti ingratus naturæ. Occidit Abelum, quo mortuo, jam ſecura ſibi videbatur ingratitudo à vindicta, quam in corde merebatur offenſo: ſed ecce quid ad ipſum Cainum dicit: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*; q. d. Vox ſanguinis tui fratris de terra, ubi eum profudiſti, ad me clamat, vindictamque petit. Caſus notabilis! tria in Abelo invenio motiva, ex quibus voces illæ quiddam valde impertectum auribus meis inſonare videntur. Scilicet, eſſe fratrem, eſſe Sanctum, eſſe mortuum. Si erat mortuus, quomodo clamat? Ubinam inſenſitivitas mortis? Si erat Sanctus, quomodo non ignoſcit? Ubinam tolerantia virtutis? Si erat frater,

Gen. 4. v. 10.

quo-

quomodo vindictam petit? Ubinam est affectus naturæ? Hic videre licet, quàm potens sit ingratitudo, optimè fundatum, in odium convertere amorem. Ubi amorem inveniet ingratus, si nec in fratre misericordiam, nec in Sancto veniam, nec in mortuo silentium invenit? Odium tam justa & certa ingratitudinis est compensatio; ut quia unus fuit ingratus homicida, mox unum fuerit odium suscitatum. Et si ingratitudo odium suscitat etiam in mortuis, quo pacto amorem inveniet in vivis?

Natura & ars contrariis curant contraria. Cùm igitur ingratitudo maximum sit amoris contrarium; quis dubitat, quin remedium illud tertium etiam esset ultimum, nec non præsentissimum & potentissimum, si non ad totaliter extinguendum saltem ad tepefaciendum Christi amorem? Ita hoc docent Aphorismi artis medicæ, sic illud confirmant naturæ experientiæ: sed ita non fuit. Ingratitudo se habet cum amore, sicut ventus cum igne: ignis exiguus vento extinguitur; magnus magis accenditur, Abelo magis offensus fuit Christus, majoribus ingratitudinibus, quàm illa Caini, ab hominibus fuit exagitatus: sed nec singulæ, nec simul omnes ad hoc suffecerunt, ut sive vivus, sive mortuus vel punctum de amore remitteret: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*; Verba illa: *Qui erant in mundo*; otiosa videntur, quæque amorem magis restringant, quàm exaggerent. Christus Dominus & Redemptor noster, velut omnium Dominus, & Redemptor hominum, non solùm eos, qui erant in mundo, sed etiam qui non erant amavit. Non solùm amavit præsentes, sed etiam præteritos & futuros; omnibus enim illis Sanguinis sui pretium impendit. Evangelista verò præsentium tantùm, qui tunc erant in mundo, meminit: *Suos, qui erant in mundo*; quia isti vel maximè fuerunt ingrati. Futuri nondum erant, præteriti maxima ex parte Christum non cognoverunt: præsentes illum cognoverunt, doctrinam ipsius audierunt, miracula viderunt, & beneficia perceperunt: & quomodo remunerârunt? Ipsum persequendo, negando, vendendo, & ipsum crucifigendo. Nunquid dari possunt retributiones magis inæquales, contrariæ magis & ingratæ? Nequaquam. Verùm cùm ingratitudines esse nequirent atrociores, tam parùm prævaluerunt contrà amorem Christi; ut (sicut de cæteris jam dictum est remediis) loco ejus quod ingratitudines eum imminuerent, potius auxerint; & loco ejus quod aversionem & odium suscitarent, ad magis diligendum & amandum fuerint motivum.

Proficiscentes per desertum ad promissionis terram filios Israël miraculosè comitabatur petra, unde exibant flumina aquæ etiam successivæ, quâ Populus sitim extinguebat. De hoc miraculo loquitur Sanctus Paulus, dicens: *Bibebant de consequente eos Petra, Petra autem erat Christus.* 1 Cor. 10. v. 4. Si fuisset in casu, in quo stamus, mirum non fuisset, quod Christus in Petram converteretur; nihil enim æquè exiccat & indurat ac ingratitudo. Ast quid S. Paulus in hac miraculosa invenit Petra, unde diceret ipsam fuisse Christum? Ipse Textus historiam referens id nobis dicet: *Percutiens virgâ bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* Num. 20. v. 11. Petra illa erat silex: *Percutiens virgâ bis silicem;*

silicem; & quod emisit, magna fuit aquæ copia: *Egressæ sunt aquæ largissimæ*; loco ignis (qui propria infidelibus est pœna) quo eos consumeret, exivit aqua, quâ propriis manibus ipsis pedes lavit: *Misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum.* Joannis 13. v. 5.

Animo nunc advertite, & bene notate, quod Christi lavantis Discipulis omnibus pedes, actum Evangelista describens, solius Judæ & Petri meminit. Judæ: *Cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas: surgit à cœna, & ponit vestimenta sua.* Petri: *Misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes Discipulorum: venit ergo ad Simonem Petrum.* Domine, tu qui scis & vides omnia; tu ad pedes Judæ? Tu ad pedes Petri? Nunquid pedes Petri sunt illi pedes pigri, qui te sequentur à longè? Nunquid pedes Petri, illi sunt pedes infideles, qui illum ferent in atrium, ubi tribus de vicibus negabit? Nunquid pedes Judæ infideles sunt isti pedes, qui ab hoc ipso loco ad vendendum te exibunt? Nunquid pedes Judæ proditorii sunt isti pedes, qui inimicos tuos ad capiendum te in horto ducent? Igitur ad tam indignorum pedes genua flectis? Istos pedes propriis lavas manibus etiam aquâ illâ, quam oculi tui præter aliam, largè infuderunt? Ita. Quia tu non esses Deus & Dominus meus, qui es; neque amor tuus esset amor, nec tuus esset: si ingratitudines illum mutare, & injuriæ imminuere possent. Quoniam in duobus hisce hominibus ingratitudo magis exorbitavit: hinc tuus amor excellentiorem se erga illos ostendit. Nec solùm excellentiorem in actu lotionis pedum, quæ omnibus fuit communis Discipulis; verùm etiam in particularibus excellentiorem favoribus, quibus amor tuus binos istos maximè ingratos inter omnes fecit singulares.

Amore ante & post mortem Christi bene considerato, invenimus, dilectum maximè in cœna fuisse Judam: & in Resurrectione maximè dilectum fuisse Petrum. In cœna omnes Discipuli comederunt æqualiter, & Judæ soli Christus gratiam præstitit particularem: *Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ.* Joannis 13. v. 26. In Resurrectione æqualitèr omnibus nuncios misit, solum verò Petrum nominatim expressit: *Dicite Discipulis ejus, & Petro.* Et quare Judæ soli, & Petro soli favores hi particulares? Quia solus Judas, & solus Petrus ingratitudine fuerunt singulares. In cœna magis illum offendit Judas: in passione magis illum offendit Petrus. Et quia amor Christi ex majoribus ingratitudinibus, magis amandi facit motiva: idcircò isti duo magis fuêre amati, quia magis fuerunt ingrati. Quod si amor Christi similis foret nostro, ingratitudines forent motiva odiendi; quia verò amor erat suus, ingratitudines magis diligendi fuerunt incentiva, & excellentissimæ benefaciendi rationes.

Investigando nunc omnium contrariorum horum effectuum causam (quam omnes nôsse desiderare credo) & super eorundem differentia philosophando, non aliam invenio, quam singularem, ex qua procedebat tota, cordis Christi qualitatem. Divini hujus cordis ea erat qualitas, ut immissæ illi hominum ingratitudines, igne amoris sui decoctæ non aliud quàm favores & beneficia distillarent. Ipse Dominus

nus ore Davidis conqueritur, quod in cordibus hominum beneficia seminando, ex beneficiis magnis, ingratitudines colligeret majores: verùm ejus amor (quod modò dico) easdem ingratitudines in suo corde distillando ex ingratitudinibus maximis, majora educebat beneficia. Illud jam vidimus in exemplo Christi vivi, & resuscitati: idem majore nunc stupore in mortui Christi videamus exemplo.

Mortuo in Cruce Redemptori lanceâ pectus aperuerunt, ex quo, teste Scriptura, *exivit sanguis & aqua.* Sed quis iste Sanguis in corpore, quod jam effuderat totum; & quænam ista aqua in mortuo, præ siti mortuo? Nec aqua, nec Sanguis erant hoc quod fuerant. S. Cyrillus Hierosolymitanus inquit, Sanguinem illum fuisse, quem super se induxerunt, qui mortem Christi procurârunt: *Sanguis ejus super nos*; & aquam illam fuisse aquam, quâ Pilatus manus lavit, quando condemnatum morti tradidit: *Aquâ lavit manus coràm populo.* Verba Sancti sunt brevia sed clara: *Erant hæc duo de latere, judicanti aqua, clamantibus verò Sanguis.* Et quoniam injuria illa tam impia fuit & barbara, nec non ingratitudo tam atrox & inhumana, quid mirum, quod Christus illam pro merito sentiret: & quod (sicut de aqua dicitur diluvii, *tactus dolore cordis intrinsecus*) eadem aqua & Sanguis idem ad cor usque penetrantes, ibidem ad mortem usque conservarentur? Istud Sanguis ille & aqua in cor Christi intrantes fuerant. Exeuntes verò quid fuerunt? Tertullianus, S. Chrysostomus, S. Augustinus, & communiter PP. sentiunt, Sanguinem fuisse Sacramentum Eucharistiæ. & aquam Sacramentum Baptismi, è quibus formata fuit Ecclesia, de latere Christi, sicut de latere Adami egressa. Missas facio authoritates, sunt enim tritæ. Si igitur Sanguis iste, & aqua ista pectus intrando Christi gemina fuerunt mortis suæ instrumenta: quonam pacto de eodem nunc exeuntia, gemina vitæ nostræ sunt elementa? Quia hæc excellentissima cordis Christi est qualitas, & sic immutantur in eo, & convertuntur hominum ingratitudines. Contumeliæ commutantur in beneficia, injuriæ in misericordias, sacrilegia in Sacramenta, ingratitudines summæ distillantur in amorem: *Contumelia invertitur*, inquit Theophilactus.

Quonam verò motivo, amor idem tam prodigiosè prodit? Num fortassis ob Centurionis conversionem, qui Crucifixi agnoscens Divinitatem, publicè illum Dei Filium fuit confessus: *Verè Filius Dei erat iste?* Num forsan ob compunctionem & pœnitentiam eorum, qui de Calvario revertebantur pectora tundentes: *Percutientes pectora sua revertebantur?* Non. Motivum amoris in duo maxima beneficia, totidem maximas convertendi ingratitudines, fuit alia adhuc omnibus major ingratitudo. Omnium ingratitudinum maxima, quam in Christum exercuerunt homines, sine controversia fuit illa lateris ejus lanceâ facta percussio: aliæ enim omnes in Christum commissæ fuerunt vivum, & lanceæ percussio non solum contrà Christum mortuum, verùm etiam pro eorundem hominum salute mortuum, qui hoc modo toleratam pro se mortem remunerârunt. Hinc idem Dominus in Psalmo, quo *omnia*

Pas-

Joan. 19. v. 34.

Matt. 27. v. 25.

Ibidem v. 24.

S. Cyril. Hierosol.

Gen. 6. v. 6.

Tertull. S. Chrysost. S. Aug.

Theop.

Matth. 27. v. 5.

Luc. 23. v. 48.

Passionis tormenta referuntur, à frameæ seu lanceæ tantùm ictu & percussione liberari petiit: *Erue à framea Deus animam meam.* Non propter dolorem aliàs corpori subeundum, quod jam erat mortuum; sed propter horrorem, qui jam ejus feriebat & penetrabat animam, tam fœdam & indignam ingratitudinis apprehendendo atrocitatem. Et hæc fuit ratio cur non corpus suum, sed animam à lancea liberari petiit: *Erue à framea animam meam.* Cùm igitur hæc atrocissima, & inhumanissima sit ingratitudo vel unquam commissa, vel committi possibilis in mundo, quod illam cor Christi non in maximum absolutissimumque converteret beneficium; sed quod pectore adhuc clauso expectaret, donec lancea, sicut inquit Chrysostomus, clavis fieret illud aperiens, ut per idem vulnus sine reservatione ultimos nobis gratiæ suæ thesauros impertiret? Nullus dubio relinquitur locus, quin, sicut maximus ex ingratitudinis parte fuit excessus, quò humana pertingere poterat ferocia; sic ex parte amoris maximum fuerit extremum, quo respondere illi poterat pietas divina. Proinde si hoc modo Christus contumelias vindicat & injurias, & hâc monetâ solvit ingratitudines, quomodo quæso, amor ejus hoc sanari poterat remedio, vel ab amore suorum ipse cessare, quantumcunque foret ingrati? *Suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos.*

Psal. 21. v. 21.

S. Chry.

§. VI.

CUm huc usque nec remedium profuerit naturale Temporis, nec artificiale absentiæ, neque violentum ingratitudinis; sed remediis infirmitatem invaluisse, contrariisque auctum experientia monstrârit; prout Richardus Victorinus jam dixit: *Quia amoris incendium ex alterutra contradictione exæstuat.* Ego quoque similiter hîc sistendo quartum ap- vel explicare remedium cessarem, nisi tam validum foret, virtuteque reliqua omnia excederet; ut omni ambiguitate & diffidentiâ remotâ, certam meliorationem & reconvalescentiam promittere & dare possit.

Quartum igitur ultimumque amoris remedium, quo nullus non fuit curatus, est meliorare objectum. Paræmia dicit, amorem amore solvi: & magis certum est amorem amore extingui. Quemadmodum duo contraria in gradu intenso non possunt simul consistere in eodem subjecto; sic idem cor duorum non est capax amorum; amor enim non intensus non est amor. Age, magnum quid esse necesse est amorem; quia cùm ad unum cor implendum mille non sufficiant mundi, cor duos non capit amores. Hinc si illos ex offensâ collidi, & de loco contendere contigerit, pro meliore objecto stat semper victoria. Amor est inter affectus, sicut Lux inter qualitates. Communiter dicitur, maximum lucis contrarium esse tenebras: & non est ita. Maximum lucis contrarium est alia lux major. Stellæ in mediis tenebris clariùs lucent & splendent: apparente autem Sole, tanquam luce majore, disparent. Ingens lux erat Joannes Baptista, antequam Christus innotesceret mundo: apparuit Christus lux vera, *Et lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* Et quid Baptistæ evenit? Lux esse desiit: *Non erat ille lux.* Idem amori quantumcunque excessivo

Joan. 1. v. 9. Ibidem v. 8.

excessivo evenit. Majore melioreque oblato objecto, statim minus pejusque displicet.

Injustitiarum à Saule contrà Davidem commissarum atrocissima, quamque David gravissimè tulit, fuit Principem Michol negare, quæ reportatæ à Gigante strato victoriæ pretium erat seu præmium: & non solùm illam negare, quod minoris fuisset injuriæ: sed in despectum ipsius illam Phaltiel dare. David usque dum se Regem Israël coronatum videret, dolorem seu injuriam sibi illatam dissimulavit: acceptando verò coronam primo omnium cavit, ut Michol sibi desponsata, & conjux mox restitueretur. (Talia temporibus istis in moneta currente vigebant cambia) Scriptura referendo casum, unam notato & consideratione dignissimam addit circumstantiam: *Misit ergò Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel: sequebatur eam vir suus, plorans usque Bahurim.* Quod hic nunc noto, est, quod in hac separatione fleverit Phaltiel, & non Michol. Ut fleret Michol, sufficiebat flentem videre Phatielem: & si hoc non sufficeret, aliæ duæ in ea rationes concurrebant naturales, nec ad flendum solùm, sed ad flendum uberiùs. Prima est, quod in discessu ab invicem uberiùs flere soleant abeuntes, quàm manentes. Quod suo comprabat exemplo David à Jonatha discedens: *Fleverunt pariter, David autem amplius.* Secunda est, quia Michol erat mulier, & quidem mulier, quæ discedebat, & à suo separabatur marito, cui regulæ conformiter naturæ illud quadrabat Ovidii:

2 Reg. 3. v. 15. & 16.

1 Reg. 20. v. 41.

Ovid. *Uxor amans flentem, flens acriùs illa tenebat.*

Si igitur Michol hac occasione tot habebat flendi motiva, & separabatur à Phaltiel, & separabatur pro semper (quod nova erat ratio) quare ne unam quidem lachrymam fudit? Non flevit, quia jam non amabat; & non amabat, quia objectum melioravit. Phaltiel plorabat, quia Michol perdebat: & Michol non plorabat, quia Phaltiel pro Davide commutabat. Quamdiu Michol Phaltieli convivebat, quin ipsum amaverit, dubitari non potest; Michol enim erat Princeps & ad amandum obligata: verùm audito sermone de nuptiis cum Davide Rege ineundis, mox affectum mutavit, quia objectum melioravit.

Enim verò si objecti melioratio remedium est tam potens & efficax ad mutandum amorem; non dico quàm potens, sed quàm omnipotens in nostro foret casu; in quo differentia vel comparatio non erat de homine ad hominem, sed de hominibus ad Deum: non de Phaltiele ad Davidem, sed de Petro & Joanne, ad æternum Pætrem: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem.* Agite, comparate Creatorem cœli & terræ cum piscatoribus Tyberiadis? Adoratum ab Angelis, cum mundi contemptibilibus: infinitum, immensum, incomprehensibilem, illum qui solus est & esse dat omnibus, cum illis qui verè erant nihil, sicut sumus omnes & videbitis quàm præsumptuosum foret sperare, & quàm stultum imaginari, quod talis objecti respectu, nedum amor, sed vel memoria locum habere posset. Evangelista nihilò seciùs illâ differentiâ insinuatâ, & eâdem inæqualitate consideratâ, dicens: *Ex hoc mundo ad Patrem*; adhuc asseverare pergit, homines non solùm fuisse

amatos, sed in finem amatos: *In finem dilexit eos.* Ego quidem rationibus motivisque sic opinandi & credendi infinitis inductus existimabam & credebam, Evangelistam, quando dixit, quod Christus iret ad Patrem: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*; optimâ consequentiâ dicturum fuisse: *In finem dilexit eum.* Quamdiu fuit in mundo amavit homines: *Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo.* Verùm in fine, quo ex mundo hoc abiit ad Patrem: *Ex hoc mundo ad Patrem*; mutato tunc & meliorato objecto, & objecto tali & tanto, etiam mutavit & melioravit amorem, & non amavit illos, sed illum: *In finem dilexit eum.* Ita opinabar ego, sine injuria & hominum amoris præjudicio: ast Evangelista de recessu ab hominibus, & reditu ad Patrem verba faciens, ad rationis stuporem, nostrique judicii admirationem, Patrem sui recessûs, homines verò sui amoris finem adstruit. Pater est finis itineris: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*; & homines finis sunt amoris: *In finem dilexit eos.*

Ita hoc dixit S. Joannes, idemque confirmant omnia amantissimi Domini verba & actiones, hâc ipsâ discessûs sui horâ. Divinus Magister Discipulos suos vidit tristes, & quidem satis justè tali nimirum casu; eorumque tristitiam admirans, ait: *Si diligeretis me, gauderetis utique, quia ad Patrem vado, quia Pater major me est*; Ex tristitia hoc casu non congruè satis inverri videtur, quasi illum non amarent. Imò Domine, quia te amant, discessum tuum tam tenerè sentiunt; & tua eos absentia adeò contristat. Non sic inquit Magister divinus: jam illis dixi, rationem & motivum allegavi Patrem; ad quem vado, me esse majorem: *Quia Pater major me est.* Cùmque discessus meus ad meliorandum adeò statum & objectum faciat: si me amarent purè, & sine reflectione ad proprium commodum & utile, plus meis melioribus rationibus lætari, quàm meâ absentiâ illos oporteret contristari. Ista amoris perfecti lex est. Verùm non ita multò post, ut idem Dominus dictamen hoc sublime docuit & secutus est, venit in hortum, ultimoque Discipulis vale facto, tam extremâ obrutus fuit tristitiâ, ut sine exaggeratione protestatus fuerit, eam ad eripiendam sibi vitam sufficere: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Si igitur in hoc discessu gaudendum erat Discipulis, quia Magister eorum & Dominus ad Patrem iret, quare non gaudet etiam idem Dominus, sed potiùs tam extremè contristatur? Nonne vadit ad Patrem, qui est major? Ita. Nonne vadit ad meliorandum adeò statum & objectum? Etiam. Ut quid igitur meliorationes istæ non sufficiunt ad lætificandum, & sola absentia hominum sufficit ad ipsum contristandum? Eandem ob causam, & per eandem amoris veri regulam. Plus posse absentiam meam ad Discipulos meos contristandos, quàm meas meliorationes ad ipsos lætificandos; ratio est, quia illi amant se: meliorationes verò meas minus valere ad me lætificandum, quàm absentiam eorum ad me contristandum; ratio est, quia ego amo illos. Hoc, quod illos contristat, ut in amorem transiret, lætitiam esse oporteret: Quodque me lætificare debere videtur, quia amor est, me contristat. Porrò cùm duo hi affectus *lætitiæ* & tristitiæ adeò contrà se invicem pugnent, & utriusque

Matth. 26. v. 38.

Joannis 14. v. 28.

que objecta tam infinite discrepent, quantum Pater differt ab hominibus; quod tam immensæ latitiæ considerata ratione adhuc locum & pondus habeat tristitia: Et quod in gaudio & jubilo eundi ad Patrem, velut in mari aut diluvio non suffocetur sensus derelinquendi homines? In solo Hominis-Dei immutabili corde talis inveniri poterat constantia; & in solo ejus amore talis firmitas.

Agedum punctum hoc, & textum in omni Theologiæ rigore ritè urgeamus. Anima Christi Domini in hac vita, ab incarnationis suæ instanti, semper Deum vidit, semperque beata fuit, absque ullius momenti intercapedine. Quomodo igitur eadem anima, eodem tempore, tam extremè poterat contristari: *Tristis est anima mea usque ad mortem*? Theologi cum S. Thoma, declarando quomodo id esse poterat, in anima partes distinguunt, quamvis non habeat unam, velut partem superiorem, quæ est intellectualis; & alteram inferiorem, quæ est sensitiva. Et hoc modo divisa de se ad se eadem anima Christi, eodem tempore esse poterat (& erat) læta & tristis simul: læta in parte superiore, & summè læta veluti beata: & tristis in parte inferiore, & summè tristis, veluti tam desolata, & afflicta. Vidistisne aërem nubibus grossis & densis obductum & clausum, quæ omnes Solis radios repellendo locum luci non relinquunt, ut se nobis communicet? Hoc casu pars aëris superior respiciens cœlum tota serena est & læta; & pars inferior, quæ terram respicit, tota obscura & tristis, neque diverso, sed eodem tempore. Eodem igitur modo, & tempore anima Christi ex parte superiore, velut glorioſa erat summè læta; & ex parte inferiore veluti afflicta, & in tantum afflicta, erat summe tristis.

Hi affectus & effectus contrarii animam occupârunt Christi, in quantum comprehensor simul & viator erat: eosdemque in anima Christi Viatoris tantùm copulavit amor, utrum miraculo majore nescio. Reditus ad Patrem, & recessus ab hominibus, ambo fuerunt Viatoris actus: & cum objecta tam infinitè diversa essent & inæqualia, quare melioritas primi non obscuraret effectus secundi, quos fecit amor? Vel divisit animam amantis, quæ dividebatur, unâ parte datâ Patri, alterâ hominibus: vel eam totam dedit hominibus, & totam Patri sine ejus divisione, totam hilarem, quia ibat ad illum; vel totam tristem, quia deserebat nos. Affectuosa Sancti Augustini subtilitas in amici sui cujusdam separatione seu discessu, dimidium tantùm animæ suæ sibi remanere, alterumque dimidium cum illo abire dixit: & hoc modo ex dimidio se vivum & mortuum videns semetipsum horreret. Sed istud dictum, seu exaggerationem ipse postmodum S. Augustinus, nec sine ratione, retractavit. De solo enim amore Christi, & quando à suis se separavit dilectis veracitèr dici vel considerari poterat. Quod ita demonstravit experientia eâdem horâ; quâ Discipulis animæ suæ tristitiam declaravit. S. Aug.

Christus ab eis se separavit oraturus Patrem, idem Patris nomen semper ore proferens: *Abba, Pater!* Et Evangelistæ tribus eum vicibus orâsse notant, totidemque vicibus Discipulos invisisse: *Iterùm abiit, & oravit tertiò*; inquit S. Matthæus. *Et venit tertiò, & ait illis*; dicit S. Mar- Marc. 14 v. 36. Matth. 14 v. 44.

Marc. 14. v. 41. S. Marcus. Ita ut eodem orationis tempore à Patre rediret ad Discipulos, & à Discipulis iret ad Patrem: & toties à Discipulis ad Patrem, quoties à Patre ad Discipulos. Nunc cognosco, Amans Divine, quàm justè dubitaverim, utrum tuus tibi amor animam inter Patrem & homines divisisset; vel utrum illi & hominibus totam illam dedisset. Quando tertiò te ad Patrem ire, totiesque ad homines redire video, non tantùm divisa mihi videtur tua anima; sed, quod plus est, in partes divisæ æpuales. Desiderium verò audienti, quod ostendis in una, & dolorem ejus, quem sentis in parte altera dubitare mihi non licet, quin totâ loquaris animâ, & totam illam tuus tollat amor quando vadis, & totam ferat quando redis. Sed quo pacto fieri potest, ut tota sit & eadem, viis tam diversis, & terminis tam oppositis? Quando secessisti à Discipulis ad orandum Patrem, interstitium illud S. Lucas Luc. 22. v. 41. describit fuisse: *Quantum jactus est lapidis*; porrò lapidem videntes à semetipso jam tendere sursum, jam redire deorsum, quid diceremus? Non sine fundamento diceremus, lapidem istum duo habere centra. Num igitur, Divine Amans! te volente, aut permittente idem nobis de te & cogitare & dicere licet? Quando vadis ad Patrem, centrum tuum unum, dicemus esse Patrem: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem*; Et quando venis ad homines, alterum centrum similiter tuum homines esse dicemus: *In finem dilexit eos.*

Utrum tantùm affirmare ausim, nescio. Hoc solùm dico æquè parum objecti meliorationem operatam fuisse, aut ad mutandum, & imminuendum amorem Christi posse. Et ut discursum hunc, sicut & cæteros contrario concludamus effectu, addo, non obstante, quod Pater infinitè majus meliusque existat objectum, tantum abfuit, ut objectum vincendo ad se inclinaret & traheret amorem; ut amor potiùs vincendo ad se attraxerit objectum. Et quo pacto? Efficiendo, ut idem ipse Pater, qui objectum debebat esse amantis, etiam amator esset hominum. Et quando homines sibi videbantur discedentis Filii perdituri amorem, non solùm integrum conservârunt amorem Filii, sed insuper de nova amorem sibi acquisierunt Patris. Audite, & obstupescite. Amor, quo Pater & Filius se amant, est talis, ut sicut sunt idem per naturam, similiter idem sint per amorem. Et Filio ad Patrem reverso quid accidit? Eædem amoris unio sic crevit, & tali fuit modo multiplicata, ut non solùm Christus & Pater inter se; sed Christus, Pater, & omnes homines manserint idem. Et fidem & imaginationem effugeret tale unionis extremum, nisi Christus ipse hoc declararet, prout eâdem horâ declaravit. Christus Discipulis suis valedicens absolutâ cœna sacrâ, adhuc mensæ accumbens hanc ad Patrem suum fecit orationem: *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*; q. d. Non solùm te rogo, Pater mi, pro paucis istis Discipulis præsentibus, sed pro omnibus, qui eorum mediante doctrinâ, in me sunt credituri (qui omnes sunt Christiani) & quod te rogo, est, ut sicut nos per unionem amoris unum sumus; *Tu in Me, & Ego in Te*; sic illi in Te, & in Me per eandem unionem sint unum. Non obstupescens ad talia, vel judicio, vel fide caret. Ne verò illa amoris Joannis 17. v. 20. & 21.

unio

unio à Christo petita sub dubio concessionis relinqueretur: ipse mox Christus testatus est, quod & suo, & Patris sui nomine illam jam hominibus indulsisset: *Et Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut unum sint, sicut & nos unum sumus. Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Uterque Textus tam est clarus, ut commentatione non indigeat: verùm pro majore satisfactione omnium, doctissimum, quæso, Maldonatum auscultate, cujus quàm singularis sit authoritas, quotquot Scripturam legunt, noverunt: *Sensus est* (inquit ille) *ea ratione fieri, ut cum Pater in Christo unum sit, & Christus unum cum Discipulis, & Discipuli unum cum Patre, id est, cum Deo sint, quâ unitate nulla potest esse major.* O si comprehendere nobis daretur, quàm altum, quàm divinum, quàm inæstimabile fuerit istud ultimum & supremum amoris Christi inventum quod antequam operaretur omnem excedebat imaginationem; & postquam operatum est omnem humanum excedit captum. Pater in Filio, & Filius in Patre, Pater & Filius in homine: & Homo in Patre & Filio cum personarum trinitate, & amoris adeò perfecti unitate, ut ipse Christus eam vocaverit consummatam: *Ego in eis, & tu in me, ut sint consummati in unum.* Sed nec ipsi Apostoli tale tunc comprehendere poterant unionis & amoris extremum & hinc illis Christus dixit, quod à Spiritu S. illuminati hoc forent cognituri: *In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Conclusionis igitur loco maneat, quod objecti melioritas, Christi erga homines mutare nequiverit amorem, pro eo enim ut illum mutaret in hoc ipso ad Patrem discessu, illum eatenùs meliorarit, ut idem amor, quo Christus amat Patrem, & amor, quo Pater amat Christum, sese unierit ad illos magis magisque amandos: *Ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: in finem dilexit eos.*

Ibid. v. 22. & 23.

Mald.

Joan 14. v. 20.

§. VII.

ECce fideles, quomodo nullum remediorum quæ finire & imminuere solent amorem: nullum contrariorum quæ illum impugnare solent & vincere, efficere potuerit, ut intensissimus amor, quo Jesus nos amavit & amat, nedum frigesceret, aut imminueretur, sed ne puncto quidem unico remitteret: remediorum potentiâ solùm serviente ad illum magis accendendum, & contrariorum violentiâ deserviente ad fortius de ipsis triumphandum. Amor ipsius vicit Tempus, vicit absentiam, vicit ingratitudinem, & ab ipsa etiam jam tam incomparabilis melioritate objecti non potuit vinci. Nostra nunc obligatio judicet, quando quidem eidem cedunt amori omnia contraria, utrum fas & æquum sit, ut illi resistant sui? Et in hora, quâ amore sine remedio, ipse moritur amans, utrum deceat ipsi negari corda eorum, pro quibus moritur? Amemus illum, qui nos amavit tantum; nullumque tam potens sit contrarium, quod nos à perseverando in ipsius amore retrahat. Si ille nos per unam totam amavit æternitatem, quomodo nos ipsum non paucis & tam brevibus, sicut nostræ sunt vitæ, amaremus diebus? Virtutis nostræ infirmitas à vitiorum nostrorum saltem constantia discat: & cùm tempus non sufficiat ad nos convertendos à peccatis, non tam facilè prævaleat ad mutandum de eis dolorem.

Non habet amor noſter abſentiæ contrarium vincendum; quia eundem Chriſtum, & quà Deum, & quà Hominem, ſemper habemus præſentem: & ſi præſentia ipſius non ſe videndam exhibeat oculis, non fiat amorem imminuendi motivum, quod augendi deſideria fuit inventum. Singulis recordemur horis illius, qui hodie hac horâ ſemetipſum totum dedit nobis, & cras ante hanc horam pro nobis morietur in Cruce. Illè de tot ingratitudinibus nos magis amandi fecit motiva, & quare de tot & tam immenſis beneficiis ipſius nos non faceremus idem? Nunquid tam bonus Dominus ad ſe offendendum nos fecit? O qualis ingratitudo, tam inhumana! ô qualis ingratitudo tam indigna feris, nedum hominibus rationis uſu prædìtis! Qui te creavit, qui redemit, qui tantum te amavit, ipſum non amas? Qui Sanguine ſuo tibi acquiſivit cœlum, & quoties ipſum offendiſti, toties te extraxit ex inferno, nunquid animus tibi & cor eſt ad ipſum denuò offendendum? Quid amamus, Chriſtiani, ſi non amamus Jeſum? Quodnam dignius amoris eſt objectum? Quodnam objectum non dico æquari, ſed vel aſſimilari illi poteſt? Nonne omne pulchrum ipſi comparatum eſt fœdum? Quicquid magnificum, cum illo collatum vile eſt & abjectum? Quodcunque aliud bonum, nonniſi eſt mendacium? Indignamur illis, qui Chriſtum pro malefico commutârunt, & ei, qui tam vili ipſum pretio vendidit: & decens erit & conſultum, ut nos illum contumelioſius commutemus, & viliore pretio vendamus?

Ah Domine! ſolus amor tuus, qui remedium non habuit, amoris noſtri inſaniis mederi poteſt. Medere tot cæcitatibus, medere tot ſtultitiis & inconſtantiis, medere tot perditionibus. Et per amorem, quo nos amâſti in finem: finem omnis accipiat amor, qui non eſt tuus. Hæc eſt, amabilis Jeſu! hæc ſola eſt gratia, quam pro vale, in hac tua ultima à te petimus hora. Memento, infirme Domine, quod in ultimis agas vitæ auguſtiis; ne in tuo noſtri obliviſcaris Teſtamento. Legatum, quod à tua liberalitate ſperamus, velut ſervi, & eleemoſyna, quam à tua petimus miſericordia, velut pauperes & mendici, eſt, ut nobis relinquas, dum nos relinquis, aliquam amoris tui partem cras tibi cor dividant; ex eo nunc partire nobiſcum ut toto te corde amemus. Eheu quantùm in hac dolemus hora, & ſemper, quod Te non amaverimus, prout debuimus! nunquam amplius, Domine, nunquam amplius. Te ſolum hodie & deinceps amabimus: & quamvis tot & tam ſuprema concurrant amoris motiva, ſolummodò Te, & quia es qui es, amabimus. Ita hoc firmiter tuo promittimus amori, & ita de tua confidimus gratia, & tantùm, ut te æternum amemus in Gloria.

Amen.

SERMO

SERMO
DE
SPIRITU SANCTO.

Dictus in Civitate S. Ludovici Maragnana, in Eccleſia Soc. JEſu, occaſione quâ ingens eorundem Religioſorum Miſſio in Amazoniam proficiſcebatur.

Ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis. Joan. 14.

§. I.

HOdie jam ſextâ vice anno præſenti, & duobus præteritis idem iſtud myſterium me prædicare audiſtis; ſed non tantùm ſextæ erunt vices, quibus & Vos & Ego experimur, quod hæc terra non reſpondentem tam continuatæ culturæ reddat fructum. Si ſeminata in ea doctrina foret noſtra, infirmitati rationum noſtrarum, affectuumque noſtrorum tepori, nec - non ſemimortuæ verborum noſtrorum efficaciæ cauſa imputari poſſet; ſed aliter ſe res habet. Chriſtus in Evangelio hoc dicit: *Sermonem, quem audiſtis, non eſt meus, ſed ejus, qui miſit me, Patris.* Idem Prædicatoribus omnibus, ſaltem ex hoc pulpito auditis, dicere licebit: Sermones, Veritates, Doctrina, quam prædicamus, non eſt noſtra, eſt Chriſti. Ille eam dixit: Evangeliſtæ illam ſcripſerunt: Nos eam recitamus. Si igitur toties recitationes continuantur; & prædicata à nobis doctrina non eſt noſtra, ſed Chriſti, quare tam parum ex ea proficiunt & addiſcunt eam audientes? Propoſitis in verbis hujus tam novi ſtuporis reſponſum habemus.

Joannis 14. v. 24.

Ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis. Spiritus Sanctus, inquit Chriſtus, vos docebit omnia, quæcunque dixi vobis. Terminorum notate differentiam, & quantum dicere, aut docere differat; videbitis. Non dicit Chriſtus, Spiritus Sanctus hoc

vobis

id est: Dixi; uti habet Græcum Originale.

vobis dicet quod dixi: neque dicit, Spiritus Sanctus vos docebit hoc quod vobis dixi: Prædicator quippe quamvis sit Christus, dicit; Docens est Spiritus Sanctus. Christus dicit: *Quæcunque dixero vobis*; Spiritus S. docet: *Ille vos docebit omnia.* Magister in Cathedra omnibus dicit, sed non omnes docet. Dicit omnibus, nam omnes audiunt: sed non omnes docet; aliqui enim discunt, alii non. Quænam verò diversitatis hujus est ratio, si Magister est idem, & eadem doctrina? Quia ad discendum non sufficit audire tantùm forinsecus, necesse est percipere interiùs. Luci interiori magnâ, multum; modicâ parum, nullâ, discetur nihil. Idem nobis evenit; dicimus, sed non docemus, quia loquimur exteriùs: solus Spiritus S. docet, quia illuminat interiùs: *Ministeria forinsecùs adjutoria sunt, cathedram in cœlo habet, qui corda docet;* S. Aug. inquit S. Augustinus. Idcircò Christus prædicando tantum convertit tam parum. Spiritus S. non illuminante intrinsecùs, totum dicere, quantumcunque sit divinum, est dicere: *Quæcunque dixero vobis*; vocibus verò exterioribus, interiore luce ipsius adjutis, mox dicere cujuscunque demum, est docere; quia solus Spiritus Sanctus est, qui docet: *Ille vos docebit.*

Quare Spiritus S. hodie super Apostolos non in linguis tantùm, sed in linguis igneis vobis apparuisse videtur? Quia linguæ loquuntur, ignis illuminat. Ad convertendas animas non sufficiunt tantùm verba, sed cum verbis lux est necessaria. Si Prædicatore loquente forinsecùs, Spiritus Sanctus illuminat intrinsecùs: si vocibus tendentibus ad aures, radii lucis ipsius corda penetrant, mox convertitur mundus. Ità hoc ipso die Hierosolymis evenit. S. Petrus ex Hierosolomitano egressus cœnaculo, divino hoc inflammatus igne, quendam ex Joële Propheta assumptum locum explicat & declarat populo: cùmque Populus, cui prædicabat, idem ille esset obstinatus & cœcus, qui paucos ante dies Christum in crucem egerat, ejusdem ad tria millia prædicatione moti, ipsum verum Dei Filium confessi, ad fidem sunt conversi. O admirabilem Lucis Spiritûs S. efficaciam! ô notabilem & vestram & meam confusionem! Piscator aliquis prædicatione tantùm unâ, & Scripturæ loco tantùm uno, hodiernâ die in fidelium tria millia convertit: & ego eodem die quinque & sex prædicationibus, tot Scripturis, tot argumentis, tot rationibus, tot evidentiis, ne vel uni persuadere possum Christiano. Hujus autem ratio est, quia ego verba facio, & Spiritus S. nostræ defectu dispositionis, illuminando non concurrit. Divine Spiritus, ne quæso, indignitas mea, animabus istis, quarum amore de cœlo in terram descendisti, fructui sanctissimi adventus tui obicem ponat: *Veni S. Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radium.* Veni Domine, & è cœlo efficacem lucis tuæ radium nobis immitte, non propter nostra merita, quorum indignitatem agnoscimus; sed propter infinitam bonitatem tuam, & Sanctissimæ Sponsæ tuæ intercessionem. Ave Maria.

§. II.

ILle vos docebit omnia. Christus dicit Apostolis, quod Spiritus S. eos docebit.

bit. Et quod sit Christus, & quod sit Dei Filius, hæc verba proferens, intelligentiæ earundem & rationi secundam excitat difficultatem. Filio Dei, qui secunda est SS. Trinitatis Persona, attribuitur Sapientia; Spiritui S. qui est tertia, Amor. Quo supposito, persona Spiritus Sancti docendi officium personæ Filii commendare debuisse videtur: & non Filius Spiritui Sancto. Quod Amor docendi officium commendet Sapientiæ, bonum est: sed quod Sapientia idem commendet Amori: *Ille vos docebit?* Hoc casu sic: quia ad docendos infideles & barbaros, licèt cumprimis necessaria sit Sapientia, multò nihilominus magis necessarius est Amor. Ad docendum necessarium semper est amare & scire; quia, qui non amat, non vult; & qui non scit, non potest: ista verò scientiæ & amoris necessitas non æquali semper passu ambulat. Ad docendas nationes Fideles & Politicas, majore semper scientiâ quàm amore opus est; ad docendas verò nationes barbaras & incultas, major semper amor, quàm scientia vel sapientia requiritur. Persona secunda Filius, & tertia Spiritus S. utraque ad docendas salvandasque animas in mundum venit: Filii verò missio ad Gentem fidelem & politicam; & Spiritûs Sancti missio ad omnes Nationes barbaras & incultas primariò fuit directa. Filius ad unam tantùm Nationem fidelem & politicam fuit missus, ad solos nimirum filios Israël, sicut ipsemet Christus de se dixit: *Non sum* Matth. 15. v. 24. *missus, nisi ad oves quæ perierunt domus Israël.* Spiritus S. principaliter ad Nationes incultas & barbaras, quia ad omnes omninò Nationes mundi fuit missus; propterea enim in tanta descendit & apparuit diversitate linguarum: *Apparuerunt dispertitæ linguæ.* Actor. 2. v. 3. Porrò, quia missio prima ad unam Nationem tantùm politicam, & secunda ad omnes dirigebatur nationes barbaras, convenientissimum omninò erat, ad primam, illam venire personam divinam, cui non amor, sed sapientia attribuitur: & ad secundam, alteram similiter divinam venire personam, cui non sapientia sed attribuitur amor. Ad docendos homines doctos & politicos modicus sufficit amor, multa requiritur scientia: ad docendos verò homines barbaros & incultos, modica quamvis sufficiat scientia, multus magnusque requiritur amor.

Spiritus Sanctus hodie descendit in linguis, ad formandos Apostolos in Magistros & Prædicatores: sed quorum? Ipse Christus, qui prædicare illos misit, id expressit: *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni Creaturæ.* Marc. 16. v. 15. Domine, omni creaturæ (consideratio est Beati Gregorii Papæ) scio equidem creaturas esse homines; sed & animalia bruta, arbores & lapides sunt creaturæ. Si igitur Apostolis omnibus prædicandum est creaturis, nunquid etiam prædicandum est brutis? Nunquid prædicandum est truncis? Nunquid etiam prædicandum saxis? Etiam, inquit Christus: *Omni Creaturæ*; non quia Apostolis prædicandum erat lapidibus, truncis, & brutis; sed quia prædicandum erat omnibus nationibus, & linguis barbaris, & incultis mundi, quas inter inventuri erant tam irrationales velut bruta, tam insensitivos velut truncos, nec non tam induratos & stupidos sicut lapides. Et quod Apostolus efformare & emollire aggrediatur lapidem, erudire & figurare truncum, instruere & rationis usu imbuere

buere brutum, ecce annon singularis ad hoc Dei amor requiratur? In aliquo eorundem hoc videbimus.

Paucis ante diebus, quàm Christus Apostolos ad prædicandum mitteret in mundum, hanc S. Petro proposuit quæ-
Joannis 21.v.15. stionem: *Simon Joannis, diligis me plùs his?* Respondit Petrus: *Etiam Domine, tu scis, quia amo te.* Quo audito, eandem Christus repetit quæstionem: *Simon Joannis, diligis me plùs his?* Eadem Petrus submissione respondit: *Tu scis, quia amo te.* Quo responso secundâ vice audito eandem Christus tertiò iterat quæstionem, & asserente Textu: *Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò amas me?* Verè hæc materia & instantia non vulgarem inducere poterant anxietatem. Prima mihi fronte verba ista legenti, ista amoris toties repetita exploratio id respicere fuit visa, quia Christus Petro Hierosolymam pergere, Caiphæ intrare palatium, in eodemque ubi negaverat loco, retractare publicè, nec non altâ voce, Magistrum suum esse Messiam, verique Dei Filium confiteri mandaret: & si propterea mortem opperere, igneſque subire compellerent, vitam sibi eripi, in cineresque se redigi alacri ferret animo. Id spectare putabam, istas interrogationes & toties repetitam amoris S. Petri explorationem, Sed eâdem semper formâ respondenti, quod amaret, Christus non aliud dixit, quàm: *Pasce oves meas*; si me tantum
Joannis 21.v.17. amas Petre, illud meas pascendo oves demonstra. Hîc ego profectò miror. Ad pascendas igitur oves Christi, tam solenne amoris Dei requiritur Examen? Semel, *Diligis me?* Iterum, *Diligis me?* & tertiò, *Amas me?* Nec solum, *Diligis me*, sed *diligis me plùs his*, id est, quàm omnes? Ita. Agite.

Pascendæ S. Petro oves, erant universi mundi Nationes, quas Christus ex omni mundo erat collecturus, ut ex omnibus unum faceret ovile, quod est Ecclesia; sub unum tantùm Pastore, qui est S. Petrus: *Et alias oves habeo, quæ non sunt* Joannis 10.v.16. *ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor.* Ita ut Grex, quem Christus commendavit Petro, nondum esset formatus, sed adhuc foret formandus, ovesque nondum mansuetæ, sed adhuc mansuefaciendæ: erant Lupi, erant Ursi, erant Tygrides, erant Leones, erant Serpentes, erant Dracones, erant Aspides, erant Basiliſci, mediante Prædicatione in oves convertendi. Erant Nationes barbaræ & incultæ; erant Nationes feræ & indomitæ; erant Nationes crudeles & truculentæ; erant Nationes sine humilitate, sine ratione; & plurimæ earum sine lege, quæ mediante Fide & Baptismo reddi debebant Christianæ: ad pascendum verò & mansuefaciendum similem Gregem: ad instruendas & excolendas similes Gentes, magna amoris Dei requiritur intensio: opus est amare Deum: *Diligis me?* Opus est magis amare Deum: *Diligis me?* Nec sulùm amare Deum semel, iterùm, tertiò, sed plùs amare quàm omnes: *Diligis me plùs his?*

Etiam mansuetis & domesticis ovibus, quas Christus commendabat S. Petro, magnus & multus necessarius est amor, ad subeundum & tolerandum pascendi & custodiendi laborem. Exemplo sit Jacob, Pastor Labani, de quo sacra Scriptura refert, quod omnem laborem & molestiam, levem tolerabilemque reddiderit amoris vehementia:

Pro

Gen. 29. v. 20. *Præ amoris magnitudine* Porrò si ad pascendas oves mansuetas necessarius est amor, & amor ingens; quid non requireretur ad educendas oves feras è dumetis ad eas cicurandas & attemperandas nostris alimentis, assuefaciendas voci Pastoris, ad obediendum Pedo pastorali; & super omnia animosè se exponendum faucibus earum & dentibus, quousque adhuc feræ sunt & non oves? Si requiritur amor, ut quis Pastoris fungatur officio, erga oves quæ pascuntur in pratis, & bibunt de flumine; quis, quæso, necessarius erit amor, ut quis Pastoris subeat officium, erga oves, quæ suum quandoque devorant Pastorem, ejusque sanguinem potant? Hinc tertiâ vice Christus de amore interrogat Petrum: hinc Spiritus S. Deus amoris hodie istos Pastores, istosque Magistros formaturus advenit; & hinc Magister divinus, suos hodie Discipulos de sapientiæ schola, ad amoris scholam traducit: *Ille vos docebit.*

§. III.

AGedum, doctrinam istam universalem ad particularem Terram, in qua vivimus, applicando. Dico; quod si aliis in Terris, Apostolis eorumque in ministerio successoribus, magnus amor Dei est necessarius ad docendum: in hac Terra, & in his Terris multò adhuc major, quam in ulla alia amor Dei requiritur. Et quare? Ob dua principia: Primò, ob Gentis qualitatem, seu indolem: secundò, ob linguarum difficultatem.

Primò propter indolem Gentis; harum enim Terrarum natio magis est bruta, magis est ingrata, instabilis ac refractaria, difficilioriſque eruditionis præ cæteris mundi nationibus. In hujusce probationem sufficiebat quidem experientia: sed insuper (quis hoc cogitâsset) attestatum habemus Evangelicum. Modum & formam, quâ Christus Discipulos in mundum misit, Evangelista S. Marcus describens, inquit: *Exprobravit incredulitatem, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt; & dixit illis: Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* S. Petro, obtigit Roma & Italia: S. Joanni, Asia minor: S. Jacobo, Hispania: S. Matthæo, Æthiopia: S. Simoni, Mesopotamia: S. Judæ Thaddæo, Ægyptus: aliis provinciæ aliæ. Denique S. Thomæ, hæc, in qua degimus, pars Americæ; quam nomine vulgato & indigno Brasiliam appellant. Ego nunc quæro: Quare S. Thomæ, & non alii Apostolo in provinciarum partitione Brasilia obvenerit? Audite, quare. Marc. 16. v. 14. & 15.

Authorum neotericorum quidam observant, Christum fidei per mundum prædicationem insinuâsse Apostolis de incredulitatis culpa primò reprehensis, ut subeundi in prædicationis officio labores in pœnitentiam ipsis, ejusdemque incredulitatis, nec non duritiæ cordis, & tarditatis ad credendum purgationem crederent: *Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis; & dixit illis: euntes in mundum universum.* Proinde, quia S. Thomas omnes inter Apostolos, ratione incredulitatis maximè fuit reprehensibilis, in partitioni mundi, ipsi missio obtigit Brasiliæ: ubi etenim major præcesserat culpa, condignum erat ut major ibidem sequeretur pœnitentia.

Quasi Christus dixisset: alii Apostoli minus ex incredulitate culpabiles prædicatum abeant Græcis, Romanis, Æthiopibus, Arabibus; prædicatum abeant Armeniis, Sarmatis, Scythis: ast S. Thomas, ex incredulitate cæteris reprehensibilior, vadat prædicatum Gentilibus Brasiliæ; incredulitatisque suæ, magis barbaram magisque duram docendo Gentem, duritiam luat. Quod eventus comprobavit. Lusitani Brasiliam detegentes, S. Thomæ vestigia lapidi inveneruntimpressa, qui hodie in littoribus videtur Bahiæ: Prædicatæ verò à S. Thoma fidei, nec vestigium, nec memoriam invenerunt in hominibus. Barbaries gentis meliùs probari aut exaggerari nequibat. In lapidibus inventa sunt vestigia Prædicatoris; in Gente nullum inventum fuit vestigium prædicationis: lapides retinuerunt memoriam Apostoli, corda non conservârunt memoriam doctrinæ.

Cur non conservârint, mox dicemus: sed gravi emergenti dubio, contrà quod dicimus, in primis satisfaciendum est. Non dantur Gentiles in mundo minus fidei doctrinæ rebelles, aut ad amplectendam recipiendamque eam faciliores Brasilianis: Quonam igitur pacto incredulitatis S. Thomæ punitionem fuisse asseruimus, quod Genti isti venerit prædicatum? Verùm ita fuit (aut saltem esse potuit) non quod Brasiliani magna facilitate non credant, sed quod ipsa credendi facilitas causa sit, ut eorundem credulitas certo modo sit quasi non credere. Alii Gentiles infideles sunt usque dum credant; Brasiliani jam credentes, adhuc sunt infideles. In aliis Gentibus infidelitas est infidelitas, & fides est fides; in Brasilianis ipsa fides, vel est, vel esse videtur infidelitas. Brasilienses sunt instar Patris Lunatici istius Evangelici, qui eadem accidentia patiebatur in fide, quæ filius in judicio. Dixit illi Christus: *Omnia possibilia sunt credenti*; & ille respondit: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Propositionis hujus terminos Sancti valde considerant; & reverà multum in ea considerandum sese offert. Dicens, *Credo*, credit, fidemque habet; dicens: *Adjuva incredulitatem meam*; nec credit, nec fidem habet. Quomodo igitur istud erat? Homo iste credebat, & non credebat; fidem habebat, & simul non habebat. *Ita*, inquit Venerabilis Beda, *uno eodemque tempore is, qui nondum perfectè crediderat, simul & credebat, & incredulus erat.* Eodem tempore homo iste credebat, & non credebat; erat enim fides quâ credebat, tam imperfecta, ut ex una parte, videretur & esset fides; & ex parte altera videretur, & esset incredulitas: uno eodemque tempore & credebat, & incredulus erat. Hujusmodi Brasilienstum est fides: est fides, quæ videtur incredulitas; & est incredulitas, quæ videtur fides. Est fides; nam sine hæsitatione credunt, & sine contradictione confitentur omnia quæ docentur: & videtur incredulitas; quia eâdem, quâ didicerunt, facilitate dediscunt; eâdemque quâ crediderunt facilitate, non credunt. Matth. 9. v. 23.

Sic Sancto Thomæ cum ipsis evenit. Quare S. Thomam tantillo temporis spatio Brasiliam transisse putatis, cùm regio sit tam lata, terraque tam vasta? Ex hac sola causa, quia indigenæ prædicatam sibi à Sancto fidem tam alacri & expedito sine omni contradictione & obice

rece-

receperunt animo, ut multum ibidem impendere temporis fuerit supervacaneum. Mox verò ut sanctus Apostolus mari se commisit (hac etenim via in Indiam abiisse dicitur) mox inquam, ut S. Apostolus (sic loqui lubet) tergum vertit, eodem Brasiliani momento quicquid ab ipso didicerant, fuerunt obliti, cœperuntque non credere, seu non curare quod crediderant: quod irrationalis magis incredulitatis est genus, quàm si credidissent nunquam. In India verò S. Thomas Gentilibus ibidem, sicut in Brasilia prædicavit: similiterque elapsis ab inde mille quingentisque annis venientes còLusitani qu d invenerunt? Non solùm sepulchrum, & sacra S. Apostoli lipsana martyriique ipsius instrumenta, sed vivens in memoria indigenarum nomen, & quod plus est, prædicatum ipsis Christi fidem: & S. Thomæ Christianos sè se compellantes, quotquot per latissimam illam plagam se extendunt de Choromandela, ubi Sanctus est sepultus.

Enim verò, quænam putatur ratio, quod in Indiæ, & non Brasiliæ gentilitate prædicata à Sancto Thoma fides fuerit conservata? Quodsi illa Brasiliæ absentiâ Apostoli fuit desolata, idem omninò illi Indiæ, ejusdem Sancti Apostoli morte accidit. Proinde si illis in nationibus, tot centenis annis fides fuit conservata, in hisce quare tam citò evanuit? Quia hoc discrimine ab invicem distant. In illis Indiæ multi ad fidem sine prædicatorum assistentia sustentandam sunt idonei, Brasilienſibus verò nullus hâc præditus capacitate. Ex hoc vel maximè capite conversio hîc difficilior existit. Semper hic inculcandum & docendum, quod jam est intellectum; semper inserendum, quod jam est natum, sub pœna, quod oleum perdetur & opera. Stella, quæ Magis in Oriente apparuit, ad præsepium jam deductis disparuit. Quare? Quia Gentilium plurimi ex Oriente, aliisque mundi partibus, annunciato sibi seu demonstrato à Prædicatoribus Christo, jam idonei sunt illinc discedere, illosque relinquere. Hoc pacto S. Philippus, Candacis Æthiopum Reginæ Eunuchum, explicatâ Isaiæ scripturâ, fidei, divinitatisque Christi imbutum notitiâ, in præterfluente Gazæ baptizavit: quo vix baptizato, inquit Textus, quod Angelus raptum extemplò Philippum transtulerit; nec Eunuchus eum ampliùs viderit: *Cùm autem ascendissent de aqua, Spiritus Domini rapuit Philippum, & ampliùs eum non vidit Eunuchus.* Actor. 8. v. 39. Disparente stellâ, fides perseveravit in Magis: disparuit S. Philippus, & fides permansit in Eunucho: ista verò capacitas, quæ in Gentibus invenitur Orientis & Æthiopiæ, non invenitur in illis Brasiliæ. Stellam, quæ eos illuminârit, disparere non oportet sub pœna extinguendam aliàs doctrinæ lucem: Apostolum, qui eos Baptismi tinxerit aquis, recedere non est consultum, ne aliàs pessum eat Baptismi fructus. Necessum est omninò in hac vinea, ut arundo doctrinæ pedi semper sit juncta trunci, vitique alligata, ut & fuctus, & labor proficiat.

Vos, qui peragrando mundum domos voluptuarias lustrâstis Principum, in illis utique quadris, in illis utique hortorum porticibus bina videritis effigiatarum statuarum diversa valde genera; alias ex marmore, alias ex myrto. Efformata ex marmore statua operosi est laboris, magnique moliminis, ob materiæ duri-

duritiem & resistentiam: semel verò perfecta, ad figuræ suæ conservationem ne manûs quidem indiget adminiculo: statua verò ex myrto, ob ramorum flexibilitatem sive labore conficitur; continuâ verò reformatione, & labore, ad sui conservationem indiget. Si hortulanus cultricem manum subtraxerit, vel quatridui tantùm spatio, ramus pullulat qui oculos transfigit; pullulat alius, qui aures deformat: duo pullulant, qui quinque digitos in septem multiplicant; & qui ante apparebat homo, viridem myrti confusionem refert. Ecce differentiam inter has aliasque nationes in doctrina Fidei occurrentem! nonnullæ dantur nationes naturaliter duræ, obstinatæ, & immobiles, quæ difficulter fidem recipiunt, prædecessorum suorum erroribus mordicùs inhærentes: armis resistunt, intellectu dubitant, voluntate repugnant: disputant, argumentantur, opponunt, nec nisi summo labore ad submittendum se cedendumque adiguntur: semel verò victi, receptâ semel fide, stabiles & immobiles marmorearum adinstar statuarum in eadem perseverantes, nullius amplius laboris indigent succursu. Vice verò versâ aliæ dantur Nationes (quales & hæ sunt Brasilicæ) quæ docilitate & facilitate magna propositam sibi doctrinam, nihil opponendo, non argumentando contrà, nihil dubitando, nedum resistendo, promptissimè recipiunt; sed myrtinarum sunt adinstar statuarum, quæ hortulano subtrahente manum & forficem, artificiosè inductam sibi amittentes figuram, silvestrem sibique nativam reinduunt formam. Hæ statuæ non intermissâ Magistri sui indigent assistentiâ; nunc, ut abscindat, quod oculos impedit, ut non visa credant: nunc circumquaque amputet, quod aures obstruit, ne prædecessorum suorum fabulas audiant: nunc solicitè præscindat, quòd manus pedesque seducebat, ut deinceps ab actibus, consuetudinibusque barbaris abstineant. Et hoc tantum pacto, contrà naturam laborando trunci, humoremque radicum, rudibus & silvestribus illis in plantis non naturalis, sed insititia forma ramorumque compositio conservari potest.

Ecce rationem, quare dico, difficiliùs esse Gentilitatem hanc, quàm aliam quamcunque excolere mundi: nisi ipsi adstiteritis, perit labor, sicut ille S. Thomæ: utque fructum afferat labor, majore efficiendum est labore, qui est, illis assistere: assistendum est illis semper, & insistendum, eúndem iterando laborem, plantandoque jam plantatum, eandemque repetendo doctrinam; & nunquam ab opere relevando manum, quia operi etiam jam peracto semper applicanda venit. Prædicatores Evangelici in hac formanda mundi parte gerere se debent, sicut in creatione conservationeque universi se Deus gessit & gerit. Deus creata omnia sextidui spatio condidit: illisque jam conditis quid fecit, & in præsentem usque diem quid facit? Christus id dixit: *Pater meus usque modò operatur, & Ego operor.* A mundi exordio in præsentem usque horam, ne ad momentum quidem temporis, Deus manum ab opere subtraxit: eodemque quo Deus mundum condidit actu, ipsum semper conservavit, conservat, conservabitque usque in finem. Et nisi Deus hoc fecerit, si destiterit: si vel ad momentum manum ab opere amoverit, eodem mundus momento peribit, in nihilumque redigentur omnia tot annis perfecta. Par

Joannis 5. v. 17.

omni-

omninò novæ hujus mundi partis in spiritualibus est conditio; similemque laborem & industriam huic impendere oportet eos, quicunque conversionem reformationemque ejus in se receperunt. Ad creandum, paucis sufficit laborare diebus; ad conservandum verò non multis solùm diebus, & annis, sed semper assistere, laboremque continuare oportet. Et fortasse sub hoc mysterio Christus Apostolis dixit: *Prædicate omni Creaturæ.* Marc. 16. v. 15. Non dixit, ite, prædicate à me redemptis, sed prædicate à me creatis: redemptio enim diei unius fuit opus, creatio verò dierum omnium opus existit. Christus tantùm semel redemit, & non redimit semper: Deus creavit semel, creatque semper. Ita nationes istæ tractandæ & excolendæ sunt: redemptionis pretium non eo, quo redemptæ, sed quo creatæ sunt, modo ipsis applicandum est; quemadmodum Deus semper creat creatum, sic Magistri Prædicatoresque gentis illius semper docere debent doctum, convertere conversum, & perficere factum: factum, ne destruatur; conversum, ne pervertatur; doctum, ne è memoria elabatur: denique non incredulam adjuvare incredulitatem, ut fides sit fides, non infidelitas: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam.* Marc. 9. v. 23. Porrò cum tantopere sit necessarium nationibus istis assistere, & in eorum climate, & in eorundem commercio, nec non miseriis, totque aliis discriminibus & desolationibus, vitæ salutisque necessariis subsidiis, & quibuscunque naturæ humanæ requisitis: pensate, annon pro tanto molimine singularis requiratur amoris divini æstus, & Christus gravissimo ex motivo magisterium docendique officium alicui commitat Deo, qui affectu & effectibus totus amor existat: *Ille vos docebit omnia.*

§. IV.

CIrcumstantia secunda magnum amoris divini talentum exigens, linguarum est difficultas. Si Spiritus Sanctus hodiedum, ut olim, in linguis miraculosis descenderet, prædicare Gentilibus difficultate careret: istud verò Idioma studio & exercitio addiscere, operosus labor est, quem nonnisi ingens amor Dei devorare potest. Apparuit in visione Ezechieli Prophetæ Deus librum tradens ad devorandum, prædicandumque filiis Israël, quicquid eo continebatur: *Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.* Ezech. 3. v. 2. Aperiens os suum Propheta, præ reverentia librum tangere non ausus, comedit illum, optimè sibi sapuisse, melleque sibi dulciorem fuisse protestatus: *Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulci.* Ibidem v. 3. Quod si homines librum quempiam adinstar boli deglutire possent, quam facili negotio addiscerentur scientiæ & linguæ! ô quàm facilis addiscendi modus! ô quàm expedita studendi methodus! hoc modo & methodo Deus in momento docebat Prophetas: & hodie Spiritus Sanctus altero momento erudivit Apostolos, derepentè scientiis se invenientes instructos, in Scripturis eruditos, expeditos in linguis: totum enim illud infusum ipsis fuit illo *Repente*, quo Spiritus Sanctus super ipsos descendit: *Factus est repente de cælo sonus, tanquam advenientis Spiritus.* Actor. 2. v. 2. Comedere verò libros de folio ad folium; haurire scientias de bolo ad bolum,

&

& ingenti quandoque fastidio, masticare idiomata aut linguas, de verbo ad verbum, de nomine ad nomen, de syllaba ad syllabam, immò de litera ad literam? Profectò durum quid est, & valde insipidum & amaritudine plenum, quod solus Deus in dulcedinem convertere potest. Hoc modo Deus idem Ezechieli Prophetæ, supracitato loco, terminis specialibus, notatuque dignissimis ab. blanditus legitur.

Ezech. 3. v. 4. 5. & 6. *Vade ad domum Israël, & loqueris verba mea ad eos: non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris; neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermonem*; q.d. Vade Ezechiel, prædica Filiis Israël, quæ tibi dixi, neque missionem subire detrectes, quasi ad arduum quid & difficile de mitti putes, attende tantùm quo vadas, & quo non vadas. Genti ejusdem tecum nationis & linguæ prædicatum te destinari considera, quem tu intelligis quique te intelligit: *Ad domum Israël*; non ad diversæ nationis, linguæque peregrinæ & differentis gentem, neque ad diversarum nationum, multarumque & differentium linguarum gentes, quarum idiomata nec intelligas, nec quæ te intelligant loquentem, te prædicatum pergere adverte: *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris: neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones.* Ita ut (si bene advertitis) Deus in officio prædicationis tria distinguat conatuum & laborum genera. Expeditum & facile unum; arduum alterum; tertium difficillimum. Conatus laborve facilis & expeditus; est ejusdem secum nationis & linguæ populo prædicare: *Vade ad filios Israël*; arduum est, differentis nationis & linguæ populo prædicare: *Ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ.* Difficillimum verò non unius tantùm, sed multarum nationum diversarum gentibus, nec unâ tantum, sed multis diversis, incognitis, obscuris barbarisque linguis intellectu impossibilibus differentibus populis prædicare: *Ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones.*

Ad primi generis opus, scilicet facile & expeditum, Deus Ezechielem omnesque alios veteres misit Prophetas, qui omnes (exceptis Jonâ ac Jeremiâ) suæ Gentis linguæque populo prædicârunt. Secundi tertiique generis negotium & molimen Apostolis legisque gratiæ Prædicatoribus, & hos inter, Lusitanis specialiter fuit reservatum: & inter Prædicatores Lusitanos adhuc specialius illis hujus conquisitionis, quæ tot, tam alienas, tam barbaras, nunquam auditas, incognitas, & ne imaginatas quidem complectitur linguas. Lusitania Missionarios destinat in Japoniam, quinquaginta tria, vel ut alii scribunt, sexaginta regna continentem; ast linguâ, quamvis ignotâ, tantùm utuntur unâ: *Ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ.* Lusitania Missionarios dirigit in Chinam imperium vastissimum, in quindecim provincias divisum, quarum quælibet multa regna constituere posset; sed linguâ similiter, quamvis ignotâ, tantùm unitur unâ: *Ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ.* Lusitania Missionarios ablegat in Mogor, in Persidem, in Æthiopiam, imperia vasta, valida, dilatata & è majoribus imperiis mundi: sed quodlibet linguæ tantùm est unius: *Ad populum profundi*

fundi sermonis, & ignotæ linguæ. Missionarii verò, quos Lusitania Maragnanam, quamvis Imperii Regnive nomine carentem, dirigit, reverà sunt illi, quos Deus pro tertio, ultimo, difficillimoque negotio reservavit; quia prædicatum vadunt Gentibus, tam diversarum, & incognitarum linguarum, ut hoc solum de illis constet, quod sint innumerabiles: *Ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones.* Ob magnam linguarum differentiam, fuit qui flumen Amazonicum vocavit flumen Babylonicum; æquè verò improprium est illi nomen Babylonis, utì illud fluminis. Improprium est illi nomen fluminis; quia reverà est Mare Dulce, Mediterraneo majus oris seu ostii latitudine. Mare Mediterraneum in amplitudine oris milliaria habet septem, & flumen Amazonicum octoginta: Mare Mediterraneum à Freto Gaditano usque ad littora Syriæ, quæ longitudo est maxima, mille continet milliaria completa: & fluminis Amazonici à civitate Bethlehemitica sursum versus numeratis jam tribus milliarium millibus adhuc ignoratur principium. Hinc illud indigenæ Para, Lusitani verò Maragnanam appellant; quæ omnia insinuare seu dicere velle videntur Mare, & Mare Magnum. Similiter improprium est illi nomen Babylonis; in constructione quippè turris Babylonicæ, referente S. Hieronymo, septuaginta duæ tantùm fuerunt linguæ; quibus verò fluminis Amazonici uruntur accolæ, tot, tamque sunt diversæ, ut nec nomen earum sciatur, nec numerus. Linguæ usque ad annum sexcentesimum trigesimum nonum in detectione fluminis Quito, centum & quinquaginta erant numero. Subsequente tempore plures aliæ, in minore fluminis parte, immensis ejusdem brachiis, nationibusque ea incolentibus sunt detectæ. Tot sunt populi, tam ignotæ & abstrusæ linguæ, tamque inusitatæ & nunquam auditæ intelligentiæ: *Ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones.*

In hac ultima Prophetæ clausula: *Quorum non possis audire sermones*; ly *audire*, significat intelligere; quia quod non intelligitur, quasi non auditur. Verùm in multis conquisitionis hujus nationibus, idem verbum in sensu naturali, prout sonat, verificatur; quia dantur in eis linguæ tam obscuræ & mutilæ pronunciationis, ut verè non audiri dici possint: *Quorum non possis audiri sermones.* Contigit mihi multoties, quod aures Barbari, immò interpretis ori applicando, nec syllabas distinguere, nec vocales aut consonantes, ex quibus formabantur, percipere possem; dum eandem literam cum duabus tribusve aliis æquivocaret (seu quod magis erat evidens) aliis commiscendo confunderet: nonnullæ tam subtiles & tenues, aliæ tam duræ & asperæ, aliæ tam internæ & abstrusæ, ut in gutture potiùs suffocatæ, quàm lingua pronunciatæ: aliæ adeò præcisæ & celeres, aliæ tam extensæ & productæ, ut auditus non nisi confusionem percipiat: cùm in toto rigore certum sit, quòd tales linguæ non audiantur, eò quod non nisi sonitus, & non articulata & humana verba percipiantur, sicut inquit Propheta: *Quorum non possis audire sermones.*

De Joseph, Israëliticove populo in Ægypto, ad singulariter exaggerandum laborem, inquit Psalmographus Rex: *Linguam, quam non noverat, audivit.* Ps. 80 v. 6.

Si labor est audire linguam, quam non intelligitis; quantò major labor erit, intelligere debere linguam quam non auditis? Primus labor est illam audire; secundus illam percipere; tertius ad grammaticam illam reducere & præcepta; quartus illi intelligendæ insudare; quintus (& non minimus, qui etiam Sanctum Hieronymum dentes deterere coëgit) illam pronunciare. Et omnibus hisce laboribus jam devoratis, necdum laborare cœpistis, sunt etenim dispositiones tantum modò ad laborandum. S. Augustinus Græcæ addiscendæ linguæ operam navaturus, ubi ad declinationem secundam pervenit, sub qua declinatur *Ophis*, id est, serpens, progredi cessavit scitè dicens, *Ophis me terruit*. Si igitur S. Augustinus tanquam Augustinus. Si humanorum ingeniorum aquila, tantam in addiscenda lingua Græca difficultatem sensit; quæ Latinos inter tam est vulgaris, & suppetentibus Magistris, libris, artibus, vocabulariis, requisitisque aliis discendi instrumentis tam expedita redditur & facilis; quid, quæso, sentiendum de barbaris & barbarissimis nonnullarum gentium linguis, ubi nunquam visus, qui aut legere aut scribere nosset? Quid erit discere, Nheengaiba, Juruuna, Tapaiù, Teremembè, Mamayanà, quarum litterarum vel solus tantum incutit horrorem.

Literæ Chinensium & Japonensium magnam continent difficultatem; sunt enim Hieroglyphicæ, velut illæ Ægyptiorum: sed tandem non est aliud, quam addiscere linguam Gentis politicæ, operamque illis navare mediantibus literis & papyro. Verùm brutali brutorumque se se implicare linguæ, sine libro, sine Magistro, sine duce, inque mediis illis obscuritatibus & dissonantiis prima ejus fodere fundamenta, & prima ejusdem rudimenta retegere, distinguere nomen, verbum, adverbium, præpositionem, numerum, casum, tempus, modum, & modos nunquam visos nec imaginatos, velut ab hominibus, qui tantùm ab aliis & moribus & linguis differunt; non est dubium, quin, cujuscunque demum, ingenio seu intellectui, multoque magis voluntati arduum videatur opus, quæ non fuerit Deo jam protinus immolata, eidemque intimè conjuncta. Linguas repentè prodigiosè accipere è cælo, sicut illas acceperunt Apostoli, maxima fuit felicitas, illas verò acquirere addiscendo, de verbo ad verbum, de vocabulo ad vocabulum, mediante studio, continuanteque labore & diligentiâ; quemadmodum majoris id est meriti, ita differentem quoque implicat laborem: & pro utroque magna requiritur gratia Spiritus sancti, ingensque amoris divini ardor. Majore amor Dei, hoc casu cum Prædicatoribus Evangelicis rigore utitur, quàm ejusdem justitia cum turris Babylonicæ fuit usu constructoribus. Turris illius ædificatores divina justitia non ad discendas, sed ad depromendas varias linguas condemnavit: fidem verò Gentilibus prædicaturos Dei condemnavit amor, non ad linguas eorum exprimendas, sed ad discendas, quod nisi urgeret amor, majorem inferret pœnam. Qualis verò requiretur vis amoris, ut homo quispiam, vel tot homines, voluntariè se offerant, & non solum singuli ad singulas (velut illi turris Babylonicæ) sed multi ad multas addiscendas se quasi devoveant,

Verùm

Verùm enim verò, interrogari me à vobis video: Si Deo tam facile est linguarum scientiam in momento infundere, & si quondam Apostolis ad prædicandam fidem per mundum, linguarum donum impertiit; quare idem nunc donum ejusdem fidei Prædicatoribus, in Christianitatibus, seu Gentilitatibus novis, sicut istis nostris non prærogat? Dubium istud jam est antiquum, & à S. Gregorio Papa, & à S. Augustino Episcopo, quamvis diversimodè enodatum. Ratio literalis est, quia Deus ordinariè, sine necessitate miraculosè non operatur: deficientibus viribus humanis, defectum hunc supplent divinæ. Porrò, quia Christus duodecim tantùm hominibus mundum convertere volebat; tanto convertendo mundo, tot civitatibus, tot regnis, tot provinciis tam paucorum opera Prædicatorum fidei subjugandis, omnium linguarum scientiam ipsis infundi protinus necessarium erat; siquidem ad discendum nec tempus, nec opportunitas supperebat: verùm jam sic dilatata & propagata, uti hodiedum est, fide, ministrisque multiplicatis, qui singularum nationum addiscendo linguas prædicare possent, linguæ miraculosæ cessarunt. quia super vacanea erant miraculi continuatio. Ecce illud in linguis Spiritus Sancti.

Actor. 2. v. 3. *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque supra singulos eorum.* Nescio utrum distinctionem advertatis: apparuisse linguas, ignem verò sedisse dicit. Enim verò, quare non sederunt linguæ, sed ignis sedit? Quia linguæ non venerunt de sede, ignis verò sic. Geminium hodie Apostolis à Spiritu Sancto primariò collatum est donum: linguarum scilicet, amorisque Dei. Donum linguarum non sedit, quia perseveraturum non erat, universaliterque cum Apostolis finem accepit: *Apparuerunt dispertitæ linguæ.* Apparuerunt & disparuerunt linguæ. Donum verò ignis, donum amoris Dei sedit: *Sedit supra singulos eorum*; quia de sede venit, & non in Apostolis tantummodò, sed in omnibus ipsorum successoribus perseveravit. Et istud omnia comprobant sæcula; & nos hodie tot videmus viros Apostolicos, in quibus iste tam vivaciter operatur ignis, iste sic ardet spiritus; & iste amor tam manifestas ardoris emittit scintillas. Apostolis Deus linguas contulit igneas: successoribus eorum linguarum largitus est ignem. Linguæ igneæ cessarunt, linguarum ignis minimè: iste quippe ignis, iste spiritus, iste Dei amor istis addiscendis, cognoscendisque linguis insudare compellit. Et quidem, quantùm ad linguarum scientiam, promissio Christi ad literam, multò potiùs in hodiernis impletur Viris Apostolicis, quàm in ipsis antiquis Apostolis, quia Christus dixit: *Ille vos docebit*; scilicet Spiritus Sanctus. Et primitivæ Ecclesiæ Apostolos Spiritus Sanctus non docuit linguas, sed infudit & dedit: Modernis verò Apostolis Spiritus S. illas infusurus docturusque venit: *Ille vos docebit.* Primæ linguæ datæ fuerunt comitante miraculo; secundæ sine miraculo sunt doctæ: quas ego miraculosas magis æstimo: quia minùs miraculosum in Deo, illas dare posse sine labore; quàm in homine tanto labore illas velle addiscere: in Deo potestatem arguit infinitam, quæ in ipso est natura; in homine excessivum Dei arguit amorem, qui hominis transcendit naturam. Gravissima igitur ratione officium

istud docendi committens Spiritui Sancto, Discipulos suos à scholæ sapientiæ, ad scholam traducit amoris : *Ille vos docebit.*

§. V.

QUod diximus, probavimus. Quid verò hinc deducitur vel colligitur ? Videbiturne forsan Auditoribus, ad solos Fidei Prædicatores, ad Religiosos, ad Missionarios, ad Pastores Ecclesiæque Ministros hanc spectare doctrinam ? In terris aliis est ita : in istis verò nostris concernit protinùs omnes. In conquisitionibus Lusitaniæ, omnes Ministri sunt Evangelici. Asserunt hoc S. Augustinus prædicans in Africa, conquisitionibus nostris annumeranda. Explicabat Sanctus illam Joa. 12. v. 26. Christi sententiam : *Ubi Ego sum, illic & Minister meus erit.* Conversus ad populum magnus hic Doctor hoc modo S. Aug. dixit : *Cùm auditis, Fratres ! Dominum dicentem : Illic & Minister meus erit; nolite tantummodò bonos Episcopos & Clericos cogitare; etiam vos pro modulo vestro ministrate Christo.* Et quomodo Minister erit homo laicus sine literis, sine ordinibus, sine gradu aliquo in Ecclesia ? Idem hoc Sanctus dicit : *Bene vivendo* ; id est, bene vivendo, bonumque exemplum præbendo ; *Eleëmosynas faciendo*, aliaque charitatis opera exercendo : S. Aug. *Nomen, doctrinamque ejus, quibus potuerit prædicando : unusquisque paterfamilias pro Christo & pro vita æterna suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam.* Iste talis paterfamilias qualis erit ? Pro consolatione vestra, audite Christiani, quod concludit Augustinus : *Ità in domo sua Ecclesiasticum, & quodammodo Episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso.* Istud S. Augustinus suis prædicabat indigenis Africæ, idem ratione justiore nostris prædicare posset Americæ.

O si Divinus Spiritus, qui hodie super Apostolos descendit, vel unicum Divinæ suæ lucis radium status hujus incolis immitteret, ut intùs & foris obligationes suas attenderent, quas debent Fidei, quam profitentur; quam veraciter omnes hodie, non veri tantùm Christi Ministri, verum etiam Apostoli evaderent ! Quid est esse Apostolum ? Apostolum esse nihil est aliud, quàm docere Fidem, animasque adducere ad Christum : & nullus in hac conquisitione degit, qui hoc non possit & facere obligetur. Primo in Missione hac in Amazoniam destinata, & cras discessura (quam Deus spoliis cælestibus, prout speramus, adeò onustam, tantisque pro terra ista remediis instructam, sicut desideratur, deducere dignetur) quis Lusitanorum ex præsidiis proficiscitur, qui non Apostoli exerceat officium ? Non solùm Missionarii, sed etiam milites & capitanei vices agunt Apostoli; omnes etenim inquisitum pergunt Gentiles, ad lumen illos Fidei, Ecclesiæque gremium adducturi. Ecclesia de Christi sui sponsi Latere est formata, sicut Eva de latere Adami. Et formata est, quando de Latere Christi in cruce exivit Sanguis & aqua : *Exivit Sanguis & aqua.* Joa. 19. v. 34. Sanguis redemptionis pretium, & aqua Baptismatis significabat aquam : exivit verò Sanguis simul & aqua, quia virtutem suam & efficaciam, à Sanguine aqua recepit. Interrogo igitur : Quis Latus

illud,

illud, ex quo formata est Ecclesia, aperuit: Miles aliquis Lancea, inquit Textus:
Ibidem. *Unus militum lancea Latus ejus aperuit.* Ergóne & milites ad formandam concurrunt Ecclesiam? Etiam. Frequenter enim necesse est, milites suis armis aditum aperire, liberumque per portam introitum pandere; ut per apertam hanc liberamque portam Sanguis & aqua Baptismi communicetur: *Et continuo exivit Sanguis & aqua.* Et quando Fides sub armis, ad eorundémque prædicatur umbram, tam Apostoli sunt defendentes, quàm prædicantes: utrique enim ad salutem animarum cooperantur.

Enim verò quid fore putatis, si modò dicerem, quod in conquisitione hac, sicut viri Apostolorum officium exercent in campo, sic illud mulieres exercere posse in sua domo? Illud dicerem, quod jam antè graves asseruerunt Authores: illi in castris adducendo animas ad Ecclesiam, officio funguntur Apostolorum: hæ suis in ædibus, famulos suos & famulas, seu mancipia instruendo, officio perfunguntur Apostolarum. Non est nomenclatura, nec grammatica mea, sed doctissimi Salmeron, qui Marias:
Salmer. *Apostolorum Apostolas*; nuncupavit. Et quare? Quia Mysterium Resurrectionis Christi illis annunciarunt. Si igitur mulieres hominibus jam Christianis Christique discipulis, unum tantùm Fidei mysterium annunciantes, nomen merentur Apostolarum; quantò justiore titulo Gentilia & rudia mancipia omnibus salutis mysteriis imbuentibus hoc nomen debetur? Domicella quæpiam famulum
Tapuya in lingua Maragnana. suum aut famulam Fidem in Deum docere adlaborat, & quid illos docet? Altissimum illos docet Sanctissimæ Trinitatis mysterium; Incarnationis, Mortis, Resurrectionis, Ascensionis Christi arcanum; adventus Spiritus S. judicii extremi, vitæ æternæ mysteria; omnia denique illa, quæ Christiani credimus & confitemur. Ecce an non Magistrarum seu Doctricum harum aliqua nomen Apostolæ mereatur?

Nullus dubio relinquitur locus, quin viri mulieresque omnes sublimissimi hujus nominis exercitiique Divini, vel Divinissimi sint capaces. Christus binas in Evangelio introducit parabolas: unam de Pastore ovem perditam quærente, & inventam suis humeris ex montibus reportante; alteram de muliere drachmam perditam, accensa ad quærendum lucerna, in sua domo inveniente. Oviculæ hæc, & drachma utraque perdita & inventa errantes designant animas, quæ conversæ dirigunturad Deum: qui quæsivit & invenit ovem in parabola prima; & quæ drachmam quæsivit & invenit in parabola secunda. Ministri sunt Evangelici, qui animas istas reducunt & reportant ad Deum. Si igitur in utraque parabola duæ istæ personæ Ministros significant Evangelicos, qui animas ad Deum adducunt, quare Christus in prima introduxit virum, & in secunda mulierem, quæ accendit lucernam? Ut doceret, uti viros, ità & mulieres omnes ad animarum procurandam salutem cooperari posse: viros in campo pastorali baculo; mulieres in domo candela & lucerna: viros in campo armis suis penetrando vepres & dumeta; mulieres illuminando & docendo in domo. Ecce quomodo id ipsum Joël Propheta eodem cap. 2. quod hodie S. Petrus Hierosolymitano declaravit populo, prædixerit: *Sed & super servos meos, &* Joël 2. v. 29.

ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum; & prophetabunt. Notate: non dicit Deus, quod Spiritum suum effundet super servos, sed, *super servos meos, & super ancillas*; nam non solùm viri, sed mulieres, prædicare possunt & debent; & prædicabunt dilatabuntque fidem, quilibet suo conformiter statui & conditioni: *Et prophetabunt.* Hinc hodie non sine grandi mysterio, in cœnaculo Hierosolymitano, quo Spiritus S. advenit, cum viris simul fœminæ sunt inventæ: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus.* Erant viri, erant mulieres in cœnaculo; quia viros & mulieres Spiritus S. Magistros & magistras doctrinæ cælestis facturus advenerat, docturusque ut docerent: *Ille vos docebit.*

§. VI.

SUpposito itaque, non Ecclesiasticis solùm, sed etiam sæcularibus; nec viris tantum, sed etiam fœminis, vel ex charitate, vel ex justitia, vel ex utraque simul, suo cuique conformiter statui & conditioni incumbere, Gentiles, Neophytosque harum terrarum, in quibus degimus, Christianos lege fideque imbuere Christi; nemo, quæso, per gratiam Spiritus Sancti, se supremi divineque hujus Magistri disciplinæ non tradat, ut saltem famulorum suorum & domesticorum Doctor esse possit. Vos linguæ gnari majore facilitate; vos verò ejusdem ignari majori merito gaudebitis. Et utrique vobis ipsis (quod semper est melius) vel mediante alio, tali cura, solicitudine & diligentia Christiano huic debitoque exercitio vos applicare debitis, ut nullus necessarium doctrinæ pabulum, seu paucis, seu multis commendatis sibi à Domino Christi oviculis deesse patiatur, omnes enim in hac conquisitione estis Pastores, vel magni hujus Pastoris substituti. Multi ingenti satis zelo, Religionis Christianæ affectu, ædificationeque non vulgari id præstant: quod omnes æmulari, consultum est.

Nemo verò (more quibusdam usitato) ruditate se Gentis excuset, dicendo, quod superius tetigimus, esse lapides, esse truncos, esse animalia bruta: quia licet revera quidam eorum tales aut sint, aut esse videantur, industria & gratia vincet omnia: & de brutis, lapidibus & truncis efficiet homines. Dicite, quæso, mihi, quidnam potentius, gratia, an natura? Gratia, vel ars? Quod igitur ars facit & natura: Quare industriam vestram gratia Dei concurrente illud effecturam diffidemus? Concedo Indum istum barbarum & rudem, esse lapidem: ecce quid ars efficiat in lapide. Statuarius ex montibus istis rudem eruit lapidem durum & informem; sublato jam quod erat grossius, arrepto malleo & circino incipit efformare hominem, primò de membro ad membrum, & posteà de figura ad figuram usque exactissimam: discriminat capillos, delineat caput, insculpit oculos, excavat nares, os effigiat, faciei lineamenta deducit, pectus efformat, brachia distendit, manus explicat, digitos disjungit, vestes adaptat: hic tollit, illic addit, &c. evaditque homo perfectus, & quandoque sanctus, qui altari imponi posset. Idem hic fiet, ubi industria vestra gratiæ divinæ fuerit cooperata. Est lapis, juxta quod dicitis, Indus iste

rudis?

rudis? Laborate igitur, laborandoque continuate (nihil enim sine labore & perseverantia peragitur) identidem circinum applicate, malleum iteratò impingite, & videbitis, quomodo ex lapide hoc rudi & informi non solùm efformabitis hominem, sed Christianum, & fortassis sanctum. Istud non inferior quàm Prophetarum maximus prædicit & promittit: *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Abraham credentium omnium, fidemque habentium pater est: & Baptista dicendo, Deum ex lapidibus suscitaturum filios Abrahæ, tanquam certum affirmat ac vaticinatur, quod Deus ex gentilibus, idololatris, barbaris, & instar lapidum duris, Evangelicâ mediante doctrinâ, non solùm homines, sed fideles, Christianos, Sanctosque sit facturus. S. Ambrosium auscultate: *Quid aliud quam lapides habebantur, qui lapidibus serviebant, similes utique his qui fecerant eos? Prophetatur igitur saxosis Gentilium fides infundenda pectoribus, & futuros per fidem Abrahæ filios, oraculo pollicetur.* Ita hoc vaticinatus fuit Baptista: & quemadmodum ille hujus miraculi extitit Vates, sic vos illius eritis instrumentum. Docete, instruite, erudite illos lapides, & de lapidibus non hominum statuas: sed veros homines, verosque per fidem Abrahæ filios efficietis. Quod fit in lapidibus, facilius fieri potest in truncis, quibus minor inest repugnantia & brutalitas.

Luc. 3. v. 8.

S. Ambr.

Ad convertenda animalia in homines non ars, sed natura sufficit: estque mirabile, sed quia ordinarium, mirabile non videtur. Agedum, videte. Venatum exiistis in nemoribus istis & sylvis, transfixistis seu trajecistis cervum, capream, damam, bubalum, aprum: vester verò famulus occidit cameleontem, lacertam, crocodilum: hic cum suis comedit sociis; vos cum vestris epulati estis amicis: & quo eventu? Elapsis octo seu pauciori-bus horis (siquidem Galenus pauciores admittit) caprea, dama, cervus, aper, cameleon, lacerta & crocodilus, omnia hæc animalia conversa sunt in homines; jam caro est hominis, paulò antè caro ferarum. Si igitur vi caloris naturalis hoc natura efficere potest, quare hoc longe efficaciùs vi caloris igniſque Spiritus S. non operetur gratia? Si natura animalia fera naturaliter convertere potest in homines, quare gratia supernaturalis istam non faciat conversionem? Idem ipse gratiæ author Spiritus, sic S. Petro monstravit, futurum. S. Petrus orationi intentus erat in civitate Joppensi: *Ecce vidit cælum apertum, & descendens vas quoddam velut linteum magnum, quatuor initiis submitti de cælo in terram, in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ, & volatilia cæli*; Id est: aves, & omnia alia animantia sylvestria, fera, horrida & venenata, quæ in lege veteri habebantur immunda. Tribus vicibus eâdem horâ sanctus Petrus ostentum hoc videns, de significato ejusdem magis magisque semper suspensus attonitusque hæsit, audita similiter tertiò repetitâ voce sibi dicente: *Surge Petre, occide & manduca.* Verba non declarabant ænigma, sed magis involvebant: impossibile enim sibi videbatur, Deum manducari præcipere, quæ lege vetuisset. Eodem verò momento domus pulsabatur ostium à legatis seu nunciis, quos Gentilis quidam Dominus nomine Cornelius Romanorum militum, & respectivè Cæsare-

Act. 10. v. 11.

Ibidem v. 13.

sareensis præsidii legionis Centurio, ad accersendum S. Petrum dixerat, ut fide imbutus Baptismum ab eo reciperet. Gentilis iste, sancto asserente Ambrosio, primus à Christo fidem periit ac recepit: quo facto, & Angeli accedente declaratione, visionis mysterium Sanctus Petrus intellexit. Intellexit, inquam, linteo isto magno significari mundum; quatuorque initiis, quibus sustentabatur, quatuor ejusdem plagas; animalibus feris, immundis, horridis, legeque manducari vetitis, diversas Gentilium nationes barbaras & indomitas, extra obedientiam cognitionemque Dei adhuc agentes, quas Dominus idem adduci ad se vellet. Hucusque Textus ejusque significatio.

Verùm enim verò, si animalia hæc Gentilium populum significabant, eumque Deus à sancto Petro doceri & converti volebat, ut quid occidere & manducare mandat? Eodem planè ex motivo: feras enim convertendi in homines expeditissimus est modus, occidere & manducare; nihilque adæquatè magis & propriè modum exprimit docendi. Ut fera convertatur in hominem, oportet eam desinere esse, quod est; & incipere esse, quod non erat: & totum hoc occidendo illam, & comedendo peragitur: occidendo enim desinit esse quod erat, mortua enim jam non est fera: comedendo incipit esse, quod non erat; comesta enim jam est homo. Porrò quoniam Deus volebat, ut omnia ista animantia fera & horrida Petrus in homines, & in homines fideles converteret; idcircò vox cælestis occidere & manducare præcipiebat: *Occide & manduca.* Insinuare volens, ut eos erudiret & doceret; quia instructio & doctrina id in ipsis operatura foret, quod occisio & manducatio naturaliter facit. Sanctum Gregorium Papam auscultate: *Primo Pastori dicitur: Macta & manduca; quod mactatur quippè à vita occiditur: id verò, quod comeditur, in comedentis corpore commutatur: Macta igitur & manduca, dicitur, id est, à peccato eos, qui vivunt, interfice, & à seipsis illos in tua membra converte.* S. Greg. Papa. Deus volens, ut Gentiles illos fide imbueret S. Petrus, eos mactari & manducari mandat; nam quod mactatur, desinit esse quod erat: & quod comeditur, in substantiam comedentisque membra convertitur: ambosque hos effectus doctrinam Sancti Petri in Gentilibus feris & barbaris fore operaturam significavit. Primò mori oportere, quia desinere deberent esse Gentiles, moxque comedi & in membra sancti Petri converti, quia fieri debebant Christiani Ecclesiæque membra, cujus caput erat S. Petrus. Ita ut quemadmodum natura feras facit homines occidendo & manducando: ita etiam gratia feras convertat in homines erudiendo & docendo. Docuistis Barbarum & Gentilem; & quid doctrinam illam operari putatis? Occidit in eo feritatem, & introducit humanitatem: occidit ignorantiam, & introducit cognitionem: occidit brutalitatem, & introducit rationem: occidit infidelitatem, & introducit fidem: & hoc modo conversione admirabili, evadit homo, qui fuerat fera; evadit Christianus, qui fuerat Gentilis; qui fuerat spolium peccati, membrum manet Christi & sancti Petri: *Occide & manduca.* Et quoniam Spiritus sancti gratia artem excedit ac naturam, ad faciendum de lapidibus & brutis homines: licet illi conquisitionum harum essent feræ, vel brutorum instar irrationales, vel lapi-

dum

dum instar insensitivi, difficultas ista ad excusandam socordiam seu ad tollendam docendi obligationem omninò foret insufficiens: *Ille vos docebit.*

§. VII.

UT verò obligationi huic & officio nemo desit, in memoriam vobis seu mentem tantùm revocabo, quantum hoc faciendo obsequium præstetis Deo, rationisque rigorem, quam redderis Deo, si omiseritis. Textus quidam continetur in Scriptura, cujus quoties recordor, horrore concutior ob id, quod modò dicturus sum. Agebant Apostoli ascendente Domino in monte Oliveti, oculis cœlo infixis, cordibus verò jam intromissis, jam enim oculis aspectuique ipsorum Dominus & Magister se subduxerat, qui illos sibi unitos post se trahebat. Rapti erant, & suspensi, & quasi extra se; præ amore, admiratione, gloria, jubilis & desideriis; & ecce duo apparent Angeli, hæc ipsis verba loquentes: *Viri Galilæi, quid statis aspicientes in cælum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum, sic veniet*; scilicet ad judicandum. Notatu sane digna talibus personis, talique loco & occasione prolata verba! quod obstupescant Angeli, Apostolos in monte Oliveti ex desiderio Christi in cælum aspicere, & ut illos inde discedere faciant (prout fecerunt) diei judicii, reddendæque rationis memoriam ingerant? Ergone in monte degere remotum ab hominibus, oculos infigere cælo, raptum esse in contemplatione gloriæ, amore desiderioque Christi hærere suspensum, nunquid reprehensione stuporeque quid dignum est, ut idipsum Angeli obstupefacti reprehendant? Hoc casu sic. Nam si omnibus in hominibus stuporem reprehensionemque meretur, malum pro bono non derelinquere, in Apostolis stupore reprehensioneque dignissimum erat, bonum pro meliori non derelinquere. Officium Apostolorum & obligatio erat prædicando fidem animas salvare: ordo moduscque à Christo præscriptus erat, ut in Jerusalem recollecti ad prædicandum se disponerent, dono sancti Spiritus prius accepto, quem ipsis missurus esset: derelinquere verò montem Oliveti pro cœnaculo, derelinquere contemplationem pro scholo linguarum, desistere ab intuendo cælo, ad succurrendum cœcitatibus terræ, dimittere denique desideria Christi, non erat deserere bonum, sed in melius illud commutare; erat enim bonum magnum meliorare pro alio majore: erat servitium Dei pro alio dimittere servitio majore, placitum Dei pro altero placito majore, gloriam Dei pro alia ejusdem gloria majore. Contemplari opus est divinum, animas verò ad Deum adducere opus est divinissimum: sic illud appellante Sancto Dionysio Areopagitâ: *Opus Dei divinissimum.* Apostolorum autem & virorum Apostolicorum obligatio requirit, non divinum tantùm, sed divinissimum sectari: divinumque pro divinissimo derelinquere. Propterea Angeli ipsos fixis in cælum oculis in monte stantes contuiti, attoniti increpant, dicentes: *Quid statis?* q. d. Quid hic agitis? Ac si quod agebant, nullam cum eo, quod faciendum incumbebat, haberet correspondentiam. Occupatio eorum ibidem non erat, nisi contemplationes, admirationes, extases, raptus: quod facere incumbebat, erat prædicare, catechizare, docere,

Act. 1. v. 11.

S. Dionysius Areop.

docere, baptizare, convertere animas: omnia verò illa horum respectu & comparatione, Angelorum melius nobis intelligentium judicio, quid sunt? Unum. *Quid?* Aliquid de quo dubitari potest, utrum sit: aliquid minus, quàm esse deberet. Unum subsistere, stare non progredi: *Quid statis?* Ecce, ecce, vos & vos (cum omnibus & singulis utriusque sexûs viris & fœminis loquor) quantum obsequium præstatis DEO servos vestros seu mancipia docendo, quando eum in finem addiscitis linguas, quando scribitis, cathechismo studetis, interpretem inquiritis, & eo tantùm fine quandoque aliis salariumque assignatis? O fortunatum dispendium! ô felix studium! ô faustum & incomparabile coràm Deo meritum! in summa pensate Christiani, quantò majus sit bonum, & servitium pro Deo ejusque gloria, unum hujus terræ docere Æthiopem, quàm raptum esse in cælum: *Quid statis aspicientes in cælum?*

Enim verò si tantum Deo obsequium præstant, qui solicitè id curant: illud negligentes, tantâ incuriâ, oblivioneque doctrinæ, fidei Christianæ, famulorumque suorum salutis laborantes, quàm rigidam putatis Deo reddere debere rationem? Terrent Apostolos Angeli die judicii, temporisque momenta, quibus in monte morabantur Oliveti pensare volunt. Quare? Quia erant homines, quibus pro animabus alienis rationem reddere incumbebat; & cui pro animabus alienis reddere incumbit rationem, ad momentum usque, quo solicitam earundem curam agere neglexerit, strictissimam Deo reddere cogetur. O quàm terribilem Deus in die judicii, ab omnibus, qui in regione hac degimus, exiget rationem, quia omnes commissas nobis habemus animas! Prædicatores, animas omnes: Pastores, suarum Ecclesiarum: sæculares, suarum familiarum. Porro si difficile est de una tantùm animam bonam reddere rationem, quid erit de tam multis? S. Hieronymus sine tantæ solitudinis, tantarum pœnitentiarum, toleratorumque in Dei Ecclesiæque servitio laborum respectu, ad divini judicii Angelicæque tubæ memoriam tremebat ob reddendam de sua tantùm anima rationem. Anima sancti Hilarionis Abbatis, emensis octoginta eremiticæ vitæ annis, & tot tamque insignibus reportatis à diabolo victoriis; propter eandem ita tremebat, ut ex corpore egredi trepidaret, & à Sancto expiraturo ad exeundum animanda esset.

Si igitur Hieronymi, si Hilariones, si maximæ Ecclesiæ columnæ post tam sanctè transactam vitam de reddenda pro anima una ratione contremiscunt; quam vos, post vitam vestram, non adeò ut illorum, conformiter legi Dei peractam; non de una, sed tot animabus rationem reddituros speratis? Quidam de quinquaginta, nonnulli de centum, alii de ducentis, alii de trecentis, alii de quadringentis, aliqui de animabus mille rationem reddent. Multi vestrûm hodie habent paucas, sed illo die habebunt multas: quotquot obierunt pro servitio, ad dandam resurgent rationem. Quotquot habuistis & habetis, omnes illo die simul apparebunt ante tribunal singulæ pro se rationem reddituræ, & vos pro omnibus. Ego profectò pro parte po-

potius ipsarum, quàm vestra rationem reddere mallem. Famulus suo se excusabit Domino: sed Dominus quomodo? Famulus exiguo suo excusabit se ingenio & insciția: sed Dominus quo qualive modo? Nimia sua cupiditate? Crassa sua cœcitate? Pietatis suæ inopia? Humanitatis defectu? Christianæ religionis tepore? Fideique modulo? O Deus juste, ô Deus misericors, nec in justitia tua, neque in tua misericordia animabus istis ex intricato isto labyrintho evadendi viam mediumque invenio! si divina justitia invenit unde damnet Gentilem, quia non fuit baptizatus, quomodo misericordia divina medium inveniet salvandi Christianum, cujus culpa ille non fuit baptizatus?

Prô quales in illa die de vobis petent vindictas tot infelices animæ, quarum infelicitatis æternæ vos causa fuistis? Abel à Deo petebat vindictam, & salvatus agit in cælo. Si Abel frater vindictam à Deo petit de fratre, qui vitam sibi eripuit temporalem; mancipium aliquod, seu mancipia tot seu famuli, qualem à Deo petent vindictam de Domino, qui vitam ipsis surripuit æternam? Si Abel, si anima salvata, hodieque visione Dei fruens vindictam petiit; anima & animæ damnatæ & ardentes in inferno, ibidemque æternùm mansuræ; quales vindictas petent, quales vindictas inclamabunt, quales vindictas ingeminabunt ad cælum, ad terram, ad infernum, ad diabolos, ad Angelos, ad Deum? O quam triste & horrendum erit spectaculum Lusitanum quempiam (multoque magis grandes & potentiores) conquisitionum harum in illa die tanta Indorum, liberorum quorundam, aliorum mancipiorum, nonnullorum benè, aliorum malè captivorum multitudine circumdatos videre; hos gentiles, illos cum Christianorum nomine ad infernum condemnatos, omnes in igne ardentes, omnes justitiam Dei inclamantes, & de infelici isto homine, qui hoc in mundo Dominus fuit appellatus, vindictam postulantes! ah ingeminabit unus, quod ob non acceptum Baptismum sim damnatus! Vindicta ingrato meo superveniat Domino, qui tot annorum mihi servitia non solvit, nec modico quidem illo, quod non pluris ipsi constitisset quam aqua Baptismi! ah, ejulabit alius, quod ob Dei fideique mysteriorum ignorantiam fuerim condemnatus! Justitia Dei & vindicta infideli meo superveniat Domino, qui informari me curans de omnibus, quæ servitium ipsius concernebant, de necessariis ad meam salutem solicitudinem omnem postposuit! ah ingemiscet alius, quod ob vitam omnem turpiter cum concubina contrà legem Dei transactam damnationem incurri! superveniat justitia inhumano meo Domino, qui ob commoda privata peccatum hoc dissimulando in matrimonium noluit consentire! ah, lacrymabitur alius, quod ob omissam Quadragesimalem Confessionem, seu non intelligenti, ut dirigeret, factam condemnatus sim! superveniat justa Dei vindicta avaro meo Domino, qui ne biduani servitii jacturam faceret, nec tempus, nec locum, nec Confessarium indulgere voluit, quibus anima mea indigebat! alius denique dicet, væ mihi quod sine Sacerdote, sine Sacramento moriendo sim damnatus! Justitia justaque

vindicta ſuper tyrannicum meum veniat Dominum, qui quia mihi afferri non permiſit remedium, vel me deferri ad illud, mori me ſivit ut brutum! canem me compellavit in vita, & velut canem tractavit in morte. Hæc miſerorum mancipiorum ſeu famulorum horum ſinguli ad juſtum ſupremumque Judicem JESUM Chriſtum ingeminabunt, ejuſdem ſimul interpellantes ſanguinem (qui culpa veſtra nihil eis profuit) juſtitia, juſtitia, juſtitia, juſtitia. O quomodo clarè tunc cognoſcetis, quis vobis veritatem prædicaverit! ô quomodo in illo judicii die certiſſimè immutabitis judicium & judicia! hodie beatos illos dicitis, qui magna mancipiorum, famulorum & famularum ſtipantur caterva, minuſve beatos, qui horum habent paucos: in illa die qui magnum illorum habuerint numerum, erunt infelices, & felices, qui habuerint paucos; feliciores verò, qui habuerint nullum. Habete eos, Chriſtiani, habete eos, & habetote multos; verùm tali eos habetote modo, ut ipſi animas veſtras promoveant, & vos eorum animas promoveatis in cælum. Iſtud deſidero, id vobis opto, iſtud vobis conſulo, iſtud vobis procurare ſarago, iſtud à vobis & Dei & veſtri amore efflagito: iſtud denique ex hoc ſermone cordibus & animabus veſtris à vobis inſeri optarem.

Spiritus Sanctus, qui hodie deſcendens ſuper Apoſtolos, illos mundum docere docuit, in vos deſcendat, omnes vos inſtruens, ut vel ipſi docere vel doceri permittere velitis eos, quibus doctrinam debetis: ut illi per vos, & vos cum illis in hac vita gratiam (quæ tam caro nobis conſtat) conſequentes, magnis cum incrementis in altera, ſempiterna gaudere & frui mereamini Gloria. Amen.

SERMO

SERMO
PRO
DOMINICA DECIMA NONA POST PENTECOSTEN.

Incidente in diem, quâ ſingulis menſibus Feſtum de Venerabili Sacramento celebratur.

Habitus in Cathedrali Bahiæ, Anno 1639.

Miſit ſervos ſuos, vocare invitatos ad nuptias. Matth. 22.

§. I.

Matth. 22. v. 2. *Simile eſt Regnum Cælorum homini Regi.* Iterum repeto, textumque Evangelii de verbo ad verbum conſtruo. Advertite animum, memoriæ mandantes verba omnia; ſingula quippe ſuo gravida myſterio, utilitatem nobis non minimam afferent. *Simile eſt regnum cælorum* (inquit Chriſtus Redemptor noſter) *homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* Nuptiarum præſente jam die, ſervos ſuos ad convivium invitatos vocatum miſit, ut venirent, qui venire noluerunt. Nihilominùs alios ſervos cum tenoris hujus mandato iteratò miſit: *Dicite invitatis: Ecce prandium meum paravi, tauri mei & altilia occiſa ſunt, & omnia parata.* Verùm invitati & hanc ſecundam vocandi ſprevere inſtantiam: *Et neglexerunt, & abierunt, unus in villam ſuam, alius verò ad negotiationem ſuam: reliqui verò tenuerunt ſervos ejus, & contumeliis affectos occiderunt. Rex autem, càm hoc audiſſet, iratus eſt: & miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & civitatem illorum ſuccendit. Tunc ait ſervis ſuis: Nuptiæ quidem paratæ ſunt, ſed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egreſſi ſervi ejus in vias, congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos: & impletæ ſunt nu-* Ibidem v. 5. & ſeq.

ptiæ discumbentium; intrævit autem Rex, ut videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali; & ait illi: amice, quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit: Tum dixit Rex ministris: ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores; ibi erit (concludit Christus) *fletus & stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.*

Hæc de litera ad literam est historia, seu Evangelii parabola: pro cujus intelligentia scire convenit, quis sit Rex: quis filius: quales sint nuptiæ: quodnam convivium: quinam invitati, qui venerunt: quinam illi, qui venire noluerunt: quales denique famuli, qui vocarunt. Rex, Pater fuit æternus: Filius, Verbum, Secunda Sanctissimæ Trinitatis persona: Nuptiæ, ejusdem Filii Dei Incarnatio, qua humanæ se naturæ desponsavit: Convivium, cælestis est gloria & beatitudo, ad quam isto mediante mysterio liber nobis aditus patet: invitati, qui venerunt, sunt illi, qui salutem consequuntur: qui venire noluerunt, sunt illi, qui damnantur: denique servi vocantes & invitantes sunt Prædicatores. Suppositò igitur illud esse officium obligationemque Prædicatoris, ista quoque hodierni erit materia Sermonis: *Misit servos suos vocare ad nuptias.* Auditores, Deus me invitatum vos misit ad gloriæ convivium: & hoc faciam. Considerans verò eâdem in parabola semel atque iterum vocatos, venire renuisse invitatos; quas, quæso, rationes adducam, quibus mediis ad persuadendum vobis utar, quod tot electi à Deo, & missi non persuaserunt Prædicatores? Omnem spem fiduciamque meam in virtute potentiaque Evangelii collocavi: proinde non plus dicam, quàm illud dixit, & jam audistis. Illius tantùm verba proponam & discutiam; omnia & singula, nullo excepto proponam & excutiam. Ad probandum quantumcunque dicam, nec novi, nec veteris Testamenti aliam, præter Evangelium ipsum allegabo scripturam. Et siquidem assumptum hoc novum vobis videtur ac difficile, hanc ipsam ob causam, vos mihi oportet assistere, ad plus quàm aliàs gratiæ petendum. Ave Maria.

Matth. 22. v. 3.

§. II.

Misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias.

VOcare invitatos ad convivium Gloriæ, assumpsi, seu assumere me jussit Evangelium. Cùm verò convivium istud non sit aliùd quàm illud Sanctissimi Sacramenti, quod iterata singulis mensibus vestra celebrat hodie devotio: ut me sine fastidio auscultetis & scrupulo, ipsum ab utroque vos liberabit Evangelium; idque singulari proprietate, & hucusque non audito, nec expectato à vobis mysterio:

Agedum aggrediamur parabolam, quam retuli. Primum, quod tanquam magni argumenti, seu mysterii sui fundamentum supponit, nosque docere intendit, est, quod omnes, quotquot præsentes adsumus, ad gloriæ convivium simus invitati. Ad suppositum hoc probandum, inquit Textus, quod præsente jam nuptiarum die, servorum suorum quosdam Rex miserit, ut invitatos ad convivium vocarent: *Misit servos suos, vocare*

in-

invitatos ad nuptias. Quibus venire renuentibus, loco ejus, quod se offensum aut iratum velut homo & Rex ostenderet: *Homini Regi*; Ut se Deum esse sub hac metaphora doceret, non per eosdem, sed alios servos, illos denuò vocatum misit: *Misit alios servos.* Quinam isti tam primi, quàm secundi fuerint servi, proprietate excellenti Origenes, S. Hieronymus, & D. Thomas declarant. Primos fuisse ajunt Prophetas: secundos Apostolos. Prophetæ fuerunt primi: primò enim vocârunt invitatos in lege scripta: & Apostoli fuerunt secundi; succedentes enim Prophetis similiter invitatos vocârunt in lege gratiæ. Hinc æquè propriè sequitur, ad convivium invitatos gloriæ, jam ante Prophetarum Apostolorumque adventum fuisse invitatos Ante Prophetas jam erant invitati; de primis enim servis inquit Textus: *Misit servos suos, vocare invitatos.* Ante. Apostolos similiter erant invitati; ad secundos enim servos dixit Rex: *Dicite invitatis.* Si igitur jam erant invitati, antequam essent Prophetæ & Apostoli; nec Prophetæ illos invitârunt nec Apostoli, sed qui eos vocârunt: quisnam illos invitavit? Extra controversiam est, quod ipse Rex, desponsati Principis Pater, qui est Deus. Sed quando? Nonnulli eos ab æterno vocatos affirmant, quando Deus homines ad gloriam prædestinavit. Verùm istud esse non potest; quia invitare & invitatum esse, reciprocam supponit notitiam, & homines nondum existentes invitari nequibant: prædestinati verò sic: ergò si ante Apostolos & Prophetas jam erant invitati, quando Deus illos invitavit? Invitavit illos in Adamo, quando ipsi revelavit, quod non pro paradiso terrestri in hac vita, sed pro gloria cælesti in altera ipsum creâsset. Neque veritas, neque ordo, neque consequentia parabolæ alio modo cum vera Theologia conciliari posset. In summa, uti à principio mundi, & ab Adamo, ac consequenter, quemadmodum omnes peccamus in illo, ita omnes in eodem ad convivium Gloriæ sumus invitati: finis enim, ad quem nascimur omnes & conditi sumus, est servire Deo in vita præsenti, eodemque frui & gaudere in æterna.

Matth. 22. v. 4.

Orig. S. Hier. D. Thom.

Supposità veritate hac primâ, tam in Evangelio manifestâ; supposito etiam, quod Apostolorum Prophetarumque successores sint Prædicatores: partium mearum (ut dixi) est hodie vos ad convivium similiter invitare, excusationemque dissuadere, ne consilio hoc contempto, venire nolendo damnationem incurratis. Verùm si convivium est de gloria, quâ temeritate ego de magnificentia, de gaudiis, summisque in eo deliciis, à Deo præparatis, illis, qui digni fuerint percipere, loqui præsumam? Ex Prophetis & Apostolis, qui vocârunt ad gloriæ convivium invitatos, duo tantùm illam fuêre contemplati. Unus illam eminùs vidit constitutus in terra, scilicet Isaias: alter verò cominùs eam vidit raptus in cælum, qui fuit S. Paulus. Et quidnam uterque vidisse se dixit? Uterque ineffabile id esse concorditer asseruit. Beatæ quippe patriæ illius bona & felicitates adeò à nostris, quibus nomen idem tribuimus, adeò sunt diversa, ut sine modo & mensura, omnium sensuum nostrorum capacitatem, potentiarumque nostrarum sphæram naturalem transcendant. Si igitur in iis, quæ beatitudinem concernunt, Prophetarum illuminatissimus

mus Isaias; in iisdemque Apostolorum omnium expertissimus S. Paulus, quid viderint, exprimere nesciunt; ecquid ego, de eo quod nec vidi, nec videre mereor, dicere possum? Verùm ulterius. Quando primi Regis servi, scilicet Prophetæ, vocarunt invitatos, inquit Textus: *Nolebant venire*; & quando servi secundi, scilicet Apostoli, eos vocarunt, similiter inquit Textus, eos non curâsse: *Illi autem neglexerunt.* Si igitur vocati, nec omni Prophetarum eloquentia, nec omni Apostolorum sermonis efficaciâ fuêre persuasi, quibusnam ego argumentis demonstrationibusque efficiam u intelligatis hoc, quod illi non intellexerunt? Ut velitis, quod illi noluerunt: ut æstimetis, quod illi despexerunt; ut denique consequi adlaboretis, quod illi bina vice rogati non admiserunt?

Matth. 22. v. 3.

Ibidem v. 5.

§. III.

HAnc ob causam, Fideles, omnibus aliis dimissis hodie scripturis, Evangelio solo nudè & siccè considerato, vestram fidem, illiusque gratiam probaturus adsum. Omnibus aliis in Scripturis vix divisim inveniuntur posita, quæ Christus Dominus noster præsenti in Evangelio conjungit, ut iis nos informet totaliter comprehendere gloriam, ad quam nos invitavit. Proponit gloriam istam sub metaphora convivii, in quo grossiores etiam sensus majore valent acumine: tresque notabiles, quas in ipso considerat, à nobisque considerari vult, circumstantiæ sunt istæ: Prima, quis istud instituit; secunda, pro quo; tertia, quanti ipsa constiterit institutio.

Rex hujus gloriæ convivii author: *Qui fecit nuptias*, est Deus. Quod sic concorditer intelligunt omnes PP. & expositores: Et si Deus convivium hoc fecit: *Qui fecit*; quam incomprehensibiles cælestis hujus mensæ erunt dilicie, quam paravit, & in conspectu suo idem ipse Deus, non solùm ad supremæ majestatis magnificentiæque suæ ostentationem, sed ut æternum beatos redderet accumbentes in ea, collocavit! omne quod hoc casu imaginationis exaggerationisque capax est, immensi illius verbi significato includitur: *Qui fecit*; Convivii hujus author, infinita est sapientia; institutor hujus infinita est omnipotentia; hujus apparator, liberalitas est infinita, amorque infinitus. Quidnam igitur erit, quod fecit? Philosophi fidei lumine destituti, per inferioris hujus mundi creaturas, conditorem earundem cognoverunt esse Deum. Nos fidei dono præditos argumentari oportet è contrario: & quoniam rerum cælestium sub conspectum non cadentium Authorem novimus Deum, hinc argumentari & inferre debemus, quales illæ futuræ sint. Verùm istud non considero, profundior Textus nostri est fundus.

Simile est Regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Homo iste Rex, juxta dicta in principio, est Deus Pater, qui fecit nuptias Filio suo, quando illum desponsavit, & naturæ copulavit humanæ. Si igitur est Deus Pater, quomodo vocatur Rex Homo: *Homini Regi?* Quod Rex appelletur ad significandam Majestatis ejus supereminentiam, potentiæque ipsius magnitudinem, transeat: sed Rex homo, improprium quid, & inconveniens sonare videtur;

Pater

Pater quippe æternus, quantumvis hominem fecerit Filium suum, nec se hominem fecit, nec homo factus est. Dicat igitur parabolo: *Simile est Regnum cælorum Regi*; & non: *Regi homini*; cùm non sit homo, Rex de quo loquitur; & si Regem hunc ab aliis intendit discernere, dicat: Regi Deo, & non, Regi homini: *Homini Regi*. Sic quidem oporteret esse, si parabola de convivio non ageret Gloriæ: Verùm, quia de convivio est Gloriæ; cùm æternus Pater, Deus sit & non homo, nihilòseciùs homo vocatur & non Deus; nam in convivii hujus magnificentia, pro majore ejusdem splendore & gloria, Deus non ut Deus, sed velut homo est operatus. Agedùm, videte. Homo suam ostentaturus magnificentiam & gloriam extremum facultatis & virium suarum exerit & impendit; Deus verò quamvis ostendere veller, quantum posset, id non potest. Ratio nobis sufficiens, cæteris missis, valde est clara. Quemadmodum enim Deus est omnipotens, quantumcunque fecerit, potentia illi semper ad plus faciendum restat. Et si faceret quantum potest, exinanitâ suâ omnipotentiâ, non existens omnipotens, desineret esse Deus. Isto igitur modo & methodo illâ Deus semper in aliis operatur rebus, in quibus minus semper facit quàm potest; plusque potest quàm facit: in Gloriæ verò convivio, extremum potentiæ suæ exerit operans tanquam homo, neque plus præstare potest. Quare? Quia ad gustandum, percipiendumque præbet seipsum. Immensa ejusdem Dei gloria, quâ solâ comprehenditur, in quo consistit? In sui ipsius visione, amore, delectationeque consistit. Ipse idem igitur Deus summumque Bonum, est quod Deus videt, nosque visuri sumus: illud ipsum quod Deus amat, est hoc quod nos amamus, est idem quo fruitur & delectatur, est quo nos gaudemus & fruimur in Gloria: eadem enim & ipsi & nobis est mensa, in Gloria, & istud Rex iste Deus fecit, quasi Rex homo fuisset: *Homini Regi, qui fecit.*

Nihilominus opponet aliquis, non sufficere tantùm, quod Deus ut homo in Gloriæ magnificentia operetur, siquidem homines magnificentiam suam ostentaturi, non tantùm faciunt quod possunt, verùm & ultrà vires aliquid facere attentant. Videmus Reges-homines, qui profusis thesauris, vel minores illos suâ magnificentiâ cognoscentes, tributis gravant subjectos, ut sic ostentationem suæ magnificentiæ adæquent. Et homines non Reges idem æmulantur, & ideò in festis unius diei sese pro tota oppignorant vita, exhæredantes & depauperantes omnem suam progeniem. Ut ergò Deus in magnificentia convivii gloriæ operetur ut homo, non solùm quod posset, sed etiam ultrà quod posset, operari deberet. Ita planè se res habet, & ita re bene consideratâ, Deus facit. Tantum ut homo in gloriæ convivio Deus operatur, non solùm totum quod potest, sed etiam ultrà quod potest, facit; facit enim, ut illa in gloria fruamur eo, quod ille facere nequit. DEUS creaturas, hasque magis magisque perfectas in infinitum producere potest: plures & meliores potest condere mundos; plures melioresque potest creare cœlos: sed facere seipsum, vel alium sibi æqualem facere nequit: quia nec ipse se fecit. Et istud quod Deus non fecit, nec facere potest, facit ut nos in convivio gloriæ fruamur; cùm Deus ipse præcipuum

mensæ illius divinæ bellarium existat. In textu nostro id habemus.

Quando Rex secundâ vice servos suos vocatum invitatos misit, hac invitationis usus est formâ, ut venirent ad nuptias, quia convivium esset præparatum: *Ecce, prandium meum paravi, venite ad nuptias.* Et suppositâ hâc nuptiarum distinctione, in quantum nuptiæ, & in quantum prandium, seu convivium vocantur, valde considerandum est, textum dicere, Regem fecisse nuptias: *Qui fecit nuptias filio suo*; de prandio verò seu convivio non inquit Rex, quod illud fecit, sed quod præparavit: *Ecce, prandium meum paravi.* Quare ergò non etiam dicit, quod prandium sive convivium fecit, sicut dicit, quod nuptias fecerit? Quia nuptias Deus fecit, convivium verò non fecit, sed tantùm præparavit. Nuptiæ Verbi significant incarnationem: convivium verò gloriam significat Beatorum: Incarnationem Verbi fecit Deus, fecit enim Humanitatem hypostaticamque unionem: gloriam autem Beatorum non fecit; objectum enim gloriæ, & id, quo Beati in ea fruuntur est ipse Deus, & Deus nec se fecit, nec facere potest. Idem autem convivium, quod non se fecisse dicit, altissimè se præparâsse affirmat: supernaturalitèr enim elevando intellectum, quo illud videmus: isto sic lumine, gloriæ lumine vocato, illud præparat capaces & idoneos nos reddens ad fruendum illo & gaudendum. Ita ut convivium gloriæ totum, quod possibile, & plus quàm possibile est Deo contineat. Ex parte objecti, quod est Deus visus & gustatus seu perceptus, plus continet, quàm Deus facere potest: nam seipsum facere nequit: ex parte subjecti, quod est Beatus Deum videns, eoque fruens, totum continet, quod Deus facere potest: Deus quippe plus facere nequit, quàm elevare creaturam, ut ipsum videat, eoque fruatur, uti est: proinde hoc verificatur modo, in convivio gloriæ, Deum operari, quasi esset homo non solùm totum quod potest; sed plus quàm potest.

Enim verò quid amplius faciunt homines magnificentiam suam ostentaturi? Non sufficiente ad hoc proprio suo, mutuum accipiunt quod non habent, & partim suo proprio, partim commodato, operis magnificentiam confirmant. Istud ultimatè faciunt homines, idemque similiter facit Deus operans quasi homo, *homini Regi.* Homo spiritualibus animæ oculis elevatis videre potest Deum: corporeis verò oculis, elevationis talis incapacibus illum videre nequit. Quid verò fecit Deus, ut homo non animâ solùm, sed etiam corpore, integrè ipso frueretur in convivio Gloriæ? Hoc fecit, quod à natura humana commodatò acciperet corpus, quod non habebat, & ineffabili hoc modo divinitatem uniendo humanitati; idem convivium Gloriæ, pro objecto habens Deum: non tantùm evaserit divinum, sed divinum simul & humanum: divinum, ad beatificandum hominem in anima; & humanum, ad beatificandum illum in corpore. Profundissima S. Cypriani est consideratio: *Deus homo factus est, ut homo haberet in Deo unde fieret plenè beatus: in anima, videndo divinitatem; in corpore, videndo humanitatem.* S. Cyprian. Cùm homo ex anima & corpore constet; si tantùm Deum videret oculis animæ ex dimidia tantùm parte, & non ex toto foret beatus: & quasi Deus hanc

Epi-

Epict. Epicteti consideraret sententiam: *Hoc inter epulandum considera, duos tibi excipiendos convivas, corpus & animam.* Videns quod in quolibet homine, suæ assidere debeant mensæ invitati, unus, scilicet anima; alter, scilicet corpus: ut uterque gaudio gustuque percepto, proportionatam capacitati suæ haberet satisfactionem. Hunc in finem, inquit Cyprianus, Deus humanâ assumptâ naturâ, corpore se vestivit, quod non habebat, hominem se faciens, ut homo oculis animæ in ipso Deo divinitatis, oculisque corporis humanitatis visione fruendo, integrè foret beatus: *Ut homo haberet in Deo unde fieret plenè beatus.* Angelis, qui puri sunt spiritus ad beatitudinem plenam sufficit, Dei videre divinitatem; homini verò ex corpore spirituque composito idipsum non sufficit: Hinc etiam hoc non sufficiente Deo; ut nos plenè faceret beatos in convivio Gloriæ naturâ Divinâ, quam habebat; à natura mutuatum assumpsit humana quod illi deerat: & hoc pacto magnificentiæ suæ mensuram seu immensitatem implevit, non solùm sicut Deus, sed sicut homo operando: *Homini Regi, qui fecit.*

§. IV.

DEclaratâ Gloriæ magnitudine ex parte factoris ipsius; consideratio sequitur secunda, & adhuc major (si major esse potest) in qua videamus & expendamus, pro quo, seu cui sit facta. In illa consideratus est author operis, qui est Pater; in hac consideratur motivum, quod est Filius: *Fecit nuptias Filio suo.* Quis verò infinitam supremi hujus motivi excellentiam declarare sufficiet, quam solus ipse Pater comprehendit? Sublimissima ingenia realitatem convivii Gloriæ investigare volendo, ex eis quæ videmus & experimur in terra, conjecturam hoc quod erit in cœlo. In terra Deus mensam instruxit hominibus, & est res tam gratiarum actione, quàm admiratione digna, quod è sex diebus, quibus mundum creavit, tres potiores fœcundioresque huic tantùm instruendæ mensæ impenderit: Quantumcunque in mari natat, quantumcunque in aëre volitat, quantumcunque in terra nascitur & vegetatur, simplicia producuntur à natura, ut ars ex eis temperaret conficeretque cibum delitiasque homini. Contentæ sub quatuor hisce generibus species, tam variæ pulchritudine; tam exquisitæ sapore, & numero infinitæ, gustûs sensuumque, aliorum capacitatem excedunt in immensum. Et quænam, quæso, non obstupescat ratio potentiam & magnificentiam, quâ Deus magis excitare velle videtur appetitui humano ex mensæ superfluitate fastidium, quàm necessitatem fatiare copiâ? Hinc tria infert S. Augustinus locum cum loco, tempus cum tempore, personasque conferendo cum personis: *Si tanta facis nobis in carcere, quid ages in palatio? Si tanta solatia in hac die lachrymarum, quanta conferes in die nuptiarum? Quid habit eis quos prædestinavit ad vitam, qui hæc dedit, etiam eis, quos prædestinavit ad mortem?* q. d. Si Deus tantas paravit delitias pro exilio & carcere, quid erit in patria & palatio? Si sic nos pascit & tractat in tempore lachrymarum, quid erit in die nuptiarum? Si omnia ista condidit, etiam pro inimicis in inferno arsuris, quid erit pro amicis, ipso semper gavisuris & fruiturus in cœlo? Differentiam hanc expendit, & hunc in modum argumentatur & conjecturat S. Augustinus. Verùm sublimis S. Aug.

mis ipsius judicii ingeniique pace, seu sine illa; excessus, quem noster Textus evincit, infinitè major est. Non de loco ad locum, nec de tempore ad tempus, neque de statu ad statum, vel de personis ad personas comparationem format, licèt nonnullæ tam sint indignæ, veluti præsciti: *Quos prædestinavit ad mortem*; aliæ verò tam dignæ, veluti prædestinati: *Quos prædestinavit ad vitam.* Sed ab omni abstrahendo comparatione (quia non est, nec datur) dicit, quodnam futurum sit convivium, quale illud nuptiarum Filii sui erit: *Qui fecit nuptias Filio suo.* Penset hoc, qui supremam majestatem dignitatemque Filii, cujus nuptiæ celebrantur, qui tam est infinitus, tam immensus, divinitate Patri suo æqualis, ritè ponderare noverit; & hinc qualitatem futuri convivii concipiat: omnis enim alia consequentia, seu conjectura, de hominibus quibusdam ad homines alios facta, quantumcunque amici, quantumcunque chari, quantumcunque grati, & in gratia constituti, quantumcunque sancti, & digni sint, supernæ isti mensæ assessuri; ne vel in minimo magnificentiam ejus attingunt, nedum adæquant.

Verùm enim verò, erit fors quispiam existimans (motivo aliquo ex ipso nostro Evangelio persuasus) magnitudinem magnificentiamque convivii gloria non filii, sed invitatorum dignitate esse metiendum. Quod Rex ipse insinuasse videtur, quando illi venire noluerunt: *Sed qui invitati erant, non fuerunt digni.* Non illos ingratos, inurbanos pro merito appellavit, sed tantùm dignos non fuisse inquit. Et quinam digni sunt, seu indigni gloriæ convivio? Digni sunt illi, qui bonorum operum meritis ornantur; indigni verò, qui illis carent. Neque hinc sequitur, indignos illos, ut venirent ad convivium, etiam invitatione ad idem fuisse indignos; qualitas enim dignificans ad vocationem in excellentia fundatur naturæ rationalis, ad videndum Deum elevari capacis: qualitasque dignificans ad eum videndum, eoque fruendum in gloria; in voluntatis dispositione, bonorumque operum merito fundatur. Et hinc venit, ut cùm convivium sit idem, alii minùs eo fruantur, pro majore minoreve cujusque dignitate, id est, pro majore minoreve merito, quo se dignos faciunt. Si igitur portio graduve gloriæ (quem non nisi titulo præmii nobis obtingere Deus voluit) si, inquam, portio hæc seu gradus metitur, vel metietur in cœlo meritis hujus vitæ; & meritum humanum, quantumcunque magnum & heroicum, exiguum semper est & limitatum, ipsa Regis sententia, quâ invitatos indignos fuisse pronunciat, non solùm dignitatem ipsis denegat, sed illam etiam convivio imminuit: commensuratum enim meritis quamvis dignorum & valde dignorum, semper erit limitatum.

Matth. 22. v. 8.

Bene sic inferretur, si Deus nobis amore nostri convivium apparâsset; sed Evangelium negatâ consequentiâ contrarium probat: dicit quippe, Regem illud invitatis non ipsorum, sed Filii amore præparâsse: *Fecit nuptias Filio suo.* Edicite mihi. Nato seu desponsato Principe primogenito, nunquid instituuntur aguntur que festa regalia, magnificentiâ, gloriâ, & pompâ maximâ apparatuque possibili? Ita planè. Omnis iste labor, cura, & apparatus cuinam commensuratur; populine ea spectaturi, iisque gavisuri merito, an Principis dignitate & excellentiâ, pro quo

fiunt?

fiunt? Extrà omnem controversiam est, quod dignitate magnificentiâque Principis. Eadem res est cum convivio cœlesti. Gloriæ beatitudinisque magnitudo, quâ gaudebimus, non meritorum nostrorum, quæ limitata sunt, augustiis, sed meritorum dignitatisque Principis immensitate metitur. Merita nostra in meritis tantùm ipsius fundata, ad habendum in convivio ipsius locum meliorem nos tantum habilitant, veluti hîc in festis aliis digniorem, alii inferiorem locum occupant. Verùm visio fruitioque absoluta, magnitudove visi aut fruiti, non nostris, sed Christi meritis metitur: deficientibus enim meritis Christi, qui prædestinationis nostræ causa existit, nemini gloria concederetur.

Agite, nunc considerare vobis libeat infinitam Principis in nuptiis desponsati magnificentiam, & hinc argumentando inferre licebit convivii pro eis instituti excellentiam. Sic illud Rege dignâ Rex ipse declaravit energiâ. Mandando servis secundis dixit: *Ecce, prandium meum paravi, venite ad nuptias.* Notate, non dixit: paratum est prandium, venite ad prandium; sed: *Prandium meum paratum est, venite ad nuptias.* Et quare? Quia ipsæ nuptiæ, eò quod essent, cujus erant, qualitatem prandii conviviique magis extollebant. Quasi diceret, cùm semel nolueritis venire ad prandium, sine dubio, quia quale esset, non intellexistis: ut vos noluisse venire pœniteat; tantoque veniatis desiderio, quantâ promptitudine, advertite & considerate, quale sit prandium & conviviam, quoniam pro nuptiis Filii mei est adornatum: *Venite ad nuptias.* Si pro vobis factum esset convivium, vilipendere illud posseris; verùm cùm pro Filio Regis sit factum, eidemque cum eo mensæ vobis sit accumbendum, quomodo vos excusare potestis? Hoc modo, sublimiore primisque magis adæquatâ consideratione idem S. Augustinus concludit: *Ubi erit Unicus ejus, ibi erunt & illi: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Non jam Augustinus de terra argumentatur ad cœlum, nec in ipso cœlo cum merito dignitateque electorum pro gloria: neque cum gratia & amore, quo illos elegit: non dicit invitatos accubituros cum Patriarchis, Apostolis, & Martyribus tantâ passione tantum Promeritis: neque cum Angelis & Archangelis, aliisque supremis beatorum Spirituum Hierarchiis; nec denique quod cum ipsa Dei Matre locum tenebunt, sed cum Filio: *Ubi erit Unicus ejus, ibi erunt & illi;* Istud enim primarium est argumentum, & hæc adæquata magnificentiæ convivii mensura: idcircò sub novâ confirmatione Canonicâ adjungit, quod eo gaudebimus & fruemur non tantùm sicut hæredes Dei, sed sicut hæredes Christi: *Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* S. Augustinus differentiam exaggerat, prærogativamque æstimat, quod ad convivium gloriæ intremus potiùs sicut cohæredes Christi, quàm sicut hæredes Dei. Quam verò ob causam? Non ob aliam (alia enim esse nequit) quam toto hoc consideramus discursu: intrare enim ad convivium tanquam Dei hæredes, declarat à Deo tantùm esse factum: intrare autem tanquam cohæredes Christi, prærogativam adauget, non solùm à Deo, sed à DEO, & simul pro Filio ipsius factum esse innuendo: *Qui fecit nuptias Filio suo.*

Matth. 22. v. 4.

S. Aug.

§. V.

ENim verò si binæ istæ considerationes necdum sufficiant ad persuadendum nobis ex toto, ad tertiam & ultimam, quæ præteriti nequit transeamus. In prima vidimus authorem; in secunda motivum; in hac vidimus pretium. In prima author omnipotens, qui convivium fecit: in secunda motivum immensum, cur & quare factum: in hac tertia pretium infinitum, quo illius institutio constitit. Porrò si consideratio prima ex sua fuit magnitudine incomprehensibilis, & secunda incomprehensibilis magis: hæc admirationem & exaggerationem in tantum superat, ut quasi fidem excedat. Dicet (& quidem rationi convenientissimè) fides quod omnipotenti, nihili constet operari, quod potest. Quanti igitur omnipotenti constare poterat istud apparare convivium? Ipse omnipotens, qui Rex est convivii institutor id dixit. Videns invitatos se excusare, misso secundo nuncio expensas factas voluit invitatis intimari: *Tauri mei & altilia occisa sunt,* Matth. 22. v. 4. *& omnia parata, venite ad nuptias.* Nunquid igitur pro gloriæ convivio quippiam occisum est? Imò verò, nec aliquid minus, quàm Filius Dei. Nisi Christus fuisset occisus, nemo filiorum Adam in gloriam intrare potuisset, quia terrestri in paradiso jus perdidimus, quod habebamus in cœlum, & per gulam unius boli à convivio remansimus exclusi. Mortuus igitur Christus infinitum Sanguinis sui pretium profudit, quod fuit impensum, ut denuò compararetur & præpararetur quod pro tam vili fuerat perditum. Agitè, ponderate si potestis, mortis istius pretium, Sanguinis istius numerate guttas, quarum quælibet plus valet, quàm infiniti mundi, & sic aliquo modo incomprehensibilem illius poteritis investigare valorem, quod eo comparatum est. Mundus hic ita nobis oculos cordaque surripiens, tot tantaque authoris sui potentiâ & liberalitate digna continens oblectamenta, nonnisi voluntatis ipsi constitit acino. Porrò si pretiosiorem multò mundum condere vellet, in quo terra foret aurum; maria & flumina, argentum; rupes, adamantes; arenæ, uniones; plantæ, smaragdi; flores, saphiri; fructus saporesque hisce divitiis & delitiis attemperati, altero voluntatis suæ acino, minoreque tempore quàm momento unico, ex nihilo creare posset. Quis valor illius fuerit boni, vel bonorum omnium compendii, quod Deo tam justo quàm potenti non minoris constitit, quàm Filii sui morte & Sanguine? Sed verba Patris profundis gravida mysteriis, quibus istud magis declaratur, ponderemus.

Tauri mei, & altilia occisa sunt; Primò asserit Rex, tauros & altilia convivio præparando fuisse occisa. Enim verò, quinam tanti, vel quæ altilia sunt ista? Jam notum est, quod in parabola sunt, quod sonant; & in sensu ejus, quod significant. Cùm igitur utraque Christum mortuum significent, prout omnes loquuntur interpretes: Tauri, quia animalia sunt terrestria, humanitatem, & altilia cœlestia, divinitatem Christi designant. Et quamvis divinitas sit immortalis, de utrisque nihilominùs dicitur, quod sint occisa; *Tauri mei & altilia occisa sunt.* Quia sicut natura humana & divina in una est hypostasi unita, non tantùm mortuus est Christus quà homo, sed etiam veraciter Deus mortuus dicitur. Neque

sine

sine consideratione transmittendus est modus, & expressa distinctio, quâ Rex hoc casu locutus est: tauros quippe vocat suos, sed non aves: *Tauri mei, & altilia.* Si igitur Rex est Deus, Dominus omnium, quare suos vocat tauros, aves verò minime? Ob eandem quam diximus rationem. Deus dominum in humanitatem habet, non verò in Divinitatem Christi dominium habet, nec habere potest, quia idem est Deus: & sicut tauri, in ineffabili compositio Christi, significant id quod habet humanum, & aves seu altilia, id quod habet divinum; propterea Rex, qui Deum refert & designat, tauros vocat suos, aves verò minimè: *Tauri mei & altilia.* Quasi nobis diceret: humanum quod est in Christo meum est; divinum non est meum: Ego sum. Illa denique verba: *Occisa sunt*, quæ non quamcunque, sed violentam, quamvis tauris & altilibus convivii propriam mortem significant; Rex illam quòque singulari mysterio & energiâ dixit; quia talis Filii sui mors extitit; quâ nobis Deus convivium gloriæ præparavit: non mors naturalis (quæ sufficisset) sed omninò violenta; & non sanguine in venis concreto, sed ex eis profuso. In ipso Textu casum totamque ipsius historiam singulariter descriptam habemus.

Quando Rex missis servis secundò invitatos venire madavit, quidam eorum eò insolentiæ & insaniæ sunt progressi, ut non solùm venire abnuerint, verùm regios servos apprehensos magnis affecerint injuriis, tandemque occiderint: Matth. 22. v. 6. *Reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.* Servos mandati secundi bajulos, jam diximus designâsse Apostolos. Invitati, qui apprehenderunt illos, qui contumeliâ affecerunt & occiderunt, nullum est dubium, quin civitatis Jerosolymitanæ incolæ fuerint, qui non tantùm quibusdam eorum vitam eripuerunt, verùm etiam ipsi Apostolorum Apostolo Christo, de quo specialiter Textus loquitur. Ex multis hoc probatur principiis. Primò, quia Christus propriè & specialiter Israëlitico populo venit Apostolus, quod ipsemet asseruit. Secundo, quia Rex, qui mandata direxit, erat Pater æternus, & Christus immediatè missus à Patre; sicut & alii Apostoli immediatè à Christo. Matth. 15. v. 24. Tertiò, quoniam de Christo proprietate omnimoda verificatur, fuisse comprehensum, contumeliis affectum, crudelissimeque occisum: *Tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.* Nihil obstat nomen *Servi: Servos ejus*; quia non obstante quod Theologorum nonnulli sibi præservârunt, quod Christus quâ Deus non potuerit dici servus; certum est, quod, quâ homo, veraciter & propriè fuit servus Dei, & sic potest vocarique debet: quemadmodum post S. Thomam, doctè fusèque probat Suarez.

Denique ut evidentissimè constet, quod Textus noster ad literam de morte loquatur Christi; progreditur historia dicens, quod Rex cognito, quod homicidæ illi patrârant, misit exercitûs ad puniendum, qui non tantùm illos occiderunt & deleverunt: sed ipsam insuper civitatem eorum demoliri flammis exusserunt: *Missis exercitibus prædidit homicidas illos, & civitatem eorum succendit.* Matth. 22. v. 7. Quinam verò illi à Deo (qui Rex erat) missi fuêre exercitus, & quænam ab eis igni tradita civitas? Sanctus Hieronymus inquit: *Per hos exercitus Romanos* S. Hier.

manos intelligimus, sub Duce Vespasiano & Tito, qui occisis Judæa populis, prævaricatricem incenderunt civitatem; In justam scilicet necis Christi ultionem. Idipsum ad moriendum jam pergens, & multò ante prædixerat Christus. Et quoniam mors illa tam violenta in Jerusalem fuit obita: eodem momento ipsa portas aperuit cœli, istudque infinitum pro convivio gloriæ expensum fuit pretium. Ea propter invitatis Rex dici mandavit expensas jam factas, tauros que & altilia jam esse occisa: *Tauri mei & altilia occisa sunt.*

Verùm hîc notanda jam venit admirabilis, primum inter & secundum mandatum differentia. Primâ vice Rex tantummodò vocatum misit, ut venirent invitati: *Misit servos suos vocare invitatos ad nuptias.* Secundâ vice non solùm vocare jussit, sed addidit, prandium sive convivium jam esse paratum, necessariaque omnia jam impensa: *Dicite invitatis: ecce, prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata.* Si primi servi hæc non denunciarunt, quare illud fecêre secundi? Et si his dicendum erat, & dixerunt, prandium jam esse paratum, quare idem non dixerunt primi? Quia neque hoc veraciter dicere poterant, neque Rex mandare poterat, ut dicerent. Primi servi, ut vidimus, fuerunt Prophetæ: secundi, Apostoli. Prophetæ incarnationem mortemque Christi præcesserunt; Apostoli verò sunt subsecuti: quia verò mediante Christi morte apertum est cœlum eousque clausum: paratumque convivium eousque tantùm promissum; hinc servi primi neque dixerunt, neque dicere potuerunt convivium esse paratum: secundi verò illud dicere potuerunt. Quam ob causam in lege veteri, convivio gloriæ digni in limbum descendebant expecturi; in lege verò gratiæ nunc eâ digni mox in eam intrant eodem fruituri & gavisuri.

Porrò ne ultima mandati clausula sine ponderatione transeat, quâ Rex omnia parata contestatus est: *& omnia parata*; dixit, *Omnia.* Quicquid enim homo desiderare, & Deus dare potest, in hoc gloriæ convivio comprehenditur. Verùm non hoc considero: sed quod pondero, est, quod cùm dixisset in principio: *Ecce, prandium meum paravi*; in fine iterùm repetat: *& omnia parata.* Si dixerat prandium suum jam paratum, quare omnia parata esse, repetit? Quia ultimæ clausulæ præmiserat mentionem illorum, quæ ad parandum convivium mortua fuerant; ante primam verò non itidem: ad cognoscendum verò quid sit aut esse possit Gloriæ convivium, non adeò considerationem movet & æstimationem exaggerat, quod Deus illud suum compellet: *Prandium meum*; quantam de eo, quod intelligatur, quod constiterit morte Dei: *Tauri mei, & altilia occisa sunt*; ideoque mox subjungit: & omnia parata. Multò enim magis magnificentia extollitur convivii cognitio pretio, quo constitit quàm hoc ipso, quod sciatur, cujus sit. Est Dei, morteque Dei constitit: multò igitur magis magnificatur pretio, quàm authore; Deus enim, qui illud fecit quà omnipotens, plus minusve facere potest; idem verò Deus, qui illud solvit quà justus, nequit dare minus hoc ipso quod majoris est valoris. O DEUS semper incomprehensibilis, nunquam verò ita, sicut in hoc mysterio! cùm Pater sit, qui nuptias fecit, & Filius

despon-

desponsatus: quod filio sit moriendum, ut Pater pro nuptiis convivium adornet? In hac admiratione consideratio sistat, hinc enim abire nequit.

§. VI.

EVangelium semetipso magnificentiam nobis convivii Gloriæ demonstravit, per authorem, per motivum, & pretium ejus: Omnia infinita. Infinitus, qui fecit; infinitus, pro quo factum est; & infinitum, quo ipsum fieri constitit. Sed ad punctum devenimus, in quo ipsum Evangelium totum nobis evertere & destruere videtur, quod ex illo hucusque peregimus. Invitatis ad primum secundumque nuncium venire renuentibus, jussit Rex vocari alios, quibus jam mensæ accumbentibus, ut eam Rex majestatis
Ibidem v. 11. suæ præsentiâ honoraret: *Intravit, ut videret discumbentes.* Nihil festivum sine aliquo incongruo: & ita hîc accidit. Rex inter alios, hominem convivii majestati, non convenienter satis vestitum vidit: præsumptionem & inurbanitatem admiratus, ministris suis mandavit, ut manibus pedibusque ligatum carceri manciparent.
Ibidem v. 12. Verba Regis fuerunt ista: *Quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Vestis nuptialis, juxta omnium PP. Expositorumque Catholicorum sententiam, est gratia Dei. Sine gratia Dei (est de fide) nemo regnum cælorum intrare potest: ergo convivium, de quo hucusque locuti sumus, non est, nec esse potest convivium gloriæ. Ulteriùs. Gloria & cælestis beatitudo ex sua propria natura perpetua est & æterna, aliàs enim non esset beatitudo; & semel ingressus in gloriam, egredi, eâque privari nequit. Homo iste ingressus mensæque accumbens sine veste nuptiali, à convivio fuit ejectus; ergo convivium istud non est illud gloriæ.

Argumentum istud tam est validum, ut solum divinissimum altaris Sacramentum, tam veram, quàm admirabilem, huicque diei tam propriam, quàm veram ejus nobis dare possit solutionem. Respondeo, eandem mensam in principio continuatioque parabolæ, convivium fuisse Gloriæ: ast in ejusdem parabolæ fine, ad quem jam pervenimus, est convivium Sacramenti. Et quoniam ad Sanctissimi Sacramenti mensam magnâ præsumptione, & cum peccati mortalis conscientia (quod solus Deus, aliis ignorantibus, novit) sacrilegè quidam accedere possunt; hinc Rex, qui est Deus, quempiam assidentium, uti reliquos, veste gratiæ non indutum vidit: *Et vidit ibi hominem, non vestitum veste nuptiali.* Ibidem v. 11. De nolentibus venire ad convivium, quà Gloriæ convivium non dignos fuisse Rex asserit: *Qui invitati erant, non fuerunt digni*; ad cæleste quippe convivium nullus nisi dignus intrare permittitur. Ad convivium verò terrestre, quod est Sanctissimum Sacramentum, etiam indignus admittitur. Proinde Rex, cujus solius oculi vident penetrantque conscientias assidentium, quendam mensæ, non indutum veste nuptiali vidit: *Non vestitum veste nuptiali.*

Discrimen differentiamque omnes videre conspicio propriam valdè & accommodatam. Verùm dubitare simul de suppositione ejusdem, meque interrogare, quasi intueor, quomodo esse potest aut poterat, quod eodem die, eâdemque in parabola Christi, eadem mense, idem-

que convivium, quod in convivio Gloriæ cœpit, in Sacramenti convivium desineret? In hoc difficillimum versatur punctum. Sed ecce, quomodo naturaliter sic fuit: aliterque esse non potuit Convivium illud prandium esse debuit: sic enim illud Rex appellavit: *Ecce prandium meum paravi*; Et quia invitati ad primum nuncium venire recusârunt, secundosque mitti necessarium fuit, ubi plus responsum, apprehensiones vocantiam, injuriæ ac homicidia invenerunt; cum istis tergiversationibus, non in ipsa Regis aula, sed alia, quam textus innuit, civitate factis, horæ prandii transierunt. Quo facto Rex exercitus suos expedivit atque ad puniendos invitatos, rebellemque succendendam civitatem misit, in quo multo plus temporis fuit consumptum. Alii demum sunt vocati, qui invitatorum loca occuparent: nec hi simul ad palatium Regis sunt deducti, sed eodem mandante Rege, in extremis civitatis viarumque seu platiarum exitibus sunt quæsiti: *Ite ad exitus viarum*; Hisce solicitudinibus, curisque morosis, quamvis celerrimè peractis, reliquum diei necessariò fuit insumptum; consequenterque convivium celebratum nocte seu vespere: & sic non prandium, sed cœna fuit. Et quia cœna & non prandium fuit, & eadem erant bellaria: hinc etiam, quod convivium erat Gloriæ, in convivium transiit Sacramenti.

Enim verò, quænam est, aut fuit hujus adeò notabilis mutationis ratio? Hæc clara est & manifesta; inter beatitudinem quippe in cælo, & inter Sacramentum in terra aliud non est discrimen, neque alia differentia de convivio ad convivium, nisi unum esse de die, & alterum de nocte; unum cum luce Solis, aliud cum lumine candelæ; unum cum lumine gloriæ, quod est clarum; alterum cum lumine fidei, quod est obscurum; unum cum fruitione & visione, alterum cum fruitione sine visione. Nonne certum est eundem Deum, quo gaudemus fruimurque in cælo, esse etiam in Sacramento? Sic. Nonne similiter certum est, eundem Deum ibi videri, hîc verò non? Etiam: ista igitur sola est differentia inter convivium Gloriæ in cælo, & hoc Sacramenti, in terra. Gloria est Sacramentum cortinis remotis; Sacramentum est Gloria, cortinis oppansis. Ibi Deus comeditur expositus & detectus; hîc comeditur tectus & inclusus. Si hodie mensæ accumbentium eidem, quidam fuissent cæci, quidam videntes, quænam differentia fuisset inter utrosque? Videntes comedissent videndo quid comederent; cæci verò non viderent, quid comederent; sed eadem cum cæteris comederent bellaria. Idem nobis evenit in comparatione cælestium beatorum. Illi comedunt & vident; quia comedunt de die: nos comedimus & non videmus, quia comedimus de nocte. Verum est, quod, quamvis comedamus de nocte, tamen ad lucem comedamus candelæ, quæ est lumen fidei; huic verò lumini ea est qualitas, ut certificet, sed non ostendat; si enim, quod certificat etiam ostenderet, jam non esset fides.

Rex mensæ sine veste nuptiali assidentem apprehendi mandans, dixit: *Mittite eum in tenebras exteriores.* Et quare expresè dixit, *in tenebras exteriores?* Ad innuendum prout verè erat, etiam intus in aula & convivii loco tenebras esse. Tenebræ carceris, quo reum Rex deduci jussit, erant exteriores & deforis: tenebræ Ibidem v. 13.

bræ palatii, ubi comedebant invitati, erant interiores, & intus. Quidnam verò ambas faciebat tenebras? Carceris tenebras loci faciebat obscuritas: convivii tenebras obscuritas faciebat fidei. Ista verò fidei obscuritas id habet excellentiæ, ut tam securos nos reddat de veritate non visi; sicut viso certificat beatos de veritate illius, quod intuentur. Textus inquit, Regem intrâsse, ut videret invitatos: *Intravit Rex, ut videret discumbentes*; notatque Abulensis, finem intentionemque intrandi fuisse: *Ut lætificaret epulantes, cum eis præsentiam suam exhiberet*; Ideſt, ut convivantes præsentiâ suâ exhilararet. Dixit, præsentiâ suâ, non visione, & rectè dixit; quod enim nos lætificat, nobisque satisfacit in convivio Sacramenti, non est visionis evidentia, sed præsentiæ certitudo. Hinc expressè & signanter Textus dicit, intrâsse Regem, non ut videretur, sed videret: *Ut videret discumbentes.* In convivio cæleſti discumbentes videntur à DEO, videntque Deum: in convivio Sacramenti non est visio reciproca, sed unius tantum partis: Deus videt nos, & non videtur à nobis: quemadmodum fides certos nos facit de præsentia, eadem nobis operit visionem.

Abulensis.

Verùm si Rex, ut diximus, æternus est Pater, & quod comedimus in Sacramento Corpus est Christi, quomodo dicitur, quod in hoc convivium Pater intravit? Quia convivium Sacramenti convivio gloriæ non fuisset æquale, nisi in illud etiam Pater æternus intrâsset. Beati non unam tantùm, sed omnes divinas contemplantur personas; vident enim Deum sicuti est, & Deus unus in essentia, trinus est in personis: porrò si in Sacramento tantùm esset corpus & sanguis Christi, & non Divinitas & Persona Verbi, aliæque divinæ personæ, plus in se convivium gloriæ, quàm illud Sacramenti contineret: & tamen certum est, & de fide, quod tantum contineat Sacramentum, quantum omnium gloria Beatorum, & illa ipsius DEI: *Non vi verborum* (ut loquuntur Theologi) sed *concomitanter.* Quamvis vi verborum consecrationis solummodò sit in Sacramento Corpus & Sanguis Christi; quia Corpus illud & Sanguis divinitati sunt unita; & divinitas non per unionem, & identitatem à personis divinis est inseparabilis; omnes etiam personæ divinæ sunt in Sacramento, non velut partes essentiales Sacramenti constitutivæ, sed velut partes, (si ita loqui fas est) illud necessariò comitantes, & intrantes: & hoc verè ac propriè significat, quod Rex, qui est Pater, convivium dicitur intrâsse: *Intravit Rex.*

Et quemadmodum Sacramentum, quantum ad substantiam, est idem cum illo gloriæ: quantum ad magnificentiam, quâ communicatur invitatis, per omnia est simile. In convivio gloriæ distribuuntur bellaria sine divisione; Deus enim est indivisibilis; & idem fit in Sacramento: *Non confractus, non divisus integer accipiur.* In convivio gloriæ Deus totus datur omnibus, & totus singulis; & in Sacramento tantum accipit unus, quantum singuli: *Sic totum omnibus, quod totum singulis.* In convivio gloriæ quantumcunque numero accrescunt invitati, non minuuntur cibaria: & in Sacramento licèt frequens sit accipientium numerus, neque ideò deficit: *Sumit unus, sumunt mille, nec sumptus consumitur.* In convivio gloriæ cùm DEUS sit spiritus,

D. Tho.

non solùm beatos facit spiritus, verùm etiam corpora; & in Sacramento suum nobis Corpus dando Christus, non solùm corporum, sed multò magis spirituum est refectio: *Ut duplicis substantiæ totum cibaret hominem.* In convivio gloriæ videntes Deum transformantur in ipsum; & in Sacramento manducantes Christum, similiter transformantur in ipsum: qui propterea, cum Deus esset, homo factus est: *Ut homines Deos faceret factus homo.* Denique in convivio Gloriæ omnia percipiuntur & gustantur oblectamenta & deliciæ, quæ à divinitate, veluti de fonte, promanant; & in Sacramento similiter eadem gustantur & percipiuntur, omnium enim dulcedo & suavitas ibidem in suo proprio bibitur fonte: *In quo spiritualis dulcedo in proprio fonte gustatur.* Ita illud adstruit & docet Doctor Angelicus S. Thomas, cujus sunt omnes textus citati, & à quo illos accepit & approbavit Ecclesia.

§. VII.

EX omnibus præsenti Sermone jam dictis, Evangelium nostrum sufficienter nobis demonstrâsse videtur, quod convivium, quod prandium esse debebat, in cœnam sit conversum; & in gloriæ convivio incipiens, in Sacramenti convivio desierit. Hoc nobis tantum curandum restat, ut utrumque fructuosum nobis reddamus; & ne tam ingratissimus Deo, tam inimici nobis, tam insensati, omnique velut judicii rationisque usu carentes, ut *illi*, qui binâ vice vocati venire recusârunt. Primum, quod nos animare debet omnes, est noviſſe, quod Deus nos vocat omnes, quodque tam convivium gloriæ, quàm illud Sacramenti, sine reservatione aliqua, personarumque exceptione æqualiter pro omnibus paravit. S. Paschasius notavit, quod idem ipse parabolæ nostræ Rex, quando Filio suo nuptias fecisse dicitur, Rex homo vocatur: *Homini Regi.* Postquàm verò de convivio tractavit, nunquam ampliùs homo est appellatus; quia Reges homines non invitant nisi Principes & magnos: Rex Deus aliter facit, invitat omnes, vocat omnes; omnes suæ mensæ assidere desiderat, sive illæ gloriæ in cælo, sive huic Sacramenti in terra.

Inurbanis istis invitatis ad primam secundamque vocationem venire recusantibus, idem Rex alios inquiri jussit, qui priorum loca occuparent, mandans, ut circumeundo plateas, quotquot invenirent, ad convivium vocarent: *Ite ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* Ibidem v. 9. Sed pro mensa Regis, & in celebritate tam regia, velut illa nuptiarum Principis seu primogeniti, non limitantur qualitates? Non congrua assignantur loca? Nulla titulorum, vel conditionum fit mentio, neque distinguitur inter vocandos & excludendos? Omninò non. Vocate, quoscunque in viis plateisque inveneritis; quemadmodum plateæ & viæ sunt publicæ & communes omnibus, sic etiam mensam meam esse volo: & sic factum est. Textus inquit, quod servi congregârint omnes, quoscunque invenerunt, bonos & malos: *Congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos.* Ibidem v. 10. Isti verò sic quæsiti & collecti ex compitis & viis convivii implevêre loca: *Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* Sed quid sibi vult, Ly, *malos & bonos?* Juxta Gloſſam & Doctores, vult dice-

Gloſſa. dicere: *Cujuscunque conditionis homines, cujuscunque gradus, cujuscunque nationis, cujuscunque officii & fortunæ.* Hebræum & Græcum, magnum & parvum, divitem & pauperem, nobilem & plebeium, Dominum & ſervum, indifferenter omnes, nemine excluſo. Etiam notate, malos anteponi bonis: *Malos & bonos*; Id eſt, ignobiliores nobilioribus: hoc enim vel maximè menſam Dei commendat, honorat & magnificat. Quod eodem in convivio, quæ optimè indolem & naturam ipſius novit, Eccleſia illi decantat: *O res mirabilis! manducat Dominum pauper, ſervus & humilis.* Verùm ſi mihi vel unum mutare liceret adverbium, & verborum invertere ordinem, ſic pronunciarem: *Manducat Dominum pauper, ſervus & humilis? Haud res mirabilis*; id eſt, quod ſervus, pauper, & humilis diſcumbat in menſa Domini, non eſt mirabile: ſi convivium Regis cujusdam terreni foret, admirationem mereretur: verùm cùm Regis ſit cæleſtis, qui creavit omnes, & pro omnibus eſt mortuus, quo pacto diſcerneret in menſa, quos æquales fecit naturâ, pretio, & gratiâ? Hic diſcretiones tales facimus, & ibi earundem vanitatem videbimus. Qualis erit confuſio magnorum, videre cœlum eſſe parvulorum? Et qualis confuſio tot ſervos & mancipia habentium, videre ſervum in convivio gloriæ accumbentem, ſe verò Dominum excluſum?

Eccleſia.

Suppoſito igitur, utrumque convivium eſſe pro omnibus, & DEUM nos omnes vocare ad utrumque, non negligamus modò convivium frequentare terreſtre, ut idem nos deducat ad cœleſte.

S. Alb. Magn. S. Albertus Magnus, tantus ſcientiâ, quantus pietate, in quodam excellentiſſimo, quem de SS. Sacramento conſcripſit, libro notabilem hanc profert ſententiam: *Id quod nunc in Sacramenti ſpecie percipiendo Chriſtum agimus, ſignum eſt, qualiter eundem aliquando ſecundùm dulcedinem ſuæ Deitatis in cœleſti beatitudine percipiemus.* Cupitiſne ſcire, utrum cælum ingreſſuri, qualiterque ibidem recipiendi ſitis? Videte, utrum hic SS. Sacramentum frequentetis, & quomodo ipſum recipiatis; modus enim, quo Chriſti Corpus in Sacramento in hac vita recipimus, argumento nobis eſt, quomodo Divinitatem ipſius in altera vita percipiemus in gloria: *Id quod nunc percipiendo Chriſtum agimus, ſignum eſt, qualiter eundem in beatitudine percipiemus.* Quæ ergò ſpes fruendi convivio Gloriæ ſupereſt illis, qui ſacram hanc menſam vel deſpiciunt, vel tam parum diſpoſiti, aut conſcientiâ puri frequentant, velut ille, qui ab eadem rejectus in tenebricoſum carcerem, qui eſt infernus, miſſus eſt? Rex hanc pronuncians ſententiam, in loco iſto tenebroſo & ſubterraneo ejulatum dentiumque ſtridorem eſſe aſſeruit: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Ubi valde notandum, quod duorum tormentorum, quorum meminit, unum ſit oris, alterum oculorum. In inferno multa alia atrociora ſunt tormenta, quibus ignis & dæmones damnatos excruciant; quare igitur duorum tantùm meminit tormentorum, quibus ipſimet ſe cruciant damnati, & unum oris, alterum verò eſt oculorum? Quia manducare Deum in præmium habet videre Deum; indignæ verò manducationis reatus, in pœnam habet, viſioni Dei privari in æternum. Miſeri illius indignè comedentis culpa in ore fuit caſtigata, & æternùm non videndi

Ibidem v. 13.

pœna, in oculis executioni fuit data: fleant æternùm oculi, quia Deum non videbunt, quamdiu Deus erit Deus: *Ibi erit fletus.* Et quia os Deum contingere indigneque manducare præsumpsit, propriorum suorum dentium morsibus præ rabie & desperatione æternùm similiter corrodatur: *Et stridor dentium.*

Hinc Christus Dominus noster tremendam intulit conclusionem: *Multi enim sunt vocati, panci verò electi.* Verùm si electi Ibidem v. 14. sunt illi, qui cum veste nuptiali ingressi in convivio permanserunt, & non electus ille indecenter vestitus ingressus, fuit tantùm unus; quo pacto Christus dicit, & ex parabolæ ejusdem eventu infert, quod vocati sint multi & electi pauci; dubium illud, quomodo sit intelligendum, negotii multum facessivit Interpretibus, sed facilem habet solutionem: vocati quippe fuerunt, non tantùm, qui venerunt ad convivium, verùm etiam, qui venire noluerunt: Et quia omnes quotquot venerunt & non venerunt fuerunt vocati, & ex illis, qui venerunt, unus non fuit electus, bene infertur, quod vocati sint multi, electi verò pauci: pauci, omnium vocatorum respectu: & pauciores adhuc, respectu desiderii Christi, & pretii, quod salvandis omnibus impendit. Verùm aptissimè ex omnibus nostro deservit intento, quod omnes vocati, qui cum veste nuptiali ad convivium venerunt Sacramenti, omnes fuerunt electi: *Pauci electi.* Pauci quidem; sed omnes electi. Quam verò ob causam? Quia finis vocatorum est Gloria; panis electorum, est Sacramentum: & quotquot bene utuntur pane electorum, finem consequuntur vocatorum. Non datur finis sine mediis: & quotquot hoc supremo & tam facili & expedito proficere norunt medio; quotquot decenter ritèque dispositi Sanctissimi Sacramenti mensam frequentant; quotquot vescuntur, & pane electorum se sustentant, quod est convivium Dei in terra; omnes illi finem Vocatorum consequuntur, qui est in cœlo.

§. VIII.

GRandis profecto, Christiani, consolatio omnibus illis, qui ita faciunt: sed & æqualis desolatio, infelicitas & confusio illis, qui pro commodis, & tam vanorum, prout omnia hujusmodi sunt, desiderio divinum Sacramenti relinquentes convivium, illud Gloriæ perdunt. De inurbanis istis & insensatis, qui ad convivium vocati venire recusarunt, inquit textus, quod iverit *alius* Ibidem *in villam suam: alius verò ad negotiationem suam.* Ecce, quid perdiderunt; & v. 5. quare? Quid, quæso, negotiatione unus lucrari poterat, & alius suâ villâ, quod aliquatenus saltem comparare posset cum eo quod despexerunt & neglexerunt: *Illi autem neglexerunt.* Deus nos ad quietem Ibidem. mensæque suæ assidendum vocat: & nos potius laborare & fatigari malumus cum mundo, quàm quiescere & deliciari cum Deo. Tantum in nobis prævalet apparentia præsentis, & tam modicum fides & spes futuri. De nullis minus ista poterat timeri inattentio & incuria, quàm de iis, quos Rex vocari jussit. Vocari jussit agricolas, illos videlicet, qui ad agriculture exercitium exierant; & mercatores, illos videlicet, qui ad suam exierant negotiationem: & quare magis agricolas potiùs & mercatores, quàm alterius exercitii homines vocavit? Quia tam agricolæ, quàm mercato-

catores sunt homines, quorum exercitium & professio est, capitale augere. Agricola seminat parum, ad colligendum multum: mercator pretio coëmit minore, quæ vendat majore. Eandemque ob causam tam agricolas, quàm mercatores, proprii commodi & lucri desiderium ad Regis mensam attrahere oporteret. Quænam melior agricultura, quàm seminare in terra, & colligere in cælo? Et quænam felicior mercatura, quàm vendere tempus, & æternitatem comparare? O æternitas ludificata! ô gloria neglecta! ô cælum nec volitum, nec creditum!

Creditisne, qui vos Christianos dicitis, creditisne esse cælum? Creditisne esse gloriam? Creditisne esse æternitatem? Respondetis quod sic: de quo ego valde dubito. Sed si veraciter creditis omnia, quæ dixi, quomodo illa non vultis? Ita noluisse, inquit Evangelium, eos, quos imitamini: *Et nolebant venire.* Quod si tantum nos capiunt blandimenta præsentis, & tam parum fides futuri; cur vos non subit consideratio de præsenti, ubinam illud quandoque desiturum sit? Est singulari admiratione dignum, quod primi, secundique vocati omnes se excusantes abnuerint venire: & ultimi, nullo eorum se excusante, omnes venerint. Nunquid invitationes & famuli ejusdem erant Regis, & nuptiæ eædem? Quales igitur isti tantæ prudentiæ erant homines, voluntatisque tam diversæ, ut nemine repugnante, omnes voluerint venire? Advertite, ubinam eos Rex jusserit quæri; & ubi fuerint, quando venerunt: *Ite ad exitus viarum & quoscunque inveneritis vocate.* Nostis quare vocanti non occurrimus Christo? Causâ est, quia non stamus in exitu seu finibus viarum. Principia viarum, quæ quilibet pro sua sibi assumit vita, earumque media similiter valde sunt deceptoria: fines, & quo substituri pergunt, veritatem deregunt. Omnes civitates, & aulæ quoque (sicuti hæc erat) tres habent plateas, seu vias regias, per quas homines communiter ambulant, & ubi omnes concurrunt: illam videlicet divitiarum, honorum & voluptatum. Sed ejusdem viæ eventum, viarumque considerantes finem & exitum: *Ite ad exitus viarum*; Deus quærit & invenit: *Et quoscunque inveneritis, vocate.*

Ibidem v. 3.

Ibidem v. 9.

Etiam alia adhuc ratio ultimò venientium voluntates efficacitèr movit & impulit. Primis semel atque iterum vocatis, Rex nondum erat iratus: *Iratus est Rex*; justitiæ suæ rigorem nondum ostenderat: *Perdidit homicidas illos, & civitatem illorum succendit*; & ideo convivium neglexerunt, invitationem respuerunt, neque Regem sunt reveriti. Reliqui verò videntes Regis benignitatem in iram conversam, rebelles perditos & in frusta concisos, civitatem succensam, indifferenter domos humiles ardere simul cum superbis palatiis, turribusque altissimis, quomodo non istis illuminati flammis aperirent oculos & corda, licet ænea, tale non emolliret incendium? Nonnulli abstrahendo ab historia, sumentes culpam & pœnam in generali, in hoc igne ignem agnoscunt inferni, qui ultimus finis est & exitus eorum, qui despiciunt cælum. Nunquid è re cujusquam erit, ut tam exigui momenti commoda, gaudiaque tam exilia & transitoria, sicut illa sunt vitæ hujus, æternum luiturus abeat in infernum. Istud igitur volunt nolendo, qui tanti faciunt præsens, & tam

Ibidem v. 7.

parvi

parvi futurum: & quo fruantur deceptione & fallacia illius, quod est (vel non est) non pensant, quid erit & futurum sit.

Dixi, quod volunt, nolendo; video enim vos intus in cordibus vobis loqui; quodsi non velitis modò, velitis posteà; & sicut modò estis similes vocatis primis, qui venire noluerunt; eritis posteà velut ultimi, qui venerunt. Iste est dolus & deceptio communis, quà diabolus nos excœcat, fovet, & lactat, donec jam perditos in damnationem abripiat. Exigit à nobis voluntatem modò, & illam nobis promittit pro posteà. Deus nos liberet à voluntate habituata ad non volendum, quia nunquam vult; ecce, quid Textus dicat: *Et nolebant venire*; Non dicit: *noluerunt*, sed *nolebant*. Si diceret, *noluerunt*, significaret actum voluntatis; at dicendo, *nolebant*, non actum, sed habitum significat, voluntatemque habituatam ad non volendum unquam velle. Hinc primâ vice & secundâ iterùm vocati noluerunt; & tertiâ vocati vice similiter noluissent. Verùm si Rex adeò bonus & benignus fuit, ut non obstante, quod primâ noluerint vice venire, eos vocârit secundâ, cur etiam tertiâ eos vice vocari jussit? Hoc vel maximè tremendum hujus materiæ est punctum. Nemo ad Deum converti potest, nisi inspiratione ipsius vocatus, gratiæque ipsius auxilio prævenius. Et quamvis Deus nos semel atque iterum vocet, si nos vocationem negligimus & contemnimus; etiam ille suas nobis inspirationes subtrahit, gratiæque auxilia denegat. Et quid miserâ fiet animâ Dei auxiliis destitutâ? S. Gregorium Papam audite; *Nemo contemnat, ne, dum vocatus excuset, cùm voluerit, intrare non valeat*; q. d. Nullus vocationem & inspirationem divinam contemnat, ne, quando vocatus venire non vult; postmodum, quamvis velit, venire non possit. S. Greg.

Porrò, ut cognoscamus omnes, nos ad eum devenire posse statum, in quo nullatenùs possimus, licèt vellemus: instructionis hujus S. Gregorii veritatem ultima Evangelii nostri clausulâ confirmemus, quæ sola nobis consideranda restat. Jussit Rex, ut qui sine veste nuptiali convivii locum fuerat ingressus, manibus pedibusque ligatis, tenebricosum in carcerem mitteretur: *Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Et Textus inquit, quod auditâ hac sententiâ miser obmutescens, ne vel verbum reddiderit: *At ille obmutuit.* Illud obmutescere me magis facit obstupescere. Homo miser, homo pusillanimis, homo tui ipsius inimice, & sine judicio, quare à sententia ad eundem non appellas Regem? Nonne adeò clementem & benignum eum esse vides, ut etiam offensus te vocet amicum? *Amice, quomodo huc intrâsti?* Non cernis eundem tantæ celebritatis diem ad veniam optimè accommodatum, si deest, quo reatum tuum excuses? Quare eundem non confiteris? Quare ad pedes Patris non procumbis misericordiam perituru per Filii amorem, eandemque humanitatem, cui se desponsavit? Nihil horum miser ille fecit, aut facere poterat, licèt voluisset, ipsa enim sententia in culpæ suæ pœnam illum ad omnia inhabilitavit. Videre nequibat, quia ad tenebras condemnatus erat; ad pedes Regis procumbere non Matth. 22. v. 13. Ibidem v. 12.

pote-

poterat, quia suos ligatos habebat; pectus tundere non valebat, quia manus ipsi ligatæ erant; reatum suum confiteri, veniamque petere nequibat, lingua enim obmutuerat: & istud evenit illi, qui sicut iste gratiâ Dei destitutus intravit, ab ea ejectus fuit & repulsus. Pedes & manus animæ, assertore Augustino, intellectus sunt & voluntas, quibus arbitrium constat; quod divinâ deficiente gratiâ tam ligatum manet & obscuratum, ut nec lucem habeat ad videndum, nec manus ad operandum, nec pedes ad movendum, nec linguam ad dicendum, *Peccavi*. Ecce utrum infelicior luctuosiorque dari possit status, sed justitiâ exigente promeritus. Utinam vel animabus nostris, pro ultimo documento, fortiter impressa inhæreret culpa, ob quam ille miser potentiarum motuumque suorum omnium usum, ad ipsam usque loquelam perdidit, quâ se ab omnibus liberare potuisset! quæ verò ista fuit culpa? Non alia, quàm quod ad convivium sine veste intraverit nuptiali, id est, ad SS. Sacramenti mensam accesserit extrà gratiam Dei constitutus. Idcircò sic obmutuit, ut culpam suam confiteri non posset: justo etenim Dei judicio punitur in confessionibus, quod peccatur in communionibus. Proinde, qui ore communicare præsumpsit in peccato, linguam jam non habebat ad sua peccata confitenda: *At ille obmutuit.*

S. Aug.

Obmutuit pro condigna pœna: nobis obmutescendum est præ horrore & stupore. Obmutuit Evangelium, jam enim non excussum & consideratum non supereſt verbum: & ego patiter obmutesco, non enim habeo, quod ultra dicam. Si stupiditas mea & tepor vos vocare nescivit ad convivium ut debebam, spero hoc interiùs divinam operatam esse gratiam & inspirationes, câque efficaciâ, ut in hac vita Sanctissimi Sacramenti convivium frequentando, in altera convivium Gloriæ consequi mereamur.

Amen.

SERMO
PRO
FELICI SUCCESSU
ARMORUM PORTUGALLIÆ
CONTRA HOLLANDOS.

Dictus in Ecclesia Beatiss. Virginis Mariæ de Auxilio, Bahiæ. Expositо SS. Sacramento, ultima Quindenarum die, quibus in omnibus ejusdem Civitatis Ecclesiis eædem preces succesſivè fuerant institutæ. Anno 1640.

Exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare Faciem tuam avertis, obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ? Exurge, Domine, adjuva nos: & redime nos propter Nomen tuum. Pſalm. 43.

§. I.

SImplicibus hiſce verbis proteſtando magis, quàm orando, Vates Regius Pſalmum quadrageſimum tertium concludit. Pſalmum, inquam, qui à capite ad calcem uſque hiſce temporibus præſentique occaſioni quadrare videtur. Doctorum maximus S. Hieronymus, & alii poſt illum expoſitores, Pſalmum hunc de quocunque regno, vel provincia à Fidei inimicis devaſtata ad literam intelligendum affirmant. Sed inter omnia mundi Regna nulli meliùs, quàm noſtro Portugalliæ Regno quadrat, & inter omnes Portugalliæ provincias nulli magis quam Braſiliæ congruit. Aggrediamur totum perlegere Pſalmum, & in omnibus ejus verſiculis, fortunæ noſtræ ſortem videbimus expreſſam: quid fuimus, & quid ſumus.

Deus auribus noſtris audivimus, Patres noſtri

Psalm. 43. v. 1. & 2. *nostri annunciaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Audivimus (incipit Vates) à Patribus nostris, & in nostris legimus historiis; immò seniores nostri partim adhuc suis viderunt oculis, opera mirabilia, facta fortia, victorias & conquisitiones, quas mediantibus Lusitanis, temporibus præteritis, tua, Domine Deus, operata est omnipotentia. *Manus tua* Ibidem v. 3. *Gentes disperdit, & plantâsti eas: Afflixisti populos, & expulisti eos*; id est, manus tua fuit, quæ tot barbaras, bellicosas indomitasque nationes subegit, propriarum terrarum dominio exuit, ut hos in eis plantaret; sicut plantavit bene fundatis radicibus; utque illos in eis dilataret, sicut dilatavit in omnibus mundi partibus, in Africa, in Asia, in Ameri- Ibidem v. 4. & 5. ca. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos; sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultûs tui; quoniam complacuisti in eis*; q. d. Non brachiorum ipsorum virtuti & potentiæ, neque gladiis ipsorum adscribendum est, quod terras illas sibi subjecerint, quas possederunt, gentemque illam, & Reges ipsius in servitutem redegerint, & sub tributum miserint; sed omnipotenti dexteræ tuæ, ac respectui tuo, supremoque beneplaciti tui imperio, quo tibi complacuit eorum in hoc uti servitio. Hucusque relatio præteritarumque prosperitatum memoria: ab hinc Prophetæ ad tempus præsens calamitatesque præsentes transit.

Ibidem v. 10. *Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris*; q. d. Nunc autem Domine sic immutata ista videmus omnia, ut nunc penitus derelicti & repulsi videamur; nunc enim nostra non præcedis vexilla, neque nostros, ut ante consueveras, ducis exercitus: *Avertisti* Ibidem v. 11. *nos retrorsum post inimicos nostros; & qui oderunt nos, diripiebant sibi*; id est, assuetos nos victoriis & triumphis, non quod infirmiores simus, sed in punitionem, hostibus nostris nos terga vertere facis, (qui quoniam Justitiæ tuæ sunt flagellum, justum est, ut illis dorsum præbeamus) & quæ, perditis illis, nostræ quondam fuere spolia generositatis, sunt modò spolia ipsorum rapacitatis: *Dedisti nos tanquam* Ibidem v. 12. *oves escarum, & in Gentibus dispersisti nos.* Senes, mulieres, parvuli, quibus nec vires, nec arma sunt, quibus se defendant, innocentes velut oves crudelitatis Hæreticæ manibus trucidantur, quique mortem evadere possunt, in exteris terris peregrini & exules patriam domumque perdunt: *Posuisti nos* Ibidem v. 13. *opprobrium vicinis nostris, subsannationem & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* Non tantopere foret dolendum, si vitâ bonisque perditis, fama saltem salvaretur; sed & hæc paulatim petit: & nomen illud, Lusitanus, tam celebre in annalibus famæ, insolens nunc victoriis Hæreticus infamat: gentilesque, quibus circumcincti vivimus, quibus illud honori simul & terrori erat, nunc illud subsannant & despectui habent.

Eâdem omninò proprietate David in hoc psalmo nostras describit infelicitates, opponendo quod sumus hodie, illi quod fuimus, quamdiu Deo placuit; ut in experientia præsenti, dolor crescat ex oppositâ memoriâ preteriti: occurrit

hic menti; quod proferre non licet linguæ: neque deest qui tacitè ratiocinetur & concludat, notabilis hujus differentiæ causam, fuisse Monarchiæ mutationem. Non ita esset (inquiunt) si Rex adhuc viveret Emmanuel, Rex Joannes Tertius, Regisve Sebastiani fatalitas, cum ipso Reges Lusitanos non sepelisset. Verùm idem Propheta eodem in Psalmo, falsæ hujus persuasionis nobis explicat veritatem: *Tu es Rex meus, & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* Regnum Portugalliæ, sicut ipse nobis Deus in fundatione declaravit, est regnum ejus & non vestrum: *Volo enim in te, & in semine tuo imperium mihi stabilire*; & sicut Deus est Rex: *Tu es ipse Rex meus & Deus meus.* Et iste Rex mandans & gubernans: *Qui mandas salutes Jacob*, & qui non mutatur, ipse differentiæ hujus est causa; & non Reges, qui sunt mutati. Hac igitur veritate conspecta infallibili, Propheta noster nonnihil in tantarum consideratione calamitatum suspensus fuit, quousque idem ipse Deus, qui lumen infudit, pro remedio earum altissimum ipsi consilium suggessit in verbis, quæ thematis loco assumpsi.

Ibidem v. 5.

Exurge, quare obdormis, Domine? Exurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis, obliviscéris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ? Exurge, Domine, adjuva nos, & redime nos propter nomen tuum. Non prædicat David populo, non illum exhortatur, vel increpat; invectivis quamvis meritis abstinet: sed totus novo & extraordinario spiritu abreptus, non solùm ad Deum, sed præsumptione pia contrà eum se convertit. Quemadmodum Martha dixit ad Christum: *Domine, non est tibi curæ?* Ita David reverenter cum Deo expostolans, illum quasi incuriæ & negligentiæ insimulat. De misericordiæ providentiæque ipsius inadvertentiis conqueritur; quod est Deum dormientem considerare: *Exurge, quare obdormis Domine?* Repetit ut exurgat, neque damna in finem usque venire permittat, quod pietate misericordiaque ipsius sit indignum: *Exurge, & ne repellas in finem.* Rationem petit & causam, quare à nobis oculos vultumque avertat: *Quare faciem tuam avertis?* Et quare miseriæ nostræ oblitus, calamitates nostras atque laborem non curet: *Obliviscéris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Nec quocunque solùm modo rationem ejus exigit, quod Deus facit & permittit; sed iterum iterumque eam dari postulat: Quare obdormis? Quare obliviscéris? Denique præmissis interrogationibus, quibus Deum respondere non posse supponit; & istis argumentis, quibus se Deum conviciisse præsumit, ante justitiæ misericordiæque ipsius tribunal, illum ad succurrendum nobis, auxiliandum, moxque liberandum obligatum esse protestatur: *Exurge Domine, adjuva nos & redime nos.* Et ad magis constringendum, non ob nostrum contestatur commodum ac remedium, sed honoris sui & gloriæ causâ: *Propter nomen tuum.*

Luc. 10. v. 40.

Hoc (omnipotens & misericordissime Deus) hoc inquam medio tuam attentavit inclinare & compellere misericordiam, adeò tibi conformis: quo etiam ego utar hodie, quia status, in quo versamur, potiùs idem est, quàm similis. Non prædicabo hodie populis, neque loquar hominibus, voces meæ seu verba sublimiora petent; ad pectus tuum divinum Sermo præsens dirigetur. Quindecim

dierum

dierum continuorum hic est ultimus, quibus in omnibus hujus Metropolis Ecclesiis, ad eundem hunc expositæ majestatis tuæ thronum supplicationes suas precesque & vota populus obtulit: & cùm dies sit ultimus, justum quoque est, ut in eo ultimo unicoque succurratur remedio. Omnibus hisce diebus frustra, & in vanum se fatigarunt Oratores Evangelici pœnitentiam prædicando: sed quia homines non sunt conversi, ego te, Domine, convertere paro. Tam præsumptuosus de tua, Deus meus, misericordia accedo; ut quamvis nos simus peccatores, tu pœnitentem hodie sis acturus.

Quod petitum seu protestatum venio, Domine, est, ut nos adjuves & liberes: *Adjuva nos & redime nos*; utraque petitio ista & loco, & tempori optimè congruit: Tantæ oppressionis captivitatisque tempore, quid nobis in maxima necessitate petendum, nisi ut nos liberes? *Redime nos.* Et in domo seu Ecclesia Beatissimæ Virginis Mariæ de Auxilio, quid majore sperandum fiducia, quàm ut adjuves, *adjuva nos?* Non petam petendo seu supplicando, sed expostulando & argumentando: hoc etenim non favorem, sed justitiam postulanti licet. Si nostra tantùm ageretur causa, egoque pro remedio tantùm nostro supplicatum venirem, favorem, gratiam, misericordiamque precarer. Verùm quia tua magis, Domine, quàm nostra causa agitur, & pro honore tuo & gloria, nominisque tui exaltatione, *propter nomen tuum*, interpellaturus venio, rationem tantùm petere, æquum est. Hoc super præsuppositio, mihi tecum ratiocinandum est, & justitiam postulare justum est: & tua tantùm ratione & benignitate, te convictum iri confido. Casu quò, de te conqueri, tuæque justitiæ tergiversationes, tuæque misericordiæ incurias & obliviones perstringere contigerit: *Quare obdormis? Quare oblivisceris?* Non primæ hæ erunt exorbitantiæ, quas à causæ tuæ patrono passus es. Expensas similiter actionis & processus, tu Domine solves: tua etenim gratia, arguendi te rationes, urgendi te efficaciam, atque ad vincendum te omnia arma suppeditabit. Porrò si ad hoc minùs sufficiant merita causæ, succurrent illa Beatissimæ Virginis Mariæ, in cujus auxilio maximè confido, Ave Maria.

§. II.

EXurge, *quare obdormis Domine?* Argumentari cum Deo, rationibusque velle convincere, non tantùm assumptum videtur difficile, sed molimen impossibilitatis manifestissimæ, temeritasque & præsumptio arrogantissima. *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei, qui se finxit: quid me fecisti sic?* Rom. 9. v. 20. O homo præsumptuose (inquit S. Paulus) homo temerarie, quis es tu, ut audeas contendere cum Deo? Nunquid lutum in rota & manibus figuli rationem ab eo petit, dicens: *quare me facis sic?* Si igitur tu homo mortalis lutum es, si te de tam vili materia manus Dei formarunt, qua fronte ipsi Deo dicis: quare, quare? Qua temeritate cum Sapientia divina disputare præsumis? Qua audacia rationem exigis ab ejus providentia, quid tecum faciat, aut non faciat? *Quare obdormis? Quare faciem tuam avertis?* Illius venerare permissiones; occulta ipsius adora judicia, humeros ad superna ipsius decreta contrahe,

& facies quod de fides docet, & ad quod creatura obligaris. Sic facimus, sic confitemur, sic coràm infinita majestate tua, Deus immenso, Bonitas incomprehensibilis, protestamur: *Justus* Ps. 118. v. 136. *es Domine, & rectum judicium tuum.* Quantumcunque tua intelligere nequeamus opera; quantumcunque tua penetrare non possimus consilia; semper justus es, semper sanctus es, semper bonitas es infinita: imò maximè sæviente justitiæ tuæ rigore, punitionis tuæ severitas culparum nostrarum demerita non adæquat.

Enim verò, si causæ nostræ rationes & argumenta, in propriis vellemus fundare meritis: grandis foret temeritas, immò manifesta foret impietas, te velle arguere. Dan. 9. v. 18. Verùm nos, Domine, sicut Propheta tuus Daniel protestabatur: *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* Supplicationes, earumque rationes, quas humillimè divino tuo conspectui offerimus, appellationes & gravamina, quæ continuæ punitionum executioni, & flagellis, quæ patimur, opponimus, non in justitiæ nostræ præsumptione, sed in sola misericordiarum tuarum multitudine fundamus: *In miserationibus tuis multis.* Argumentamur quidem; sed de te, ad te. Appellamus; sed à Deo ad Deum; à Deo justo, ad Deum misericordem. Porrò quia ex corde omnes ad te exibunt sagittæ; bonitatem tuam vix tædere valebunt. Sed quoniam dolor intensus post se trahit affectum; verborumque congruentia ægrè cum dolore concordat; ne justus præsentium malorum dolor sacros transeat limites in eo, qui coram, & cum Deo loquitur; in omnibus, quæ dicere præsumam, solidis illorum inhærebo vestigiis, qui similibus in casibus à tuomet impulsi spiritu tuam exorârunt & deprecati sunt misericordiam.

Quando Israëliticus populus gravissimum idololatriæ peccatum commisit in deserto, inaurium moniliumque suorum aurum in bruta vituli effigie adorando; Deus moranti secum Moysi casum revelavit, indignatusque desuper adjunxit absolutè, se deinceps Gentem tam ingratam in perpetuum direlicturum, & ad internecionem deleturum: *Dimitte me,* Exod. 32. v. 11. & 12. *ut irascatur furor meus contrà eos, & deleam eos.* Verùm optimi cordis Moyses de populi sui perditione & deletione non sustinuit audire loquentem: prodiens in arenam, divinæ se indignationi opponit, hoc ratiocinari incipiens modo: *Cur, Domine, irascitur furor tuus contrà populum tuam?* Eja Moyses, tu inquis, *Cur*? Justioremne adhuc à Deo exigis rationem? Ille tibi dicet: populum idololatriam exercere; brutum insensatum adorare; negaram sibi divinitatem, manibus propriis à se factæ imagini mutæ tribuere, liberationem ex Ægyptiaca captivitate, celebrato desuper triumpho, ipsi in acceptis ferre: & hisce ita se habentibus, adhuc Deum interrogas: *cur irascitur furor tuus?* Omninò. Et zelo quidem valde prudenti. Quamvis enim ex parte populi gravissimæ subessent rationes puniendi; ex parte nihilominus Dei major suberat ratio parcendi: *Ne quæso* Ibidem (ratiocinatur Moyses) *dicant Ægyptii,* v. 12. *callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra*; q. d. Ecce, Domine, Ægyptii essentiæ aut saltem veracitati & bonitati tuæ notam inurent, dicent

quòd

quòd dolosè nos in desertum hoc adduxeris, ut hîc nos occisos sepelires. Quâ conceptâ & divulgatâ apud ipsos opinione, quis, quæso, nominis tui sancti subsequetur despectus, cui eâdem in Ægypto tot tantisque portentis, potentiæque tuæ prodigiis, tantam venerationem terroremque conciliâsti? Ad conservandam igitur fidem convenit dissimulare pœnam, nec illâ Gentilibus aut aliis in hac terra præbere occasionem dicendi: *Ne, quæso, dicant*; Hoc modo ratiocinatus est Moyses in favorem populi, & Deus argumenti hujus efficaciâ victus, eodem mox momento sententiam revocavit; conformiterque textui Græco non solùm pœnituit de executione, sed etiam de cogitatione:

Exod. 32. v. 14. Ex text. Hebr. *Et pœnituit Dominum mali, quod cogitaverat facere populo suo.*

Magna igitur, Deus meus, sperandi mihi est ratio, fore, ut ex hoc sermone pœnitens egrediaris, cum idem sis, qui eras, nec minor modò quàm temporibus istis nominis tui zelotes: *Propter nomen tuum.* Moyses tibi dixit: *Ne quæso dicant*; q. d. Ecce quid dicent: ego verò dico dicereque cogor; ecce quid jam dicunt. Suis jam prosperis successibus insolentes dicunt hæretici, te illis hoc indulgere & concedere: jam dicunt quia ipsorum, ut illi vocant, vera est fides & religio, hinc opitulante sibi Deo vincant: & quoniam nostra falsa & erronea est, idcircò deserente nos Deo victi succumbamus. Ita loquuntur, ita prædicant, &, prô dolor! non deerit qui fidem illis tribuat. Num igitur fieri potest, Domine, quod permissiones tuæ in argumentum trahantur contrà tuam fidem? Estne possibile, quod punitiones nostræ & pœnæ ansam præbere debeant nomen tuum blasphemandi? Quod dicat hæreticus (prô quàm hoc lingua pronunciare tremit) quod hæreticus Hollandum te esse dicat? Ne quæso Deus meus, tale quid permittas; ne permittas, eò quod *sis*, qui es. Non propter nos hoc dico, parùm enim esset quod nos punires: neque illud dico propter Brasiliam, parum enim esset si illam perderes: propter te, propter sanctissimi tui nominis, honorem, quod tam impudentibus hoc ipso blasphemiis exponitur, dico: *Propter nomen tuum.* Cùm perfidus nunc Calvinista de suis successibus, quos non nisi nostra merentur peccata, religionis faciat argumenta: seque jactet insolens & blasphemus, quod sua sit vera: in eadem fortunæ videat rota, ut humilietur, neque præsumptuosè glorietur asserendo à cujus parte consistat veritas. Venti & tempestates, quæ nostros disjecerunt & abripuerunt exercitus, dissipent abripiantque ipsorum: infirmitates & pestilentiæ, quæ nostros debilitant & imminuunt exercitus, muros eorum transcendentes præsidia illorum consumant: consilia, dum punire intendis, nostra illumina, illorum confunde & infatua. Victoria immutet vexilla; ulciscantur sese cruces Catholicæ; in armis nostris & vexillis tua triumphent vulnera; & humiliata manifesta agnoscat perfidia, Romanam solam, quam profitemur, esse veram, tuamque fidem.

Verùm ulteriùs adhuc erit, qui dicat: *Ne, quæso, dicant Ægyptii*; Ecce Domine, inter Gentiles vivimus, quidam eorum tales adhuc sunt hodie, alii fuerunt heri, & isti quid dicent? Quid rudis sine Dei notitia Barbarus dicet? Quid instabilis

bilis Indus, cui pius erga fidem nostram deest affectus? Quid Æthiops elinguis, sine alia instructione vix baptismatis aqua tinctus? Non est dubium, quin omnes isti, cùm judiciorum tuorum nequeant penetrare abyssum, utrisque apertis oculis errorem hunc imbibituri sint. Ex manifestis effectibus fidem nostram falsam illam Hollandorum veram esse dicent, seque magis Christianos esse, & nos sibi similes credent. Fœda brutalisque Hæreticorum secta, ad brutalitatem Barbari propiùs accedit; libertas dissolutioque vitæ scaturigo fomesque hæresis, depravatis moribus corruptionique Gentilismi faciliùs copulatur: & quis Paganus convertetur ad fidem, quam illi prædicamus? Vel quis Catechumenus, seu Neophytus non resiliet à fide, intelligens & hæc & alia sibi persuadens, quod in hæretico lex sua & religio remuneretur, nostra verò in Catholicis castigetur? Si igitur hi rigoris tui, quamvis non prætensi sint effectus, cœptaque justè in nobis punitio cum tanto damno transit ad eos, qui in nostris non sunt complices culpis: *Cur irascitur furor tuus?* Quare continuatur his consideratis, quod tu ipse furorem vocâsti; & quare jam iræ tuæ glaudium non recondis in vaginam?

Si populo Hebraico tam graviter offensus; pro uno tantum, *Quid dicent Ægyptii*, eidem mox condonâsti, nonne hoc quod nunc dicunt Hæretici, & dicturi sunt Gentiles, sufficiens erit, ut rigida manus tua pœnam suspendat, peccatisque nostris, quæ quamvis in se sint magna, minora tamen illorum sunt peccatis, veniam indulgeat? Hebræi adorarunt idolum, à fide defecerunt, veri Dei derelicto cultu, Deum Deosque appellarunt vitulum: & nos infinitæ Majestatis tuæ adjuvante & præservante gratiâ tam longè absumus abfuimusque semper à minimo defectu, vel fidei scrupulo, ex parte nostra, ut multi patriâ, domo, facultatibus, immò uxore & liberis derelictis, in summa miseria vitam exules transigant, tantum ne cum hominibus ab Ecclesia tua segregatis & apostatis communicare & commorari cogantur. Si igitur, Domine meus, & Deus meus, si tui, fideique tuæ amore, necdum urgente eandem perdendi, aut in discrimen vocandi periculo, extrema talia Lusitani subeunt & tolerant: *Quare oblivisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* Id est, quare tam fidelium ærumnas, tamque Catholicorum oblivisceris tribulationes? Quo pacto possibile est, quod fidelissimis hisce servis iratam se majestas tua ostendat, infidelibus, excommunicatis & impiis favendo?

Eheu quàm veraciter nobis hoc casu cum S. Jobo conqueri licet, quando à Sabæis spoliatum se vidit, uti nos extremè jam oppressos afflictosque cernimus: *Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manum tuarum, & consilium impiorum adjuves?* q. d. Videturne tibi bonum, Domine, quod me servum tuum opprimas & affligas, & impiis hostibus tuis auxilieris & indulgeas? Videturne tibi bonum, ut illis prosperè, & pro voto omnia cedant, & à Providentia tua foveantur, nobis à potenti dextera tua derelictis? Nos è memoria videamur deleti? Nos severitatis tuæ exemplum? Nos iræ furorisque tui spolium? Nunquid tam leve & modicum est omnibus derelictis pro te exulare? Tam parum est, dolores Job. 10. v. 3.

pauper-

paupertatem, ærumnas, inhonorationes & contumelias aliorum consequentias tolerare? Ergo nullum jam fidei meritum? Pietati nunc deest gratia? Perseverantiæ nulla habetur ratio, tibique non placet? Si igitur inter nos, quamvis malos, & perfidos illos tantum intercedit discrimen, quare nobis neglectis, opitularis illis? *Nunquid bonum tibi videtur?* Tibi, qui ipsa bonitas es, nunquid bonum illud esse videtur?

§. III.

COnsidera, Deus meus, & ignosce, si inconsideratè loquar: considera quibus terram Brasiliæ auferas, quibusque eam tradas. Eripis & aufers terras istas Lusitanis, quibus eas primùm dedisti: & sufficiebat dicere, quibus dedisti, ad fidem nomini tuo conciliandam; non enim liberalis nomen tribuere possunt gratiæ, quas dedisse pœnitet. Idcirco, Domine, te dantem non pœnitere S. Paulus asserit: *Sine pœnitentia enim sunt dona Dei.* Sed seposito illo, terras istas tollis Lusitanis, quos ex omnibus mundi Nationibus in fidei tuæ propagatores elegisti, quibusque pro insigni, tesseraque singulari tua propria vulnera assignâsti. Erit igitur bonum, supreme Domine, & Rector Universi, ut sacri Portugalliæ Quini, nec non vexilla & vulnera Christi, ad hæreticas Hollandorum, suo Regi Deoque rebellium partes transeant? Eritne bonum ut victoriosa eorum signa prosperitatis ventus circumagat, nostris demissis, prostratis & ignominiosè subactis? *Et quid facies magno nomini tuo?* Et quid facies (inquiebat Josue) quidve tantæ afflictionis, ignominiæque casu tuo nomine fiet?

Rom. 11. v. 29.

Josue. 7. v. 9.

Similiter tollis Brasiliam Lusitanis, qui istas tam vastissimas quam remotissimas Orientis regiones tot vitarum dispendio tantoque profuso sanguine acquisierunt, magis ad propagandum tuum nomen & fidem (hoc enim zelo Christianissimi Reges isti agebantur) quàm ad dilatandum & amplificandum suum imperium. Sic tibi in hunc novum cum tanto honore & gloria nos introducere placuit mundum; & cum tanto nos dedecore & ignominia (quis simile quid de tua sibi imaginaretur bonitate) nos inde expelli permittis? Eheu! quomodo timeo ne non desit, qui cum Ægyptiis dicat: *Callidè eduxit eos, ut interficeret, & deleret è terra.* Manus tuæ largitatem, quâ tot nobis dominia tradidisti & regna, non fuisse liberalitatis tuæ gratias & dona; sed cautam iræ tuæ dissimulationem: ut hîc extraneos & remotos à patria nos interficeres & ex toto deleres. Si hæc futura erat merces, laborumque nostrorum fructus; ad quid tanta servitia? Quæ in tam copioso & illustri profuso in hisce conquisitionibus sanguine utilitas? Ad quid regiones & climata ignota detexímus? Ad quid cum ventis & tempestatibus, tantis nostris exitiis pugnamus, ut vix navis in Oceano vagetur, ad quam non miserabilium naufragiorum Lusitanorum fama pervenerit? Et post tot pericula, post tot infortunia; & tot jam miserabiliter mortuis, vel sub dio in agris sine sepultura, vel in ferarum spelæis, vel piscium visceribus sepultis, regiones sic acquisitas deserere, aliisque cedere cogamur? ô quantò nobis melius fuisset

tam ardua & periculis plena aggressos & executos non fuisse molimina!

Sanctior nobis Josue, patientiâ imperfectior, occasione simili, tecum loquens, non differente linguâ & sermone est usus. Filius Israël ultramarinas jam terras, transito Jordane ingressis, uti & nos hasce jam intravimus? Exercitûs partem ad obsidendam expugnandamque urbem Hay miserat, quæ ipso nominis echo infelicem filiis Israël eventum portendere videbatur: fuerunt enim cæsi & profligati, minore quamvis mortuorum & vulneratorum numero, quàm nobis hic evenire solet. Quid Josue faceret, inopinatâ hac qualicunque clade conspecta? Ducali scisso habitu humi prostratus clamare in-
Josue 7. cipit in cælum: *Heu Domine Deus, quid*
v. 7. *voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorhæi?* q. d. Deus & Domine mi quid est hoc? Quare nos Jordanem transire jussisti, nobisque terras has possidendas tradidisti, si nos in manus Amorrhæorum pertendos tradere voluisti? *Utinam mansissemus trans Jordanem!* utinam fluvium hunc nunquam transvadassemus! hoc modo Josue expostulabat cum Deo, nobisque similiter multò justiore ratione licet expostulare. Si iste navigationum nostrarum futurus erat exitus, si hujusmodi fortunæ seu infortunia, in conquisitis nos terris expectabant: *Utinam mansissemus trans Jordanem!* utinam divinæ tuæ placuisset Majestati, quod nunquam Portugallià fuissemus egressi; nec vitam nostram discrimini exposuissemus, in undis & ventis; nec cognovissemus quidem, nedum pedem terris intulissemus peregrinis leas acquirere, nec frui aut gaudere permitti, infortunium & non felicitas fuit, eas possidere ad perdendum, iræ tuæ, Domine, fuit punitio, & non liberalitatis tuæ favor & gratia. Quod si terras illas dare decreveras Piratis Hollandicis, quare easdem non tradidisti ipsis adhuc agrestes & incultas, sed modò? Nunquid tanta tibi exhibuit servitia gens perversa & apostatica, ut nos præmitteres ad præparanda illis hospitia, pro illis excoleremus agros, construeremus civitates, quas jam cultas & opulentas illis traderes? Siccine hæreticos fideique tuæ hostes laboribus Lusitanorum, sudoribusque Catholicorum frui ac gaudere fas est? *Et queis con-* Virgil.
sevimus agros? Verùm quia tu Domine sic ordinas, juxta beneplacitum tuum fiat. Trade Hollandis Brasiliam, trade illis Indias, trade illis Hispanias (quæ non periculosæ minus perditæ Brasiliæ sunt consequentiæ) trade illis quantum & quicquid habemus, & possidemus (sicuti tantam jam partem tradidisti) manibus eorum trade mundum; & nos, Lusitanus & Hispanos, desere & derelinque nos, repudia nos, destrue nos & dele. Verùm hoc tantum dico, & majestatem tuam meminisse cupio, futurum quandoque, ut eorundem, quos modò spernis & à te dimittis, operâ uti velis, & eâ tunc careas.

Non præsumerem hoc modo loqui, nisi ex ore Job verba desumerem, qui velut tam afflictus, quod toties in scenam intret, nemo miretur. Patientiæ exemplar expostulabat cum Deo (Deus enim patientes nos, sed non insensitivos desiderat) ratione pœnarum suarum & afflictionum expostulabat contestans cum contentiosè, quare rigorem earum & acerbitatem nonnihil sibi mitigaret: cumque ad omnes preces & instantias Domi-

num

num inexorabilem experiretur, non habens, quid ultrà diceret, concluſit ita: *Ecce nunc in pulvere dormiam, & ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.* Nunc Domine cum nec ab affligendo me deſiſtere, neque flagella tua & cruciatus mitigare, ſed cœptum jam procedendi mecum rigorem continuare & abſolvere velis, placitum tuum exequere, occide me, in pulverem me redige & ſepeli: *Ecce nunc in pulvere dormiam*; attamen hujus te admonitum & memorem velim, quodſi mane me quæſieris, non invenies: *Et ſi mane me quæſieris, non ſubſiſtam.* Habebis Sabæos, habebis Chaldæos, depredatores & flagella domûs tuæ: ſed non invenies in ea Jobum aliquem, qui tibi in ea ſerviat; non invenies Jobum, qui eam veneretur; non invenies Jobum aliquem, qui propriis etiam vulneribus honorem ejus tueatur. Idem ego dico, Domine, non mirum iiſdem diſrumpi affectibus, qui in eodem verſantur ſtatu. Exure nos, deſtrue nos & dele nos, contingere quandoque poteſt, quod Hiſpanos deſideres & Luſitanos, & illos non invenies. Hollandia tibi conquiſitores dabit Apoſtolicos, qui per mundum vexilla crucis circumferent: Hollandia tibi Prædicatores miniſtrabit Evangelicos, qui Catholicam doctrinam in barbarorum terra ſeminent, ſuoque proprio ſanguine rigent: Hollandia Sacramentorum tuorum veritatem, Romanæque Eccleſiæ veritatem defendet. Hollandia tibi templa exſtruet; Hollandia altaria eriget; Hollandia conſecrabit Sacerdotes, & ſanctiſſimum corporis tui ſacrificium offeret; denique Hollandia tibi ſerviet, tamque piè te venerabitur ſicut Amſtelodami, Virginopoli, & Fliſſingæ, omnibuſque in aliis frigidi profundique illius inferni coloniis fit quotidie.

Job. 7. v. 20.

§. IV.

EQuidem, Domine, video te mihi regere poſſe, Fidei tuæ propagationem, gloriæque tuæ opera non dependere à nobis, nec à quoquam alio; deficientibuſque hominibus, de lapidibus te filios Abrahæ ſuſcitare poſſe. Sed & Sapientia tua, omniumque ſæculorum experientia nos docuit, quod creato Adamo, nullos te novo creâſti homines, iiſque utaris quos habes in mundo, & nunquàm minùs bonos admittas, niſi meliorum defectu. Ita in cœna parabola feciſti. Invitatos, quos elegeras, vocari juſſiſti, qui quoniam ſe excuſando venire renuerunt, cœcos & claudos admiſſos, loca ipſorum occupare feciſti: *Cæcos & claudos introduc huc.* Enim verò, ſi hæc eſt ordinaria divinæ tuæ Providentiæ diſpoſitio, quomodo illam nunc in nobis adeò inverſam & contrariam videmus? Quales iſti fuêre invitati, & quales iſti ſunt cœci & claudi? Invitati & electi fuimus nos, ad haſce regiones primo à te vocati, tamque largam & abundanter inſtructam in eis nobis appoſuiſti menſam, quàm de magnificentia tua ſperari poterat: Cæci & claudi ſunt Lutherani & Calviniſtæ; cœci ſine fide, claudi ſine operibus, in quorum reprobatione primarius hæreſis eorum error conſiſtit. Porrò ſi nos invitati nos non excuſavimus, ſi venire non dubitavimus, imò multa magnaque inconvenientia & ardua penetravimus, de quibus deſperare poteramus: ſi venimus, menſæque accumbimus; quonam pacto nobis excluſis foraſque ejectis,

Luc. 14. v. 21.

ctis, cœcos & claudos violenter introducis, noſtraque locæ Hæreticis aſſignas? Quod ſi in cæteris omnibus, illi nobis bonitate, aut nos illis malitiâ pares eſſemus, quare ſaltem privilegium & prærogativa Fidei nihil proderit nobis? In omnibus, Domine, providentiæ tuæ ſtylum, juſtitiæque tuæ leges nobiſcum immutare videris.

Decem illæ Evangelii tui Virgines, omnes ſomno & ſopore oppreſſæ, dormitaverunt omnes, incuriâ & negligentiâ ſibi fuerunt æquales: *Dormitaverunt omnes, & dormierunt*; Nihilominus quinque harum ſponſus diſſimulavit defectum, tantùmque quia lampades habebant accenſas, ad nuptias venire & intrare meruerunt; à quibus reliquæ fuerunt excluſæ. Si ita ſe res habet, Domine, ſi ita judicâſti tunc (tu enim ille divinus es ſponſus) quare etiam nobis non prodeſt, fidei lampades habere accenſas, quæ in hæreticis adeo mortuæ ſunt & extinctæ? Eſtne poſſibile, ut januam iis aperias, qui lampades gerunt extinctas, eiſque claudas qui eis habent accenſas? Conſidera Domine, non eam eſſe divini tui tribunalis authoritatem; ut eodem in caſu ex eo duæ tam contrariæ ſibi prodeant ſententiæ. Si illis, quæ lampades ſuas extingui permiſerant, dictum eſt: *Neſcio vos*; ſi illis clauſa eſt janua: *Clauſa eſt janua*; quiſnam, quæſo, tremendum hoc ex ore tuo audire merebitur, *neſcio vos*; niſi hæreticus te non agnoſcens? Et cuinam præcludenda janua ob oculos, niſi hæretico, eos tam occœcatos habenti? Verùm video, neque cœcitatem hanc, neque tui ignorantiam mereri, ut juſtitiæ tuæ rigor fortunatum ipſorum progreſſum remoretur, ſed quod lento quaſi pede victorioſa ipſorum arma nobis appropinquent, propediem ad portas & januas hujus tuæ civitatis pulſatura. Dixi, hujus tuæ civitatis: at ignoro, utrum Salvatoris nomen, quo eam honorâſti, eam defendet & ſalvabit, prout aliàs eam non defendit: neſcio, utrum iſtæ ſupplicationes noſtræ, quamvis tam frequentes & continuæ, ad divinum tuum conſpectum aditum inveniant; cùm tot jam annis elapſis, juſtus dolor noſter in cælum clamet, nihilominus divina tua clementia non exaudiat.

Matth. 25. v. 5.

Ibidem v. 12.

Ibidem v. 10.

Caſu quo fortè (quod abſit) in occulto mentis tuæ conſiſtorio decretum eſt, ut hæretici Bahiam intrent; Hoc te humiliter & ſeriò monitum cupio, ut antè ſententiæ executionem, maturè conſideres Domine, quid ex hoc evenire tibi queat, ipſumque citè penſes & conferas in corde tuo, atque diſcutias, dum tempus eſt; præſtat enim pœnitere modò, quàm ubi malum præteritum jam non habet remedium. Advertis utique, quâ intentione & alluſione hoc dicam, nec non rationem in te fundatam, quâ ad dicendum movear. Etiam ante diluvium prono in choleram, commotoque adiram in homines videbaris animo; ita ut quantumcunque centenis illis annis deprecaretur Noë, ad placandam iram tuam minus nihilo profuerit. Ruptis tandem cæli cataractis, uſque ad montium cacumina intumeſcente mari totus inundatus eſt mundus; jamque juſtitiæ tuæ ſatisfactum poterat videri. Sed ecce tertia die emergentia, natare, & multitudine infinita apparere cœperunt corpora, pallentes illæ figuræ, nec non triſtiſſima & funeſtiſſima exhibita ſuper undas tragœdia quàm unquam viderunt Angeli; homi-

nes

nes enim, qui viderent, non erant. Tu quoque Domine vidisti (ac si vidisses de novo) spectaculum illud lugubre, & quanquam non fleveris; lacrymis enim adhuc idonei deerant oculi; interiora nihilominus tua interno sunt dolore commota: *Tactus dolore cordis intrinsecus*; ut eo, qui in te cadit, modo mundum feciſſe te pœnituerit: tamque intensus & extensus tuus fuerit dolor, ut non solùm te pœnituerit præteriti, verùm etiam firmiter proposueris in futurum illud nunquam amplius facere: *Nequaquam ultrà maledicam terræ propter homines.* Iſte es Domine, iſte es: cumque ſis iſte cum tuo corde contendere noli. Ut quid violentiam ei infers, ſi ejus ſensus, & tuus eam poſtmodum luet. Age, cùm juſtitiæ executiones dolore tibi & pœnitentiâ conſtent, quid agas, præmeditare: ne ſimile quid tibi eveniet. Porrò ut hoc ſub coloribus videas humanis tibi jam non peregrinis, permitte, ut futuri hujus diluvi afflictiones & miſerias ad vivum depingam; ſique repræſentatio hæc ad compaſſionem te non moveat, & viſcera tibi fuerint & animus ad videndum ſine dolore, age, decretumque exequere.

Gen. 6. v. 6.

Gen. 8. v. 21.

Fingamus igitur (figmentum etiam & imago horrorem incutit) fingamus, Bahiam reliquumque Braſiliæ in manus Hollandorum deventurum. Quid hoc contingente caſu accidet? In civitatem hanc cum furia victorum inſtar & hæreticorum irrumpent: nec ſtatui, nec ſexui, nec ætati parcent: iiſdem gladiorum aciebus metientur omnes. Mulieres flebunt, cernentes pudori ſui honorem non haberi: plorabunt ſenes, canis ſuis reverentiæ nihil tribui: ignemiſcent nobiles, videntes, conditionis ſuæ rationem nullam haberi. Lacrymabuntur Religioſi, venerabileſque Sacerdotes, ſentientes, quod nec ipſæ ſacræ ipſos immunes faciant & defendant coronæ. Denique in lacrymas ejulatumque reſolventur omnes, omniumque maximè, majoreque commiſeratione digni innocentes; nec enim illis (prout olim non pepercit) hæretica parcet inhumanitas. Scio equidem, Domine, te Innocentum tantùm amore quandoque dixiſſe, non oportere, neque conſultum aut bonum eſſe Niniven puniri: ſed, quæ neſcio nunc ſint tempora, aut offenſa & infelicitas illa noſtra, ut ipſa etiam innocentia te non flectat. Ergò & pars pœnæ in te, Domine, redundabit (& hoc vel maximè Chriſtiana pietas ſentit) ad te pœnæ portio perveniet.

Irruentes in Eccleſiam hanc & alias furioſè Hæretici, involabunt in hanc cuſtodiam, in qua ab Angelis modò adoratus es: arrepta ſacra vaſa & calices ſuis deputabunt ſceleribus & compotationibus: dejectas ab altaribus Sanctorum imagines & ſtatuas, gladiis cultriſque ſuis deformatas in ignem conjicient: neque furioſæ ſacrilegæque manus ipſis Chriſti crucifixi tremendis & vel maximè venerandis, neque B. Virginis parcent imaginibus. Non tamen adeò miror, Domine, in tuis diſſimulare te imaginibus, injurias & inhonorationes, quas jam tuo ſacratiſſimo corpori irrogari permiſiſti: verùm quod eas in B. Virginis Mariæ, in illis ſanctiſſimæ Matris tuæ iconibus diſſimules ſeu permittas, quo pacto illud cum amore & pietate Filii ſtare poſſit, ignoro. In Monte Calvariæ B. Virgo ad pedem Crucis conſtanter tibi adſtitit, & quamvis carnifices eſſent inhumaniſſimi,

mi, nullus tamen eam contingere fuit ausus, aut debitum negare honorem. Ita fuit, & ita esse oportebat, siquidem per Prophetam hoc promiseras: *Flagellum non appropinquavit tabernaculo tuo.* Itaque Mariæ Virginis Fili, si tibi tantæ tunc curæ fuit honor reverentiaque Matris, quare nunc tantas ipsi injurias inhonorationesque irrogari permittis? Neque mihi dixeris, Domine, ibi fuisse personam, hîc imaginem. Ejusdem Virginis imago tantùm erat arca Testamenti; quam quia Oza tangere præsumpsit, vitam te vindice perdidit. Si ergò tam te rigidum ostendisti Mariæ offendenti figuram, quare talem te non ostendis modò? Quælibet tunc sufficiebat erga res sacras irreverentia, ut ad stuporem usque & miraculum quasi illam vindicares. Si Jeroboamo manum contrà Prophetam extendenti, ipsum mox prodigiosè exaruit brachium, quomodo hæreticis tuos jam Sanctos inhonorare ausis, pro aliis adhuc sceleribus exercendis brachiorum usum relinqnis? Si Balthasarum, eò quod sacris ad potandum ex eis abusus sit vasis, in quibus corpus tuum non consecrabatur, vitâ privâsti & regno: quare vivunt hæretici, qui calices consecratos in usus convertunt prophanos? Nunquid tres nunc desunt digiti, qui contrà sacrilegos mortis sententiam scribant?

Pſ. 90. v. 10.

Denique, Domine, expilatis templis, altaribusque eversis, Catholica Christianitas in Brasilia expirabit; divinus cessabit cultus: herbæ & virgulta nascentur in Ecclesiis, sicut in agris, & nemo eas ingredietur. Transibit dies natalis tuus sine nativitatis tuæ memoria: transibit quadragesima & hebdomada sancta, nec celebrabuntur Passionis tuæ mysteria. Lugebunt viæ, sicut illas devastatæ Jerusalem Jeremias luxisse testatur: *Viæ Sion lugent, eò quod non sint, qui veniunt ad solemnitatem.* Desolatæ videbuntur & solitariæ, ut eas non calcet Fidelium devotio, more similibus diebus consueto. Non erunt altaria, neque Missæ sacrificia, neque Sacerdotes, qui ea offerant: Catholici morientur sine confessione & Sacramentis: hæreses in hisce ipsis prædicabunt pulpitis: & loco S. Hieronymi & S. Augustini, infamia in eis resonabunt nomina Lutheri & Calvini: falsam imbibent doctrinam Innocentes qui remanserint Lusitanorum reliquiæ: ad eumque deveniemus statum, ut præsentium filii & nepotes interrogati: Juvenis, seu Pater, cujusnam es sectæ? Hic se Calvinistam, alius Lutheranum se responsurus sit. Ergòne hoc tolerandum, mi Deus? Oves tuas S. Petro commissurus, trinâ eundem vice de amore interrogâsti: *Diligis me? Diligis me? Diligis me?* Et hoc nunc modo non Pastoribus eas, sed lupis tradis? Esne idem, an alius? Hæreticis tuum gregem? Hæreticis animas tradis? Cum animas nominaverim nihil, ultrà tibi dicam. Nunc scio, Domine, compariendum pœnitendumque tibi esse, & cor animumque tibi deesse, ad tales videndas miserias & strages. Et si (sic enim piissima tua viscera promittunt) si inquam dolor & pœnitentia postea subsequentur; desinant iræ, cessent nunc executiones: neque enim justum videtur, ut modò te delectet, cujus posteà te pœniteat.

Thren. 1. v. 4.

Joannis 21. v. 15.

Multum, Domine, detulisti homini in creatione mundi, propriis tuis eum formans manibus, animamque illi habitu

pro-

proprio insufflans, similiterque imaginis tuæ & similitudinis characterem illi imprimens. Sed eodem mox creationis die non plenè eo contentus fuisse videris; siquidem de omnibus aliis creatis testatur Scriptura, quòd bona tibi fuerint visa:

Gen. 1. v. 10. *Vidit Deus, quòd esset bonum.* Quod de solo homine jam creato subticuit. Mysteriosam hanc admirando subticentiam suspensum hucusque vacillavit humanum judicium, causam penetrare nequiens, quòd tam publicè in omnibus aliis creatis complacentiam protestatus fueris, in solo verò homine, qui opus erat perfectissimum, beneplacitum omninò nullum ostenderis. Elapsis tandem mille septingentis & ultrà annis, Scriptura eadem, quæ mysterium hoc suppresserat, idem nobis aperuit, scilicet pœnituisse te

Gen. 6. v. 6. hominem fecisse: *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra*; quodque tu ipse

Ibidem v. 7. dixeris: *Pœnitet me fecisse eos.* Et sic occultum tanto tempore, tandem patuit secretum. Porrò tu, Domine, pœnitere & tædere te dicis creâsse hominem; hæc igitur causa fuit, quod à creationis ipsius principio nullam in eo complacentiam ostenderis, neque dici volueris, quod bonum tibi fuerit visum; convenienter rationi tanquam alienum quid à sapientia & providentia tua judicans, quod aliquid unquam bonum tibi videretur, quod postmodum te fecisse pœniteret: *Pœnitet me fecisse.* Cùm hæc igitur sit conditio altissimaque Providentiæ tuæ statûs ratio, nunquam placere, de quo pœnitendum: cumque similiter sit certum, in piissimis misericordiæ tuæ visceribus, si repræsentatas jam tibi afflictiones, miserias, stragesque permiseris, necessariò doloremque pœnitentiamque subsecuturam: pœniteat te dum tempus est, Deus misericors; divinæ pietatis & misericordiæ tuæ oculis nos respice; irritatam contine & cohibe justitiam; iracundiæ tuæ sagittas, tuus amor confringat, & tot tamque irreparabilia damna avertas. Hoc supplices, & totics in conspectu tuo divino prostratæ tam Catholicæ, & suo & omnium statûs hujus nomine, petunt animæ. Neque ob temporalium, quibus cedunt, jacturam humillimè tibi supplicant, neque alia tibi media aut viæ iram exequendi desunt; sed propter spiritualem & æternam tot animarum jacturam, propter templorum, altariumque tuorum injurias, sanctissimi Corporis & Sanguinis tui sacrificii exterminium, & intolerabilem absentiam, & sanctissimi hujus Sacramenti absentis desideria, quod quanto adhuc tempore suâ nos consolaturum sit præsentiâ ignoramus.

§. V.

CUm ad istud devenerimus punctum, à quo discedere nequeo, neque discedi facilè potest: divina tua & humana insinuare nobis videtur bonitas, haud gravatè se sic facturam, nostris persuasam & convictam rationibus; nisi ex parte altera divina reclamaret justitia: & cum æqualiter justus sis & misericors, punitionem omittere nequeas; quod Brasiliæ tot, tanta, tamque enormia peccata illam extorqueant. Confiteor, mi Deus, confitemurque omnes, maximos nos esse peccatores: Verùm tantum abest, ut huic acquiescam responso, ut hæc ipsa potius tot, tanta, tamque enormia peccata novum mihi efficaxque suppeditent motivum, ex temetipso ad tuum bonitatem convincendam.

Maxi-

Maxima argumentorum meorum vis & energia hucusque non alii innixa fuit fundamento, quàm fidei, honoris, gloriæque sanctissimi nominis tui: *Propter nomen tuum.* Enim verò quodnam vel quale nomini tuo glorioſius poſſum offerre
Pſ. 24. v. 11. motivum, quàm quod multa & gravia noſtra ſint peccata? *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.* Amore tui nominis, Domine, certus ſum (inquiebat David) remittes mihi peccata mea, non enim qualiacunque ſed multa ſunt & magna: *Multum eſt enim.* O motivum ſolius Dei pectore dignum! ô conſequentiam, quæ ſoli Bonitati ſummæ poſſit eſſe violenta! ut ſua ſibi remitterentur peccata, allegavit peccator eſſe multa & magna. Sic eſt: & non peccatoris, nec peccatorum, ſed ipſius Dei honoris & gloriæ amore; qui quanto plura & majora peccata remittit,
Ibidem. tantò major innoteſcit, ſanctiſſimumque nomen ejus magnificat & exaltat: *Propter nomen tuum, Domine! propitiaberis peccato meo: multum eſt enim.* Idem David in miſericordia Dei magnitudinem &
Pſ. 50. v. 3. multitudinem diſtinguit: magnitudinem, *Secundùm magnam miſericordiam tuam*; multitudinem, *& ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum.* Et quoniam miſericordiæ divinæ magnitudo eſt immenſa, & miſerationum ipſius multitudo eſt infinita, & immenſum metiri nequit, nec numerari infinitum; ut utraque proportionatam aliquatenùs gloriæ contineant materiam, eidem miſericordiæ magnitudine congruenter peccata oportet eſſe magna; multitudine verò ejusdem miſerationum convenienter multa ſint oportet: *multum eſt enim.* Meritò igitur Domine, peccata noſtra & magna & multa eſſe concedo & conſentio; neque tamen etiam inſtandi ratio mihi deeſt, cauſamque petendi, quare eadem punire non ceſſes: *Quare obdormis? Quare faciem tuam avertis? Quare obliviſceris inopiæ noſtræ, & tribulationis noſtræ?*

Eandem hanc rationem à te petiit Job, dicens: *Cur non tollis peccatum meum? Et quare non aufers iniquitatem meam?* Et quamvis pro parte tua inſignis non defuerit ſcripturarum tuarum interpres, illum reprehendens, victus tandem confeſſus eſt; Job, juſtâ motum ratione, eandem à te exegiſſe: *Criminis id loco Deo impingis, quod ejus, qui delinquit, non miſereatur?* Inquit S. Cyrillus Alexandrinus, q. d. Sufficitne Job, quod Deum crimineris & reprehendas, quod peccata tua puniat? Eisdem verbis, & peccata criminaque te commiſiſſe confiteris; eisdemque verbis rationem à Deo exigit, quare ea puniat? Iſtud eſt rationem dare; & magis eam poſtulare. Peccata & culpæ, quas manifeſtas, cauſa ſunt pœnæ, ſi igitur rationem das, quare eam petis? Quia licèt ad punienda peccata, Deus rationem habeat ſuæ juſtitiæ; ad ea tamen condonanda, pœnamque ſeu punitionem remittendam rationem habet majorem, ſcilicet illam ſuæ gloriæ: *Qui enim miſereri conſuevit, & non vulgarem in eo gloriam habet; ob quam cauſam mei non miſeretur?* Job à Deo rationem petit, & magnam petendi rationem habet (idem reſpondet Sanctus illum reprehendens) ſi enim Dei eſt indoles, miſericordiâ uti, remittendoque peccata non vulgarem ſibi gloriam conciliat, quam quæſo, habet, aut ſufficientem rationem

Job. 7. v. 21.

S. Cyrill. Alex.

dare-

dare potest ea non condonandi? Idem Job hujus sui argumenti vim nervosis valdè contrà DEUM verbis antecedenter declaraverat: *Peccavi, quid faciam tibi?* q. d. Si ego feci, ut homo peccando, quænam tibi ratio ad non operandum instar DEI, mihi condonando? Plus adhuc dixit, & dicere intendit: *Peccavi, quid faciam tibi?* q. d. Peccavi, quid tibi plus facere possum? Et quid, ô Job, DEO feciſti peccando? Non modicum illi præstiti obsequium; occasionem illi præbui ignoscendo mihi & condonando magnam sibi gloriam lucrandi. Ego illi tanquam causæ, præstitam mihi debeo gratiam; & ille mihi tanquam occasioni, acquisitam sibi gloriam debet.

Job. 7. v. 20.

Et si ita se res habet, Domine, sine venia & exaggeratione; si ita se res habet, misericors DEUS, quod ignoscendo peccatis major tibi gloria accedat, qui omnium actionum tuarum finis est & scopus; ne dicas te non condonare & ignoscere, quia peccata nostra multa sunt & magna, magnam hanc gloriam, misericordiarum tuarum magnitudini & multitudini indulgere fas est. Indulgendo & compatiendo nobis vel maximè majestatis tuæ gloriam ostendere oporteret; & non puniendo, quod in potestatis tuæ despectum potiùs, quàm incrementum vergit. Ecce hoc in punitione hac ultima, quâ præter omnem mundi temporisque spem exercitum seu classem nostram dissipari & disjici permisisti, quâ major æquinoctialem lineam nunquam transivit: potuisti, Domine, classem nostram disjicere, sed quantum hoc omnipotentiam tuam glorificat, posse hoc, quod ventus etiam potest? *Contrà folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam.* Evellere & destruere nationem unam, prout nos evellis & destruis, est potestas similis illi, quam homuncioni de Anathot contulisti: *Ecce constitui te super gentes, & super regna, ut evellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* In condonando & miserando vel maximè Majestas tua & omnipotentiæ tuæ gloria patescit: *Qui omnipotentiam tuam, parcendo maximè & miserando manifestas.* Puniendo, nos superas, infirmæ enim sumus creaturæ; parcendo verò, superas temetipsum, qui omnipotens es & infinitus; ista tantum victoria est de digna; quia sola tua justitia, æqualibus armis contrà tuam misericordiam pugnare potest; victoque infinito, infinita manet victoris gloria. Parce igitur & condona, benignissime Domine, propter hanc magnam gloriam tuam: *Propter magnam gloriam tuam.* Propter immensam istam sanctissimi nominis tui gloriam remitte propitius: *Propter nomen tuum.*

Job. 3. v. 25.

Jerem. 1. v. 10.

Et si fortè tua divina adhuc contradicat justitia; profectò non jam misericors, sed justissime DEUS, hæc eadem justitia tot jam annorum severis castigationibus contenta conquiescere posset. Nunquid tu, quâ justus, ille es Judex, de quo Vates tuus cantat: *DEUS Judex justus, fortis, & patiens, nunquid irascitur per singulos dies?* Si igitur tua velut justi judicis

Psal. 7. v. 12.

ira non omnium, neque multorum est dierum; quare tot annorum severitatibus ipsi non erit satisfactum? Scio equidem, Legislator supremæ, in casibus iræ quamvis justæ, legem tuam nobis præcipere, ne integro quidem die continuari, sed ante Solis occasum deponi debere: *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Si igitur à fragilitate humana tam sensitiva talem in commotionibus exigit moderationem, terminoque tam breve & præciso, dimitti condonarique mandat: Tu, qui DEUS es infinitus, tanta es cordis latitudine, quanta immensitate; & in condonandi materia temetipsum hominibus proponis in exemplum; quomodo est possibile, tot annorum rigoribus iram tuam non placari, totiesque occidentem iterumque orientem Solem vindictæ tuæ gladium evaginatum semper, & sanguine manantem videre? Ego putabam scripturas te justitiæ Solem nuncupare, quia etiam quando exæstuat & ardet brevi temporis, duodecim scilicet horarum spatio radiorum tuorum rigor transiret: Verùm non hoc attestabitur Sol ille materialis, qui nos illuminat & circuit, cùm elapsi sint dies & anni, quibus bina vice super nos, de Tropico uno ad alterum transiens, semper te iratum contuetur.

Ephes 4. v. 26.

Malachiæ 2. v. 2.

Non jam, Domine, allego, quid dicet terra & homines; sed quid cœlum ipseque Sol dicet? Josue Solem stare jubens talibus linguæ Hebraicæ verbis illum est allocutus, quæ significabant, non ut sisteret, sed ut taceret: *Sol tace contrà Gabaon*; Tacere Solem jussit Dux magnanimus. Semimortui jam radii & splendores, quibuscum sepulturus se pergebat ad occasum, mutæ erant linguæ, quibus Sol ipse nimis eum vindicativum murmurabat: erant altissimæ voces, quibus de cœlo legis divinæ eum commonebat, prædicans, quod vindictam prosequi non posset; eo quod ille ad occasum vergeret: *Sol non occidat super irasundiam vestram.* Enim verò, si DEO velut legis ejusdem authore, disponente Sol stetit, & dies ille (quo longiorem mundus non vidit) naturæ terminos multis excedendo horis longissimus fuit, id factum est, ut justâ lege cum justa conciliata vindicta, nec una ex parte executio omitteretur severæ punitionis; neque ex altera dispensaretur in rigore præcepti. Puniatur Gabaonita: puniri enim justum est; sed Sol subsistat, usque dum punitio finiatur: ut, quamvis justa vincentis iracundia, unius diei limites transgrediatur. Si igitur, Domine, terminus iste à lege tua est præscriptus: si prodigia operaris, & talia quidem, ut illa inviolata conservetur; & si Josue Solem tacere jubet, ne in querulas altasque contrà iracundiæ ipsius continuationem erumpat voces: Quid ipsum, quæso, solum nec immotum nec mutum vis dicere? Quid lunam & stellas nostras videndo miserias jam fessas, dicturas putas? Quid demum omnes istos jvis dicere cœlos, non ad duam promulgandam justitiam, sed tuam decantandam & enarrandam gloriam conditos: *Cœli enarrant gloriam Dei.*

Josue 10. v. 12.

Ps. 18. v. 1.

Denique, ô Benignissime JEsu, vere

Josue,

Josue, & Sol vere, omnium rationum nostrarum Epilogus & conclusio ipsum tuum sit Nomen: *Propter nomen tuum.* Si Sol reprehendit Josue ob rigores ultra diem extensos, & Josue Solem tacere mandat, ne eos corripiat: quomodo Divinæ tuæ justitiæ reprehensibile videri potest erga nos misericordiâ uti, tantis jam & tam acerbis irrogatis nobis castigationibus, non per diem unum, aut multos duodecim horarum dies, sed per tot tamque longos annos, ut ad duodecim fermè accedant? Si es JEsus, id est, Salvator, esto JESUS & Salvator noster. Si es Sol, & Sol justitiæ, antequam ille hujus diei occidat, dimitte rigores tuos. Egredere ex immiti Leonis signo, & istud Virginis signum ingredere, signum propitium & beneficum. Humanas recipe influentias, à quo humanitatem assumpsisti. Ignosce & condona nobis, Domine, per merita Virginis sanctissimæ. Ignosce & dimitte nobis per ejus intercessionem & preces, vel per ejus imperium. Nam si velut creatura à te pro nobis petit veniam, qua Mater imperare tibi potest, ut nobis dimittas & indulgeas. Denique dimitte nobis, ut tuo dimittamus exemplo: etiam nostro dimitte nobis exemplo; ut omnes ab hac hora dimittamus omnibus amore tui: *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

Amen.

SERMO
DE
S. THERESIA,
ET DE
SANCTISSIMO SACRAMENTO.

Dictus Ulyssipone, in Ecclesia de Incarnatione: concurrentibus duobus Festis in Dominica XIX. post Pentecosten. Anno 1644.

Simile factum est regnum cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et misit servos suos vocare invitatos. Matth 22.

Caro mea verè est cibus: & Sanguis meus verè est potus. Joan. 6.

Simile est regnum cælorum decem Virginibus, quæ accipientes lampades suas exierunt obviam sponso & sponsæ. Matth. 25.

§. I.

DIE, quo tria nobis proponuntur Evangelia, mirandum non est, quòd super tria prædicemus Themata. Evangelium primum de currente est Dominica, quod universalis hodie cantat Ecclesia. Secundum de divinissimo est Sacramento, ob particularem hujus Ecclesiæ devotionem. Tertium de Communi Virginum, in memoriam Glorioſæ Virginis tantarum tamque Sanctarum Matris, Sanctæ Matris Theresiæ à JESU, cujus solennitas etiam hodie occurrit, & hîc celebratur.

Incipiendo igitur ab Evangelio primo

(quod

(quod velut universale magis & diei huic magis proprium introitum nobis pandit, & fundamentum ad omnia suppeditat) in eo Magister divinus dicit & docet in parabola, Regnum cælorum simile esse homini Regi: *Simile factum est regnum cælorum homini Regi.* Non dantur duo sibi tam similia in mundo, quàm Rex & regnum. Reges sunt specula, ad quæ componuntur subditi; talesque regni erunt actiones, quales Regis fuerint inclinationes. Non loquitur Christus de quolibet regno; neque de quolibet loquitur Rege; sed de regno cælesti, & de Rege homine: Rege enim humano, beatum erit regnum; & Rege homine, tam securum erit regnum terræ sicut regnum cœli. Rex iste, inquit Dominus, magnificentissimè Principis sui filii nuptias celebravit: *Qui fecit nuptias filio suo.* Et in hoc quoque se Regem hominem esse monstravit: memoria enim successionis mortalitatem agnoscit. Præsente jam nuptiarum die, servorum suorum quosdam, vocatum invitatos misit, ut ad prandium venirent. Porrò sacer textus quiddam quasi incredibile dicit, quòd nimirum venire noluerint: *Et nolebant venire.* Si Rex illos vocâsset ad bellum, excusationem habuisset eorum inurbanitas in fragilitate & pavore naturali: sed ad nuptias, & ad prandium seu convivium nolle venire? Paulò inferiùs idem inquit Evangelium, quòd Rex suos misit milites, qui iverunt: modò suos vocavit invitatos; & non venerunt. Ego hanc illis incivilitatem condono propter exemplum. Quod si subditi & vasalli suo desint Principi, fiat hoc potiùs in convivio, quàm in campo. Rex invitatos nolle venire cernens, mandatum intimavit secundum; sed non per eosdem, sed alios servos: *Misit alios servos.* Non est nova ratio status in Regibus, ad meliorandas voluntates, mutare Ministros. Ratio verò, quâ hîc Rex est usus, meo judicio, expedita magis, & adinventa videtur. Misit alios servos secundâ vice; bonum est, ut labore partito vadant omnes. Si secundi quieverunt euntibus primis, bonum est quiescere primos, euntibus modò secundis. Ita ut Rege mutante servos, id non sit reprobare talenta, sed dividere laborem. Si primis ex voto non succesſit, secundi meliorem non habuêre successum; quia neque mutationem melioritas semper consequitur. Primi, malas invenêre voluntates: *Nolebant venire*; Secundi, mala opera sunt experti: *occiderunt eos.* Quod ostendit, invitatorum nonnullos eò insolentiæ fuisse progressos, ut non injuriosis solùm verbis Regis servos aggressi fuerint; sed manibus insuper injectis necem intulerint. Daturne ingratitudo major? Nunquid inurbanitas invenietur major? Quænam major subditorum ingratitudo esse potest? Quid Rex hoc casu faceret? Textus ait, ipsum mox missis exercitibus exemplarem punitionem exequendam imperâsse, non in solas rebellium personas & corpora, sed in ipsam eorum civitatem, in qua degebant, de qua nihil remansit, præter cineres in perpetuam audaciæ talis memoriam vel oblivionem. Sic Rex ille fecit, & sic Regibus faciendum est. Hodie ausus invadere servum, cras audebit invadere Dominum. Milites suos in radendis & evertendis civitatibus propriis occupavit, ubi proprium magis videtur fuisse acquirere alienas; non enim tam damnosæ sunt hostilitates

Matth. 22. v. 2. Tota Evangelii explicatio alludit ad casus, qui istis diebus acciderunt.

Ibidem v. 2.

Ibidem v. 3.

Ibidem v. 4.

in inimicis, ſicut audaciæ in ſubditis & vaſallis. Præſtat pauciores habere civitates, & plùs obedientes. Hinc Evangelium civitatem vocavit ſuam, eorum; & non Regis: *Civitatem illorum.* Civitas regiis reſiſtere auſa Miniſtris, non eſt civitas regia, ſed libera: coroniſque fas non eſt libertates tolerare. Quod ſi ſervi offenderunt invitatos, querelas ſuas deponant: ad hoc enim Regi ſunt aures; ſed violentias attentare & exequi? Non eſt, nec erit bonum tolerari à Regibus; Matth. 22. v. 7. ſed iram ignesque meretur: *Iratus eſt, & civitatem eorum ſuccendit.* Tam rigidum ſe foris oſtendit, ut Rex; dolor tamen & ſenſus intus reſedit, ut homini: *Perdidit homicidas illos.* Notate terminos. Verbum, *perdidit*, ſignificat occidere & perdere: taliter enim puniebat, ut ſe perdere conſideraret. Occidere homicidam, eſt perdere hominem: *Perdidit homicidas illos.* Punitione ſic Ibidem v. 8. peractâ, Rex ad ſervos converſus ait: *Qui invitati erant, non fuerunt digni.* Age, Domine. Nunquid ante eos cognoſcere, quàm invitare præſtitiſſet, quàm necdum cognitos invitare? Ecce maximum hic malum, & maximam pro mundo conſolationem! indignos eſſe invitatos, maximum eſt malum: bene meritos eſſe excluſos, maxima eſt conſolatio. Rex videns nolle venire invitatos, ad excluſos ſe convertit, qui ea fuerunt indolis honeſtate, ut venerint omnes. Chriſtus utique in parabola ſua hanc non introduxiſſet differentiam; niſi idem ſuis in electionibus experirentur Principes. Electi ipſorum datâ occaſione venire recuſant: eorundem verò excluſi occaſione datâ veniunt omnes. Servi, aſſerente Textu, vocârunt omnes, quos in viis compitiſque invenerunt: *Et impleta ſunt nuptiæ diſcumbentium*; Id eſt, repletæ fuêre menſæ. Quod haſce perambulant vias & plateas, ſine gratia, qui vocati ſuum optimè occuparent locum! denique Rex convivii locum ingreſſus invitatos eſt arbitratus; & hoc optimum fuit ferculum in menſa appoſitum; ſcilicet oculi Regis. Inter reliquos, quempiam non veſtitum nuptiali veſte contemplatus, non ſolùm ipſum ejici, ſed manibus pedibuſque ligatum, obſcuriſſimo carceri mancipari mandavit. Tam grande piaculum eſt, non feſtivè agere, quod Principes celebrant. Verùm dato, quod hic non fecerit quod ſui erat officii; hoc ſolùm ego ſingulariter conſidero, quòd ex omnibus invitatis nullus fuerit bonus, & ex omnibus excluſis unicus fuerit malus. Antequam ad nuptias intrarent boni erant & mali: *Congregaverunt omnes, quos invenerunt bonos & malos,* Ibidem. Jam ingreſſi, excepto uno, omnes fuerunt boni; optima enim praxis faciendi bonos, eſt illos admittere: deſpectus neminem melioravit; honor multos. Ibidem v. 10.

Hæc parabola eſt Evangelii, noſtrorum temporum hiſtoriæ adeò conſona, ut congruam propterea illis doctrinam adjunxerim. Interim ad feſti, ſeu feſtorum noſtrorum procedendo intentum, duo Evangelio huic deeſſe invenio. Evangelium de deſponſatione Principis, nuptialique convivio Regis loquitur: ſed neque in deſponſatione ſponſam nobis nominat: neque in convivio ferculorum nobis qualitatem declarat. Huic ſuccurrendo defectui, alia duo Evangelia aſſumpſi. Evangelium de Virginibus nobis innuit, quod ſponſa ſit S. Thereſia:

Exie-

Matth. 25. v. 1. *Exierunt obviam sponso & sponsæ.* Evangelium de Sanctissimo Sacramento ferculorum Corporis scilicet & Sanguinis Christi, nobis qualitatem declarat: *Caro mea verè est cibus: & Sanguis meus verè est potus.* Joan. 6. v. 56. Suppositio igitur, Sanctam, & Sanctissimum, geminam festi nostri esse partem, ut uno eodemque discursu, utrique obligationi satisfaciamus, hodiernum meum erit assumptum: quod maximi favores & gratiæ, quas Christus S. Theresiæ contulit, eædem omninò sint, quas Christus in Sacramento dignè communicantibus confert. Ad hasce coæquandas gratias, magnâ opus est gratiâ. Ave Maria.

§. II.

CUm gratiæ & favores tam sint singulares, quos excellentissimè amor Christi S. Theresiæ contulit; ut nec simul juncti, sed nec divisi, in aliis Sanctis inveniantur æquales: majus molimen sum aggressus, majusque onus subivi, quàm sibi quis fortassis imaginetur, dum demonstraturum me promisi, quod eosdem favores & gratias invisibiliter recipiant à Christo, ipsum dignè recipientes in Sacramento. Ne verò tanti difficultatem assumpti subterfugere videar; illud potiùs ad gratiarum actionem, devotionemque nostram magis acuendam exaggerare conabor. Ex omnibus favoribus & gratiis, quibus amabilissimus Dominus JEsus Christus hanc Sanctam suam fecit singularem (cùm impossibile sit expendere, & ponderare omnes) seligam notabiliores.

Prima igitur & manifestissima, quæ se mihi offert gratia, est, quando Christus ipse, Beatissima Virgine Maria & S. Josepho præsentibus, sanctæ Theresiæ sponsi præbuit manum. Desponsationes consentientibus & approbantibus parentibus factæ, optimè sunt qualificatæ: & ne hæc gaudii circumstantia deesset, ubi deesse non poterat certitudo, JESUS se, presente Josepho & Mariâ, desponsavit Theresiæ. In quonam verò desponsatio hæc constitit? Idem Dominus illud innuit, dicens: post hac ego ero totus tuus, & tu tota mea. Ita ut hæc desponsatio totalis & mutua, utriusque cordis fuerit traditio, quâ mediante non tantùm Theresia evasit, Theresia de JESU; sed etiam JESUS, JESUS de Theresia, Ly, *De*, adhuc superfluum est; nam esse unum de altero duo distinguit subjecta; & unio inter Theresiam & JESUM fuit tam intima, ut de unione transeundo ad unitatem, jam Theresia & JESUS non essent duo & discreta, sed unum tantùm, & idem. In præclara ipsius sponsi manibus facta id contemplemur imagine.

Creavit Deus Adamum & Evam; & sacer textus inquit: *Masculum & fœminam creavit eos*; & vocavit nomen eorum *Adam.* Gen. 5. v. 2. Si igitur Adam & Eva duæ erant creaturæ, & duo subjecta distincta: *Masculum & fœminam creavit eos*; cur Deus similiter non etiam duo illis imponit nomina, sed unum tantùm, & idem, & non aliud, quàm illud Adam: *Et vocavit nomen eorum Adam?* Quia Adamum & Evam sibi mutuò desponsavit DEUS in majore naturæ perfectione: & licèt vi creationis erant duo, virtute matrimonii manserunt unum. Necdum creatâ Evâ, Adam erat solus; formatâ jam de costa Adami Evâ, Adam est divisus; &

qui

qui tantùm ſubjectum fuerat unum, tranſiit in duo: verùm mox ut Adam datâ manu ſibi deſponſavit Evam, bina iſta ſubjecta redierunt in unum; quæque duo fuerant & diſtincta, unum idemque manſerunt: propterea Deus uno tantùm ipſos inſignivit nomine, neque alio, quàm Adami: *Et vocavit nomen eorum Adam.* Iſtud eſt factum; quidnam verò illius erat ſignificatum? S. Paulus inquit: *Sacramentum hoc magnum eſt: ego autem dico in Chriſto, & in Eccleſia.* Quicquid inter Adamum & Evam actum eſt, magnum myſterium fuit: in unione enim matrimonii illius, Deus velut in prototypo delineavit, quod poſtea verificandum erat in Eccleſia in deſponſatione Chriſti cum animabus ſanctis. Quisnam igitur iſte fuit Adam, niſi JEſus; & quænam Eva, niſi Thereſia? Ante deſponſationem hanc divinam Thereſia erat Thereſia de JEſu; & Thereſia & JEſus duo erant ſuppoſita, cum duobus nominibus diſtinctis: ſed acceptâ à JEſu deſponſationis manu, nomen Thereſiæ perditâ illâ diſtinctione, *De*, manſit Thereſia JEſu. Poſtmodum dicta Sara, antea vocabatur Saray; imminuitque illi Deus nomen, ut augeret dignitatem. Idem Thereſiæ de JEſu evenit. Suſtulit illi, ly, *de*, quod JEſum de Thereſia diſtinguebat; & manſit tantùm Thereſia JEſu. Quia JEſu in Thereſiam transformato, & Thereſiâ in JEſum; jam nec duo erant nomina, neque duo ſuppoſita; ſed unum tantum & idem. Ad Evangelium tranſeamus.

Ephes. 5. v. 32.

In principio Evangelii de decem Virginibus inquit Sacer Textus, omnes decem exiiſſe ad excipiendum ſponſum & ſponſam: *Exierunt obviam ſponſo & ſponſæ*; Et in fine ejuſdem Evangelii dicit quinque prudentes cum ſponſo ad nuptias intrâſſe: *Intraverunt cum eo ad nuptias.* Ita ut quando exierunt, ſponſum & ſponſam exceperint; ſed quando intrârunt, dicit tantùm, quòd cum ſponſo fuerint ingreſſæ: *Intraverunt cum eo*; Clarum eſt non decuiſſe foris manere ſponſam. Si igitur Virgines intrando comitatæ ſunt utrumque: ſicut exeundo exceperunt utrumque: quare ipſis ad excipiendum egreſſis ſponſi, & ſponſæ fit mentio; & ad nuptias jam ingreſſis ſponſus ſolus, & non ſponſa nominatur: *Intraverunt cum eo ad nuptias?* Præclarè S. Hilarius: *Sponſo tantùm obviam proceditur, jam enim erant ambo unum.* Nullus dubio eſt locus, quin ſponſus ſimul & ſponſa ad nuptias intrârint; ſed idem ſponſus, eademque ſponſa, qui ante nuptiarum ingreſſum fuerant duo, jam ingreſſi tantùm unum erant: *Jam enim erunt ambo unum.* Et quoniam jam unum, & non duo erant, hinc ſponſi tantùm, & non ſponſæ mentio eſt facta: *Intraverunt cum eo.* Pari planè ratione, nec plus nec minus in deſponſatione divina JEſu cum S. Thereſia accidit: junctis necdum manibus JEſu & Thereſiæ, diſcreti erant, & duo, nuptiis verò jam celebratis, jam ambo erant unum tantùm: *Jam ambo erunt unum.* Jam non Thereſia, & JEſus, ſed JEſus tantùm: *Intraverunt cum eo.*

Matth. 25. v. 10.

Quis nobis vim & veritatem hujus unionis declarabit, niſi illa, quæ eandem in ſe experta eſt, ſcilicet S. Thereſia? Tam ſindividuè ſe cum JEſu ſponſo ſuo unitam affirmabat Thereſia, ut illud S. Pauli ſibi uſurpare poſſet: *Vivo ego jam non ego; vivit verò in me Chriſtus.* O innexionem divinam: Ego non ego! Si es

tu;

tu, quomodo non es ; sum ego considerata in Christo: non sum ego considerata in me. Considerata in Christo, sum ego ; quia Christus vivit in me : & considerata in me, non sum ego; quia vivo in Christo. Aliâ vice cum Christo loquens, ait illi: Domine, quid mihi est de me, sine Te? Nam ego sine Te non sum ego: & de me, quæ non sum ego, quid mihi est? Ita ut ista duo corda adeò essent transformata, ut reciprocando vitas, unum viveret in altero : & eâdem in transformatione sic unita, ut quodlibet desinens esse aliud, unum tantum esset & idem: *ambo unum.*

De anima sancta sponsus inquit divinus, quod cor sibi vulnerâsset & surripuisset: quod vulnerasset: *Vulnerâsti cor meum*; prout textus habet Latinus: quod cor sibi abstulisset: *abstulisti mihi cor*; ut inquit textus Hebraicus. Idem Theresiæ cum corde suo accidit. Raptæ in ecstasin, Seraphim cum sagitta ignita aurea apparuit. Et quid fecit? Intortâ in pectus ejus cuspide, cor illi vulneravit: *Vulnerâsti cor meum*; sagittamque denuò extrahendo extremitatibus sagittæ cor ipsi sustulit: *abstulisti mihi cor.* Habemus ergo Theresiam sine corde: & sine corde quomodo vivet? Sine corde quomodo amabit? Imò ad vivendum, amandumque meliùs sponsus suus ipsi cor abstulit. Cor principium est vitæ: & ubi ambo eâdem vivebant vitâ, cor unum superaret: hinc illud Christus abstulit. Similiterque, ut melius amaret, illud abstulit; ambobus se mutuò non duobus cordibus, sed uno amantibus. Non datur rei hujus exemplum in terra; in cælo verò datur: & quidem perfectissimum. Perfectissimus amor, qui est aut esse potest, est ille trium divinarum personarum. Pater amat Filium, Filius amat Patrem, Pater & Filius amant Spiritum sanctum; Spiritus S. amat Patrem & Filium: & cùm amantium sint tres, voluntas, quâ se amant, est tantùm una : & sicut ibi tres sunt amantes cum una tantùm voluntate, ita hîc duo sunt amantes cum uno tantùm corde. O perfectum, ô divinum, ô felicem amandi modum! æquali amare amore! idem enim cor est, quod amat: & amare securâ & certâ correspondentiâ; idem enim cor correspondet: imò idem amor unitate reciprocâ est idem amor & correspondentia simul ; non enim amores poterant esse duo, amantibus transformatis in unum: *Et jam erunt ambo unum.*

Cant. 4. v. 9.

Nonne magnum vobis videtur amoris gratiæque extremum? Nonne magnus vobis videtur iste Christi erga Theresiam favoris excessus? Eundem amorem & favorem, eandemque gratiam Christus dignè communicantibus confert. In Evangelio de Sacramento probationem illius habemus. Nam quemadmodum Evangelio de Virginibus probavimus omnia quæ diximus ; & probabimus omnia quæ dicturi sumus de Christo respectu S. Theresiæ ; pari planè modo Evangelio de Sacramento probabimus, quantumcunque de eodem Christo dicturi sumus respectu nostri, & dignè communicantium

Caro mea verè est cibus, & Sanguis meus verè est potus. Primum, de quo Christus Dominus noster certos nos reddit in hoc Evangelio, est, quod Corpus suum verè sit cibus, & Sanguis suus verè sit potus. Ubi singulariter notandum, quod vim non ponat in eo, quod persuadere velit, esse verè suum corpus, quod nobis

Joan. 6. v. 56.

sub speciebus panis datur: & verè esse suum Sanguinem, quod sub vini speciebus consecratur; sed vim ponit in eo, quod istud Corpus & iste Sanguis verè nostrum est alimentum. Et quam ob causam? Quia universaliter proprium & naturale est omni alimento, in comedentis transire substantiam: & sicut Christus in hoc Sacramento realiter & personaliter præsens est, & non in aliis; hinc etiam in eo tantùm se nobis in formam modumque alimenti voluit communicare: ut sic quoque institutionis finem intelligeremus, qui non fuit, ut suam nobis tantùm gratiam communicaret, sicut in Sacramentis aliis: sed etiam, ut se nobis, nosque sibi reciprocè uniret. Idipsum Dominus declaravit, statim Joannis 6. v. 57. subjungens: *Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in Me manet & Ego in illo.* Scitisne quare Corpus meum, verum cibum, & Sanguinem meum verum potum appellam? Quia quemadmodum alimentum in substantiam aliti convertitur; sic ego me in vos, & vos in me transformare volo: ita ut vos me manducando, in me maneatis, & Ego manducatus in vobis maneam: *In Me manet, & Ego in eo.* Quia verò in hac unione & transformatione, ex duobus unum tantùm fieri oportet; Quisnam unus iste erit? vos non eritis, sed Ego ero, inquit Christus. Et S. Augustinus textum continuat ex ore S. Aug. Christi, hoc modo: *Nec Tu me mutabis in Te, sicut cibum Carnis tuæ, sed Tu mutaberis in me.* Ita ut, sicut in desponsatione Christi cum Theresia, ex duobus, quales erant, in unum transierunt, & transitu seu transformatione jam factâ, unum illud non erat principaliter Theresia, sed Chri- Gal. 2. v. 20. stus vivens in illa: *Vivit verò in me Christus*; ita in transformatione Sacramenti, dignè communicans tali modo unitur identificaturque cum Christo, ut Christus vivat in illo.

Ipsum Evangelium id affirmat, eodemque personarum sanctissimæ Trinitatis exemplo, quo unionem seu unitionem cordis Christi cum S. Theresia declaravi: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem, & qui manducat me, & ipse vivet propter me*; Id est, sicut ego vivo per vitam mei Patris, qui me misit in mundum: ita qui me dignè sumit, non per suam, sed per meam vitam vivit. Casus grandis! quod incarnata sapientia, exemplo quopiam dicta sua declarare volens, nullum adæquatum magis & proprium, quàm illud unitatis vitæque reciprocæ, inter se & æternum suum Patrem invenerit: *Vivit ergò per Patrem* (commentatur S. Hilarius) *& quomodo per Patrem vivit; eodem modo nos per Carnem ejus vivimus.* Sicuti inter Patrem & Filium, quà Deus, una tantum est vita, quia Pater vivit in Filio, & Filius in Patre, & alter alterius vitâ vivit; sic inter Christum, & communicantem, licèt sint duo, est & esse debet vita tantum una; nec alia quàm ipsius Christi: *Et ipse vivet propter me.* Proinde videant nunc communicantes, num vita, quâ vivunt, sua sit an Christi; & inde ex effectibus cognoscent, num debitè an indebitè communicent.

Joannis 6. v. 58.

S. Hilar.

§. III.

SEcunda gratia, sive favor, & magis adhuc extraordinarius, quem sancta Theresia à divino suo Sponso recepit, fuit, quod inter reliqua amoris extrema, hæc illi dixerit verba: Theresia,

resia, si cælum non creâssem, amore tantùm tui illud crearem. De nullo Sanctorum alio similis legitur favor & gratia. Gessit se Christus erga S. Theresiam, sicut
S. Aug. Sanctus Augustinus erga Deum, ad exaggerandum suum amorem. Si ego essem Deus, & tu non (inquit Augustinus) ego desinerem esse Deus, ut tu esses Deus. Grandem excessum habet hic amor, qui ad se declarandum suppositiones impossibiles fingit. Sed illas fecit cor, quamvis tam intelligens, humanum. Verùm Christus omnipotens, qui tam singularibus & exquisitis amorem suum Theresiæ manifestârat argumentis, conditionatos adinveniat casus, jamque factum supponat, quasi non esset; & quod jam esse non poterat, quasi possibile foret: ad sic declarandum amoris sui magnitudinem? Christi sapientia omnipotentiæ ipsius, & omnipotentia ipsius, ejusdem Sapientiæ æqualis est; & ejusdem Christi amor Theresiæ significet, quod plus sciat desiderare, quàm possit præstare; nec dicat, quod pro illa faciet, sed quod pro illa faceret? Considerans nunc casum istum, quem supponit Christus, & votum, quod Sancta Theresia fecit, intelligo, quod Christus se invenerit victum, & quod ab hoc sese expedire non possit, nisi hac suppositione. Emissum à S. Theresia votum, fuit, semper facere, quod optimum esset: & quoniam optimum, quod Deus facere potest, est cælum, & beatitudo, quæ jam facta erant, dixit, quod si cælum nondum fecisset, amore tantùm Theresiæ illud facturus esset. Si amor Theresiæ voto se obstringit ad faciendum pro me semper, quod est optimum, quo pacto amorem hunc compensare possum, nisi similiter pro Theresia optimum faciendo? Verum, nunquid hoc optimum jam est factum? Notum sit ergo Theresiæ de me, quod si cælum non fecissem, ejus solùm amore id facerem. Cum verò Christus omnium amore prædestinatorum cælum fecit, solius Theresiæ amor tantùm in conceptu æstimationeque Christi valere videtur, quantum omnium prædestinatorum amor simul sumptus?

Ex notabilioribus S. Pauli scriptis, fuit istud: *Christus JEsus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.* S. Paulus peccatorum non fuit primus ordine seu antiquitate; nam iste fuit Adam: neque primus fuit peccatorum magnitudine aut multitudine; siquidem alii majores fuêre peccatores: & ipse eodem loco per ignorantiam se peccâsse fatetur: *Quia ignorans feci.* Undè ergò S. Paulus se primum maximumque peccatorem infert: *Quorum primus ego sum?* Verbis antecedentibus illationis hujus ratio continetur: *Christus JEsus venit in hunc mundum peccatores salvos facere*; Idemque Jesus etiam ad salvandum me solum de cælo venit: in judicio igitur æstimationeque Christi, tanti ponderis fuerunt mea, quam mundi totius peccata. Eodem ego modo infero. Sicut S. Paulus ad exaggerandam peccatorum suorum gravitatem, consideravit Deum tantum fèciſſe pro se, quod pro toto fecerat mundo: Sic CHRISTUS ad exaggerandam amori sui magnitudinem, dixit; se facturum fuisse pro Theresia hoc, quod pro omnibus fecerat prædestinatis. Et quemadmodum Christus amore tantùm Pauli descendit de cælo, sicut totius mundi descenderat amore:

1 Tim. 1. v. 15.

Ibidem v. 13.

re : sic Christus amore tantùm Theresiæ crearet cælum, si omnium prædestinatorum amore illud non creâsset. O amoris æstum ! ô exaggerationis excessum ! quod in Christi non adulantis, seu palpantis judicio, tanti sit ponderis solius Theresiæ, quanti omnium amor ! Evangelium repetamus.

Simile est regnum cælorum decem Virginibus, quarum quinque erant prudentes, quinque fatuæ, inquit Christus, in hac parabola. Et cum sit parabola, non exiguam difficultatem numeri hujus facit æqualitas. Author inveniens seu adornans parabolam, sicuti eam disponendi, historicèque describendi convenienter suæ intentioni, libertate gaudet: sic quoque in terminis eam probabilibus, & verisimilibus & communiter fieri solitis deducere tenetur. Hoc suppositio non oportuisse videtur tot esse prudentes, quot fatuæ. Mundus non foret tam fatuus, neque tam malè gubernaretur, si de singulis decem mulieribus, decima prudentiæ solveretur. Decem isti leprosi, quos Christus sanavit, erant viri; quia verò unus tantùm gratias acturus venit, ubi novem alii essent interrogavit: *Et novem ubi sunt?* Enim verò, si in decem viris novem inveniuntur ingrati, quomodo non erit verisimilius, quod in decem mulieribus novem invententur fatuæ? Non est dubium quin humanæ conformiter conditioni numerus hic magis fuerit proprius, intentionique Christi congruentior, quæ erat damnandorum considerare frequentiam. Cur igitur Magister divinus in hac parabola non novem Virgines fatuas & unam prudentem introducit? Quia sicut fatuæ excluſæ animas significant damnandas; sic prudentes intromissæ animas designant salvandas, & cælum ingressuras. Casu, quo verò una tantùm prudens intromissa fuisset; nec erat, nec vero simile esse poterat, Christum pro una tantùm anima cælum fuisse creaturum. Idcirco historiam minùs reddendo verisimilem, ut significatum verosimilius fieret, non unam tantùm in ea introduxit prudentem, sed multas : *Et quinque prudentes.* Matth. 25. v. 2. Verùm, quamvis improbabile videatur, juxta mentem parabolæ, quod Christus pro una tantum anima crearet cælum: talis Theresiæ erat anima, tamque excessivus Domini in eam amor; ut casu quo, & supppsito, quod cælum non creâsset, verissimum & infallibile esset, quod solùm amore ipsius illud crearet. Porrò si eandem amoris Christi figuram desideratis videre depictam, ad Apocalypsin transeamus.

Luc. 17. v. 17.

S. Joannes mysteriosam illam adeò famosam vidit mulierem, stellis coronatam, Sole vestitam, lunamque supplantantem. Et juxta S. Bonaventuræ, Ruperti, Victorini, Hugonis, Alberti Magni, aliorumque expositionem, qui per hanc mulierem animam à Deo desuper illuminatam, cælestibusque virtutibus exornatam intelligunt; cuinam, quæso, animæ ratione justiore accommodari potest prodigiosa ista & admirabilis figura, quàm S. Theresiæ, in cujus sublimi & elevato Spiritu, liberalitas divina dotes prærogativasque perfectionis deposuit, prout in vita ipsius leguntur; & tot ardentissimæ lucis splendores, sicut in scriptis ejus cum admiratione percipiuntur? S. Franciscus Borgias, cum sit unus ex spiritus S. Theresiæ examinatoribus, primum tale de ea testimonium dedit : quod esset mulier magna. Dico igitur Sanctam

There-

Theresiam illam fuisse mulierem magnam, quam Sanctus Joannes in Apocalypsi describit; quod eâdem visione probo.

Textus ait, mulierem istam filium concepisse sexûs animique masculini, qui mundum virgâ ferreâ regeret, & in cælum raperetur: partum hujus filii magnis illi constitisse doloribus & ærumnis: exiisse illi obviam multis capitibus coronatis draconem, eum devoraturum. Propheticæ Carmelitanæ historiæ Author inquit, istum filium futurum Eliam Prophetam in fine mundi. Et ego diversâ valde consideratione, & expositione, etiam in hoc filio Eliam agnosco; sed non quod erit aut futurus sit; sed quod jam fuerit; & non tanquam filium universalis Ecclesiæ, sed tanquam partum singularem Sanctæ Theresiæ. Agedùm audite. Eliam & sexus & animi fuisse masculini: *Peperit filium masculum*; Apoc. 12. v. 5. Ex cordato cum omnibus seu parvis, seu magnis agendi modo, & vel maximè ex animi, contrà magnos constantia, plùs satis innotuit. Num virgâ ferreâ rexerit Gentes, loquatur Rex Achab, Regina Jezabel, Rex Ochozias, & quadringenti & quinquaginta Pseudoprophetæ Baal, quos uno decollavit die: testentur idem quinquagenarii duo, cum suis singuli quinquaginta militibus Duces, quos ignis de cælo consumpsit. Atteste tur idipsum clausum ab eo tribus annis sine pluvia, quasi æneum cælum. Confirmet denique ipse raptus in cælum: *Et raptus est ad Deum, & ad thronum.* Ibidem. Sic illum subitò rapi, suisque oculis eripi, Discipulus suus Elisæus vidit. In monte Carmelo Elias tam rigidam Religionem fundaverat, ut suo rigore Fundatorem referret. Octingenti ante Christum transierunt anni: & post incarnatum Christum plures quàm mille quingenti, quorum labente spatio, vel tempus, vel ejusce vicissitudines, vel observantiam dissolverant, vel primitivi illius instituti rigorem relaxârant; quando Theresia duplici ejusdem Eliæ spiritu induta, eundem intra se concepit, non ut excitaretur, quia mortuus non erat, sed ut renasceretur: & non solùm in mulieribus, qualis ipsa erat, verùm etiam in viris. Mundus conatum hunc & molimen impossibilia judicando, dicebat cum Nicodemo, Eliam jam annis magis esse gravem, quàm ut in uterum matris suæ revertendo renasceretur? *Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iteratò introire & renasci?* Joan. 3. v. 4. Verùm sancta Mater (quæ ex tunc talis esse cœpit) quemadmodum secundò conceperat Eliam, sic illum secundò peperit, mundo monstravit incredulo feliciter renatum: *Peperit filium masculum.*

Et quantis illi doloribus prodigiosus ille partus, ejusque novitas constiterit, altis exprimit verbis ipse textus: *Clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret.* Apoc. 12. v. 2. Quot labores, quot contradictiones, quot persecutiones, quot obmurmurationes, quot infidelitates, & falsa testimonia, sublimis ille & constans devoravit spiritus? Omnium motor existebat draco infernalis, magnâ textus proprietate, multis capitibus iisque coronatis adjutus: vix enim fuit corona, non solùm profana, sed & sacra (immò multæ etiam Religiosæ & Regulares) quæ non fortiter oppugnaret, & glorioſum hunc partum adoriri & opprimere curaret. Vicit tandem Theresia, & ad discretionem novi

primique instituti excalceavit se instar Eliæ; & hoc pacto apparuit, si benè advertistis, in eadem figura cælesti, quam repræsentabat. S. Theresiæ calcei erant de juncis, prout cælitùs inventum; taliter excalceant pedes, ne quid illis pulveris terreni adhæreſcat: est certa medii calcei species, non ad calceandos & regendos pedes, sed ut ipsis calcentur pedibus. Ad hoc mulieri deserviebat Luna, quam S. Jonnnes vidit. Communiter dicimus (ut superiùs innui) Lunâ fuisse calceatam, & non bene dicimus, Si fuisset lunâ calceata, oportuisset pedes lunâ fuisse coopertos, verùm illa pedes non habuit lunâ opertos, sed lunam sub pedibus: *Et luna sub pedibus ejus.* Sic luna junceos S. Theresiæ calceos repræsentabat, & sic illa excalceata apparuit in cælo, non jam velut filia, qualis fuerat, sed velut nova Eliæ primitivi Mater: Mater & filia proprii sui Parentis, tanquam Virginum Virgo.

Ibidem v. 1.

Probato igitur omnibus textûs proprietatibus, quænam mysteriosa esset mulier à S. Joanne visa. Quod modo considero, notandumque est singulariter, est, quod Mulier eadem totum occupabat & implebat cælum, & omnes cælos. Pedibus stabat in cælo lunæ, quod est primum: Corpore occupabat cælum solis, quod est quartum: Capite contingebat cælum stellatum, quod est octavum. Tam ergo Giganteâ erat statutâ, ut à primo usque ad ultimum, totum occuparet cælum. Si igitur cujuslibet cæli magnitudo adeò est immensa, & illa cælorum omnium tam incomparabiliter major; quomodo possibile est, quod una tantùm mulier illam occuparet totam? Quia mulier illa, ut vidimus, erat S. Theresia, & Theresia in se ipsa, & æstimatione Christi est tanta, ut illa sola totum cælum adæquet. Eam ob rem non jam possibili, sed certa suppositione asserit; quod si cælum nou creâsset, propter ipsam solam illud creaturus foret. Hoc si minus ita se habet, ipsum cælum empyreum intremus, de quo propriè magis Christus loquebatur, & videbimus, quod si in cælo hoc exteriore visibili, S. Theresia omnia loca suâ occupabat figurâ: in cælo interiore invisibili eâdem personali suâ occupet præsentiâ. Humana natura beatificata in cælo, septem habet loca: Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Doctorum, Martyrum, Confessorum, & Virginum: & in omnibus eminentem habet sedem S. Theresia. In loco Virginum, propter puritatem; in loto Confessorum, propter pœnitentiam; in loco Martyrum, propter desiderium; in loco Doctorum, propter scripta sua admiranda; in loco Apostolorum, propter ardentissimum suum fidei propagandæ zelum; in loco Prophetarum, propter altissima visionum, revelationum, & prophetiarum suarum arcana, in loco denique Patriarcharum, cum esset mulier, velut glorioſissima Mater, tamque illustris Religionis fundatrix, Religionumque lumen & splendor. Enim verò, si Christus in cælo visibili, etiamque in cælo invisibili, totum Theresiæ dedit cælum, pensate an non pro sola illa id crearet, nisi jam creâsset. Et cum cælum pro omnibus prædestinatis, id est, pro omnibus, qui fuerunt, sunt aut erunt beati, sit creatum; vos judicate, utrum, prout dixi, tanti ponderis in æstimatione Christi solus fuerit amor Theresiæ, quanti amor omnium.

Gran-

Grandis favor, ingens Gratia, dicitis omnes: cum non sit exaggeratio, sed infallibilis veritas ex ore Christi! sciat itaque quilibet nostrûm, quod eundem istum favorem, eandem istam gratiam in Sacramento cuilibet communicanti exhibeat. Si Christus faceret pro Theresia, quod pro omnibus fecit prædestinatis: in Sacramento non solùm faceret, sed facit pro quolibet communicantium, hoc quod fecit pro omnibus. Cùm enim in Sacramento se totum dat omnibus, æqualiter se totum dat singulis. Verum est, Sacramentum factum esse pro omnibus; sed tali modo omnibus, quasi factum esset tantùm uni. Habemus illud in Evangelio, nec in una ejus tantum parte, sed in toto:

Joannis 6. v. 57. *Qui manducat meam Carnem & bibit meum Sanguinem, in Me manet, & Ego in eo.* Notate, non dicit: qui manducant: sed, *Qui manducat.* Pergit & prosequitur Christus:

Ibidem v. 58. *Sicut misit Me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem; & qui manducat Me, & ipse vivet propter Me.* Iterum notate, quod non dicit illi, sed ille: *Et qui manducat.* Denique Sacramentum cum Manna comparat, dicens, quod Patres eorum, quibuscum loquebatur, comederint Manna, & mortui sint: *Patres vestri manducaverunt Manna, & mortui sunt.* Hic per bonam consequentiam, & ad oppositum magis declarandum dicere debuisse videtur, quod Corpus suum manducandes victuri essent in æternum: verùm hic quoque non in plurali, Illi; sed in singulari, ille, dixit: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.* Quamobrem igitur semper non illi, sed ille, dicit? Quare in singulari semper, & non in plurali loquitur? Et cum Sacramentum institutum sit pro omnibus, cur non de multis, sed uno tantùm asserit? Porro pro majore admiratione notate, in omnibus sententiis istis, Christum semper phrasim mutasse: primò enim dixit: *Qui manducat meam Carnem*; secundò: *Qui manducat Me*; tertiò: *Qui manducat hunc panem.* Si igitur de Sacramento, quod est caro Christi & Christus totus, sub speciebus panis, loquens semper variavit phrasin; de communicantibus loquens, quare nunquam variavit aut multiplicavit numerum, imò perstitit & perseveravit semper in singulari: qui manducat; qui manducat; qui manducat; qui manducat? Ratio hujus est, quia licèt amor Christi Sacramentum instituit universaliter pro omnibus, tali modo abstraxit, nosque ut abstraheremus ab hac universalitate voluit; ac si reverà, non pro multis, sed pro uno tantùm singulariter institutum esset. Et sic est; Christus enim in Sacramento totum se dans omnibus, & totum cuilibet; tali modo, talique amore se totum dat uni, quasi tantùm amaret, tantique faceret unum, quantum amaret, quantivè faceret omnes.

Sanctum Salvianum vivaciter magis & profundè hanc singularitatem experimentem auscultate: *Sicut totum ei debent universi, sic totum singuli, quod tantùm acceperunt singuli, quantùm universi*; Id est, in Sacramento tantùm Christo debent omnes, quantùm quilibet; tantùm enim accipit quilibet, quantùm omnes. Et quid hinc sequitur? Considerationis nunc profunditas innotescit: *Ubi enim hoc unus accipit, quod universi, & si par est mensura, major est invidia*; Id est, nam quando unus tantùm accipit, quantùm omnes, licèt mensura sit æqualis, invidia est major.

S. Salv.

Idem.

Mul-

Multos quidem super hac clausula commentantes, multorumque sensus & opiniones super hoc Salviani ænigmate legi, sed nullam quæ satisfaciat. Nam ut locum inveniat invidia, inæqualitatem esse oportet; ubi verò dati æqualis est mensura, quomodo potest esse invidia? In Mannæ distributione nemo invidebat; mensura enim, Gomor appellata, tam plena dispensabatur uni quàm alteri. Si ergò hic quoque æqualis est mensura: *Par mensura*; quomodo major invidia esse potest: *Major invidia est?* Quia in manna tantum accipiebat unus, quantum alius; sed non tantum unus, quantum omnes: verùm in Sacramento, quia tantum accipit unus, quantum omnes, invidiæ; & quidem invidiæ magnæ locus esse potest: non propter inæqualitatem Sacramenti, ubi non est; sed propter numeri inæqualitatem, quæ est maxima, quæ dari potest. Quando unus tantum accipit, quantum omnes, quomodo illi uni, non invidebunt omnes? Quod si in cælo locus esset invidiæ, ibique sciretur, quod cælum omnium Beatorum amore factum, Christus solius Theresiæ amore esset facturus, nunquid sufficiens foret invidiæ occasio, ista tanta differentia? Eadem res est in Sacramento. Imò dico, quod sicut ex parte omnium unius respectu potest esse invidia; sic ex parte unius respectu omnium, poterit esse superbia. Deus tantum faciat pro me, quantum pro omnibus! ille me suâ regat manu, ne tantus me favor in superbiam erigat. Hic, & in hoc veri honoris puncto, superbiam nostram eluescere optarem: illa verò tam vana est & vilis, ut cùm Deus sua nos æstimatione adæquet omnibus; idem ille Deus æstimatione nostra post ponatur & minoris fiat omnibus.

§. IV.

TErtia gratia seu favor, & valde singularis, quo Christus suum S. Theresiæ declaravit amorem, fuit iste. S. Theresia tam familiariter loquebatur cum Christo, prout novimus. Et vice quâdam familiariùs conversata, de præsenti transiens ad futurum S. Theresia illi dixit: ingens fuit amor, Domine, quo divina tua Majestas Magdalenam dilexit. Sub hisce verbis secunda quædam intentio haberi posset, nisi Theresia ea protulisset. Una ex majoribus amoris divini prærogativis est, esse amorem sine zelotypia. Amans Deum, illum ab omnibus amari, omnesque vicissim ab ipso amari desiderat, ideoque amor est. Amor humanus (cui falsò id nomen tribuimus) nec societatem in amando admittit, nec quempiam plùs se amari patitur, ideoque est amor proprius, vel propriè magis invidia. Locuta igitur est Theresia, non se comparando Magdalenæ, sed quasi secretum illud sui cordis ex Christo indagatura; respondit que illi Christus hoc modo: Theresia! Ego amavi Magdalenam agens in terra, te verò amo existens jam in cælo. Ita ut amorem distinxerit per locum; excellentiamque unius per melioritatem alterius.

Si Christus esset sicut cæteri hominum, facillimè responsum hoc intelligerem. Is amoris est status & conditio, ut cum cordis sit affectus: magis à locis, quàm voluntatibus dependeat: proinde longè est excellentiùs, amare in cælo,

quàm

quàm in terra. Prosperitates nullo prorsus amore sunt dignæ, nec major est amoris inimicus, quàm felicitas. Prædicatores olim istud exemplo probant Josephi, in ingratitudine Pharaonis Pincernæ: hodiedum verò veritates hæ sic probantur experientiis, ut nec fide, nec scripturis adhoc opus sit. Certum est, amorem, fortuna subjacere imperio: si est adversa, nemo vos amat: si est prospera, vos neminem amatis. Hoc in tantum verò consonat, ut velut novum quid & singulare S. Paulus de Christo asserat: *Qui descendit, ipse est & qui ascendit*; Id est, Christus qui ascendit in cælum, est idem qui descendit in terram. Alii quippe homines quando ascendunt, communiter sunt iidem; quando descendunt sunt alii: hinc tot allaborant ut eos descendere faciant. Si igitur Christus in cælo, & in terra semper est idem: quo pacto rationem differentiæ seu gloriæ non aliam assignat, quàm quod Magdalenam amaverit adhuc agens in terra: Theresiam verò jam existens in cælo? Ratio est, quia licet in Christo mutatio loci non facit differentiam in voluntate; melioritas statûs magnam addit qualitatem amori. In ipsa illud Magdalena habemus.

Ephes. 4. v. 10.

Christo à Pharisæo invitato, domum ejus Magdalena fuit ingressa ad pedes Christi prostrata, consueto tum temporis more, pretiosissimis illos unguentis unxit copiosis lachrymis irrigatos, suis tersit capellis, delectans eos, & delectata ex ipsis; donec doloris amorisque sui sitim restingueret. Alia subsequente vice, paucisque ante mortem suam diebus, Christo in Bethania, in domo Simonis discumbenti, Magdalena similia exhibuit oblectamenta, majoris tamen confidentiæ & familiaritatis circumstantiis; non enim unguenta ex pretiosissimis speciebus confecta super pedes, sed super caput effudit: *Super caput ipsius recumbentis.* Et utroque casu, tantum abfuit ut Christus Magdalenam à se repelleret, vel illud obsequii genus tanquam à modestia suæ familiaritatis alienum reprehenderet, ut illam laudando publicè defenderit: primâ vice contrà temerarium Pharisæi judicium: secundâ contrà murmurationes indebitas Discipulorum. Quibus omnibus ita se habentibus, resurgens idem Dominus, resurrectionis diluculo eidem apparuit Magdalenæ; hæc à sua respirare tristitia, suas exhilarare lachrymas, sua consolari desideria gestiens, vitamque suam resuscitatura, prostrata pedes amplexari parat sacros, unde eam ipsius anima acceperat: & ecce novitate reprehensioneque inopinatâ à Christo repellitur contingere verita: *Noli Me tangere.* Repulsæ hujus ratio data (quam mox considerabimus) non tollit, sed dubium auget. Si Christus ante mortem suam, in qua Magdalena tam constanter ipsi astitit, admittebat grataque sibi ostendebat ipsius servitia, quo pacto post resurrectionem eadem refutat, imò ipsam à se repellit; num fortassis minus nunc Magdalena merebatur? Clarum est quod non, immò multò plûs; amorem enim vitæ, cum mortuo solitum finire, & cum sepulto sepeliri, vivus, mortuus, & sepultus, & quod plus est, jam jam expiraturus Christus in ea constantem semper fuerat expertus. Si igitur amor erat idem; excellentiæ clariores, meritumque majus; quare Christus illi gratiam ante mortem concessam, post resurrectionem

Matth. 26. v. 7.

Joan. 20. v. 17.

S. Joan. Chrysost. negat? Quia ante mortem, inquit S. Joannes Chrysostomus, Christus erat mortalis & passibilis; post resurrectionem jam erat immortalis & glorioſus: cùmque novus hic ſtatus adeò eſſet differens, etiam eâ differentiâ tractari volebat. Primus ſtatus erat ille terreſtris, quo ad ſerviendum venit; ſecundus ſtatus erat cæleſtis, quo ad regnandum abiturus erat: proinde tractabat Magdalenam, viciſſimque ab ea tractari volebat non eâ familiaritate quâ converſatus fuerat in terra; ſed pro majeſtate, quâ regnaturus abibat in cælum. Chriſtus ipſe rationem hanc Magdalenæ dedit.

Ibidem v. 18. Chriſtus Magdalenæ dicens: *Noli me tangere*, adjunxit: *nondum enim aſcendi ad Patrem meum: vade autem ad fratres meos, & dic eis: aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum*; q. d. Quamvis me adhuc in terra vides, & in cælum nondum aſcendi, nihilominus tibi dico, noli me tangere; deinceps enim me tractabis, quaſi jam in cælo fuiſſem, & non in terra. Et vade dictum fratribus meis, me aſcendere ad Patrem: *Dic eis: aſcendo ad Patrem meum.* Notabile nuncium tali die! dies erat Reſurrectionis, & nuncium eſt Aſcenſionis! nuncium eſſe debuiſſe videtur: Dicito Diſcipulis meis, quòd reſurrexi, quòd tibi apparui, quòd me vidiſti, quòd vivo: ſed ad cælum abeo: *Aſcendo ad Patrem*! & non quòd abiturus ſim, ſed quòd jam aſcendo: *Aſcendo*? Ita planè. Ut intelligerent Apoſtoli, ſtatus novitatem, ad quem reſurrexerat, ejusdem differentiam à præterito: quodque jam non agendum eſſet tanquam cum ſocio in terra, ſed tanquam cum Domino in cælo. Quodque nunciari juſſit Apoſtolis, erat idem, quod Magdalenæ reſponderat; ut ex unico, quod deferebat, rationem factæ ſibi prohibitionis cognoſceret: quod etiam hoc modo intellexit. Chriſtus iterum Magdalenæ, aliisque Mariis eodem die apparuit. Et hæ quid fecerunt? *Tenuerunt pedes ejus & adoraverunt Eum.* Matth. 28. v. 9. Si igitur Chriſtus iſta ſecunda admiſit obſequia, quæ cum cæteris Magdalena exhibebat, quare prima ejusdem refutavit? Quia prima amoris tantùm & familiaritatis erant: ſecunda honoris tantùm reverentiæ: illa erant amplexûs, hæc adorationis: *Et adoraverunt Eum.* Tanta jam erat Majeſtas Chriſti, qui jam tractabatur, tantâque ſe veneratione voluit tractari: non quod jam non ampliùs eſſet idem; ſed quia ſtatus ipſius jam non erat terreſtris ſed cæleſtis. Proinde ſi ad repudiandos Magdalenæ affectus, ſine ſolitis favoris gratiæque argumentis, dicere ſuffecit, quòd jam ad Patrem aſcenderet: penſate utrum diſtinxerit, valdeque exaggeraverit amoris ſui excellentiam, ex ſtatûs ſui differentia, cum amando Magdalenam, & amando Thereſiam; de Magdalena dicit, quòd eam amaverit in terra exiſtens; & Thereſiæ, quòd ipſam amet agens in cælo. Jam tertiò repetatur Evangelium.

Virgines fatuæ, paucis illis horis, quibus præſtolatæ ſunt Sponſi adventum, non ſunt infatuatæ. Extra dubium eſt, ſufficientia non defuiſſe motiva, ad evortendum illis judicium. Videbant enim lampades ſibi in occaſione maximæ ſolemnitatis extinctas; nec ſocias experiebantur conceptæ de ſe opinioni reſpondentes, de quarum amicitia majorem ſibi

huma-

humanitatem promiserant. Verùm ante hæc omnia, necdum ad nuptiarum apparatum admissas, prævie jam tum fatuas illas fuisse Evangelium insinuat: *Quinque autem ex eis erant fatuæ.* Si igitur Sponsus Christus, non obstante defectus illius notitiâ, ad primum nuptiarum actum illas admisit, quare ab ultimo excludit? Quia primo in actu adhuc agebat in terra, quo Sponsam quæsiturus advenit; in ultimo jam erat in cælo, quo illam sustulit: & quoniam status Christi in cælo adeò transcendit illum, quem habuit in terra, in terra, ubi omnia sunt imperfecta, cum prudentibus admisit & fatuas: In cælum vero, quod est patria & regio perfectionis, nonnisi prudentes admisit. Quod verò de prudentibus ad fatuas, Christus tantam faciat differentiam, quanta cælum inter & terram intervenit, reprehensione vacat: verùm de prudente ad prudentem, & inter duas prudentes, quales erant Magdalena & Theresia, amor ejus discernat, amando unam quando erat in terra, & alteram quando jam est in cælo? Immo vero, patientiam pro nunc Magdalena habeat, amor enim plus respondere non poterit in favorem Theresiæ.

Pro clariore hujus differentiæ, declaratæve hujus prærogativæ & gloriæ intelligentia, considerare oportet, quomodo Christus est in cælo, & quocum. Status quem Christus habet in cælo, tam diversus est ab eo, quem habuit in terra, ut illuc abiturus suis Discipulis dixerit: Joannis 14. v. 12. *Qui credit in Me, opera quæ Ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet, quia Ego ad Patrem vado*; q. d. Vos, qui in Me creditis, non solùm mirabilia patrabitis opera, quæ ego nunc patro, sed majora. Et quare? *Quia Ego ad Patrem vado*; Id est, quia ego ad cælum abeo. Ergò quia Christus abit ad cælum, idcircò Discipuli sui majora patrabunt miracula quàm ipse Christus patrabat adhuc agens in terra? Christo adhuc degente in terra, etiam Discipuli ejus operabantur mirabilia, minora tamen quàm ipse Christus faciebat, & quædam operari non poterant: Quænam igitur est ratio? Quod post ascensionem in cælum, non solùm eadem facient miracula quæ fecit Christus, sed majora? Quia sic supremo dignissimoque statui quem Christus habiturus erat in cælo, congruebat. Magnificentia majestasque dominorum, ex potestate & authoritate Ministrorum cognoscitur. Porrò tanta est differentia status, quem habiturus sum in cælo (inquit Christus) ab illo quem habebam in terra, ut vos, omnesque illi, qui mihi tunc serviebant, non solùm ea facturi sint, quæ ego feci, sed opera multò majora. Si illi mecum collati in terra, me videbuntur excedere: Ego mihi comparatus in cælo, quid futurus sim, quis imaginando assequetur? Et si tanta est differentia, quam Christus habet de statu ad statum, itemque de se ipso ad seipsum, tantùm quia in cælo est: *Quia ad Patrem vado.* Etiam pensate, quantum amor unus accrescat super alterum ex hac circumstantia; quantoque plus fuerit, Theresiam amari à Christo existente in cælo, quàm Magdalenam amari à commorante adhuc in terra?

Verùm enim verò non sufficit tantùm nosse, quomodo Christus est in cælo, necesse est etiam considerare quocum est.

Christus in cælo ab omnibus adamatur & stipatur Beatis. Quinam vero hi sunt Beati, quæve eorundem gloria? Nemo nostrûm hoc assequi præsumere posset, nisi ipse Christus hoc declarâsset. In solemni illo de S. Joanne Baptista panegyrico duo notabilia dicit Christus: primum, Baptistam inter natos esse majorem: secundum, minorem in regno cælorum, eodem Baptistâ esse majorem: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ: qui autem minor est in Regno cælorum, major est illo.* Ubi Baptista jam cælum fuerit ingressus pluribus ibidem major erit: verùm quousque versabitur in terra minimus, in Regno cælorum major est ipso. Et quare? Quia illi in cælo Deum vident (inquit S. Hieronymus) Baptista illum necdum videt. Illi in cælo amant per visionem; Baptista amat per fidem: illi in cælo jam victores, sunt coronati; Baptista adhuc habet quod vincat, & actualiter pugnat: *Aliud est coronam victoriæ possidere, aliud adhuc in acie pugnare*; Et quod Christus adhuc agens in terra, ubi inter natos major, minor est minimo in Regno cælorum, valdè Mariam Magdalenam amârit, non tam fuit excellens: Verùm quod jam existens in cælo, ubi minor istius Regni, major est maximo inter natos in terra, in tantum amârit Theresiam, hoc fuit differens illud, quod Christus ipse consideravit, qui solus hoc ipsum penetravit. Magdalenam tanquam sic amantem & amatam, Christus in cælum elevari jussit, ut musicam Angelicam audiret: & Theresiam degentem in terra, usque adeò adamavit Christus, ut in cælo jam agens, musicâ Angelicâ derelictâ descenderit in terram ad conversandum cum Theresia. Christus igitur ex status sui, ex loci, societatisque suæ differentia amorem suum exaggerando dicat, quod amaverit Magdalenam, & amet Theresiam? Sic est: sed Magdalenam, quando adhuc versabatur in terra: Theresiam, jam degens in cælo.

Matth. 11. v. 11.

S. Hier.

Enim verò si hæc amoris circumstantia, tantum auget ejus excellentiam, quantum cælum distat à terra; non minore, sed eâdem omninò Christus nobiscum utitur, nosque fruimur in divinissimo Sacramento. Ipsum Evangelium illud dicit: *Hic est Panis, qui de cælo descendit.* Proferens hæc verba Christus necdum ipse cælum conscenderat, neque Corporis sui Sacramentum sub speciebus panis instituerat. Si igitur nondum erat panis, neque in cælum ascenderat, quomodo illud vocat panem de cælo descendentem: *Qui de cælo descendit?* Verissimum est, Sacramantum quod à pane esse incepit in cœna, non fuisse, neque descendisse de cælo, nisi à die Ascensionis & deinceps; Corpus quippe Christi, quod est substantia Sacramenti, nunquam fuit in cælo, nisi post memoratum jam diem: nihilô seciùs Christus panem illud appellavit de cælo, antequam esset de cælo; quia etenim exaggerare volebat, quantum nobis daret, circumstantiam anticipavit, ut excellentia magis eluceseeret. Futurum illud asseruit, quando nondum erat: valde etenim substantiam ejus augebat quod erat, circumstantia futuri. Futurus erat panis, qui amore nostri descendit de cælo: *Panis, qui de cælo descendit*; & sic quemadmodum idem Christus amorem, qui diligebat Theresiam, prætulit

Joan. 6. v. 59.

amori

amori quo dilexerat Magdalenam, per differentiam amantis in cælo, & amantis in terra; sic in Sacramento valde considerat non tantum substantiam dari, quantum circumstantiam loci unde descendit. Quod Christus ad manducandum se tradat, quamvis hoc sit *Non plus ultra* amoris: attamen in cælo jam existentem se dare, & ad dandum descendere, longè est excellentius, quàm si fuisset in terra.

Hinc sequitur, plus nos debere, obligatosque esse Christo, propter Sacramenti continuationem, quam ejusdem institutionem: potiùs propter modum, quo nunc se dat nobis, quàm quo in principio se suis dedit Apostolis: in principio enim se dedit adhuc mortalis & passibilis; modò se dat immortalis & glorioſus: in principio se dedit, adhuc agens in terra, modò se dat jam existens in cælo. Sic illud intellexit admirabundus intelligendi scientiâ prædituſ, quamvis eodem fruendi felicitate privatus, scilicet David: *Panem cæli dedit eis, Panem Angelorum manducavit homo.* Tria hîc certa asserente Propheta, unum dubio subesse videtur: Sacramentum esse panem de cælo, dari in terra, manducari ab hominibus, omnia sunt certa: verùm quod iste panis, sit panis Angelorum, quomodo, quove titulo? Vel esset panis Angelorum, si Angeli eum manducarent, sed hi illum non manducant: vel esset panis Angelorum, si illum ipsi conficerent, & consecrarent: verùm ista potestas solorum est Sacerdotum. Quare igitur Propheta illum panem nuncupat Angelorum? Quia res propriè non sunt fruentis, sed merentis. Si panis cælestis daretur ex opposito; & non per justitiam, & non per favorem, dandus esset Angelis, qui sunt cælestes, & non nobis, qui terrestres, & terra sumus. Et suppetente in Angelis merito, & in nobis indignitate, panis ille negetur Angelis in cælo, & de cælo descendat, ut detur hominibus in terra. O amoris magnitudinem! & nescio utrum dicere liceat, magnam injustitiam! verùm amori, ut sit magnus, de iniquo quippiam participare opus est: quia injustus ex parte illius cui negatur; magis purus est ex parte illius cui datur: Sola S. Theresia istam justificavit excellentiam; mulier enim existens, Seraphim fuit: cumque nos, tanquam Angelos ad Communionem oporteret accedere, vix est, qui velut homo accedat: *Panem Angelorum manducavit homo.*

Ps. 77. v. 24. & 25.

§. V.

QUarta & ultima Gratia, quam in S. Theresia considero, fortiores adhuc & nervosiores habet circumstantias, quàm præcedentes. In principio, quo supremus Dominus noster Jesus Christus suam apparitionibus cœpit lætificare sponsam, tam frequentibus & extraordinariis, ut multo tempore suspensam dubiamque & perplexam totam redderent Ecclesiam: S. Theresia, tanquam prudens adeò & humilis, ut suo se judicio omnium creaturarum infimam reputaret, ne doli & illusiones diaboli essent, verebatur; ex consilio & obedientia Confessariorum suorum, quos doctissimos & in spiritualibus exercitatissimos illius temporis sibi semper elegit; apparentes sibi Christo in specie resuscitati & glorioſi, vel vulnerati spinisque coronati, vel eâ for-

formâ, quâ in mundo fuerat conversatus: Theresia non solùm torvum illi obvertebat vultum, cum signis despectus, sed & ore lacessebat convitiis, & manibus inferebat contumelias, & quasi communis humani generis fuisset adversarius, cruce & aquâ benedictâ contrà illum benedictum se obarmabat Dominum, qui ut eâdem nos amaret cruce, in ea mortem oppetere voluit. Amor verò divini sponsi adeò excellens erat & constans, ut non solùm æquo ferret animo optimâ intentione illatas sibi injurias; sed quoniam causam & originem habebant ex obedientia, approbaret gratasque sibi ostenderet.

Hic menti meæ occurrit proposito nostro serviens celebris illa quæstio coram Dario Rege agitata, & ab Esdra libro tertio literis consignata. Quæstio inter tres Regii Palatii Sapientes ventilata erat: quodnam fortissimum esset in mundo. Unus respondit, vinum: alter, 3 Esd. 3. v. 10. Regem: tertius, mulierem: & hic opi- 11. 12. nionem suam hoc probavit exemplo. Videbam, inquit, mulierem nomine Apeminem mirabilis Regis amasiam, ad 3 Esd. 4. Regis sedere dexteram: *Sedentem juxta* v. 29. *Regem ad dexteram.* Hæc auferrens coronam à capite Regis, eam imponebat suo: *Auferentem diadema de capite ejus, & imponentem sibi*; & manu sinis- v. 30. strâ alipas impingebat: *& palmis cædebat Regem de sinistra manu.* Et super hæc omnia Rex ore hiante suspensus erat & Ibidem raptus: *Et super hæc aperto ore intuebatur* v. 31. *eam.* Et si Apemen indignationem ostendebat, Rex novis blanditiis illam reconIbidem. ciliare curabat: *Nam si indignata fuerit, blanditur, donec reconcilietur in gratiam.* Sic victum sub actumque sibi hominem illum habebat amor, adeòque sui oblitus Rex ille agebat. Verùm quis in Deo talia sibi extrema imaginari audebit? Magnus est, excessivus est, & quasi incredibilis amor Theresiæ, quo victus te amat, æstimatque Christus auffers coronam de capite Regis Regum, tibi persuadens eum non esse illum quem vides: non solùm in caput tuum eam transfers, sed pedibus te eam calcare ostendis: non tantùm leves illi impingis alapas, sed violenter adactis manibus injurias & contumelias irrogas: non solùm ingratam te favoribus ejus, sed offensam & indignatam ostendis: *Et super hæc*; Super hæc omnia ille non agnitus te agnoscit, ille tam indignè habitus, ad te visitandam redit, ille novis gratiis favoribusque id agit, ut eum agnoscas, in tuamque gratiam recipias. Ad Evangelium accedamus.

Nihil profuit malè præventis Virginibus, consilium prudentûm fuisse secutas (hac excusatione, in inculpatis istis injuriis, conscientiam suam & obedientiam Theresia solabatur) nihil, inquam, profuit illis quinque Virginibus, nihilque consilium illud prævaluit, ne sponsus januam clauderet: *Et clausa est janua.* Iteratò nihilominus, incuriâ emendatâ, Matth. 25. v. 10. lampadibusque accensis pulsantes clamârunt: *Domine, Domine, aperi nobis*; Ibidem sed Christo respondente: *Nescio vos*; id v. 11. est, non cognosco vos: pulsare & clamare Ibidem v. 12. destiterunt. Hoc admiror & considero. Idem Dominus, qui Virginibus hisce januam claudi jussit, dixerat: *Petite, &* Luc. 11. *accipietis: pulsate, & aperietur vobis:* v. 9. & 10. *omnis enim, qui petit accipit, & pulsanti aperietur.* Si igitur idem Dominus id jus-

serat

ſerat & promiſerat; ſi pulſare petereque juſſerat, promittens petentem acceptu-rum, pulſantique apertum iri; quare pe-tere & pulſare non pergunt? Si petierunt & pulsârunt ſemel? Petant pulſentque iterum; & ſi hoc non ſufficiat, perſeve-rent in petendo, continuentque pulſatio-nem, ſciunt enim Deum hac importuni-tate delectari, idque docuiſſe Chriſtum. Quam igitur ob cauſam Virgines iſtæ tanto intrandi deſiderio æſtuantes, ut nihil ſolicitudinis, diligentiæ, expen-ſarumque omiſerint, omniaque quidem iſta mediâ nocte, poſitâ omni formidine & pavore præſtiterint? Quam, inquam, ob cauſam modò non inſtant & perſeverant, ſed triſtes obmuteſcenteſque recedunt nec verbum loquendo, neque compa-rendo amplius? Ratio eſt, quia ſponſus illis dixit: *Neſcio vos*; id eſt, non cogno-ſco vos. Et mox ut incognit s ſe vide-runt, ſic omnem dimiſerunt fiduciam, imò fervorem primum & deſiderium, ut nec loqui, nec comparere amplius fue-rint auſæ coràm eo, à quo non agnoſce-bantur. In noſtro caſu ignotæ non erant Virgines, neque Virgo, ſed ipſe ſponſus. Adeò Thereſiæ ignotus, ut non tantum non cognoſceret quiſnam eſſet; neque phantaſma tantùm reputaret; ſed alium omninò, ab hac divina ſpecie tam alie-num, uti eſt diabolus in angelum lucis transfiguratus. Et eouſque incognitus, & taliter tractatus injuriis, contumeliiſ-que affectus, Chriſtus ad inviſendam Thereſiam revertatur, neque apparere ceſſet, usque dum veritate agnita illi innoteſcat? Grandis ſanè nunquamque viſus amor!

Adhibita à Chriſto media, ut ſe Thereſia ſine ſcrupulo perplexitateque cognoſceret; effectuſque, quos poſt haſce apparitiones experiebatur, erant protinus tales, qualibus idem Domi-nus timoratas animas, de præſentiæ ſuæ veritate ſole reddere ſecuras. Ex hiſce etenim tam erroneè perceptis vi-ſionibus, creſcebat in corde Thereſiæ humilitas, contemptus ſui ipſius, hor-ror mundi; creſcebat zelus honoris Dei, omnesquæ ſolidæ virtutes, quæ ex apparitionibus diaboli, velut vento urente & infernali diſſipare ſolent & evaneſcere. Verùm argumentorum ho-rum nullum ſufficiebat, ut vel The-reſia, vel ſpiritûs ipſius directores, id ſecurum putarent. Chriſto apparenti Magdalenæ in hortulani habitu di-cere ſuffecit, *Maria*, unde illa ſuum agnoſceret Magiſtrum. Eidem Domino apparenti Diſcipulis euntibus in Em-maus, ſufficiebat frangere coràm illis panem, unde ſe ſimiliter agnoſcent: Verùm ut ſecurè illum cognoſceret Thereſia, ſigna nulla, demonſtrationes nullæ, nulla experimenta ſufficiebant: prout nec ſufficiebat; continuata illa incognitio, ut Chriſtus recederet, ta-liter enim à ſuo urgebatur amore. Recede, Domine, recede: & ego promitto Tibi, Te plus hoc effecturum receſſu, quàm tuâ præſentiâ; & plus non apparendo, quam tuis apparitionibus: mox enim, ut receſſeris & diſſipaveris, cognoſcetur, quis Tu ſis, quodque veri-tates tuæ ſecuræ ſint tanquam tuæ, quæ modò ſomnia, illuſiones & phantaſmata videntur: recordare quomodo magnum tuum Vicarium, & amantem ex carcere Mamertino juſſeris liberari. Captivus ibidem, duabuſque catenis vinctus atti-nebatur Petrus, excubiis ad oſtium diſpo-

ſitis,

sitis, quando Angelus liberaturus intravit. Tetigit ille catenas, & confractæ sunt: tetigit captivum & excitatus est; dixit: *Præcingere, & calcea te caligas tuas; & fecit sic.* Petrus tamen hæc omnia videns & faciens, non nisi somnium & illusionem esse putabat. Dixit ipsi Angelus, sequere me; & secutus est: transierunt primam & secundam custodiam, nullo impediente: appropinquârunt ad portam ferream, quæ ultrò aperta est eis: intrarunt civitatem, processerunt per vicum, & Petrus nihil eorum adhuc verum esse credens, imaginationes tantùm phantasticas esse putabat: *Nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.* Ecce quomodo frequenter maximis Sanctis, veritates, doli & deceptiones, cælestesque visiones, illusiones esse videntur. Quid verò fecit Angelus, ut veritatem agnosceret Petrus, crederetque quod credere non poterat? *Discessit Angelus ab eo.* Eodemque momento cognovit Petrus Angelum verè esse Angelum, seque verè ex carcere egressum & liberatum esse: *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me.* Ita ut quamdiu apparentem vidit Angelum, illum non cognoverit: mox verò ut ex oculis evanuit, ipsum cognoverit. Hoc remedio, Domine, Theresia Te cognoscet: si Te non novit sibi apparentem, dispare, & Te cognoscet. Verùm illud ipsum consilium, quod tu melius nosti, timeo valde, ne tuus non patiatur amor, quamvis sentiat, quod toties non agnitus videri debeat.

Actor. 12. v. 9.

Ibidem v. 10.

Ibidem v. 11.

Majore noctis parte, exigua in navicula Petri, cum tempestate magna luctando lassatis Petro aliisque Discipulis, & desperato jam remedio, Magister divinus ad littus usque opem laturus advenit inambulans undis. Periculum, tenebræ, prodigiosæque hujus figuræ magis magisque appropiantis passus, præter metum perturbationemque præsentem, effecêre ut non cognoscentes quisnam esset, phantasma se videre sibi persuaderent: *Ut viderunt eum ambulantem super mare, putaverunt phantasma esse*; Syrus legit: *Visum mendax*; & Expositores: *Illusionem diabolicam.* Hoc idem S. Theresiæ cum suis evenit visionibus, vel Christo cum illis. Quid verò Christus hoc casu fecit? Evangelista inquit, quod Discipulos deserere voluerit, *Volebat præterire eos.* Enim verò si ad succurrendum ibat, & quidem modo tam extraordinario & miraculoso, quare illos vult deserere? Quia ratio ipsa hoc dictabat videnti, seipsum phantasma, apparitionem suam deceptionem, veramque suam præsentiam illusionem diabolicam reputari. Verùm quia in navi illa sua fluctuabat cura, suus periclitabatur amor, illis succurrendo agnitus fuit. O Jesu! ô Theresia! multum esset si Christus tantum faceret pro Theresia, quantum pro Petro, Joanne, totoque junctim Apostolico fecit collegio: verùm incomparabiliter plus fecit. Non semel tantùm, nec uno tantùm die, sed annis integris phantasma fuit putatus: amor ipsius deducebatur ad judicia: visiones & apparitiones ejus, vel protinùs reprobabantur, vel suspectæ habebantur: & ipse non solùm non agnitus, sed injuriis affectus. Verùm voluntas ejus tam firma semper & constans, ut nunquam de ea dici posset: *Volebat præterire.* Incognitus

Marc. 6. v. 49.

Ibidem v. 48.

redi-

redibat quæsiturus & invisurus Theresiam ; injuriis contumeliisque affectus, novos illi exhibebat favores & gratias; nullumque mundi judicium, aut diffidentia ipsius, seu utriusque persecutio efficere potuit, ut unquam illam desereret, aut derelinqueret.

Et quis in mirabili hac imagine, veritatem, constantiam, patientiam, invicibilemque amoris Christi in nos perseverantiam in Sacrosancto isto Mysterio non videt? Nos illum ibi præsentem credimus & adoramus: nos vitam sanguinemque profundere sumus parati pro confessione & defensione, quod in ista consecrata hostia, nostris licèt invisibilis oculis adest, aderitque in finem usque mundi, tota Filii Dei Majestas, Humana & Divina, tam integra, realis & vera, sicut ad dexteram Patris. Quot verò Hæretici totum illud, quod Catholica credit & docet Ecclesia, blasphemè vocârunt, aut adhuc vocant phantasmata? Dicunt (tam ignorantes sunt & stolidi) Christum dicentem: *Hoc est Corpus meum*; nec dicere, nec significare intendisse, quod verba significabant: non aliud ibi adesse dicunt, nisi quod videtur, panis scilicet, & non Christus: garriunt omnia, quæ nos Catholici credimus, meras esse chimæras, dolos & illusiones. Et non obstantibus incredulitate ista, hac perfidia, hisce blasphemiis, omnibusque aliis injuriis, quibus excœcato intellectu, sacrilegi esse perseverant: tam immensa fuit amoris divini bonitas & benignitas, ut hæc omnia præveniens manserit nobiscum; tantaque amoris illius constantia, ut hæc omnia experiendo sufferens, à nobis non recedat.

Christus verbis illis, quæ sola nobis ex Evangelio considerandа supersunt: *Non sicut manducaverunt Patres vestri manna & mortui sunt*; Infinitam docens differentiam, quam Manna ad divinum habet Sacramentum, non alio actus fuit motivo, quàm quod cœcus ille populus Manna præferebat Pani cælesti, quem Christus illi promiserat; & Moysen ipsi Christo. Et quando morituros illos dixit, nisi Carnem suam comederent, & Sanguinem suum biberent: *Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Non solùm ex plebe, verùm ex Discipulis ipsius multi tergum obvertendo, à schola ipsius recesserunt, similia & auditui molesta, & fidei impossibilia creditu videri. Ita ut Sacramenti fides, non tantùm nata, verùm etiam in tali contradictionis signo concepta videatur: *In signum, cui contradicetur.* Sacramentum enim necdum institutum, jam negabatur; necdum datum persecutionem patiebatur; & promissum tantum, jam blasphemiis impetebatur. Itaque, Domine, si hoc est modo, & experimenta præsentia præfigurant futura: si homines isti tam sunt cœci, tam ingrati, tamque indigni; exhibitaque illis à te gratia, non eorum tantùm demeritum, verùm etiam capacitatem excedit: desine, desine, novum istud instituere mysterium. Pro salute quippe mundi illud Crucis sufficit: & quando homines sunt tales, ut te dimittant, & derelinquant; quia tu vis stare & esse cum illis, non maneas, ne te derelinquant. Ita fieret, nisi Christi in nos amor tam excellens & constans esset in Sacramento, sicut cum Sancta Theresia fuit erat Sacramentum.

Joann. 6. v. 59.

Ibidem v. 54.

Luc. 2. v. 34.

Durante visionum S. Theresiæ tam dubiâ veritate, idem ipsi apparens Christus, erat ille realiter, & non idem in opinione, quà talis (qualis reverà erat) amabatur, æstimabatur & adorabatur: quà alius putatus (qualis non erat) odio habebatur & despectui, & injuriis afficiebatur: porrò omnem istum amorem & odium, omnem istam æstimationem & despectum, omnes istas adorationes & injurias Theresia eodem exercebat tempore, cùm una tantùm esset. Quemadmodum enim mundus, cùm constet ex multis, nonnullis Fidelibus, aliis Infidelibus; his Catholicis, illis Hæreticis; his probè Christianis, aliis improbis; hi Christum in Sacramento credunt, alii negant; hi illum adorant, alii blasphemant; hi illum venerantur obsequiis, alii lacessunt injuriis: verùm quemadmodùm Jacob Rachelis amore, digerebat displicentias Liæ, multoque magis injurias Labani, & hoc fortis & constantis illius amoris excellentissimum erat argumentum: sic maxima Christi in Sacramento excellentia fuit, injuriis sese exponere & inhonorationibus offendentium, ne amantium deesset communioni, illisque semper adesset.

§. VI.

VErùm enim verò, quonam pacto, offensæ istæ, injuriæ istæ, justo animarum devotarum & piarum dolore compensari possunt, quæ illas haud aliter, immò plùs quàm suas proprias sentiunt & deplorant, eò quod illatæ sint Domino quem plus quàm seipsas amant? Hæc fuit illa optimè inventa compensatio, religiosissimusque præsentis solemnitatis scopus, restituere huic Ecclesiæ, furtum sacrilegum commissum in altera; repetitisque menstruè obsequiis, illius diei vindicare injuriam: ut idem Christus pro uno sacrilegio multa recipiat Sacrificia; pro una injuria multas adorationes; & pro occulto infidelitatis actu, multas publicas fidei protestationes, novasque illius exaltationes. Magdalena audito, sanctissimum Christi Corpus sublatum de sepulchro, dicebat: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt Eum.* Joan. 20. v. 13. Sic lamentanti personatus apparuit hortulanus, cui illa dixit: *Si tu sustulisti Eum, dicito mihi, & ego tollam.* Ibidem v. 15. Bene habet, Magdalena. Si conquereris te nescire, ubi Dominum tuum posuerint; edicito nobis etiam, ubinam tu eum inventum sis positura. Sublaturam se tantùm, & non ubi positura eum esset, dixit; ista enim consideratio amoris sui imitatricibus reservata fuit. Dominum in hoc supremo posuerunt Throno, ibi positus & expositus est, ut nostra fides publicè confiteatur & adoret: nostraque prostrata ibidem corda, horrendam & execrandam illam detestentur & compensent injuriam.

Omnes materialiter & involuntariè à S. Theresia illatas Christo injurias, ejusdem cor compensabat, idemque omnia hujus sanctæ Congregationis corda imitantur: quæ tam devota & prudens super pectus pyxidem, & ad hujus pedem, S. & clavum gestando, perpetuam sese offensi illius & adorati Domini ancillam protestatur. Videtur Dominus idem, de hisce cordibus propheticè locutus, quando Theresiæ dixit, quod nunc referam. Superiores sui mandabant Sanctæ, ut in Conventu de Incarnatione Avilæ Prio-

rissam

rissam ageret, quod illa ex humilitate recusabat. Eodem tempore Theresia familiarissimè agens cum Christo, quam nescio gratiam pro suo fratre postulabat: Christo verò expeditionem suspendente, tali usa fuit confidentiâ Theresia, ut præsumeret amorosè expostulare de hac, quasi negligentia; quàm suæ comparando diligentiæ & sedulitati; sic eum est affata: Certè, Domine, si tibi foret frater, pro quo à me quippiam peteres, sine mora hoc præstarem, si possem. Nunquid, Theresia, regerit Christus, Religiosarum de Incarnatione corda, mei sunt fratres, tuumque petunt adventum, quia tuâ indigent præsentiâ, & tu venire recusas? sic Christus arguendo querelam reddit querelæ: eâque insinuavit, quod illa in domo conformitas & confraternitas esset cordium, in qua etiam ille frater esset. Etsi corda Religiosarum de Incarnatione Avilæ, Christus suos vocat fratres, quantò justiore ratione idem nos nomen tribuere possumus Virginibus Religiosis de Incarnatione Ulyssippone, ob venerationem Sacramenti, illiusque sacræ custodiæ, cujus ipsæ sunt sacraria perpetua? Postquàm jam resurrexerat Christus, mandavit idipsum Mariis suis annunciare Apostolis, hisce verbis: *Ite, nunciate fratribus meis.* Fratribus, Domine? Quali excognatione? Amicos te illos, & non servos appellaturum dixisti, quia tua illis arcana revelâsses: sed quare fratres? Si nunquam eos hoc titulo decorâsti, quare id modò facis? Præclare Sanctus Chrysostomus: *Vester ego frater esse volui, ego communicavi Carnem propter vos, & Sanguinem; & per quæ vobis conjunctus, ea rursus vobis exhibui.* Christus in die Resurrectionis Apostolos vocat fratres, quia in ultima cœna, ultimâ ipsis vice adfuit, quando se illis in Sacramento dedit, & mediante Communione, Carnis, Sanguinisque agnationem fraternitatemque contraxerunt. Ut vera sit fraternitas, reciprocam eam esse oportet. Illudque Christus in Incarnatione & Sacramento, Assertore Chrysostomo, fecit: per Incarnationem nostram assumendo carnem, nostrumque sanguinem, factus est noster frater: & per Sacramentum eandem nobis dando Carnem & Sanguinem, nos suos fratres effecit: *Frater vester esse volui.* Ecce fraternitatem! *Communicavi propter vos Carnem & Sanguinem*; Ecce Incarnationem! *Per quæ vobis conjunctus, ea rursus vobis exhibui*; Ecce Sacramentum!

Matth. 28. v. 10.

S. Chrys.

Verùm, tam religiosâ humilitate imbuta sunt illa corda, Christi Fratres; ut, cùm Fratrem nomine gloriari possent, mancipia se vocent & profiteantur, titulos agnationis commutando cum symbolis servitutis, cum, S. & Clavo, super pectus. Christus visibiliter se desponsando S. Theresiæ, arrha bonis loco, & pro amoris sui tessera clavum aliquem suæ crucis ipsi tradidit. Ergone, Domine, Theresiam ad supremam sponsæ tuæ dignitatem elevaturus, clavum qui est signum, seu ferreum servitutis vinculum tradis? Ita. Quamvis enim Theresia desponsatione sublimissimam intimamque dari possibilem cum Christo contraheret cognationem; noverat nihilominus Christus ex animæ suæ, uti & omnium fideliter se amantium & venerantium animarum excellentiis, quod ipsa dignitas, quâ eas evehit in Sponsas, illis captivitatem inducat charactere ancillarum impresso. Iste

denique incarnationes, quando Angelus, futuram Dei Matrem gratiâ plenam nunciavit: Maria respondit: *Ecce ancilla Domini:* offerebatur illi dignitas Matris, & sumpsit sibi nomen Ancillæ: quia verò digniorem se æstimabat Ancillam, quàm Matrem, servitutis charactere, dignitatis decoravit coronam.

Luc. 1. v. 38.

Eja Domine JEsu Christe, cùm nonnullos in harum ancillarum cordibus inveneris spiritus tam similes illi eorundem purissimorum viscerum, de quibus eandem ipsam carnem, eundemque assumpsisti Sanguinem, quibus animas nostras, altissimum Incarnationis mysterium, cum illo Divinissimi Sacramenti conjungendo, pascit; ut immenso hoc amore nostra accendatur Charitas, infinitoque pignoris hujus pretio Spes nostra confirmetur, Fidei tuæ mysterio, vivam ferventium Catholicorum Fidem adauge, mortuam indevotorum & tepidorum resuscita; ejusdemque Fidei, perfidiæ obstinationisque Hæretici cognitionem omnibus infunde, ut omnes in te credant, te confiteantur, te venerentur & adorent; prout nos per tuam gratiam credimus, confitemur, & ante supremæ Majestatis tuæ Thronum prostrati, profundissimâ reverentiâ te adoramus. Et cùm generosa hæc corda tam sint heroica, ut amore tui parietibus hisce inclusa, ad Fidei tuæ defensionem, injuriarum tuarum ultionem prodeant in campum, ex iisque multiplicatas adeò nomini tuo glorias acquirere nôrint in terra: Eadem confiderent corda (cùm ego hoc declarare non possim) quàm condigna præmia Divina tua liberalitas & munificentia huic excellentiæ præparaverit in cælo.

FINIS.



INDEX

INDEX
LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

Primus Numerus significat Caput. Secundus Versus. Tertius Paginam.

Ex Libro Genesis.

Cap. Vers. Pag.

1. 2. *ET tenebræ erant super faciem abyssi.* 63
4. *Facta est lux, & vidit Deus quod esset bona.* ibid.
10. *Vidit Deus quod esset bonum.* 289
26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit.* 40. 195
2. 17. *In quocunque die comederis, morte morieris.* 202
24. *Erunt duo in carne una.* 48
3. 5. *Eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* 83
19. *In sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* 142
22. *Ne fortè mittat manum suum, & sumat etiam de ligno vitæ.* 202
22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.* 46
4. 10. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* 220
5. 2. *Masculum & fœminam creavit eos, & vocavit nomen eorum Adam.* 125
6. 6. *Tactus dolore cordis intrinsecus.* 223. 287
6. *Pœnituit eum, quòd hominem fecisset in terra.* 289
7. *Pœnitet me fecisse eos.* ibid.
8. 21. *Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines.* 287
9. 2. *Terror vester, ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* 113
10. 9. *Erat robustus venator coram Domino.* 125
11. 4. *Cujus culmen pertingat ad cælum.* 153
6. *Cœperunt hoc facere, nec desistent à cogitationibus, donec eas opere compleant.* ibid.
7. *Venite, confundamus linguam eorum.* ibid.
14. 18. *Melchisedech proferens panem & vinum.* 6
22. 16. *Quia fecisti rem hanc, & non perpecisti unigenito filio tuo propter me.* 76
25. 22. *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* 50
27. 45. *Cur utroque orbabor filio in uno die?* ibid.
29. 20. *Videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine.* 214
30. 39. *Factum est ut parerent maculosa, & diverso colore respersa.* 28
32. 10. *In baculo meo transivi Jordanem istum, & nunc cum duabus turmis regredior.* 120 in fin.
26. *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi.* 147
37. 3. *Eo quod in senectute genuisset eum.* 31
3. *Israël diligebat Joseph super omnes filios suos.* 25
3. *Fecit ei tunicam polymitam.* ibid.
4. *Videntes autem fratres ejus, quòd à patre plus cunctis filiis amaretur.* ibid.
32. *Vide utrum tunica filii tui sit, an non?* ibid. & 134
33. *Tunica filii mei est.* 25
35. *Congregatis cunctis liberis ejus, ut lenirent dolorem patris.* ibid.

Cap. Vers. Pag.

35. *Descendam ad filium meum lugens in infernum.* ibid.

38. 15. *Suspicatus est esse meretricem, operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur.* 65

42. 19. *Frater vester unus ligetur in carcere.* 9

Ex Libro Exodi.

3. 1. *Cùmque minâsset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb.* 115

2. *Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montem istum.* ibid.

7. 1. *Constitui te Deum Pharaonis.* 40

12. *Devoravit virgas eorum.* 154

12. *Projecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones.* 155

2. 11. *Phase, id est, transitus Domini.* 4

5. *Ego Deus zelotes.* 212

13. *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies.* 117

14. 15. *Non mœchaberis, non furtum facies.* 131

19. *Non loquatur nobis Dominus.* 47

22. 3. *Si non habuerit, quod pro furto reddat, ipse venundabitur.* 189

32. 10. *Dimitte me ut irascatur furor meus contrà eos, & delcam eos.* 278

11. *Cur Domine irascitur furor tuus contrà populum tuum?* ibid.

12. *Ne quæso dicant Ægyptii.* 41

12. *Ne quæso dicant Ægyptii, callidè eduxit eos, ut interficeret in montibus, & deleret è terra.* 278

14. *Et pœnituit Dominum mali, quod cogitaverat facere populo suo.* Ex textu Hebraico. 279

17. *Ululatus pugnæ auditur in castris.* 49

18. *Vocem cantantium ego audio.* ibid.

37. 9. *Extendentes alas.* 43

Ex Libro Numeri.

14. 9. *Sicut panem eos possumus devorare.* 12

Cap. Vers. Pag.

20. 11. *Percutiens virga bis silicem, egressæ sunt aquæ largissimæ.* 221

Ex Libro Deuteronomii.

17. 20. *Neque declinet in partem dexteram, vel sinistram.* 52

Ex Libro Josue.

1. 3. *Omnem locum, quem calcaverit vestigium pedis vestri, vobis tradam.* 86

12. *Defecit manna, postquam comederunt de frugibus terræ, nec usi sunt ultra cibo illo filii Israel.* 6

7. 7. *Heu Domine Deus, quid voluisti traducere populum istum Jordanem fluvium, ut traderes nos in manus Amorrhæi.* 282

Utinam mansissemus trans Jordanem. ibid.

9. *Et quid facies magno nomini tuo.* 281

19. *Fili mi da gloriam Domine, & confitere.* 81

10. 12. *Sol tace contrà Gabaon.* 292

Ex Libro Judicum.

4. 9. *In hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Sisara.* 157

23. *Humiliavit Deus in die illo Jabin Regem Chanaan coràm filiis Israel.* ibid.

5. 8. *Nova bella elegit Dominus.* ibid.

9. 53. 54. *Evagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœmina interfectus sum.* 161

Ex Libro Regum I.

9. 12. *Hodie enim venit in civitatem, quia sacrificium est hodie populi in excelso.* 123

17. 4. *Altitudinis sex cubitorum, & palmi.* 152

8. *Eligite ex vobis virum, & descendat ad singulare certamen.* 151

18. 7. *Percussit David decem millia.* 152

20. 41. *Fleverunt pariter, David autem amplius.* 225

Cap. Vers. Pag.

Ex Libro Regum II.

3. 15. 16. *Misit ergo Isboseth, & tulit eam à viro suo Phaltiel; sequebaturque eam vir suus, plorans usque Bahurim.* ibid.
18. 5. *Servate mihi puerum Absolon.* 75

Ex Libro Regum III.

3. 9. *Dabis servo tuo cor docile.* 167
12. *Dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit.* 167
12. *Ecce feci tibi secundùm sermones tuos.* ibid.
19. 9. *Quid hic agis Elia?* 97
20. *Quod enim meum erat, feci tibi.* 27
21. 4. *Noluit comedere panem suum.* 142

Ex Libro Regum IV.

2. 9. *Fiat in me spiritus tuus duplex.* 26
10. *Si videris me quando tollar à te.* 27
12. *Scidit vestimenta sua.* ibid.
13. *Levavit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* ibid.

Ex Libro Job.

1. 8. *Nunquid considerâsti servum meum Job, quòd non sit ei similis in terra?* 31
4. 18. *In Angelis suis reperit pravitatem.* 74
7. 20. *Peccavi, quid faciam tibi?* 291
21. *Cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers iniquitatem meam?* 290
21. *Ecce nunc in pulvere dormiam, & si mane me quæsieris, non subsistam.* 285
10. 3. *Nunquid bonum tibi videtur, si calumnieris me, & opprimas me opus manuum tuarum, & consilium impiorum adjuves?* 280
13. 25. *Contrà folium quod vento rapitur, ostendis potentiam.* 291
27. *Vestigia pedum meorum considerâsti.* 99
14. 13. *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus.* 67

Cap. Vers. Pag.

16. 17. *Tu quidem gressus meos dinumerâsti, signâsti quasi in sacculo delicta mea.* ibid.
17. 12. *Post tenebras spero lucem.* 8
14. *Putredini dixi: Pater meus es tu; mater mea, & soror mea, vermibus.* 88
19. 22. *Quare persequimini me sicut Deus, & carnibus meis saturamini?* 12
20. 27. *De terra surrecturus sum, & videbo Deum ego ipse, & non alius.* 46
26. 5. *Ecce gigantes gemunt sub aquis* 54
31. 31. *Dixerunt viri tabernaculi mei: quis det de carnibus ejus ut saturemur?* 12
33. *Si abscondi quasi homo peccatum meum.* 64
35. 36. *Librum scribat ipse, qui judicat, ut in*
37. *humero meo portem illum, & circumdem illum, quasi coronam mihi. Per singulos gradus meos pronunciabo illum, & quasi Principi offeram illum.* 70

Ex Libro Psalmorum.

Psal. Vers. Pag.

1. 1. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* 168
4. *Tanquam pulvis, quem projicit ventus à facie terræ.* ibid.
2. 6. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem sanctum ejus, prædicans præceptum ejus.* 158
6. 7. *Laboravi in gemitu meo.* 54
7. 12. *Deus judex justus fortis & patiens, nunquid irascitur per singulos dies?* 291
13. 4. *Qui devorant plebem meam sicut escam panis.* 12
18. 1. & 2. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* 62
3. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* ibid.
5. *In Sole posuit tabernaculum suum.* 45
13. *Delicta quis intelligit?* 97
21. 19. *Diviserunt sibi vestimenta mea: & super vestem meam miserunt sortem.* 133
19. *Et super vestem meam miserunt sortem.* ibid.

Psal. Vers. Pag.

21. *Erue à framea Deus animam meam.* 224

24. 7. *Delicta iuventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine.* 82

11. *Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: multum est enim.* 290

31. 1. *Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* 66

33. 9. *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus.* 3

Beatus vir, qui sperat in eo. ibid.

36. 24. *Cùm ceciderit non collidetur, quia Dominus supponit manum suam.* 120

40. 10. *Homo pacis meæ, in quo speravi: magnificavit super me supplantationem.* 12

43. 1. & 2. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annunciaverunt nobis, opus quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* 275

3. *Manus tua gentes disperdit, & plantâsti eos: afflixisti populos, & expulisti eos.* ibid.

4. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non salvavit eos, sed dextera tua & brachium tuum & illuminatio vultûs tui, quoniam complacuisti in eis.* ibid.

5. *Tu es ipse Rex meus & Deus meus, qui mandas salutes Jacob.* 276

10. *Nunc autem repulisti, & confudisti nos, & non egredieris Deus in virtutibus nostris.* 275

11. *Avertisti nos retrorsum post inimicos nostros, & qui oderunt nos, diripiebant sibi.* ibid.

12. *Dedisti nos tanquam oves escarum, & in gentibus dispersisti nos.* ibid.

14. *Posuisti nos opprobrium vicinis nostris, subsannationem, & derisum his, qui sunt in circuitu nostro.* ibid.

21. *Exurge, quare obdormis Domine, exurge, & ne repellas in finem.* 276

24. *Quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiæ nostræ, & tribulationis nostræ?* ibid.

26. *Exurge, Domine, adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.* ibid.

48. 13. *Homo cùm in honore esset, non intellexit.* 46

13. *Comparatus est jumentis, & similis factus est illis.* ibid.

49. 18. *Si videbas furem, currebas cum eo.* 204

21. *Existimâsti inique, quod ero tui similis, arguam te, & statuam contrà faciem tuam.* ibid.

50. 3. *Secundùm magnam misericordiam tuam & secundùm multitudinem miserationum tuarum.* 295

3. *Dele iniquitatem meam.* 67

54. 56. *Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me: timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ.* 124

89. *Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine: exspectabam eum, qui salvum me fecit à pusillanimitate spiritus, & tempestate.* ibid.

10. *Præcipita Domine, divide linguas eorum, quoniam vidi iniquitatem, & contradictionem in civitate.* 153

67. 36. *Mirabilis Deus in Sanctis suis.* 134

68. 3. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* 173

6. *Quæ non rapui tunc exolvebam.* 194

70. 1. *Psalmus David filiorum Jonadab, & primorum captivorum.* 115

71. 5. *Permanebit cum Sole & ante lunam.* 36

72. 28. *Mihi autem adhærere Deo bonum est: ponere in Domino Deo spem meam.* 11

73. 12. *Operatus est salutem in medio terræ.* 36

77. 24. *Panem cæli dedit eis, Panem Angelorum manducavit homo.* 311

80. 6. *Linguam quam non noverat audivit.* 241

in fin.

87. 13. *Terra oblivionis.* 216

90. 10. *Flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* 288

Psal. Vers. Pag.

99. 3. *Ipse fecit nos.* 90

102. 12. *Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras.* 137

20. *Facientes verbum illius ad audiendam vocem sermonum ejus.* 32

109. 4. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm Ordinem Melchisedech.* 6

110. 4. *Memoriam fecit mirabilium suorum.* 134

113. 2. *Ne quando dicant Gentes.* 41

118. 137. *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* 278

138. 12. *Sicut tenebræ ejus ita & lumen ejus.* 64

16. *Imperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur: dies formabuntur, & nemo in eis.* 174

145. 23. *Nolite confidere in Principibus, in filiis hominum, in quibus non est salus.* 11

148. 5. *Ipse dixit, & facta sunt.* 40

Ex Lib. Proverbiorum.

6. 30. *Non grandis est culpa, cùm quis furatus fuerit: furatur enim, ut esurientem impleat animam.* 193

8. 32. *Et deliciæ meæ esse cum filiis hominum.* 213

9. 1. *Sapientia ædificavit sibi domum.* 148

17. *Aquæ furtivæ dulciores sunt, & panis absconditus suavior.* 142

17. 17. *Omni tempore diligit, qui amicus est.* 212. circa fin.

31. 10. *Procul & de ultimis finibus pretium ejus.* 219

Ex Ecclesiaste.

1. 6. *Gyrat per medium, & flectitur ad Aquilonem, lustrans universa in circuitu.* 45

16. *Præcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt ante me in Jerusalem.* 77. in princ.

Cap. Vers. Pag.

17. *Dedique cor meum, ut scirem prudentiam, atque doctrinam, erroresque & stultitiam.* ibid.

4. 10. *Væ soli! quia cùm ceciderit, non habet sublevantem se.* 119

12. *Funiculus triplex difficile rumpitur.* 153

Ex Libr. Canticorum.

3. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum?* 118

4. 9. *Vulnerâsti cor meum.* 299

5. 7. *Tulerunt pallium meum mihi.* 200

9. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto.* 26

10. *Dilectus meus candidus, & rubicundus, electus ex millibus.* ibid.

6. 7. 8. *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus: una est columba mea, perfecta mea: una est matri suæ, electa genitrici suæ.* 24

7. 2. *Venter tuus sicut acervus tritici vallatus liliis.* 16

5. *Caput tuum, ut Carmelus.* 29

8. 5. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto?* 118

Ex Lib. Sapientiæ.

1. 4. *In malevolam animam non introibit sapientia.* 160

Ex Lib. Ecclesiastici.

7. 5. *Penes Regem noli velle videri sapiens.* 170

Ex Prophetia Isaiæ.

1. 18. *Si fuerint peccata ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* 69

23. *Principes tui infideles, socii furum.* 203

2. 3. *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem.* 116

6. 1. & 2. *Vidi Dominum, sedentem super solium excelsum & elevatum: Seraphin stabant & volabant.* 44

5. *Væ mihi! quia tacui.* 208

11. 6. 7. *Habitabit lupus cum agno, & leo quasi bos comedet paleas.* 56

Cap. Vers. Pag.

14. 13. *In Cælum conscendam.* 71
14. *Similis ero Altissimo.* 70
53. 1. *Quis credidit auditui nostro?* 293

Ex Prophetia Jeremiæ.

1. 10. *Ecce constitui te super Gentes, & super Regna, ut evellas & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes.* 291
18. *Regibus Juda, & Principibus ejus.* 208
17. 5. *Maledictus homo, qui confidit in homine.* 13
7. *Benedictus vir, qui confidit in Domino.* ibid.
23. 23. *Putasne Deus è vicino Ego sum, & non Deus de longè?* 220
Thren. 1. 4. *Viæ Sion lugent, eò quod non sint qui veniant ad solemnitatem.* 288

Ex Prophetia Ezechielis.

1. 10. *Desuper ipsorum quatuor.* 78
3. 2. *Comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israël.* 239
3. *Comedi illud, & factum est in ore meo sicut mel dulce.* ibid.
4. *Vade ad domum Israël, & loquere verba mea ad eos.* 240
5. *Non enim ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris.* ib.
6. *Neque ad populos multos profundi sermonis, & ignotæ linguæ, quorum non possis audire sermones.* ibid.
10. 9. *Rota mea juxtà Cherub unum.* 149
14. *Facies una facies Cherub, & facies secunda facies hominis, & in tertio facies leonis, & in quarto facies aquilæ.* 166
22. 27. *Principes ejus in medio illius quasi lupi rapientes prædam.* 192
28. 14. 16. *Et tu Cherub posui te in monte sanctum Dei: perdidi te, ô Cherub! projeci te in terram.* 71
17. *Perdidisti sapientiam tuam in decore tuo.* 85

Cap. Vers. Pag.

44. 2. 3. *Et convertit me ad viam portæ Sanctuarii, & erat clausa; & dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit; Princeps ipse sedebit in ea, ut comedat panem coràm Domino.* 2

Ex Prophetia Danielis.

3. 2. *Nabuchodonosor Rex misit me ad congregandos Satrapas, Magistratus & Judices.* 197
71. 72. *Benedicite noctes & dies Domino: Benedicite lux & tenebræ Domino.* 62
5. 3. *Inventus es minus habens.* 111
9. 10. *Tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat coràm Deo suo.* 52
4. *Quærebant occasionem, ut invenirent Danieli ex latere Regis, nullamque causam & suspicionem reperire potuerunt.* 52
7. 27. *Et magnitudo Regni, quæ est subter omne Cælum, detur populo sanctorum Altissimi.* 55
9. 18. *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus preces antè Faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.* 278

Ex Prophetia Joëlis.

2. 9. *Per fenestras intrabunt quasi fur.* 195
29. *Sed & super servos meos, & ancillas, in diebus illis, effundam Spiritum meum, & prophetabunt.* 245. & 246

Ex Prophetia Amos.

5. 10. 13. *Odio habuerunt corripientem in porta, & loquentem perfectè abominati sunt: ideò prudens in tempore illo tacebit, quia tempus malum est.* 114

Ex Prophetia Jonæ.

3. 4. *Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur.*
6. *Pervenit verbum ad Regem.* 188

Cap. Vers. Pag.

Ex Prophetia Habacuc.

3. 2. *In medio annorum notum facies.* 36

Ex Prophetia Zachariæ.

9. 17. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* 134

12. 12. *Familia, & familia seorsum.* 93

Ex Divo Matthæo.

4. 3. *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant.* 40

2. 10. *Gavisi sunt gaudio magno valde.* 128

18. *Ambulans JEsus juxtà mare Galilææ.* 44

19. *Venite post Me.* 44. & 162

Faciam vos fieri piscatores hominum. 41

22. *Relictis retibus & patre.* ibid.

23. *Circuibat, perambulabat.* 45

5. 1. *Accesserunt ad Eum Discipuli ejus, & aperiens Os suum, docebat eos.* 33

3. *Beati pauperes spiritu.* 33

2. *Ascendit in montem, & cùm sedisset accesserunt ad Eum Discipuli ejus, & aperiens Os suum, docebat eos.* 117

16. *Sic luceat lux vestra coràm hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cælis est.* 58

17. *Nolite putare, quoniam veni solvere legem, aut Prophetas: non veni solvere, sed adimplere.* 33

15. *Nec accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* 59

18. *Donec transeat cælum & terra, jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* 34

19. *Qui fecerit & docuerit.* 59

18. *Hic magnus vocabitur in Regno cælorum.* 33

22. *Qui dixerit fratri suo Racha (hoc est impius) reus erit concilio: qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* 83

Cap. Vers. Pag.

6. 3. *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* 51

26. *Respicite volatilia cæli.* 186

29. *Discite à Me, quia mitis sum, & humilis corde.* 61

7. 14. *Arcta est via, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inveniunt eam.* 103

9. 21. *Si tetigero tantum vestimentum ejus, salva ero.* 134

11. 2. *Cùm audisset Joannes in vinculis opera Christi.* 138

11. *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptista: qui autem minor est in Regno Cælorum, major est illo.* 90

12. 28. & 30. *Venite ad Me omnes, jugum enim meum suave est.* 47

50. *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* 14

13. 49. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum.* 93

15. 24. *Non sum missus nisi ad oves quæ perierunt domus Israël.* 233

16. 13. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* 29

14. *Alii Joannem Baptistam, alii autem Eliam, alii verò Jeremiam, alii unum ex Prophetis.* 30

13. *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* 41

15. *Vos autem quem me esse dicitis?* ibid.

16. 22. *Absit à Te, Domine! non erit Tibi hoc.* 84

22. *Tu es Christus, Filius Dei vivi.* ibid.

17. 4. *Bonum est nos hic esse.* 42

18. 15. *Corripe eum inter te & ipsum solum.* 79

19. 12. *Sunt Eunuchi, qui se ipsos castraverunt propter Regnum Cælorum.* 72

21. *Vende, quæ habes, & da pauperibus.* 109

24. *Facilius est, camelum per foramen*

25. *acûs transire, quàm divitem intrare*

26. *in Regnum Cælorum.* 102

27. *Ecce nos reliquimus omnia.* 46

28. *Sedebitis in regeneratione judicantes duodecim tribus Israël.* 88

Cap. Vers. Pag.

20. 21. *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, & unus ad sinistram in Regno tuo.* 39
21. *Dic.* 40. & seq.
21. *Ut sedeant.* 43
21. *Hi.* 45. & seq.
21. *Duo.* 47. & seq.
21. *Filii mei.* 49
21. *Unus ad dexteram & unus ad sinistram.* 51. & seq.
21. *In Regno.* 53. & seq.
Tuo. 55. & seq.
23. *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* 14

21. 8. *Alii autem cadebant ramos de arboribus, & sternebant in via.* 171
9. *Benedictus qui venit in Nomine Domini, Rex Israël.* 30
9. *Hosanna, Filio David!* 34
13. *Vos autem fecistis illam speluncam latronum.* 138
2. *Simile est Regnum Cælorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo.* 253
3. *Misit servos suos, vocare invitatos ad nuptias.* ibid. & 382
3. *Nolebant venire.* 256
4. *Tauri mei, & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias.* 262
4. *Ecce prandium meum paravi, venite ad nuptias.* 261
4. *Dicite invitatis.* 255
4. *Misit alios servos.* 255
5. *Illi autem neglexerunt.* 256
5. *Alius in villam suam: alius verò ad negotiationem suam.* 253
6. *Reliqui verò tenuerunt servos ejus, & contumeliis affectos occiderunt.* 263
7. *Missis exercitibus suis, perdidit homicidas illas, & civitatem illorum succendit.* ibid.
7. *Iratus est rex.* 253
8. *Sed qui invitati erant, non fuerunt digni.* 260
9. *Ite ad exitus viarum, & quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias.* ibid.

Cap. Vers. Pag.

21. 10. *Congregaverunt omnes, quos invenerunt, malos & bonos.* 268
10. *Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium.* ibid.
11. *Intravit rex, ut videret discumbentes.* 267
11. *Et vidit ibi hominem, non vestitum veste nuptiali.* 265
11. *At ille obmutuit.* 272
12. *Quomodo huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* 265
13. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* 270
13. *Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores.* 272
13. *Mittite eum in tenebras exteriores.* 266
14. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* 270

24. 29. *Stellæ cadent de Cælo.* 92
27. *Sicut fuit in diebus Noë.* 92

25. 1. *Exierunt obviam sponso & sponsæ.* 150
2. *Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque prudentes.* 150
5. *Dormitaverunt omnes, & dormierunt.* 286
5. *Moram autem faciente Sponso.* 151
10. *Et quæ paratæ erant, intraverunt cum eo ad nuptias, & clausa est janua.* ibid.
10. *Clausa est janua.* 386
11. *Domine, Domine, aperi nobis.* 312
12. *Nescio vos.* 386
21. *Intra in gaudium Domini tui.* 13
34. *Venite Benedicti.* 13
34. *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum à constitutione mundi.* 103
41. *Discedite à Me maledicti in ignem æternum.* ibid.
43. *Non dedistis Mihi manducare, non dedistis Mihi potum, non collegistis Me, non cooperuistis Me, non visitâstis Me.* 98

26. 7. *Super caput ipsius recumbentis.* 259
12. *Mittens hæc unguentum hoc in Corpus*

Psal. Vers. Pag.

pus meum, ad sepeliendum Me fecit. 180
26. 24. Væ homini illi, per quem Filius hominis tradetur! 139
26. Fregit, deditque Discipulis suis. 4
38. Tristis est anima mea usque ad mortem. 183
41. Caro autem infirma. 131
44. Iterùm abiit, & oravit tertio. 227
24. Aquâ lavit manus coràm populo. 223
25. Sanguis ejus super nos. 223
54. Verè Filius DEI erat Iste. ibid.
28. 9. Tenuerunt pedes ejus, & adoraverunt Eum. 308
10. Ite, nunciate fratribus meis. 23
20. Ecce Ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. 6

Ex D. Marco.

3. 17. Filii tonitrui. 47
6. 18. Non licet tibi. 208
47. Et ipse solus in terra. 121
48. Volebat præterire eos. 314
49. Ut viderunt Eum ambulantem super mare, putaverunt phantasma esse. 314
52. Nec enim intellexerunt de panibus. 104
9. 22. Omnia possibilia sunt credenti. 236
23. Credo, Domine! adjuva incredulitatem meam. ibid. & 239
11. 9. Et qui præibant, & qui sequebantur. 34
14. 36. Abba, Pater! 227
41. Et venit tertiò, & ait illis. ibid.
16. 7. Dicite Discipulis ejus & Petro. 222
14. Exprobravit incredulitatem eorum, & duritiam cordis, quia iis, qui viderant Eum resurrexisse, non crediderunt; & dixit illis: Euntes in Mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. 235

Ex D. Luca.

1. 27. Ad Virginem desponsatam viro, de domo David. 24
38. Ecce Ancilla Domini. 318

Cap. Vers. Pag.
2. 7. Peperit Filium suum Primogenitum. 17
34. In signum, cui contradicetur. 315
48. Fili! quid fecisti nobis sic? 14
49. Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet Me esse. ibid.
3. 5. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. 56
8. Potens est DEUS de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. 247
36. Sicut fuit in diebus Noë, sic erit in consummatione sæculi. 92
7. 39. Hic, si esset Propheta, sciret quæ & qualis est mulier, quæ tangit Eum. 82
47. Quoniam dilexit multum. 216
8. 46. Quis Me tetigit? Nam Ego novi virtutem de Me exiisse. 135
9. 54. Domine! vis dicamus, ut ignis descendat de cælo, & consumat illos? 47
55. Nescitis cujus spiritus estis. 47
10. 40. Domine! non est tibi curæ. 276
42. Maria optimam partem elegit. 109
11. 9. Petite & accipietis, pulsate & aperietur vobis: omnis enim qui petit accipit, & pulsanti aperietur. 312
10.
27. Beatus venter, qui Te portavit; & ubera, quæ suxisti: quinimò beati qui audiunt Verbum DEI, & custodiunt illud. 48. 14
27. Et ubera, quæ suxisti. 14
12. 36. Et vos similes hominibus exspectantibus Dominum suum. 4. & 5
36. Quando revertatur à nuptiis. 4
37. Amen dico vobis, quod præcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. 4. & 5
38. Beati sunt servi illi. 4
39. Si sciret paterfamilias, quâ horâ fur veniret, non sineret perfodi domum suam. 196
49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur? 218
50. Baptismo habeo baptizari: & quomodo coarctor usque dum perficiatur? 183

INDEX LOCORUM

Cap. Vers. Pag.

13. 32. *Dicite vulpi illi.* 208
14. 19. 20. *Villam emi ; juga boum emi quinque ; uxorem duxi.* 130
21. *Cæcos & claudos introduc huc.* 285
15. 4. *Nonne dimittit nonaginta novem in deserto?* 118
8. *Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & quærit diligenter, donec inveniat?* 126
10. *Ita gaudium erit coràm Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiam agente.* 127
16. *Ut pasceret porcos.* 146
Cupiebat ventrem implere de siliquis, quas porci manducant, & nemo illi dabat. ibid.
21. *Pater! non sum dignus vocari filius tuus.* 75
22. *Citò proferte stolam primam.* ibid.
32. *Perierat, & inventus est.* 128
16. 1. *Homo quidam erat dives.* 199
1. *Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipâsset bona ipsius.* ibid.
2. *Jam enim non poteris villicare.* ibid.
8. *Laudavit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset.* 200
16. *Lex & Prophetæ usque ad Joannem.*
25. *Recepisti bona in vita tua.* 94
17. 17. *Et novem ubi sunt?* 302
19. 1. *Perambulabat, circuibat.* 45
2. *Zacheus princeps erat publicanorum, & ipse dives.* 188
5. *Zachæe! festinans descende, quia hodie in domo tua oportet Me manere.* 190
6. *Excepit Illum gaudens.* ibid.
8. *Ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* 99. 144
9. *Hodie salus domui huic facta est.* 144
17. *Euge, serve bone! quia in modico fuisti fidelis, eris potestatem habens super decem civitates.* 203

Cap. Vers. Pag.

17. 19. *Et tu esto super quinque civitates.* ibid.
24. *Auferte ab illo Mnam.* ibid.
36. *Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua.* 35
21. 27. *Tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus.* 87
22. 19. *Hoc facite in meam commemorationem ; Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.* 139
41. *Quantum jactus est lapidis.* 228
62. *Egressus foras.* 178
23. 39. *Si Tu es Christus, salvum fac Temetipsum & nos.* 205
42. 43. *Domine! memento mei, cùm veneris in Regnum tuum: Hodie mecum eris in Paradiso.* 187
48. *Percutientes pectora sua revertebantur.* 223
24. 11. *Visa sunt antè illos sicut deliramentum verba ista, & non crediderunt illis.* 159
19. *Donec induamini virtute ex Alto.* 135
21. *Nos autem sperabamus.* 5
21. 22. 23. *Nos autem sperabamus, & super hæc omnia tertia dies est hodie: sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, dicentes: Se visionem Angelorum vidisse, qui dicunt, Eum vivere.* 159
31. *Et Ipse evanuit ab oculis eorum.* 6
34. *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni.* 159
35. *Et cognoverunt Eum in fractione panis.* 5
49. *Donec induamini virtute ex Alto.* 135

Ex D. Joanne.

1. 8. *Non erat ille lux.* 224. in fin.
9. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem.* 224
12. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri.* 90
41. *Quod est interpretatum Christus.* 158
45. *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, invenimus Jesum.* ibid.
3. 1. 2. *Scimus, quia à Deo venisti Magister:*

Cap. Vers. Pag.

ster : nemo enim potest hæc signa facere, quæ Tu facis. 164
4. Quomodo potest homo nasci, cùm sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suæ iterato introire & renasci? 303
2. Omnis qui male agit, odit lucem, ut non arguantur opera ejus. 64
4. 26. Ego sum, qui loquor tecum. 158
28. Reliquit ergo hydram suam mulier, & abiit in civitatem, & dixit illis hominibus. ibid.
29. Venite, & videte Hominem, qui dixit mihi omnia, quæcunque feci: nunquid Ipse est Christus? 158
5. 14. Jam noli peccare. 109
17. Pater meus usque modò operatur, & Ego operor. 238
6. Fugit iterùm in montem Ipse solus. 104
54. Nisi manducaveritis Carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis. 315
56. Caro mea verè est cibus. 1. 294. 297 299
56. Et Sanguis meus verè est potus. 294 297. 299
57. Qui manducat meam Carnem, & bibit meum Sanguinem, in Me manet, & Ego in illo. 1. 300. 305
58. Sicut misit Me vivens Pater, & Ego vivo propter Patrem; & qui manducat Me, & ipse vivet propter Me. 300. & 305
59. Hic est Panis, qui de Cælo descendit. 2. 310
59. Patres vestri manducaverunt Manna, & mortui sunt. 305. 315
71. Ex vobis unus diabolus est. 113
10. 1. Qui non intrat per ostium, fur est & latro. 195
16. Et alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & Vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus Pastor. 234

Cap. Vers. Pag.

11. 3. Quem amas. 42
25. Ego sum resurrectio & vita. 90
12. 24. Nisi granum frumenti cadens in terram, &c. 16
26. Ubi Ego sum, illic & minister meus erit. 224
13. 1. Sciens Jesus, quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem: cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. 210
1. Sciens quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem. 4
2. Cùm diabolus jam misisset in cor, ut traderet Eum Judas. 222
4. Præcinxit se. 4
4. Surgit à Cœna, & ponit vestimenta sua. 222
5. Misit aquam in pelvim, & cœpit lavare pedes discipulorum. 222
6. Venit ergo ad Simonem Petrum. ibid.
13. Vos vocatis Me Magister & Domine. 40
26. Et cùm intinxisset panem, dedit Judæ. ibid.
28. Quod facis, fac citiùs. 139
14. 12. Opera, quæ Ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet: quia Ego ad Patrem vado. 219. 309
20. In illo die vos cognoscetis, quia Ego sum in Patre meo, & vos in Me, & Ego in vobis. 229
24. Sermonem, quem audistis, non est meus, sed ejus, qui misit me, Patris. 231
26. Ille vos docebit omnia, quæcunque dixero vobis. 231
28. Si diligeretis Me, gauderetis utique, quia vado ad Patrem, quia Pater major Me est. 226
16. 7. Expedit vobis, ut Ego vadam: si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. 218
32. Venit hora, ut me solùm relinquatis, & non sum solus. 120

Psal. Vers. Pag.

17. 20. 21. *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in Me, ut omnes unum sint, sicut Tu Pater in Me, & Ego in Te, ut & ipsi in nobis unum sint.* 228

22. 23. *Et Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis; ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Et Ego in eis, & Tu in Me, ut sint consummati in unum.* 229

18. 8. *Si ergo Me quæritis sinite hos abire.* 218

11. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis ut bibam illum?* 183

16. 12. *Si Hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari.* 73

22. *Quod scripsi scripsi.* ibid.

24. *Et milites quidem hæc fecerunt.* 181

27. *Ecce Mater tua! Et ex illa hora accepit eam Discipulus in suam.* 22

34. *Exivit Sanguis & Aqua.* 223. 244

34. *Unus militum Lanceâ Latus Ejus aperuit.* 245

20. 13. *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt Eum.* 316

15. *Si tu sustulisti Eum, dicito mihi, & ego Eum tollam.* ibid.

17. *Noli Me tangere; nondum enim ascendi ad Patrem; vade autem ad fratres meos, & dic eis: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* 308

21. 15. *Simon Joannis, diligis Me plus his? Etiam, Domine! Tu scis, quia amo Te: Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertiò, amas Me.* 234

17. *Pasce oves meas.* ibid.

7. *Dominus est.* 85

7. *Quem diligebat.* 23. 42

15. *Diligis Me? Diligis Me? Diligis Me?* 288

Ex Lib. Actorum.

1. 11. *Viri Galilæi! quid statis aspicientes in Cælum? Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in Cælum, sic veniet.* 24

Cap. Vers. Pag.

1. 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus.* 246

2. *Factus est repente de Cælo sonus tanquam advenientis spiritûs.* 239

3. *Apparuerunt dispertitæ linguæ.* 233

3. *Apparuerunt dispertitæ linguæ tanquam ignis, seditque suprà singulos eorum.* 243

6. 9. *Surrexerunt quidam de Synagoga Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum disputantes cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.* 165

7. 57. *Deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis.* 13. & 132

8. 39. *Cùm autem ascendisset de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius non vidit eum Eunuchus.* 23

9. 1. *Saulus autem spirans minarum, & cædis in discipulos Domini.* 217

4. *Saule, Saule, quid Me persequeris.* 217

10. 13. *Surge Petre, occide & manduca.* 155. 247

13. 9. *Nesciebat quia verum est, quod fiebat per Angelum: existimabat autem se visum videre.* 314

10. *Discessit Angelus ab eo.* ibid.

11. *Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me.* ibid.

22. *Inveni David virum secundùm cor meum, qui faciet omnes voluntates meas.* 110

17. 25. *Ignoto Deo! Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* 164

20. 33. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis.* 414

26. 24. *Multæ te litteræ ad insaniam convertunt.* 72

Ex Epistola D. Pauli ad Romanos.

1. 32. *Digni sunt morte, & non solùm qui ea faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* 199

8. 17. *Si tamen compatimur.* 178

Cap. Vers. Pag.

24. *Spes quæ videtur, non est spes: nam quod videt quis, quid sperat?* 7
29. *Quos præscivit & prædestinavit, conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* 28
32. *Proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit Illum.* 76
9. 20. *O homo! tu quis es, qui respondeas Deo? Nunquid dicit figmentum ei qui se finxit: Quid me feciſti sic?* 277
10. 14. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante?* 31
11. 29. *Sine pœnitentia enim sunt dona DEI.* 281

Ad Corinthios I.

1. 23. *Gentibus autem stultitiam.* 160
10. 4. *Bibebant de consequente eos petra, petra autem erat Christus.* 221
15. 52. *Canet enim tubâ.* 87

Ad Corinthios II.

6. 2. *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* 177
4. *Exhibeamus nosmetipsos sicut DEI ministros.* 79
6. *In scientia, in longanimitate, in verbo veritatis.* ibid.
7. 8. *Per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam.* ib.
12. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet.* 136
9. *Ut inhabitet in me virtus Christi.* 61

Ad Galatas.

2. 20. *Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* 298
4. 5. *Ut adoptionem filiorum recuperemus, misit DEUS spiritum Filii sui in corda vestra.* 17

Cap. Vers. Pag.

Ad Ephesios.

1. 20. *Et ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* 29
4. 10. *Qui descendit, Ipse est & qui ascendit.* 259
26. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* 292
5. 32. *Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo, & in Ecclesia.* 298
6. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principes tenebrarum, contrà spiritualia nequitiæ.*

Ad Philippenses.

2. 5. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo JESU.* 179
7. *In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* 60

Ad Colossenses.

1. 13. *Filii dilectionis suæ.* 21
2. 9. *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* 10

Ad Thessalonicenses I.

5. 2. *Sicut fur in nocte.* 196

Ad Timotheum I.

1. 13. *Quia ignorans feci.* 301
15. *Christus Jesus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum ego primus sum.* ibid.
2. 11. *Mulier in silentio discat.* 157
12. *Docere autem mulieri non permitto.* 157
14. *Adam non est seductus, Mulier autem seducta in prævaricatione fuit.*

Ad Titum.

2. 23. *Exspectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni DEI.* 13

Cap. Vers. Pag.

Ad Hebræos.

2. 9. *Ut pro omnibus gustaret mortem.* 215
17. *Debuit per omnia fratribus similari.* 60
6. 4. *Impossibile est eos, qui semel illuminati*
5. *sunt, & prolapsi sunt, renovari*
6. *ad pœnitentiam.* 102
18. *Ad tenendam propositam spem, quam sicut anchoram habemus animæ tutam ac firmam.* 8
9. 27. *Statutum est hominibus semel mori.* 88 circa fin.
11. 38. *Quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes.* 122

Ex Epistola D. Jacobi.

1. 18. *Voluntariè genuit nos verbo veritatis.* 19

Cap. Vers. Pag.

Ex Epistola D. Petri I.

2. 21. *Ut sequamini vestigia ejus.*

Ex Apocalypsi.

12. 1. *Signum magnum apparuit in Cælo, mulier amicta Sole.* 119
1. *Et luna sub pedibus ejus.* 304
2. *Clamabat parturiens, & cruciabatur ut pareret.* 303
5. *Peperit filium masculum, & raptus est ad Deum & ad Thronum.* 394. 303
14. *Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ, ut volaret in desertum.* 119
21. 5. *Ecce nova facio omnia.* 56



INDEX RERUM NOTABILIUM.

Numerus designat Paginam.

A.

ABel. Abelis sanguis quod postulet vindictam, imperfectum quid continere videtur. 220.

Abraham. Sacrificium Abrahæ maximum fuit opus, quod homines præstiterunt Deo. 76. Sacrificium illud Dei majus fuit illo Abrahæ. ib.

Absentia. Absentia remedium est amoris. 216. Absentia morte definienda est. ibid.

Adam. Adam & Eva, mediante desponsatione, unum sunt facti. 297. Adamo Deus vitam donavit, & ex Paradiso expulit, & quare? 261

Agamemnon. Regis Agamemnonis Gentilis Theologica sententia: Qui non vetat peccare cùm possit, jubet. 194.

Amor. Amoris leges non sunt juris stricti. 30. Quomodo videatur amor, cùm sit invisibilis. 27. Amor Patris facilius condonat. 75. Amori filiorum non est fidendum. 46. Remedia amoris sunt quatuor. 211. 216. & seqq. Amâsse multum, est amare minus. 212. Vitiosus Davidis amor tempore est correctus. ib. Amorem perfectum non imminuunt anni. ibid. Amor est quasi æternus. 213. Absentia est remedium amoris, sed non amoris Christi. 216. Amoris remedium est ingratitudo. 220. Amorem Christi non imminuit hominum ingratitudo, sed potius auxit. 221. Et quare. 222. Amor unus altero extinguitur. 224. Amor Christi fecit, ut Pater ejus æternus, cùm solus ab hominibus esset amandus, eosdem ipse amaret. 228. Quisnam perfectissimus sit amor. 297. Meliorare objectum efficax est amoris remedium. 224. Sed non in Christo. 225. Excellentius est amare in Cælo, quàm in terra. 308 Majoritas conditionis magis extollit amorem Christi. 308. Major amoris non est inimicus, quàm felicitas. 259. Amor non locorum, sed voluntatum est unio. 217.

Anchora. Quare spes sit anchora. 8.

Angelus. Quomodo Angeli obediant DEO. 32. In ipsis etiam Angelis Deus imperfectiones invenit. 74. Quomodo Angeli in die Ascensionis Christi obstupefecerunt & reprehenderunt Apostolos in Cælum aspicientes. 249.

Anima. Quid animæ accidat cum spe. 2. Spes fidelissima socia est animæ. ibid. In quot animæ potentiis spes fundetur. 8. Plus est conceptum esse in anima, quàm in corpore. 21. In qualibus vitiis magis perdantur animæ. 129. Anima perdita, quomodo quærenda. 137. Anima Christi in absentia hominum erat tristis simul & læta. 227. Anima Christi in duas tunc videbatur partes divisa. ibid.

Anselmus. Anselmi sententia de amore Christi. 220.

Antonius. S. Antonius perditarum est recuperator animarum. 128. & duobus potissimum vitiis, concupiscentia scilicet carnis & cupiditate pereuntium. 129. Monachus quidam virtute tunicæ S. Antonii, quam induit, ab impugnatione carnis liber evasit & mansit. 131. Ejusdem tunicæ virtus probatur à similibus. ibid. & seq. Fama miraculorum S. Antonii ad ipsas latronum speluncas pervenit. 138. Viginti duo latrones unica ipsius concione convertuntur. ibid. Concionum ipsius efficacia similibus exaggeratur. 140. & seq. Plura in laudem ipsius cum moralitate in totius Sermonis ejusdem invenies decursu, &c.

Apostoli. Quænam Apostolis obtigerint terræ ad docen-

docendum & prædicandum. 235. Quare S. Thomæ obtigit Brasilia. 235. Qua ratione illis dictum est : Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ. 233. Deus Apostolis dedit linguas igneas, eorumque successoribus ignem linguarum. Quomodo etiam Laici possunt esse Apostoli Christi. Et quomodo etiam mulieres possunt esse Apostolæ. In obeuntibus officium Apostolorum admiratione dignum est, non derelinquere bonum pro meliore. Etiam milites possunt exercere officium Apostolorum. 243. & seq. Quare Christus Apostolos suos vocavit fratres ? 317.

Aquila. Quomodo aquila suos exploret pullos ad radios Solis. 74.

Aristoteles. Aristoteles erravit dicendo, solitudinis amantem oportere esse vel Deum, vel bestiam. 105.

Aves. Quænam aves seu altilia mortua considerantur in mortuo Christo. 262. & seq.

Augustinus. S. Augustinus binos Retractationum & Confessionum suarum libros in capite operum suorum præmittit ; & quam hoc ipsi gloriosum. 24. Non solùm scientiis, sed etiam ignorantiis ; non solùm virtutibus, verùm etiam vitiis mundum illuminat. 61. Ex ignorantiis fecit doctrinam, & ex peccatis exemplum. ib. Ex ignorantiis & peccatis tanquam ex tenebris facit lucem ; & quàm glorioſe. ibid. & seq. Condonata sibi jam peccata propalando egregium præbet exemplum. 66. Peccata sua hominum exposuit judicio, quàm heroicè. 68. Plura, in laudem ipsius, cum moralitate invenies in toto Sermonis ejusdem decursu.

Authores. Authores errantes sunt, qui suos non agnoscunt errores. 84.

B.

Barbarus. Quomodo Prædicatores se gerere debeant cum Barbaris. 238. & seq. Ad docendum Barbaros amor magis necessarius est quàm scientia. 233. Ad instructionem eorum magnus requiritur amor. 234.

Beatitudo. Quid sapientibus faciendum, ut beati fiant. 259. Quomodo fecit Deus, ut homines se plenè beatos viderent. 258. & seq. Unde beatitudinis magnificentia mensuranda. 261. Quænam differentia inter illam Beatitudinem Cæli, & Sacramenti. 265. Fides ita nos illius, quod non videmus, securos facit, sicut visio certos facit Beatos veritatis illius quod vident. 267. Beatitudines valde sunt zelotypæ. 258.

Bonum. Majus bonum datur pro levamine desiderii in Sacramento, ipsa re desiderata. 9. Quales conditiones habere oporteat bonum desideratum. 2.

Brasiliani. Brasiliani uti fidem facilè recipiunt, ità & eam leviter dimittunt. 236. Brasiliæ periclitanti, ne in manus hæreticorum deveniat. Author accommodat Psalmum quadragesimum tertium. 274. & seq.

C.

Catharina. S. Catharina est Cherubim amictu muliebri, seu species mulieris intellectu Cherubico, 149. Catharinæ in disputando facundia & efficacia. 150. Quàm glorioſa ipsius ex disputatione victoria, deducitur & probatur similibus & exemplis. 152. & seq. Plura in ipso eodem Sermone in laudem ipsius cum moralitate.

Cælum. Solis Sanctis aperitur Cælum. 120. Quocum & quomodo Christus est in Cælo. 309. Quot loca in Cælo habeat natura humana. 304. Gloria, qua fruimur in Cælo, non nostris, sed Christi meritis metitur. 261. Quomodo sciemus nos intraturos in Cælum, & quomodo ibi recipiendi simus. 269.

Cherubim. Quare Cherubim in figura pinguntur humana, & cum alis. 44.

Christus. Quænam potiora mundi cessarunt, quando moriente Christo scissum est velum templi. 8. Christus non solùm qua Deus, sed etiam qua homo, est Filius naturalis Dei. 20. Multas nobis præsentias Christus Fidei reliquit, pro una, quam nobis subtraxit, Sacramentum ex se conficiendo.

ficiendo. 7. Quotiescunque locuti sunt Christo de nativitate ex Matre, ipse semper nativitatem ex Patre regessit. 15. Et quare. ib. Christus aliquam habet proprietatem adoptivi. 20. Quomodo intelligendum dictum Christi, quòd non venit solvere legem. 33. Quare Christus, Sol justitiæ, venit in mundum annorum medio. 36. Christus semper attendit, quid de se dicerent. 41. Ad illuminandum Christus nunquam quievit. 44. 45. Christus cibatis corporibus, mox semper de anima tractavit. 105. Christus Noë comparatus. 173. Christus librum habet specialem, cui correspondendum, in Quadragesima. 174. Christus in omnibus suis quinque sensibus est passus, sicut Adam & Eva in omnibus itidem peccaverunt. 178. & seq. Duabus similitudinibus repræsentavit Christus, quid pro nobis passus sit. 183. Christi amorem tempus non imminuit. 213. Ipse amor Christi imminuit tempus. ibid. Et magis adhuc imminuit tempore suæ Passionis. ib. Christi absentia non produxit in ipso suos effectus, sed contrarios. 217. Christo absente non minus, sed magis mirabilia Discipuli ipsius sunt operati. 297. Ex objecti melioratione Christus non mutat amorem. 225. Affectus contrarii apparuerunt in anima Christi, quando se absentavit ab hominibus. 226.

Communio. Plus Deus confert homini communicanti, quàm se in Cælo videnti. 9. & 10. Quomodo communicans comprehendit Deum. 10. Qualiter Deus in Communione spei nostræ satisfacere potest. ibid. Easdem gratias, quas Deus S. Theresiæ contulit extrà Sacramentum, dignè communicantibus tribuit. 299. & seq.

Confessio. Propriarum culparum confessio maxima est gloria Dei. 81. Plus est confiteri ignorantias quàm peccata. 82. In confessionibus punit Deus, quod peccatur in communionibus. 273.

Consilium. Consilii mali damna. 200. & seq.

Contentio. Quales contentiones fuerint in literis inter subjecta eminentia. 156.

Conversio. Nullus nisi à Deo vocatus converti potest. 272. Majoris virtutis est non solùm vincere, sed etiam convertere. 155.

Convivium. Quomodo omnes ad convivium gloriæ invitati simus. 254. Prima convivii illius circumstantia est, quis illud instituerit. 256. Quare in Evangelio convivium illud non Rex DEUS, sed Rex homo instituisse dicitur. ibid. Convivium illud Gloriæ constat ex eo, quod DEUS potest facere, & ultrà quod potest facere. 257. Secunda illius circumstantia est, ad quid institutum sit. 259. Unde illud cognosci possit. ibid. Tertia circumstantia illius est, impensæ factæ. 262. Convivium Gloriæ & Sacramenti sunt sibi similia. 266. Quomodo convivium gloriæ possit esse convivium Sacramenti. 265. In quo ista duo differant. 266.

Cor. Cor Christi ex ingratitudinibus distillabat beneficia & favores: & quare? 222.

Cupiditas. Deus duobus præceptis prohibet cupiditatem: & quare? 130. Difficile est cupiditatem emendare. 138. Remedium contrà cupiditatem. 144. Difficilius convertitur cupidus, quàm impudicus. 145.

Cyrillus. Cyrilli commentatio in Job. 290.

D.

Desertum. Etiam in deserto invenitur ratio status. 111. In desertis solùm conservatur sanctitas. ibid. Unicum medium evadendi homines, sunt deserta. 112. Omnia encomia & prærogativæ celebriorum montium includuntur nomine deserti. 114. Prima Eremicolarum prærogativa est à populorum captivitate se liberare. 115. Plus in desertis discitur, quàm in libris. 117. Securissima ad cælum via est desertum. 118. Desertum promeruit nomen cæli. 119.

Deus. Quoties & quibus modis Deus descendit de cælo. 11. Sunt quasi Deus, qui substantiam alienam convertunt in propriam. 12. Alia est gloria Dei magni, & alia Dei parvi. 13. Deus aliam fecit beatitudinem pro spe. 3. Quomodo Deus invisibilis in Sacramento, spei satisfacere possit. 8. Deus unum tantùm Filium naturalem, multos verò generare potest adoptivos. 19.

Deus ad eligendam Matrem V. Mariam tres præmisit electiones. 24. Deus ab æterno filios suos adoptivos decrevit. 28. Quare Solem creavit Deus quarto die. 55. Quomodo Deus nos generat voluntariè. 19. Deus bis unigenitum suum generavit, & quare. 20. Maxima Dei excellentia non tantum consistit in nostram assumendo naturam, quantum in nostram assumendo similitudinem. 60. Tantum Deus laudari potest tenebris, quantum luce. 61. Quomodo in pugnis se gerere debeant Ministri Dei. 79. Deus dividendo vincit. 153. Deus solis memoriis est contentus. 184. Deus non eligit aliquem ex eo, quod futurus est, sed quod in præsenti est. 195. Quomodo Deus plus facit quàm potest. 257. Deus æqualiter omnes invitat tam ad mensam gloriæ, quàm illam Sacramenti. 268. Quo pacto de Deo, sine ipsius offensa, conqueri possimus. 277. Deus non admittit minus bonos nisi meliorum defectu. 285. Quomodo in Deum cadere potest pœnitentia. 287. Quare Deus homine creato, non æquè fuit lætatus ipsius bonitate, sicut aliarum creaturarum. 288. Deus potentiorem se ostendit condonando, quàm castigando peccata. 291.

Diabolus. Deceptio communis, quâ diabolus nos post se trahit. 272.

Dies. Quinam vocantur dies formati, & in quibus nemo invenitur. 174. Quanta incuria transeant dies pœnitentiæ & emendationis. 174. & 175. Quibus potissimum diebus non permittendus sit lusus. 182. In die judicii Deus compensat inæqualitatem natalium. 89. In eadem die vindicata videbitur fortuna. 90. Quodnam maximum mirabile in die judicii. 92.

Diogenes. Diogenis exclamatio, videntis furem duci ad supplicium. 193.

Divisio. Lucere volentibus, necessaria est divisio. 48.

Docere & Doctrina. Quare tam parum proficitur in doctrina Christi. 232. Ad docendos homines bruta magnus necessarius est amor Christi. 234. Nihil aptiùs exprimit docendi modum, quàm occidere & manducare. 248. Quàm rigidam Deus rationem exiget ab eis, qui subditos suos non instruunt, aut instrui faciunt necessariis ad salutem. 250. 251. Quid doctrina Christi in barbaris & rudibus operetur. 248.

Dos. Etiam in mundo datur dos subtilitatis. 91.

E.

Episcopus. Quid Sacerdoti acciderit, qui noluit esse Episcopus. 94.

Errores. Alienorum errorum facilior est notitia, quàm propriorum. 77. In errore secreto opinio propria facilè cedit veritati. 79. Errorum propriorum confessio maxima est gloria Dei. 81.

F.

Familiaris. Familiares diversimodè petunt ab eis, qui non sunt familiares. 40. Non convenit, Regem duos habere familiares. 47. Duo familiares semper ruina fuerunt Regum. ibid.

Favores. Favores, quos Christus dignè se in Sacramento recipientibus exhibet, sunt iidem, quos in vita S. Theresiæ contulit. 299. & seq.

Fera. Conversio ferarum in homines ità fit per naturam sicut per gratiam Dei. 248. Quare omnes feræ timeant hominem. 113.

Festum. Non celebratur festum sine aliquo incongruo. 265.

Filius. Major est excellentia esse filium adoptivum quàm naturalem. 18. Filii adoptivi sunt partus judicii. 19. Etiam voluntatis. ib. In tres Hierarchias dividuntur filii adoptivi B.V.M. 23. Aliud est esse filium, aliud esse suum. 23. Nullus accipit Virginem Mariam in Matrem, quem illa non suscipiat in filium. 22. Quales sint Virginis Mariæ filii. ib. Non fidendum est filiorum amori. 46. Majus sacrificium fecit Deus non parcendo Filio, quàm Abraham fecit parcendo filio suo. 76.

Fratres. Inter fratres naturales valdè est discordia. 49. Frater fratris præferentiam in familiaritate & confidentia tolerare nequit. 51.

Fugere. Salomon sapientissimus fuit, quia scivit fugere ignorantias. 77. Errant dicentes, stultitiam esse fugere ab aulis. 120. Fugiendi sunt homines, ut fugiantur vitia. ibid.

Furari & Furtum. Quid non adinvenerit ars furandi. 142. Quem sapiant furta. 143. In Regnis magnis omnia furta sunt magna. 192. Furans in officio in eo non est tolerandus. 199. Pœna furti non tantùm exequenda est in personis vilibus. 201. Dissimulari potest pœna mortis, sed non furti, in personis etiam magnis. 202. Fur, qui non habet unde restituat, non habet impedimentum salutis. 189. vide infrà *Latro.*

G.

Gigantes. Gigantes etiam sub aquis gemunt. 54. Nec Gigas quidem provocare audet duos. 151.

Gloria. Ministri Dei gloriam ejus quærere debent sine respectu & reflexione ad propriam. 80.

Gratia. Nihil tam difficile, quod gratiâ Dei & industriâ non vincatur in trâdendo Christi doctrinam. 246. Quomodo gratia convertere possit feras in homines. 247.

Gubernaculum. Gubernacula faciunt perdere judicium. 46. Quanti ponderis sit gubernaculum. 55. Quàm idoneis subjectis ea oporteat committi. 203. Quàm difficulter salventur Gubernatores. 102.

H.

Hieronymus. S. Hieronymus dentes sibi deteri permisit ad linguam Hebraicam addiscendam & exprimendam. 242.

Homo. Homines pejores sunt feris. Homines pejores sunt diaboli, quàm ipse diabolus. 12. Quomodo se homines invicem comedant. 12. Homines sunt inimici ætatis, in qua nati sunt. 30. Homines magni verbis non fiunt. 40. Quàm naturale sit hominibus abscondere peccata sua. 64 & 65. Nemo est tam malus, ut talis videri velit. 65. Qualem hominibus sua incutient peccata horrorem in die judicii. 67. Quantò homo sapientior, tantò minus suos retractat errores. 71. Homines magis detrectant retractare scripta, quàm dicta. 73. Magis sibi injuriosum putant vocori ignorantes, quàm malos. 83. Hominem sua retractare scripta non est indicium ruditatis. 84. Hominum conversatio est species contagii. 106. Salutis suæ cupidum oportet fugere homines. 109. Deus ipse difficultatem invenit in concordandis hominum voluntatibus cum sua. 110. Consortium hominum est perditio spiritus. 112. Quantam homines suorum jacturam faciant, nesciendo secum & cum solo Deo agere. 120. Quale patrimonium homines ab Adamo hæreditarint. 130. Homo unus contrà plures, quàm unum nihil efficit. 152. Maximum motivum Christi ingratitudines hominum convertendi in favores, fuit alia ingratitudo major. 223. Natura sola & non ars de animalibus brutis facere potest homines. 248. Quomodo fecerit Deus, ut homines planè essent beati. 258. Homines etiam propter commodum proprium accedere ad Deum deberent. 271.

Humanitas. Ex consortio hominum humanitas perditur. 107.

I.

Infernus. Tolerabiliores sunt pœnæ inferni quàm publicatorum peccatorum confessio. 67. Quanta infelicitas per viam cæli tendere ad infernum. 94. Peccata finaliter ad infernum ducentia sunt peccata omissionis. 97.

Ignorantia. Plus est confiteri ignorantias quàm peccata. 82. Sapiens facilius agnoscit suam ignorantiam quàm confitetur. 165.

Ingratitudo. Ingratitudo remedium est amoris, sed non in Christo. 220. & 221. Quænam maxima ingratitudo hominum ergà Christum. 223.

Inimicus. Quinam majores aularum sint inimici. 110.

Intellectus. Licèt intellectus non sint tam liberi, sicut voluntates, non tamen idcircò minùs discrepant in judicando. 49. Quantum decipiantur homines intellectûs sui fœtibus. 74.

Agnoscere veritatem licet alterius intellectus filiam, est verè scire. 85. Intellectus & voluntas sunt pedes & manus animæ. 273. Ad discendum requiritur audire exteriùs, & intelligere interiùs. 232.

Invidia. Contrà invidiam non datur asylum. 49. Quantus erit numerus nos admirantium, tantus erit & invidentium. 11. Quomodo in Sacramento dari potest invidia. 306.

Ira. Ira Dei suos compellit venire vocatos. 271.

L.

Lac. Lac quale sit alimentum. 37.

Latrones & Fures. Latrones difficulter convertuntur. 138. & seq. Quænam differentia inter speluncas latronum, & inter Regna, ubi spoliatur alienum. 192. Quis propriè dicendus fur & latro. ibid. Quomodo mali fures & latrones ducunt ad infernum bonos Reges. 194. Quomodo scient Reges, utrùm illi, quos ad officia promovent, fures sint futuri nec ne. 195. Quomodo fures furantur per omnes modos verbi Rapio. 197. Quomodo Principes socii fiant latronum. 203. Quomodo Reges secum ducere possunt latrones ad paradisum. 208.

Latus. Qui est à latere Principum non habet sedem ad quiescendum. 43. A lateribus Regum non expedit Ministros esse fulmineos. 47.

Lex. Quomodo intelligendum sit dictum Christi: Non veni solvere legem? 4. Quare Deus legem dedit in deserto? 117. Lex Christi quare publicata fuit in deserto & monte. ibid.

Lingua. Magnus ad hoc amor Dei requiritur, ut quis addiscat linguas diversas ad docendos infideles salutis necessaria. 239. Quare hodiedum DEUS non infundit linguarum scientiam? 243.

Locus. Ambientes loca prima hoc ipso illis indigni fiunt. 40. Loca magna non sunt ad quiescendum & standum. 43. Loca naturas mutant. 46. Judicium evertunt. ibidem. Loca inæqualia, quamvis sint magnâ, intolerabilem causant dolorem. 50. Loca multò plus opinione nostrâ capiunt. 91. In Valle Josaphat sufficiens erit locus pro bonis & malis. ibid. Nihil minus occupat loci, quàm qui lapsus est. 93. Quot loca in cælo habeat natura humana. 304.

Ludus. Quibus diebus maximè inhibendus ludus. 182.

Lux. Nihil luci magis contrarium, quàm lux major. 225.

M.

Magdalena. Magdalena ad pedes Christi sua unguenta profudit. 257. Fuit à Christo adhuc agente in terra amata. 306.

Maria. In Sanctissimæ Virginis Mariæ utero comprehensus fuit incomprehensibilis in cælo. 10. Habet Filium primogenitum, & filios secundo genitos. 17. Est idea Dei. ibid. Concepit Christum in utero & corde. 21. Ad eligendam Beatissimam Virginem Mariam in Matrem Deus tres præmisit electiones. 23. Nemo accipit Mariam in Matrem, quem illa non recipiat in filium. 22. Filii adoptivi Mariæ in tres dividuntur ordines. 23. Quinam sint filii Mariæ? 22. Bis, & duobus modis dedit Virgo Maria Christo suum sanguinem. 37.

Memoria. Deus solis nostris memoriis est contentus. 241. Memoria successionis mortalitatem agnoscit. 295.

Michol. Michol à marito suo descendens non flet, quia objectum meliorat amoris. 225.

Minister. Magnos Ministros facere debet, qui eos facit; & hi ad illud qualificare se debent. 40. Pro Ministrorum respectu multum facit qualitas personarum. 42. Ministrorum errores ex oblivione alterius statûs nascuntur. ib. Quomodo in pugnis gerere se debeant Ministri Dei? 79. Debent promovere Gloriam Dei, sine respectu propriæ. 81. Non tantùm Episcopi & Clerici, sed etiam laici sunt Ministri Dei. 91.

Miraculum. Deus non facit miracula sine necessitate. 243. Miracula S. Antonii contrà concupiscentiam carnis. & seq. Ejusdem contrà cupiditatis vitium. 173. & seq. Quodnam maximum mirabile, & obstupescendum in die judicii? 92.

Mon-

Montes. Montes in Scriptura sacra celebres. 117. & seq.

Mors. Mors per absentiam definitur, & vice versa. 21.

Mulier. Quare mulieres incapaces sint ad docendum. 157. Rarò mulier à viro victoriam reportat. ibid. Quamvis magnæ sit scientiæ, dubiæ tamen habetur fidei. 159. Magnum est dedecus virum à muliere vinci. 161. Mulieres etiam exercere possunt officium Apostolicum. 245.

Mundus. In mundo datur dos subtilitatis. 245. Quid fortissimum sit in mundo? 311.

N.

Nativitas. Resurrectio est nativitas secunda. 88. Non est in nostra situm manu benè nasci, sed resurgere. 89. Deus in secunda nativitate nobis compensat, quod in prima negavit. 90.

Natura. Natura de brutis facere potest homines, & quomodo? 248.

Navis. Navis repræsentat rempublicam. 45.

Novitas. Novitates, etiamsi utiles, difficulter introducuntur. 56.

O.

Objectum. Objecti melioratio immutat amorem. 155.

Oculus. Oculi duo habent officia. 256. Amor calefit per oculos. 215.

Officium. Vide *Locus*, &c.

Oliva. Oliva symbolum est misericordiæ. 178.

Omissio. Peccata omissionis ultimatò ducunt ad infernum. 97. Quantum omissione una perditur. ibid. Omissionis peccatum facillimè committitur. 98.

Opinio. Opiniones scriptas obstinati difficilius retractant, quàm dictas. 72. Opiniones corrigere non est argumentum insciticæ. 85.

P.

Palatium. Palatium nullum fecit meliorem, & multos bonos fecit malos. 54.

Palma. Palma est symbolum patientiæ. 178.

Panis. Quomodo Sacramentum dicitur panis esse Angelorum? 311.

Pater. Pater æternus quomodo intret in convivium Sacramenti. 267.

Peccata. Quænam sit distinctio inter peccata remissa & tecta. 66. Qualem horrorem incutient hominibus peccata sua in die judicii. Peccata possunt servire pro exemplo. 67. Culparum nostrarum sententia ad procurandam veniam nos inhabilitat. 272. Peccata nostra DEUM ad parcendum movere possunt. 290. Quare potissimum Deus nostra nobis peccata condonet. 291. Sunt peccata Omissionis & Consequentiæ. 97. Ministri se de peccatis temporis accusare debent. 99. Sunt peccata, quæ patrata in suis effectibus durant. ibid. Talia sunt peccata consequentiæ. ibid.

Perditio. Majus est gaudium de re perdita & inventa, quàm antequam perderetur. 128.

Periculum. Major est felicitas periculo carere, quàm succursu indigere. 119.

Petitio. Petitiones diverso stylo adornantur à familiaribus & ab aliis. 40.

Potentia. Potentia humana videtur æmulari Divinam, ad faciendum Sacramentum aliud, contrarium illi. 12. In quot animæ potentiis fundetur spes. 8.

Prædicatores. Prædicatores sese gerere debent in conversione, sicut Deus in ejusdem creatione se gessit. 238. Quare Deus dixit Apostolis: Ite, prædicate Evangelium omni creaturæ? 233. Tria genera moliminum sunt in officio prædicationis. 240. Quare Deus hodie non infundit Prædicatoribus scientiam linguarum? 243. Etiam mulieres prædicare possunt. 245. Non est difficultas, quam Prædicator Divinâ adjutus gratiâ superare non possit, ut de labore suo fructum colligat. 246. Cum Prædicatoribus modernis Deus rigorosius agit. 242.

Prælatus. Verus Prælatus ſimul debet eſſe doctus & ſanctus. 58. & 59.

Princeps. Princeps ad juſſionem familiaris expediens, non propriè expedit, ſed obedit. 40. Principis latus tenere & ſedere implicat. 43. Principibus ſupremis convenit habere cauſam ſecundam cui innitantur & in qua quieſcant. 48. Ut Principes ad reſtitutionem obligentur, ſufficit pro officiis eligere furantes. 194. Quomodo Principes fiant ſocii furum. 205.

Q.

Quadrageſima. Quadrageſimæ comparatio cum diluvio. 172. In Quadrageſimæ tempore duo ſunt libri, à quibus nos exonerare debemus. 174. In Quadrageſima, & vel maximè in hebdomada ſancta, quænam circà Paſſionem Chriſti ſunt meditanda. 83. & ſeq.

R.

Rapio. Verbum Rapio in India per omnes declinatur modos. 197. A Rapio derivatur Satrapa, quaſi ſat rapio. ibid.

Ratio. Quam rigida Deo reddenda ratio pro ſubditorum animabus illis, qui ſalutem eorum negligunt. 250. Ad quid obligetur, qui de animabus aliorum rationem reddere debet. ibid. Quænam ratio ad convivium gloriæ excitare nos debeat. 268.

Regnum. Regnum Chriſti, & ejus magnificentia. 55. Ejusdem difficultas. ibid. In regnis magnis magna ſunt furta. 141. Non ſunt res magis ſibi ſimiles, quàm Rex & regnum. 295.

Remedium. Remedia amoris ſunt quatuor: Tempus. 272. Abſentia. 278. Ingratitudo. 284. Objecti melioratio. 292.

Reſpublica. Reſpublica repræſentatur navi. 45.

Reſtitutio. Quomodo fieri debeat reſtitutio bona. 99. Quantum obliget alieni reſtitutio. 145. Sine illa ſalvari eſt impoſſibile. 188. Uſque ad venditionem ſui obligat. 188. Etiam ſceptra & coronas obligat. 189. Ut Principes ad reſtitutionem obligentur, ſufficit officia conferre furibus. 199. Quomodo fieri debeat reſtitutio bonorum regiorum. 206. Et quomodo bonorum particularium. 207.

Reſurrectio. Differentia inter reſurrectionem naturalem & ſupernaturalem. 88. In noſtro eſt arbitrio bene reſurgere. 89.

Rex. Quotnam Reges Judaici populi fuerint ſalvati. 95. Quàm laudabile in Regibus audire conſilia ſapientum. 168. Quàm periculoſum opinione Regum ſapientem haberi. 169. Quàm difficilis Regum ſalvatio. 95. Non expedit illis habere familiares. 47. Duo ſi fuerunt in ruinam ceſſit Regis. 48. Miniſtri laterales gemitus & ſingultus devorare debent. 53. Quænam maxima infelicitas familiarium regiorum. 56. Regum vitia ſunt monſtruoſa. 124. Quomodo Reges ſcient utrùm per ſe ad officia promoti futuri ſint fures nec ne. 195.

S.

Sacramentum. In Sacramento non videtur ſatisfactum ſpei. 1. Sacramentum pro ſpe eſt inſtitutum. 2. Inſtitutum fuit pro hominibus in ſtatu ſpei, & non patriæ. 3. Sperantibus menſa Sacramenti promittitur, meritis ſpei. 4. Sacramentum eſt confortativum ſpe infirmantium. 6. Mediante Sacramento ſpes fruitur in terra, quo frui non poteſt in Cœlo. ib. Fidei & Charitati in Sacramento eſt ſatisfactum. 1. Qualis menſa, qualisque beatitudo eſt illa Sacramenti? 4. Correſpondentia Sacramenti & ſpei. 7. Majus eſt bonum levaminis in Sacramento, quàm ipſum bonum deſideratum. 10. Quomodo Sacramentum nos faciat caſtos. Chriſtus in Sacramento amoris ſui excellentiam exaggerat per differentiam ſtatus. 310. Magis obligamur Chriſto per Sacramenti continuationem, quàm per ejusdem inſtitutionem. ibid. Sic Chriſtus Sacramentum inſtituit, ut cùm eſſet pro omnibus, voluerit inſtitutum videri pro uno. 282. Quomodo invidia dari poteſt in Sacramento. 306. Patientia amoris Chriſti in Sacramento. 315.

Salomon. Salomon fuit ſapientiſſimus, non ſolùm

quia

quia novit literas & scientias, sed etiam quia novit ignorantias. 77.

Salvatio. Salvati cupiens fugere debet homines. 109.

Sancti. Etiam Sanctis verissima videri possunt illusiones. 214.

Sapientia. Qualis erat ornatus domus sapientiæ. 148. Et quàm difficile sit vincere doctum & sapientem. 162.

Scientia. Facilius est homini docto & sapienti ignorantiam suam agnoscere, quàm confiteri. 164. 165. Quàm difficile est doctis & sapientibus victos se confiteri. ibidem & 166. Quàm utile rudibus sit, tractare cum sapientibus. 166. Superbus incapax est sapientiæ. 167. Indocilis sapiens esse nequit. ibid. Quid faciendum sapientibus ut salventur. 169. Veritatem agnoscere, quamvis alterius intellectûs filiam, vera est sapientia. 85.

Similitudo. Quomodo similitudo omnes vincit similitudines. 31. In quonam melius verificatur, simile in simile nihil operari posse? 162. Duabus similitudinibus Christus nobis declarat, quid pro nobis sit passus Passionis suæ tempore. 183. Similitudo inter gloriam & Sacramentum. 266. Non sunt sibi similiora in mundo, quàm Rex & regnum. 295.

Sol. Sol reprehendit Josuë ob nimiam vindictam. 292. Quare DEUS Solem creavit die quarto. 35. Anima debet esse instar Solis, si jam perdita reinveniri desideret. 137. Christus Sol est absentiæ. 298.

Solitudo. In solitudine pro DEO assumpta solus nunquam est solus. 120. Quantam homines sui jacturam faciant, nescientes cum solo Deo agere. ibidem. Solitariorum felicitas. 122. Tantum Solis deest terra, & aperitur Cœlum. 121. Mundus non est dignus iis, quos Deus pro solitudine elegit. 122. In omni statu exercitia cum solitudine alternari oportet. 122. & 123.

Spes. Spes non videndo vivit, & moritur viso. 8. Spes est anchora. ibid. Spes in Sacramento securam habet fiduciam. 9. Etiam habet desiderii levam n. ibid. In nullo hominum spe-

randum. 11. In hac vita spes unam habet beatitudinem, & in alia alteram. 13. Spei correspondentia cum Sacramento. 7.

Spiritus S. Spiritus S. est docens, & prædicator tantum dicens, quando auditur doctrina Christi. 232. Quare Spiritus S. apparuit in linguis igneis. ibid. Et quare in linguis. 233.

Statua. Doctrina haurienda ex statuis lapideis & myrthinis in hortis, considerata earundem differentia. 238.

Succursus. Felicius est periculo carere, quàm succursu indigere. 119.

T.

Taurus. Quales tauri & altilia in Christo mortuo considerantur. 262. 263.

Tempus. Tempus omnium oblivionem inducit. 211. Sed non amor perfectus. 213. Sunt peccata temporis. 128. Ad quod mandatum pertinent peccata temporis. ibid.

Theresia. Theresia in nuptiali Christi convivio Sponsa. 296. Christus præsente B. V. Maria & S. Josepho eam sibi desponsat, & quàm arctâ unione. 297. & seq. Angelus Theresiæ cor evellere visus. 299. Amore Theresiæ Christus creâsset cœlum, si nondum fuisset creatum. 301. & seq. Ex calceata apparuit in cœlo. 304. Septem in cœlo occupat loca. ibid. Excellentiæ amoris Christi agentis in cœlo ergà S. Theresiam, præ amore, quo S. Mariam Magdalenam amavit in terra. 310. Quomodo apparentem sibi tractârit Christum ex Confessariorum consilio. 311. Christus ab ipsa materialiter injuriis affectus eam invisere non cessat, novosque exhibet favores. 314. & 315. Materiales tantùm in Christo injurias cor Theresiæ compensabat. 316. Ex humilitate renuit esse Priorissa Religiosarum de Incarnatione Avilæ. ibid. & 317. Plura in laudem ipsius vide in toto Sermonis illius decursu.

Trinitas. Quomodo cum Patre æterno, Christo, & homine facta sit una Trinitas. 229.

Tuba. In die Judicii magis stupendum erit, quòd resurgent mortui ad sonum tubæ. 88.

V.

Vallis. Vallis Josaphat totum capiet genus humanum. 91.

Veritas. Recognoscere veritatem quamvis intellectus alterius filiam est verè scire. 85. Potentes abominantur veritatem sibi dicentes. 114. Veritas & intellectus sunt pedes & manus animæ. 273. Etiam Sanctis veritates videntur illusiones. 313.

Via. Non accurrimus vocanti Deo, quia non stamus in finibus viarum. 271. Quænam securior via ad cœlum. 118. Magna infelicitas per viam cœli, tendere in infernum. 94.

Vitium. Ut fugiantur vitia, fugiendi sunt homines. 107. Vitia Regum sunt monstra. 124. Qualibus vitiis maximè pereant animæ. 129. Quemadmodum vitia ita & virtutes sunt contagiosæ. 133. Vitium cupiditatis difficulter emendatur. 138. Contrà cupiditatis vitium remedium. 144.

Unio. Ubi duæ sunt voluntates, duo intellectus, & duæ naturæ, non potest esse unio. 84. Quantum possit unio multorum quamvis debilium. 153. Amor non est unio locorum, sed voluntatum. 217. Quomodo Christus, æternus Pater, & homo idem sint per unionem. 229.

Vocatio. Quomodo intelligendum, multos esse vocatos, paucos verò electos. 270. Pro quàm vili re vocanti Deo non paremus. ibid. Quare vocationi ipsius non obediamus. 271. Ira Dei facit ut vocati statim accurramus. ibid. Nemo converti potest, nisi vocatus à DEO. 272. Quando vocatus à Deo non vadit, postea ubi ire voluerit non poterit. ibidem.

Voluntas. Voluntates duæ conciliantur ægrè quamvis motiva sint eadem. 48. Etiam Deo difficile est hominum voluntates conformare suæ. 110. Voluntas ad nolendum habituata nunquam vult. 272.

X.

Xaverius. S. Xaverius ex India scripsit de furtis, quod ibidem verbum Rapio per omnes conjugaretur modos. 197.

Z.

Zachæus. Zachæus, quia fur erat dives, sine restitutione salvari non potuisset. 190. Nullum opus bonum in obsequium Christi præstitum meruit veniam antè factam restitutionem. ibidem.

FINIS.

